257

258-2-4

1.334

ANTILOGIÆ VNIVERSÆ

SACRÆ SCRIPTVRAE

TOMVS PRIMVS.

GENESIM, ET EXODVM

COMPREHENDENS EDITVS A DOCTORE D. EMMANVELE FERDINANDO DE SANTA CRVZ. OLIM IN MAIORI VNIVERSITATIS SALMANTICENSIS CONCHENSI COLLEGIO ALVMNO, NVNC AVTEM CATHEDRALIS SEGOVIENSIS ECCLESIÆ CANONICO MAGISTRALI.

SACRATVS EMINENTISSIMO DOMINO D.

PASQVAL DE ARAGON,

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ, SVB TITVLO Sanctæ Balbinæ Cardinali, Toletanæ Primatis Eccleſiæ Archiepiſcopo, totius Hiſpaniæ Gubernatori, ſtatuſque Supremi iam diu Conſiliario.

ADDITVR PRO APENDICE EARVNDEM Antilogiarum pro concionatoribus expoſitio moralis.

Anno 1671

MINISTERIO DE LA PRESIDENCIA - REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL - PALENCIA

CVM PRIVILEGIO.
Segoviæ, Apud *Bernandum à Hervada.*

INTELECTUAL

EMINENTISSIMO DOMINO

D. PASQVAL DE ARAGON,

SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ

CARDINALI SVB TITVLO

SANCTÆ BALBINÆ,

TOLETANÆ PRIMATIS

ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPO,

TOTIVS HISPANIÆ GVBERNATORI,

CHANCELLARIO SVPREMO CASTELLÆ,

PRIMOQVE STATVS

CONSILIARIO.

VM nil præclarius homini fore putarẽ, quã in meditatione legis diuinæ, scientiæ que sacræ vitæ transigere curriculum vrebe, post scholasticæ studia Theologiæ, quò occulto quodam impetu ferebat me genium, toto (vt aiũt) pectore in Sacræ Scripturæ vigilijs me incumbendum decreui. Quum autem in eius lectione versarer, sæpè non nulla reperi, quæ nisi penitius scrutentur, non parum discordare videntur, sed pro viribus ea inuicem molitus sum cõciliare Michi autem diu cogitanti huiusmodi labori publicam lucem negare, & in sudario abscondere talentum pusilum, prouerbium illud celebratum occurrit *Talpæ, vesperilionis,*

lumbrici latere eſt, non hominis, illos latebris, nocti que dam nauit natura, lucem homini dedit, ideo mutata ſententia, ab iſto bene de publico merendi ſtudio abſterrere tenuitas mea non potuit, in humano namque corpore non ſolum oculus ornat, ſed pes, vngues, neque pili deformant, neque ullum tam vile membrum eſt, quod non vicinis, atque etiam integro corpori inſignem vſum præſtet. Huius tamen opellæ, ſi in alijs liberum eſt, neceſsitas te deſignauit patronum. Cuncti namque Mæcenatem in Principibus quærunt, cuius ex illuſtri gloria ſplendor aliquis in operibus ſuis quaſi ex nouo Sole colluceat, & in eorum quaſi propylæis titulos manifeſtant, ſed meus hic qualiſcumque ſtudiorum fœtus, ſub omnium ora, ſi tuas tetigerit aras, longe ab inuidis, quã ædes Herculi Romæ in foro boario ſacrata à canibus, atque muſcis, tutior incedet, nec ideo fumoſas maiorum referre imagines opus erit, in tua namque familia vel ipſi infantes natiuo iure grandes naſcuntur, quorum ſtirpem inſeriem digerere per tot Heroum, & Principum geneſes, hiſtoriæ longiſsimæ foret, non epiſtolæ, ſed eorum laudes meritis ſuperaſti. Pietatis inſignia, zelumque gloriæ Dei, eo in te ardore ſpirare cui nulla ætas ſimile ſuppeditauit exemplũ, orbis optimo iure miratus eſt. Eccleſiã Toletanam inuoco teſtem, eximijs religionis, charitatis & religioſæ obſeruantiæ publicis documentis tuis inflammatã; ſed quid miri? quò enim gubernator curſum flexerit, eòdem & remiges conniti par eſt. Decantet orbis, dicat Hiſpania, cuius Gubernaculũ tenes, quod Nazianzenus Poſthumiano Principi aiebat; *In ſublime euectus es, haud ita mediocri principatum gloria. Imò ipſe ſi quod verius eſt, dicendum eſt, haud modicos principatus ſublimes reddidiſti, ſuppremam nactus eſt poteſtatem Non eſt hoc fortunæ munus, ſed hanc poteſtatem tamquam virtutis præmium adeptus es, vt & ipſa redderetur glorioſſor, & rex propter iuditij ſui de te ſententiam laudem acquireret.* Maximis ergo votis opto, Eminentiſsime Princeps, vt aris tuis impoſitum donum, non dedigneris, vt profectum ab illo animo, qui tibi inſeruire, quantum poteſt, paratus eſt. Accipe hoc qualecumque munuſculum, non quod tuam deceat maieſtatem,

ſed

sed quod à mea potèst sperari tenuitate in gratitudinis signum & symbolum beneuolentiæ, & me in tuorum numerum, tuam que recipe clientelam.

Eminentisime Princeps.

V.E addictisimus seruus.

Doctor D. Emmanuel Ferdinandus de Sanctacruz.

CENSVRA D. DOCTORIS D. PETRI SANTAGADEA OLIM maioris S. Ildephonsi Vniuersitatis Complutensis alumni, & nunc meritissimi Cathedralis Segouiensis Ecclesiæ Canonici Pœnitentiarij.

COmmissione D.Lic. D.Antonij de S.Pedro huius almæ Ecclesiæ Segouiēsis Canonici,& Vicarij Generalis istius ciuitatis,& Diœcesis librum hūc, cuius epigraphe est, *Antilogiæ Sacræ* Authore suo D. Doctore D. Emmanuel Fernandéz à S.Cruz ipsius Sanctæ Ecclesiæ Canonici Magistralis dignissimi,ac quondam Salmāticæ Maioris Conchensis Collegij toga insigniti,nō semel eboI bens tota animi attentione, & mentis erectione perlegi,in eo inueni sacras concordātias difficiliorum textuum Geneseos,& Exodi magno studio,& omnium litterarum iuuamine mirificè concinatas;dicam de hoc volumine sacro,quod de ipsa Sacra Scriptura eius obiecto Hugo Victorinus, *Sic verba sunt innumerabiliæ sed vnicum tantum verbum*,quasi dicat,etiā si in Sacra Scriptura plura sint verba.& sententiæ quoad sonum,vnicum tantum est verbum quoad sensum, & consensum;solus iste labor,& liber dum libros legis quinque numero vnum efficit amicabili consonantia,& consensu,quis nam dubitet magnam de ignorantia reportaturum victoriam dum doctis erit fixus pharus ad quam plures difficultates superandas?

*Reg.*1.*c.* 17.*n.*40. Pugnaturus Dauid cum Goliat, *Ellegit sibi quinque limpidissimos lapides de torrente,& misit eos in peram pastoralem* properans tamen ad pugnam; *Festinauit Dauid,tulitque vnum lapidem, & funda iecit, & circunducens percussit Philistæum in fronte*,quomodoquinque lapides ad congressum parantur, solumque de oste victoria reportatur in vno. Aug. *Aug.ibi.* iam dilucidans expendit sic; *Quinque lapides posuit,vnum misit, libri quinque lecti sunt,sed vnitas vicit*, Igitur libri quinque legis vnum est Pentateuchum quia legis perfectio non in eo sita est quod inquinque membra disrumpatur,sed in hoc quod eius sententiæ sic interse cohæreant,& se inuicem aspiciāt vt sensu,& consensu vnum prorsus videantur.

Consensum hunc Geneseos,& Exodi sententiarum doctissimus noster Emmanuel hoc tomo primo perlustrat,ò vtinam cœteros legis libros, imò omnia sacra volumina percurrat!Et tu lector fruere hoc magno studio, in quo si quemlibet textum cum suo contextu ex aduerso apposito legas,optimo iure, *Antinomiam* appellabis,si tamen concordantiam tibi appositam attendas inuenies omnino sacri oraculi harmoniam sententijs amicabiliter consonantibus modulatam;Fruere iterum hoc doctissimo labore,& antinomijs concordatis,ex quo lectione ditabis intellectum speciosissimis notitijs Sculpsit Iulius Cæsar in nummo Caduceū Cornucopiæ adiunctum innuens concordiam Caducei Cornucopiam,hoc est,rerum affluentiam afferre;illud in sensibilibus, non secus in intellectualibus,omnīnamque dificultate semota concordantiæ istæ in hac nostræ caligantis aciei nocte,pelago,& abysso iter planum parant vt sine impedimento totam Sacram paginam percurras,& ex eius lectione desideratam veritatis inuenias margaritam.

Ne ego tamen muneris mei terminos,& metam ti ăscendam,sentio opus hoc doctrinæ Catholicæ consonare;& bonis moribus nedum cōtrarium, verum etiā doctum,vtile,& omnibus viris litteratis valde desiderandum,quare dignum censeo vt in communem vtilitatem quam primum lucem aspiciat; Segouiæ die 12. Octobris Anno salutis 1670.

Dr.D.Petrus de Santagadea.

CEN-

CENSVRA D. DOCTORIS D. IOANNIS DE BVSTAMANTE ET Medrano Canonici Segouienſis, & Maioris S. Ildephonſi Collegij Complutenſis Vniuerſitatis alumni.

D. D. Emmanuel de Sancta Cruz in Salmanticenſi academia Cõchenſis Maioris Collegij toga inſigniti, & nunc in noſtra Alma Segouienſi Eccleſia Magiſtralis Canonici adſcripti, opus inſcriptum *Antilogiæ locorũ Sacræ Scripturæ* accurate euolui, neque in vniuerſo hoc opere aliud deprehendi, quã quod ad diuini honoris augmentum, Euangelicæ prædicationis officium, & morũ perfectam integritatem conciliandam, ſanctorum denique Patrum pietatem chriſtianorum pectoribus inſtillandam mirum in modum conferat, & quod pretioſius debet notari, ad omnes Sacram Scripturam intelligere cupientes, eiuſque difficilimam multorum oppoſitionem locorum aperiendam aurea clabis proponitur. E quibus velut certo filo ducimur in ſacram illã labyrintum, & adducimur ne argumentorum copia obruamur, & fluctuemus in ſpatioſo illo ęquore difficilimoque Sacræ Antilogiarum Scripturæ.

Opus igitur iſtud, quo nullum excelentius Chriſtianæ Reipublicæ à multis ſæculis donatum, ex commiſsione D. Doctoris D. Antonij de S. Pedro Proniſoris Vicarijque Generalis Segouienſis Dioeceſis, eiuſque Cathedralis Eccleſiæ meritiſsimi canonici voluptate perlegi & tota cura examinaui, opus (iterum atque iterum exclamem ſinite) opus in quam egregium, pium, eruditum, integrum, ſuiſque numeris abſolutum; in quo ingenij acumen, eruditionis vires, affluẽs doctrina, breues, & copioſæ diuitiæ, & ſedulitas attenta, & dictionis ſententioſſa elegantia ad inuicem concertant, & ad auctoris gloriam maxime inter ſe federantur, in illo, quod correctioni obnoxiũ, nihil, quod in Eccleſiæ, & Sacræ Scripturæ candidatorum vtilitatem cedat, plurimum reperi, quin imò ſummopere nobis gratulemur, noſtri fuiſſe laboris illi prælo primum aditum aperire, ſiquidem lucidatum lucem & ipſum quam maximam Eccleſiæ Dei daturum non dubitamus *Felix intentio* (vt cum Caſiodoro loquar) *Laudanda ſedulitas, manu hominibus prædicare, digitis linguas aperire, ſalutem mortalibus tacitum dare, & contra diaboli ſurreptiones ilicitas calamo, atramentoque pugnare.* In ipſo enim præter ſpecioſam & locupletiſsimam ſcripturæ & ſanctorũ patrum ſupellectilem, (qua opulentiſsime abundat) & claritas inuenitur, & cum claritate ſubtilitas, & profũditas admirabiliter conectũtur, ita ſibi metipſis artificioſa harmonia conſonant omnia, vt non ſolum decies (vt alibi dixit Flacò) ſed etiã centus repetita placebunt. *Habent hæc diſtributa preconium, coniunta miraculum.* Nihil non grande, nihil non doctum retroactis ſæculis eſt cogitatum, quod ad huius operis armaturam, & ornamentum operoſa induſtria non aduocet, ad quod nulla non referabit vtriuſque eruditionis Chartophilacia; ita vt in illo omnia poma noua, & vetera inueniantur, ſic dilucide interciſſa, vt totum nouum, totum vetus dicere poſsis, ſtilus planus, doctus, dulcis & ſententioſus, nec parcus, nec prodigus, parata copia ad quancumque partem conuertit ingenium, ita antiquorum Philoſophorum cõtexuit elogia, vt quod illis prouida impertiuit natura, prouide & in ipſo coadunaſſe videatur, adeo, vt quod de Claudiano Mamerto Sidonius Appollinaris ſcripſit, de illo auſim ſine tædio prædicare. *Sentit vt Pithagoras, diuidit vt Socrates, explicat vt Plato, implicat vt Ariſtoteles, vt Demoſthenes iraſcitur, Vernat vt Hortenſius, incitat vt Curio, ſuadet vt Cato, perſuadet vt Tulius,* ita priſcos patres (tamquam prima Sacræ paginæ elementa) eſt imitatus, ac illis eſt addictus, vt iota vnum, aut vnum apicem ab eis non prætermittat, ita illorum ſpiritum inducit,

lib. 1. de diu. lect. capit. 30

Caſiod. vbi ſupra

lib. 4. c. 3

vt

vt cum eodem Sidonio repetere non erubescam; *Iamsi ad Sacros Sanctos Patres pro comparatione veniatur; instruit vt Hieronymus, destruit vt Lactantius, adstruit vt Augustinus, attollitur vt Hilarius, vt Basilius corripit, vt Gregorius consolatur, vt Eusebius narrat, vt Eucherius solicitat, vt Paulinus provocat, vt Ambrosius perseverat.* Et tu, ad cuius manus editum hoc opus peruenerit, en tibi Sacræ Scripturæ thesaurum. Vberius dicerem si Panegyricam agerem, non censorem. Ede quam cellerrimum, vnde & tuo nomini celebritas, & nostris temporibus claritas, & studiosis omnibus pariatur vtilitas. Ilico liber prælo fatiget, vt sic Bliblicæ litteraturæ diues thesaurus, christianæ veritatis eruditio, virtutum, asylum, & vitiorum effugium, sic serio reor, sic firmiter iudico.

Dr. D. Ioannes de Bustamante.

LICENCIA DEL ORDINARIO.

NOS El Lic. D. Antonio de S. Pedro Canonigo de la Santa Iglesia Cathedral de esta Ciudad de Segouia, Prouisor, y Vicario General en ella, por la presente, por lo que à nos toca, damos licencia para que se pueda imprimir, y vender vn libro, intitulado *Antilogiæ Sacræ Scripturæ*; compuesto por el Dr. Don Manuel Fernandez de Sanctacruz, atento à que de la censura del Dr. D. Pedro de S. Gadea, y Dr. D. Iuan de Bustamante, Canonigos de la misma Iglesia, à quien le remitimos, consta no contiene cosa contra nuestra Santa Fè, y buenas costumbres. En Segouia à veinte y nuebe dias del mes de Octubre de mil y seiscientos y setenta años.

Lic. D. Antonio de S. Pedro.

Por su mandado.
Iuan de Espinosa Reynoso.

APPROBATIO R. P. M. Fr. IO ANNIS DE SOLIS CONTIONATORIS maioris Regalis Monasterij Beatissimæ Mariæ Montis Serrati noui Matriti, Ordinis Sanctissimi Patriarchæ Patris Benedicti.

QVem, sub ea inscriptione *Antilogiæ Sacræ* scripsit loculenter librũ Dominus Dr. D. Emmanuel Fernandez à Sancta Cruz, olim qui fuerit maioris Collegij Conchensis toga decoratus, id que Salmanticæ: nunc vero Segouiæ in eius alma Ecclesia Magistralis Canonicus meritissimus; Regij Senatus ex iussu, necnon expeculiari comissione D. D. Ildephonsi de Llano eiusdem Senatus Senatoris dignissimi; studiose legi, per volui diligenter, lente, non fastidiose probaui. Opus quidem multa, sed maxima, eruditione sacra, simul & humana refertum; quo subtilitas, veluti scholastica gratiam pacis in conciliando sibi meripsis in vicem refragantibus ad speciem plurimis scripturæ locis, multiplici amenitate ex Ethnicorum, & Sanctorum Patrum de floratione temperatur: recentes quæstiones per quã plurimæ mouentur, disoluuntur, & illustrantur. Penus ibi & ad sacras, & humanas disertationes aperitur: quæ que sapientiæ alumnis, scripturæ candidatis, sacrarum litterarum rudibus magnum & afferant adiumentum, & oblectamẽ

tum,

tum;imaginis exempla,symbola,& id genus multa,ea omnia copiosè, tum acute tractantur:itaque de hoc fœliciſsimo labore,& mirum in modum vtili dicã(absit assentatio)quod de Aristone Plinius Epistola 22.*Quam peritus ille, & veris priuati,& publicis? quantum rerum? quantum exemplorum? quantum antiquitatis tenet? nihil est quod discere velis, quod ille docere non possit: mihi vero quoties aliquid ab ditum quæro, thesaurus ille est*:Thesaurus? recte equidem; nec mirum quidem:etenim vero est aureum opus:aperiat quis hæc,quæ vno includuntur opere,quærat quid,inueniet multa; apparebunt effussa per folia,aclineas venustas in oratione sine fuco,maiestas cum lenitate,verborum delectus,aperta dictio,densa,& nervosa continuatio: subtilitas indifferendo fœlicitas vel maxima in inueniendo,mira in enodando per difficiles textus dexteritas,in obcuris aperiendis mira facilitas,in oppositis conciliandis satis gratiæ,& naturæ:præterea tot insigniter micantia exquisitæ eruditionis ornamenta,tot insertæ veluti prætiosæ gemmæ sententiæ:hæ que cũ à Sanctis Patribus petitæ,tunc ab Autore,proprio Marte ad rei commoditatem confictæ,tot conceptus pleni acuminis.& soliditatis; tot piæ interpretationes,fluentes melle,& lacte tantum christianæ pietatis,tantum religionis,tantum zeli animarum,tantum officij,quo bene meretur de vniuerso sapientum genere,quo nihil prætiosius,nihil vtilius,nihil copiosius,aut quæri,aut inueniri potest.En thesauros sapientiæ quos introrsus possidet;en diuitias, quibus locupletatur,quas longe lateque diffundit,ad hæc;*res est ardua* (verba sunt Plinij in præfactione)*vetustis dare nouitatem,nouis autoritatem ob selectis nitorẽ, obscuris lucem,dubijs fidem,fastiditis gratiam*:hoc cum ita sit,nihilominus tamẽ nostro grabissimo Doctori nihil est arduum,omne facile, quippe qui id omne exequitur,omnibus dat naturam,est naturæ suæ omnia, quid est ad fatigia magnæ laudis,& gloriæ quam proxime accedere,si hoc non est? merito aptare illi queam illud Martialis.

Euge,belle,acute,subtiliter sapienter
Ibis ab excuso grandis in astra sago.

Et iterum merito apropriare illi quæam hoc meum.

Sunt tuæ questiones, micantes,
Elegantes;
Illas præstas,dum mulces,
Dulces;
Quæ sunt,cum dantur,vt mare,
Claræ:
Viue felix non amare
Toto cum orbe affluentiæ;
Vnico sint tibi scientiæ,
Elegantes,dulces,claræ.

Quam ob rem hunc librum,qui ad prælum detur iudico dignum, præsertimque cum nihil nostræ orthodoxæ fidei repugnans,nihil integritati morum contrarium contineat:immo plura quæ illam augeant,fobeant,& extollant;quæ hos iuuent, & medeantur,& quæ omnibus studiosis sint fructui, & voluptati. Matriti in hoc Religiosissimo Cœnobio Beatæ Virginis Mariæ noui Montis Serrati ordinis sancti Benedicti,anno Anatiuitate Christi Domini,1670.

Fr.Ioannes de Solis.

SV-

SVMA DEL PRIVILEGIO.

TIene priuilegio el Dr. D. Manuel Fernandez de Sancta-Cruz Canonigo Magistral de la Sãcta Iglesia Cathedral de la Ciudad de Segovia, para imprimir este libro en todos los Reynos de Castilla, por espacio de diez años, y para que ninguna otra persona, sin poder, ò facultad suya, le pueda imprimir, ni vender, so pena de que qualquiera que lo contrario hiziere, pierda la impressiõ, è incurra en pena de cinquenta mil maravedis, como mas largamente consta, y se contiene en su original. Despachado en el dicho oficio de Francisco Carrillo Escribano de su Magestad à 29. del mes de Diziembre de 1670.

ERRATA SIC CORRIGE.

FOl. 4. column. 2. linea 29. vbi virorum lege *virorem*, f. 17. c. 1. l. 3. fuerat, lege *fecerat*, f. 25. c. 2. l. 3. lege *grassatores*, f. 27. c. 1. l 11. lege *humanis*, f. 55. c. 1. & alibi vbi oblicti lege *ehliti*, f 63. c. 1. l. 30. post homo adde *Dei*, f. 77. c. 2. l. 42. lege *quas*, f. 85. c. 2. l. 47. lege *diluio*, f. 101. c. 2. l. 19. lege *vtrisque*, f. 118. c. 1. l. 25. lege *libello*, f. 135. c. 2. l. 15. post primam adde *distributionem*, f. 141. c. 2. l. 25. vbi 60, lege 70. f. 143. c. 2. l. 20. post tres adde *filios*, f. 207. c 1. l. 25. post conatu adde *vt*, f. 215. c. 2. lin. 14. post Moses adde *nec*, & post vlterius dele *nec*, f. 245. c. 2. l. 29 post dignum dele *cui* & appone post *sic*, f. 259. c. 1. l. 27. lege *nepuli*, f. 266. c. 1 l. 27. vbi Leui, lege *Iuda*, f. 271. c. 2. l. 49. lege *excesserat*, f. 270. c. 1. l. 32. lege *morituras*, f. 336. c. 1. l. 28. post decalogi adde *asserant*, f. 294. c. 2. l. 19. lege *magi*, f. 307. c. 2. l. 46. lege *sanctificasset*, f. 397. c. 1. l. 26. post daretur, adde *locus*, f. 405. c. 2. l. 19. lege *solebat*, f. 429. in §. 2. post Baptistæ, adde *parentis*, f. 489. c. 2. l. 29. *deceb.t*, f. 492. c. 2. l. 37. vbi confunderent dissent lege *confundissent*.

Hic liber inscriptus *Antilogiæ vniuersæ Sacræ Scripturæ*, demptis his mendis suo exemplari fideliter respondet. Dat. Matrit. Die 16. Februarij Anno 1671.

Lic. D. Francisco Forero de Torres.

SVMA DE LA TASSA.

TAssaron los Señores del Consejo este libro intitulado *Antilogiæ vniuersæ Sacræ Scripturæ*, escrito por el Dr. D. Manuel Fernandez de Santa Cruz, Canonigo Magistral de la Santa Iglesia de Segovia en ocho maravedis cada pliego, como cõsta de su certificacion. Despachada ante Diego Nurueña Escriuano de su Magestad, en 11. de Março de 1671.

AD

AD LECTOREM.

CVm idem sit spiritus veritatis, qui loquitur in veteri, nouoque testamento, nil prophetarum oraculà, quod à Mosis deuiet veritate, nil quod cũ Euangelistarum doctrina optime non cohæreat, nisi temere dicendum est reperiri. Verum quidam proprio inditio ducti, & hvmana tumescentes sapientia quasi vento distenti velamen Mosis super cor insipiens habentes, errorum nebulam proterue tuentur, & lumini veritatis, ostiumque scripturarum intelligentiæ occludunt stulti. Hi sunt Rabbini, quorum innania dicta ideo referimus sæpius, vt quam futilibus nixi, Domino, qui claritatis, ac veritatis lumine hominũ mentes illustrat, impie resistant, cunctis patere possit, quãvis alibi, (si religionis nostræ misteria, legisque scriptæ dogmata excipias) non ita reperies contemptos, ad percipiẽdam namque (vt inquit Grotius) veterum morum notitiam, non parum conferre nobis possunt Hebræi Scriptores, ij maxime, qui & sermones, & mores patrios habuerunt percognita. Alijs autem pie, sincereque Scripturam Sacram legentibus apparens contradictio ex profunditate sermonis sancti proueniẽs offendiculum solet esse, ideo omnia Scripturæ loca, quæ interse oppugnare videntur, (si Deus dederit) percurremus, quædam etiam alia pertractamus, quæ licet vix apparentem oppositionem continere uideantur, pulchram tamẽ expositionem admittunt. Quæ omnia non mediocriter suspicor deseruire, qui pro obtinendis Ecclesiarum præbendis lectoralibus, nimio credo, lecturi insudant labore. Accipe inseruire tibi paratum affectum, nec omnia despicies, vt inquit enim Fullerus, accidit miro, & singulari diuinæ prouidentiæ beneficio, vt nemo fere mortalium adeo bardus, & brutus reperiatur, qui non quandoque commodissime, & cogitet, & loquatur. Hinc tritus ille vetere prouerbio versiculus.

Sepè etiam est Olitor velpe opportuna locutus.

Vix enim quisquã est adeo imperitus, qui sæpissime iaculans, nõ aliquãdo collineet. Æqui igitur spectatoris erit, quẽ non nũ

quam

quam collineantem laudat, eumdem subinde aliquantulum ab errantem patienter ferre. Ego autem ingenuè fateor, sicut Apelles tabellam in publico constituebat, vt omnium experiretur iuditia, in lucem mentis fœtum proferre, vt omnium iuditio emendetur. Benignè ergo nostrum interpretare lector laborē, in quo si quid imprudentèr dictum, & à saniore doctrina visū fuerit alienum, Catholicæ Ecclesiæ iuditio libens submitto, & pro non scripto, & suppresso habendum declaro. *Vale.*

ANTILOGIÆ VNIVERSÆ SACRÆ SCRIPTVRÆ.

TOMVS PRIMVS GENESIM ET EXODVM COMPREHENDENS.

EX GENESI, *Cap.* 1.

Cap. 1. *v.* 11. *Germinet terra herbam virentem,* & *v.* 11. & *factum est ita hoc, tempore veris conditum mundum probat.*

Genes. 8. *v.* 11. *Columba circa medium mensis vndecimi viridem oliuæ ramum ad arcam Noe retulit quod conuenit mensi Maio, fuit ergo primus mensis Iulius,* & *consequenter æstate conditus fuit mundus.*

QVamvis non sit Deus sicut homo, vt mentiatur, aut sicut filius hominis vt mutetur, quamvis auctor Scripturæ spiritus sit veritatis, plura in Scriptura sacra reperiuntur monumenta, quæ oscitanter considerantibus apparentem contradictionem præseferre videntur. Quorum conciliationem pro captu nostræ imbecillitatis, non assequi præsumimus, sed desideraſſe ambitiosa studiositate gloriamur.

Quæstionem de tempore, quo fuit conditus vniuersus, respicit huiusmodi contradictio, vtrum vere, an hieme, autumo, an æstate, fuerit prima creatio, vbi apodixes minime sunt requirendæ, neque euidentia argumenta, vt non sine temeritate iudicauit Caluisius, qui in autumno mundi creationem constituit. ¶ Cui sententiæ contradicere (inquit) & contra Sacram Scripturam aliud initium verum ab initio Hebræorum prisco diuersum instituere velle, magna temeritas videtur. ¶ Verum non ita pertinaciter vni sententiæ adhærendum, vt altera tamquam erronea damnetur.

§. I.

Referuntur ſententiæ, & eligitur verior.

ANte quam varia placita referã debet conſiderari, quod cum Deus condidit mundum non in qualibet terræ plaga fuit ver, autumnus, vel æſtas, ſed huiuſmodi verſari quæſtionem de terra Palæſtina, regionibuſque vicinis quarum ad captum ſe accommodabat Moſes earum incolas erudiendo.

Quibus conſideratis, Gerardus Mercator initio ſuæ Chronol. æſtate mundum fuiſſe creatum Geneſ. cap. 8. noſtræ contradictionis loco relato nixus defendit. Columba namque circa medium menſis vndecimi viridẽ oliuæ ramum retulit ad arcã Noe, quod competit menſi Maio, quando non oleæ ſolùm, ſed reliquæ ſimiliter arbores virere ſolent, vnde deducit mẽſem primum olim fuiſſe Iulium eoque conditum fuiſſe mundum. Hinc Ægyptij ſolem initium Leonis ingreſſum, quando mundus producebatur, vt refert cap. 35. Solinus exiſtimabant.

Rabbi Abraham, Rabbi Eliezer, & alij quam plures Hebræi autumno potius quam verè, aut æſtate, aut hieme arbitrantur eſſe creatum mundum. Huic fauent ſimiliter Arias Mõtanus de ſæculis ſequutus Abulenſem in Geneſ. q. 21. Serarius in Ioſue 5. q. 27. Lyranus Geneſ. 7. littera D. eamque noſtri æui non infimæ notæ, Petauius de doctrina temporum, tomo 2. lib. 9. cap. 6. Scaliger, Caluiſius Iſag. Chron. cap. 34. Torniellius ſequuntur.

Libentius autem omnibus bene inſpectis eorum ſententiæ ſubſcribo qui mundi creationem vere factam fuiſſe arbitrantur ſic Damaſcenus lib. 2. de fide Orthod. cap. 7. Theodor. in Exod. q. 72. Ambroſ. lib. 2. Hexam. c. 4. Nicetas, & Patres Concilij Cæſarienſis tempore Victoris Papæ congregati Beda tomo 1. lib. de ſex ætatibus, Auguſtinus, Elias Cretenſis, Irinæus, Athanaſius, Iſidorus, Iunilius, Rabanus, Aponius, Salius, Hilarion, Albinus, Hugo, Comeſtor, Marianus, Scotus, quibus adhæret Martinengus in ſua Gloſſa Magna, Salianus, Caietanus, Deirio, Cornelius, Genebrardus, Andrichomi° initio Chron. Euſebius in Chronico, & alij, qui non ſine faſtidio præ eorum copia referri poſſent.

Argumentum ſententiam iſtam conuincens tetigit locus primus contradictionis ſuperius relatæ, inquit enim ſacer textus Geneſ. 1. *Germinet terra herbam virentem, & factum eſt ita*, terræ nempè ſuperficies plantis alijs germinantibus, alijs iam in culmos adoleſcentibus, alijs germinantibus, alijs florentibus, alijs fructus, naturæ ſuæ conditione victui hominibus tunc creatis ſuppeditante ferentibus, vt cap. 3. Geneſ. refert Eua *de fructu lignorum quæ ſunt in paradiſo veſcimur*, quæ omnia veris amænitati mundi creationem fuiſſe conſecratam conuincunt. Hinc ſenſit Cyrillus mundum ea anni cõſtitutione, qua ante conditus fuerat, reparatum eſſe xantico mẽſe (inquit) ver eſt reliquũ, eſtque hoc tempus, *Menſis primus, in quo feſtum Paſchæ prioris erat typicæ, nunc verò eſt vere. Hoc tempus eſt creationis mundi.* Sicut ſimili diuina diſpoſitione factum eſt vt eodem menſe Caſleu templum Hieroſolymitanum diuino rurſus cultui conſecraretur quo ante triennium fuerat contaminatum, 1. Machab. 4. v. 3. *Secundum tempus, & ſecundum diem, in qua cõtaminarunt illud gentes in ipſa renouatum eſt in canticis, & cytharis.* Huc alludere lumine naturali ductus videtur Virg. 2. Georg. cum cecinit.

Non

Non alios prima creſcentis origine mundi,
Illuxiſſe dies, aliumve habuiſſe tenorem,
Crediderim, ver illud erat ver magnus agebat,
Orbis, & hibernis parcebant flatibus Euri,
Cum primum pecudes lucem hauſere, &c.

§. II.

Reſpondetur argumentis pro ſententia contraria, & conciliantur Scripturæ relati textus.

PRIMVM, quo nituntur, fundamentum, qui autumni conſtitutione cenſent creatum mundum, id-eſt, quia ante Moſem caput anni erat in autumno, ſiquidem feſtum tabernaculorum menſe ſeptimo ſolitum celebrari in exitum anni incidiſſe conſtat Exodi 23. v. 16. ibi: *Solemnitatem quoque in exitu anni quando congregaueris omnes fruges tuas de agro,* & cap. 34. ver. 22. *Solemnitates hebdomadarum facies tibi, in primitijs frugum meſis tuæ triticeæ, & ſolemnitatem quando redeunte anni tempore cuncta conduntur.* Ex quibus omnibus liquido apparet initium anni fuiſſe in autumno. Quod autem dicitur Exod. 12. *Menſis Niſan* (ideſt Martius) *vobis principium meſium, primus erit in menſibus anni* nulla alia fuit cauſa niſi quod tunc ex Ægypto ſint educti Iſraelitæ hoc autem ſolum probat in faſtis, & ijs, quæ ad rem diuinam ſpectant, Menſem Niſan, ſeu Martium fuiſſe primum, quoad nundinationes autem, & ciuiles contractus nihil de anni diſpoſitione immutaſſe, ſed primum ordinem retinuiſſe. Quemadmodum Orientales populi, vt Chaldæi, Perſæ, Ægyptij ſeruare videntur annum ab autumno ordientes. Nec non & Hetruſci, qui teſte Libio Idibus Septembris per annos clauum annalem figebant, vt ſingulorum annorum numerum deſignarent.

Reſpondetur faciliter caput anni fuiſſe antiquitus in autumno, nõ quod tunc mundus conditus fuiſſet, ſed quod veteres autumni oportunitatem ſequuti, in contractibus eam anni partem principem conſtituerint, in qua collectis frugibus, & partis pecoribus ſuas quiſque rurales, & paſtorizias gazas videret, ſuarumque rerum copiam, inopiam ve coram oculis haberet. Idem Hebræi in annis Sabbathicis, & Iubileis obſeruãt, quos à menſe Tiſri, ideſt, Septembri ordiuntur, ne alius eſſet qui ſeminaret, alius qui meteret, nulla habita ratione tẽporis, quo mundum Deus condidiſſet; vnde licet ſit concedendum priſcis tẽporibus initium anni ciuilis in autumno fuiſſe, non eſt negandũ quin etiam vere annus inceperit, ſi cut nunc Hebræi duplex principiũ anni in Tiſri, & Niſan recognoſcunt.

Sacri anni primordia ad menſem Niſan, forte reuocauit Moſes, quia iã pridem ab ipſa rerum origine anni ſinguli deducuntur, quemadmodum ferias hebdomadarias Moſes non primum inſtituit, ſed ad primæuam Sabbathi inſtitutionem perpetua lege ſanxit, ſic pariter dici poteſt, quod antiquum morem principij anni à Niſan renouauit. & menſem antiquitate primũ Paſchali celebritate in perpetuã exodi memoriã exornauit, ſicut feſtũ hebdomadarũ ob meſsis beneficiũ à Deo inſtitutum, etiam eodẽ die legis datæ memoriam recolebat. Simili modo loquitur Scriptura de Iride in nubibus futura poſt diluuium, Geneſ. 8. *Apparebit arcus meus in nubibus*, nec tamen inde licet inferre arcum antea in nubibus non ap-

paruisse, cum ex communi interpretatione non minus ante diluuium iris in nubibus effulserit, quã postea. Sensus ergo esse potest, mẽsis, quo Hebræi ex Ægypto emigrarunt, non ex antiqua tantum consuetudine, quæ per non vsum aboleri potest, sed ex Dei præcepto primus erit mensiũ anni sacri, & sicut iris assumpta est insignum non futuri diluuij, ita Nisan primordium anni sit in memoriam populi educti ex Ægypto.

Secundum argumentum, quod creationem mundi in autumno suadere videtur, inde deducitur, quod ea anni parte cõdi dicendus est mundus, qua fructibus arbores onerantur, absit namque tàm lugubris rerũ primo nascentiũ vultus, vt autumnus suo, veris æstatisque decore florum, herbarum, frugum varietate, & pulchritudine non gaudeat, hoc autem autumno potius, quàm veri conuenit, veri ergo prima vniuersi fabrica attribui non debet.

Huiusmodi autem ratio parum conuincit. Eua namque non dixit se ex omni genere fructuum in paradiso vesci, sed ijs solum qui tunc ex arboribus in paradiso pendebant, eomodo quo annis melioribus in agro Damasceno in vere existebant, tũc namque multo antequã nostro æuo fructus maturescebant, vt plures exponunt illud Psal. 106. *Terram fructiferam in salsuginem à malitia inhabitantium in ea.* Vt quid namq; tãta sunt expectãda miracula quot requiruntur, vt autumnali frigore tellus plantis, plantæ floribus, ac frondibus in speciem vernorum æstiuorũque mensiũ decorentur, exiguo illo tẽporis spacio, quo hiemis asperitas imminebat recentes illas mundi delicias cõfestim læsura. Vnde omnibus floribus, & fructibus qui veris, & æstatis decursu consumi solent, prima nascentis mundi ficus carebat. Gemebãt igitur (inquit Salianus) in illo communi totius terræ gaudio tot cæsarorum, prunorũ, malorũ Assyriarum, Medicarum, Persicarũ, Armenicarum genera, stabant non sine pudore cum cæteris, tot species pyrorũ, ficuum, amygdalorum, aliæque non paucæ. Marcebant roseta sine rosis, & liliorum caudices sine lilijs, omniumque penè florum plãtæ, quarum vis à Deo tanta producta est, suis viduatæ ornamentis, nullum poterant quasi simbolum in hanc mundi primam celebritatem conferre.

Ex his facile conciliantur contradictionis textus, oliua namq; suũ virorum alijs etiam anni tẽporibus præter æstatem conseruat, quare nõ licebit inferre Maium vndecimum fuisse mensem.

EX GENESI, *Cap.* 1.

Toto cap. 1. *Omnium rerum fabricam in sex dies esse distributam, & à Mose delineatam videmus.*

Eccles. cap. 18. *Qui viuit in æternum creauit omnia simul.*

Præsens autem textuum superius relata antilogia non solũ veteres gentilitatis, & Rabbinos sapientes, verũ etiam sacra nostræ Religionis oracula discordare fecit, mundum vnico momento vnicoque die absolutũ extulit Augustinus lib. 11. de Ciuit. Dei, Clemens Alexandrinus lib. 6. Strom. ex Hebræis, Philo, & Moses Maimonides (vt deserã alios) quibus iungere possumus Linum Poetã Troianum temporibus antiquiorem, qui penè ad Mosis ætatem accessit sic inquit.

Tempus erat quo cuncta simul condita. Quod sequitur Anaxagoras, vt aduertit Diogenes Laertius in præ-

præfatione hiſtoriæ philoſophorum, eandem ſequitur Caietanus, & in manuſcriptis nunquam digne laudandus omniſcius Magiſter Canus.

§. I.

Proponitur quorumdam conciliatio Antilogiæ, & ſimul exploditur.

CAietanus aſſerit ſex illos dies vnum, & eundem diem complere, ſepties vero repetitum per compationem ad terminum creationis, ratione habita ad ea, quæ condidit die primo dicitur primus dies, ad ea quæ edidit ſecundo, dicitur dies ſecundus, & ſic de cęteris, propter ſanctificationē autem diei ſeptimi vt memoria beneficij creationis recoleretur vnius, & idem dies habitudine ad illos ſex gradus ſex appellantur dies, imò (addit Caietanus) omnia quæ illis ſex diebꝰ condita referuntur, ſiuè corpora ſint ſimplicia, ſiuè ſint mixta non ſolū eodem die verum eodem momento fuerunt creata.

Huiuſmodi opinio quatenus aſſerit cuncta corpora mixta eodem inſtanti ab authore vniuerſi fuiſſe producta, communi omnium fere conſenſu repulſa patronum alium habere deſijt, huc illuc enim ſe vertat, plura potius incommoda congeret, quam aliquid ſacri textus hiſtoriæ congrēs reperiet. Sequitur planè ex illa neque plantas, & animalia terreſtra cum homine ex terra, neque volatilia, & piſces ex aqua producta fuiſſe, ſed ex nihilo potius creata eius contrarium ſupra pagina ſacra clamat Geneſ. cap. 1. & 2. Deinde prout ſimplicia corpora reſpicit minus ſubſiſtere valet, quia ſi quæ Geneſ. 1. narrantur diei vnici naturalis ſpacio condita forent quem interea nexum reſpiceret Caietanus, vt dies, ratione habita ad ea, quæ ſimul condita ſunt, eo ordine computentur, nulloque alio? ſane nullus: etenim ſi quatuor elementa orbes cęleſtes, Sol, & Luna, cętera aſtra, & eorum lumina ſimul effecta prodierant, nulla eſt ratio quare lumen ſiuè lux primo die dicatur facta, quarto autem Sol ipſe, & aſtra, quin potius è contra ſi ordinem philoſophicum cauſæ, & effectus quis reſpiceret, aſtra, & Solē quæ lucis illius ſubiectū & radix dicuntur primo die condita, & quarto die ipſam lucem editam ſentiet, ſi recto procedat ordine, & idem de alijs diebus faciliter conuincetur.

Secunda ratio, eaque non imbecilles vires in ſacra pagina ſumit. Geneſis 1. poſtquam dictum eſt in principio creauit Deus cœlum, & terram, proſequitur immediatè *Terra autem erat inanis, & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſsi*, quaſi dicat tenebras abſentiam ve lucis fuiſſe in toto vniuerſo ante luminis formationem, cum iuxta Caietani opinionem vniuerſum ſemper vidiſſe lucem ſit neceſſariò fatendum, ſiquidem lux Sol; & cętera aſtra cum cœlo, & terra ſimul condita ſunt. Facit tertio contra purpuratum Caietanum illud Exod. 20. *Memento vt diem Sabbathi ſanctifices ſex diebus operaberis, ſeptimo autem die Sabbathum Domini eſt, non facies opus in eo, ſex enim diebus fecit Deus cœlum, & terram, & mare, & omnia, quæ in eis ſunt, & requieuit in die ſeptimo.* Quare ratio nimis infirma, & futilis videretur, ſi omnia vnico die, & ſimul lucem primam vidiſſent. Auget difficultatem, id quod erudite conſiderauit Vielmius, quod Sacra pagina ſecundum numerum ſeptenarium ſolet tempora computare, hinc in vſum venit Hebræis hebdomada ſeptem dierum ſeptemque annorum, ac tandem maxima hebdomada, quam è veſtigio annus Iubilei ſubſequebatur. Nec

non populi omnes tàm barbari, quàm Græci, & Latini hebdomadibus perpetui vſi ſunt, cur ergo tàm ſcriptura, quàm ſæculi omnis ſapientes ſeptimanas, & non octomanas, ſeu decimanas computandas ſibi elegere? Nullam profecto aptiorem huius inſtituti rationem proferre poſſent, quã quod ſeptem dies hebdomadæ noſtræ, primorum ſeptem illorum dierum ſimulacrum inſigne, & illuſtrem imaginem referunt. Aſſerendum igitur eſt primam eam creationis hebdomadam quam Moſes conſcribit ſeptem conuerſiones cœli integras fuiſſe.

Sed quorſum tarda molimina illa in Dei infinita potentia? (inquit Caietanus) Duo poſſumus reſpondere, illam in creando moram, ſapientiam, & libertatem diuinam manifeſtaſſe. Emicat ſapientia cum triplex mundi repræſentetur facies, creationis, ſeiunctionis, & exornationis, & mirifice, quam ſapientia in diſcretione, & mundi venuſtate fulſerit, ipſa concinnit eleganter: *Cum ipſo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum.* Emicat diuina libertas, noluit Deus mundum in inſtanti venuſtare, ſed ſex diebus prolapſu vt ſua libertate eum edidiſſe comprobaret; quemadmodum igitur licet ab æterno, vel ſaltem multis ante retro ſæculis Deum orbem pro creare, amplioremque ipſum, & rerum ſpeciebus magis refertum efficere valuit, condere tamen voluit tempore à ſe definito, præfinitaque mole, quia ſibi placuit, ita prorſus vnico licet momento omnia perficere poſſet, ſex dierum interuallo creationem protraxit, quia id ſibi benelpacitum fuerat.

(?†?)

§. II.

Reijcitur, Magiſter Canus.

MAgiſter Canus primariam Salmanticenſem cathedram olim omnium admirabili plauſu regens, eandem cum Caietano inſectatus ſententiam alijs principijs luſtrauit. Omnia (inquit) ſimplicia corpora eodem temporis puncto Deus produxit, mixta vero poſterius tempore ex ſimplicibus; paulo poſt orbis procreationem, ſed intra diem, Moſes vero loqutione abſoluta cum ſex diebus omnia retulit condita pro conditionali fuit vſus, quaſi ſit ſenſus, ſi Deus opera ſua, ſucceſsiua protractione crearet, & paulatim vniuerſum perficeret eo modo quo homines ſolent opera ſua, condidiſſet ſex naturalium dierum prolapſu, ordine quo Geneſ. 1. referuntur. Cur autem Deo inſpirante ſic Moſes fuerunt locutus? quoniam lex (inquit ipſe Magiſter) ad Deum colendum, & ad hominis inſtructionem politicam ordinatur, cum ergo cerneret Moſes ad vtrumque expedire, vt homines ſex diebus laborarent, & ſeptimum cultui dedicarent, beneficium creationis vniuerſi recolentes, ita fabricam huiuſmodi Deo inſpirante factam fuiſſe narrauit, ac ſi Deus ſex vere diebus condidiſſet, & ſeptimo die ab opere ceſſaret. Vſum locutionis abſolutæ pro conditionali tàm apud philoſophos, quàm in ipſa ſcriptura Sacra frequentem eſſe, oſtendit Ariſtoteles qui 2. de cœlo, cap. 2. affirmat motum primi mobilis incipere ab oriente, cum tamen ex ipſius ſententia qui mundum ab æterno fuiſſe arbitratur, motus nunquam incepit. Paulus etiam 1. ad Thimotheum 2. Deus (inquit) vult homines ſaluos fieri, quod exprimitur conditionaliter, ſi per ipſos non ſteterit, Math. 24. Cœlum, & terra tranſibunt, verba autem

tem mea non præteribunt, ideſt, eſto cœlum, & terra tranſirent, verba mea implerentur, quæ locutio non eſt abſoluta, ſed conditionalis, cœlum namque, & terra in æternum ſtabunt, & Pſal. 101. opera manuum tuarum ſunt cœli qui peribunt, tu autem permanes, ideſt, eſto illi pereant tu permanebis, accedit quod communi vſu loquendi quando quis vno die aliquid efficit, in quo alius ſex conſumeret dies, opus ſex dierum dicimus eſſe, ideſt, ſi alius feciſſet ſex diebus compleuiſſet.

Hæc ſubtilis eſt expoſitio, ſed nõ aſſequitur veritatem. Hypotheſi namque quod Deus ſucceſsiuè conderet vniuerſum, nulla potior apparet ratio, quare ſex diebus, potiùs quã horis, vel ſex quadrantibus condidiſſet, potuit enim vno die congregare aquas in vnum, diſcoopeperire terrã, & alio die, vel hora producere plantas, quæ Geneſ. 1. narrantur facta, potuit etiam vno die producere piſces, alio volatilia, & alio animalia terreſtria, quæ omnia quarto die dicuntur facta; locutio igitur qua vſus eſt Moſes, non eſt conditionalis, quaſi ſenſus ſit, quod ſi quæ ſex diebus narrantur facta, conderet ſucceſsiuè, ea ſex diebus fabricaſſet, quando quidem, vel intra vnum diem, vel lõgiori, aut breuiori tempore ea creare potuiſſet. Quod ſi dixerit Canus conditionem ſub qua locutus eſt Moſes non illam eſſe, ſed quod ſi alius à Deo ea operatus eſſet ſex diebus vere indiguiſſet, ridiculum erit ſane, alius enim à Deo, neque ſexcentis annis ea fabricare potuiſſet. Quod ſacra pagina (vt ſic exarmetur omnino) forma abſolutæ locutionis pro conditionali quandoque vtitur, non eſt argumentum alijs in locis ſimili forma loquendi vti debere, tùm quia quando locutio eſt conditionalis, modus ipſe loquendi, antecedentia, & conſequentia etiã verba declarant, impreſentiarum autem totius capitis ſeries, qua diuidũtur dies, manifeſtè locutionem abſolutam demonſtat.

§. III.

Antilogiæ optima conciliatio.

SAnctorum Patrum numeroſa claſis, orbem, non vnico temporis inſtanti, ſed ſex dierum dilapſu conditum ſentit, Greg. Naz. orat. in nouã Dominic. Nizetas hic, Gregor. Niſen. Theodoretus, Ambroſ. Chriſoſt. Greg. Magn. lib. 3. mor. Anaſtaſ. ſerm. lib. 3. contra Arrianos, Theophilus Patriarcha Antiochenus, Iulianus Pomerius lib. contra Iudęos. Mag. ſentẽtiarum, Bonauentura, D. Thomas, & alij plures. Ad illud Eccleſ. Vielmius lect. 17. ſic reſpondet, ea tunc communi hominum ſermone dici fuiſſe ſimul facta, quando vel nulla, vel quæ videatur paruula mora exiguumque tẽporis interuallum interceſſerit dum efficerentur. Quare Cyrillus in Catena in Pſal. 36. capi, inquit, *ſimul*, quandoque prorepente ac ſtatim, ea vero dici poſſunt etiam ſimul, & ſtatim facta, quæ breui, aut certe non interpoſito longiori tempore conficiuntur, ſic dicimur donus tota *ſimul* extrui, ac ſtatim, quæ ſucceſsiuè ſine temporis interpellatione ædificatur, quamvis iaciatur antea fundamentum, moxque erigantur parietes, & poſtea tectum ſuper ponatur, atque adeo in tempore conſummatur, & quoniam Deus, continuata dierum ſerie in quibus feriatus non eſt, nec ſuum reliquit opificium, illa omnia quæ mundum perficiunt, & exhornant abſoluit rectè ſapiens ſcribere potuit illum omnia *ſimul* creaſſe.

Aliter reſpondetur, omnia creata eſſe ſimul, ideſt, ex eis quæ in rigore ex nihilo facta ſunt, & nomine creationis gaudent, hæc omnia ſimul vno inſtanti condita ſunt, hæc ſunt cœli

An-

Angeli,& quatuor elementa. Vel dicendum quod vbi Vulgata legit ſimul,in Græco habetur *coine*,ideſt,pariter, ſeù vniuerſaliter, vt proprius ſenſus ſit,Deum omnia pariter, nullo excepto, creaſſe non denotat ſimultaté temporis,ſed ſimultatem vniuerſalitatis qualiter pluries accipitur in Scriptura,in Leuit.dicitur, numerabis ſeptem hebdomadas annorum, quæ ſimul faciunt annos 49. & lib. Num. ſic,ter,quater ve accipitur,& in Pſal. 13.omnes declinauerunt ſimul in vtiles facti,& Pſal.48.ſimul inſipiens,& ſtultus peribunt. Ex quibus conſtat ad Concilium generale Lateranenſe ſub Innocentio III.celebratum,& habetur in Decret. de ſumma Trinitat. cap.firmiter, Deus (inquit) omnipotenti ſua virtute ſimul ab initio temporis vtramque de nihilo condidit naturam.Quæ ſequntur Antilogiæ,comprobant Cani,& Caietani ſententiã. Sed ad illas ſuo loco dicendum.

EX GENESI, *Cap.*1.

*In principio creauit Deus Cœlum, v.*1. *v.* 8. *Vocauitque Deus firmamentum Cœlum, ex quibus conſtat firmamentum primo die conditum fuiſſe.*

*Gen.*1.*v.*7. *Et fecit Deus firmamentum, v.*8. *& factum eſt veſpere, & mane dies ſecundus. Ex quibus colligitur firmamentum conditum eſſe die ſecundo.*

§. I.

Reijcitur prima expoſitio.

HVIuſmodi difficilis Antilogia in varias diuiſit explicationes nobiliores expoſitotes. Ex Patribus plures exiſtimant ante ſenſibilem Geneſis iſtum mundum, intelligibilem alium tempore diuturniorem,ſubſtantiaque eminentiorem,Dominum condidiſſe, quando autem Deus hunc ſenſibilem mundum tempore ſibi ſancito compaginare voluit, cœlum ſupremum expanſit, qui illius primi vniuerſi velaret coruſcatiſsimam lucem, & mundum iſtum opacum redderet,& obumbraret,ſic Greg.Naz. carm.4.de mundo.

Iam duo ſunt mundi quorum eſt antiquior alter.
Cœlum aliud,ſedeſque hominum tranquilla piorum.

Vnde diſtinctũ eſt cęlum quod principio aſſerit conditum eſſe,quando primus ſcilicet mundus eſt fabricatus,ſecundo autem die alterius mundi Cœlum,ſeù firmamentum conditum fuit à ſupremo artifice. Idem placere videtur Anaſt.Sinait.exam. lib.1. quorum ſententia niſi ad ſaniorem trahatur ſenſum,à nullo poterit approbari. Illam erroribus locupletauit peſtilentis ac putidæ opinionis ad mundi ludibrium barbarus auctor, quem ſuppreſſo nomine refert Petauius de opificio dierum,lib.1.probat exſacra pagina (ſed euidenter retorta) ante Adamum homines aliquos à Domino procreatos; ex quibus fuere tres Magi,qui Dominum inuiſerunt, quorum nomina Melchiſedech, Enoch, & Elias, de Melchiſedech, ita ſentiens, Cœleſtem hunc hominem eſſe, hoc eſt non terreno, ſed corpore compactum cœleſti, ex Adamo non procedentem, ſed ante Adam,imò,& ante lucis exortum à Deo creatum. Et fuiſſe, conſequens putat filium Dei

paulo

paulo ante Melchiſedech factum eſſe, vnum ex cœleſtibus illis hominibus, de quibus Paulus, primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de Cœlo cęleſtis, vnde concludit duo hominum genera recognocens, terrenorum vnum, quorum Adam fuerat caput, Cœleſtium alterum, cuiuſmodi Filius Dei, & Melchiſedechus cuius natiuitatem cęleſtem in tempore factam refert Dauid illis verbis: *Ex vtero ante luciferum gẽnui te*, ideſt, ante creatos Angelos ſiuè lucẽ, hæc ille. De quibus exclamare licet cum Auguſtino: O portentum non ſolum à Chriſtianorum auribus, verum etiam à finibus Chriſtiani orbis arcendum.

Sanè monſtrum multiplex illud eſt, ex varia fędiſsimarum hæreſum collubione conflatum (inquit Petauius) primum enim ex Valentinianorum, Marcionitarum, Manichæorumque ſecta virus expreſit, vt Chriſto cœleſte corpus affingeret. Deinde hæreticos iſtos improbitate vicit, dũ Chriſtum Dominum bis hominem factum putat, primum cœleſte corpus induit ſub orbis initium; deinde terrenum, cum carnem ex virgine aſſumpſit, tertio tàm Chriſtum, quàm Melchiſedechum horumque hominũ genus, aliunde quam ex Adamo propagatum exiſtimat, quod ſanè dictu eſt nefas, & Scripturæ repugnat, quæ ex vno omnium originem duci expreſsè docet Eccleſ. 33. omnes homines de ſolo, & de terra, vnde ortus eſt Adam, non vtique de cœlo, item ad Rom. 5. per vnum hominem in hunc mundum peccatum intraſſe, & per peccatum mortem, & ita in omnes homines per tranſiſſe mortem, at qui cõmentitij, & fabuloſi homines illi qui de cœlo originẽ ſumunt, vti nil commune cum Adam habent, ſic neque ab illo peccatum, & mortis legẽ contraxerunt, neque pro illis mortuus eſt Chriſtus. Quæ horrenda eſt Chriſtianis deteſtanda auribus commemoratu, & confutare erit. Quod Melchiſedech cœleſtem iudicet, quia Paulus cœleſte, neſcio quod, hominum genus nominet, eſt Minerua craſiſsima. Hallucinationem ſuam deprehẽderet, ſi verba antecedentia apprehendat, & ſubſequentia, quoniã Paulus de reſurrectione corporum agens ea ſpiritualia ex animalibus fore dicit. Eſt enim corpus animale, & corpus ſpirituale, ſed non prius quod ſpirituale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpirituale, ſicut grana frumenti, quæ ſeruntur, prius naturam, & ab origine acceptum corpus habent; deinde reſoluta, ac corrupta in nouam adoleſcunt ſegetem, & alio viuiſcunt corpore. Ita corpus noſtrum prius eſt animale, ac concretum, poſtea cum à mortuis ſuſcitatũ fuerit, fiet ſpirituale. Hoc verò probat Paulus in Adamo primo parente, & homine, Chriſtoque ſecundo: *Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis*, pauloque poſt, *ſicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœleſtis*. Manifeſtum igitur ex tota illa ſerie Apoſtolicæ orationis, corpora illa cœleſtia, homineſque ſpirituales poſteriores eſſe terrenis, & horum caput Adamum prius, & antiquius illorum capite Chriſto. Quod aduerſus ipſius Pauli ſententiam fingi valeret expreſsius, quam cœleſtes illas, ſpiritualeſque laruas, neſcio quas, hominum anteriores fuiſſe Adamo, dicere, terreno homine terrenorum capite omnium, atque Principe? Quo autem ſenſu nominetur Chriſtus cœleſtis. Audi Athanaſium de ſalutari Aduẽtu Chriſti. ¶ Cœleſtis eſt (inquit) homo dominus, non quod è cœlo carnem oſtentarit, ſed quod eam, quã expreſſerat è terra cœleſtem reddiderit Chryſoſt. hom. 42. in 1. Corinth. cauendum monet, cum Chriſtus nominatur cœleſtis non ad naturæ condi-

ditionem,ita referamus,non enim naturæ illius reſpicit,ſed vitæ rationẽ, & inſtitutum.

Sed nondum obmuteſcit improbus author ſic extorquet Apoſtolũ. Ilic enim (inquit) de Melchiſedecho loquens,ſine patre ac ſine matre fuiſſe dicit neque patrem,neque matrem, neque genealogiam habuiſſe,aliunde igitur quam ab homine primo editus eſt in lucem alioqui parentibus,& ſtirpe,quæ illum habuiſſe negat Apoſtolus,non caruiſſet cum ergo idem per omnia aſsimilatus ſit Filio Dei,neceſſariò infert Chriſtum ſub idem tempus, ac ante primum extitiſſe parentem.Hoc inuictum illius argumentũ, quod nouum illum commenti genus extorſit.Sed vt de Apoſtoli verbis, & de eius genuina interpretatione nihil loquamur iſto loco,quid ex iſta ratiocinatione ſequatur attende; licebit enim vtique ipſi concludere, Melchiſedechum ex omni æternitate fuiſſe, imò Deum verum,vt per omnia aſsimiletur Dei Filio,nihil enim tàm diſſimile eſt,ſi naturam expectes, quàm æternum,& in tempore factum, corporis expers,& corporeum, vt igitur Filio Dei,non hominis filio,per omnia ſimilis habeatur Melchiſedech,Deus eſſet,incorporeus,& Deo coæternus. Verum de ſomnijs iſtis, & ad ſtolidiſſimam hæreſim implicatis nugis, plus ſatis.

Rabbi Salomon, quem ſequi videtur Manaſes Ben-iſrael in ſuo conciliatore,firmamentum ipſum eodem die primo creatum tradit,ſecundo vero,nouum aquarum diuidendarum officium illi mandatum, primoque die tenerum, ac muſteum à Deo conditũ fuiſſe, ſecundo vero die roboratum. Quoniam (inquit R. Salomon) & ſi creati ſunt cœli die primo,adhuc erãt molles,& condenſati ſunt die ſecundo ab increpatione Domini,quando dixit fiat firmamentum. Sed hæc ſententia etiam inepta eſt. Moſes namque diſerte dicit Deum ſecundo die fieri firmamentum præcepiſſe, quo ſtatim ſtetit. Nec hoc ſolum dixit, ſed diuidat firmamentum aquas ab aquis, denotat ergo antea non conditum fuiſſe. Quia namque die tertia (qua vt plerique optant, certum in locum coactæ ſunt) iam erant aquæ creatæ, non dixit fiant aquæ,& congregentur, ſed dumtaxat congregentur aquæ. Quid ergo cauſæ,cur illic dixerit fiat firmamentum, & diuidat aquas, licet præceſſerit conditum,iſtic autem non dixerit fiant aquæ, & congregentur, quas pariter iam factas eſſe conſtabat?

Aliter ſoluit difficultatem Petauius. Nomine firmamenti intelligit cœlum(an autem aqua fuerit,vel aer, quorum vtrumque nomine cœli gaudet, inferius examinabimus) primi tamen Geneſeos verba: *In principio creauit Deus Cœlum,& terram*, non peculiare opus aliquod continere, quod initio & ante ſex dies molitus ſit Deus, quaſi ante lucem reliquaſque opificij partes, qualecumque cœlum ac terram creauerit,ſed quod dam generale effatum, quo omnia quæ à Deo inde facienda erant, complexus eſt.Moſes namque Iudæos ſtatim edocere voluit totam illam aſpectabilem rerum vniuerſitatem à Deo conditore profectam eſſe, quare ita pronuntiauit,quaſi diceret, quidquid videtis,& quodcumque cœli ac terræ comprehendit ambitus, vna cum cœlo ac terra,id omne initio vnus fabricatus eſt Deus, poſtea vero per partes omnia vt ſunt laborata ſingillatim deſcripſit. Meminit huius explicationis Baſ. ex Epiphanij verſione, Auguſt.lib.1.ad Geneſ.cap.3. Cirilus Alexand.lib.contra Iul.2.ſic Petauius. Huic acquieuiſſem,fateor,explicationi,ſi textus littera attente conſiderata intellectum captiuum ducere pateretur. Poſt verba namque ſuperius relata,proſequitur ita, *Terra autem*

erat

erat innanis, & vacua. Si ergo tunc terra erat innanis, & vacua debuit proculdubio terra eſſe, etſi abyſſum aquarum contexerant tenebræ, debuit abyſſus eſſe, neceſsè igitur eſt ſtatuere, hæc tria, terram, abyſſum, vel aquas, & cælum ante primum diem initio fuiſſe producta, cætera verò ſex dierum intermedio curſu, ac conſequens erit, quod cũ initio dicit creaſſe cœlum, & terrã, non generale quoddam eſſe referendorum proloquium, ſed partium illarum narrationem ſingularem.

Pererij traditur expoſitio.

Pererius, nomine cœli, omnes orbes cœleſtes intelligit, nomine firmamenti, quod ſecunda die cõdidit Deus, non corpus cœleſte, ſed totum illud, ſpatium, quod cœlum, & terram inter fuſum eſt, & tantem concludit, firmamentum die ſecunda factum pro aere ſumi debere. Quam interpretationem non reſpuit Petauius. Igitur ante ſex initium dierum ſolam terrã cum aqua extitiſſe credit, ita tamen quod aqua nebulæ inſtar tenuis, ac vaporis totum illud ſupra terram occuparet ſpatium, iam vero ex aqua ſubtiliſsimum attenuata in vaporem, die ſecunda, partim cœleſtia corpora, partim aerem, ignemque Deus elaborauerit, qua propter ex aqua tum aer, quia ab ardore ignis appellatur, ab Ariſt. vero ſicca, & calida fumi inſtar dicitur exhalatio, tum cœleſtes globi omnes effecti ſunt, ac denique firmamenti nomen toti huic impoſitum eſt regioni, quæ à terra, & aquis ad extremam vſque mundi determinationem porrigitur. Suadet hoc Scriptura ſacra. Quia hoc quod hic cœlũ, & firmamentum nominat, aerem eſſe ſignificat Pſalm. 146. *Qui operit cœlum nubibus*, Matth. 16. *Triſte, & rubicundum cœlum, volucres cœli.* Cui fauet Hier. epiſt. 83. & Baſ. hom. 3.

Hæc expoſitio nondum pacauit animum Cœlum namque, licet pro aere aliquoties ſumatur, propterea quod nulla voce gaudeant Hebræi, qua propriè ſignificẽt aerem, nuſquã tamen firmamenti nomen, aut vox Rakiak illi in Hebræo reſpondens, pro aere poſita reperietur. Vnde in hoc capite volatilia non infirmamento, ſed ſub firmamento cœli dicuntur eſſe. Nec obſtat, quod vbi noſtra Vulgata legit, volatilia ſuper terram ſub firmamento cœli, in Hebræo textu habetur, ſuper faciem firmamenti cœli, ſiue quod idem eſt, ſuper firmamentũ cœli, vbi firmamentum neceſſariò pro aere accipi debet, non (inquam) obſtat. Quoniam huiuſmodi loquutio, ſi in rigore accipiatur, neque in aliena ſententia poſſet verificari, ſi firmamentũ namque eſt tota regio aeris inferior, quæ nubes ſeparat ab inferioribus aquis, aues ſupra firmamentum volare nullus verificabit, ſed infirmamento, vel intra. Tum etiam, quia *hal* hic non ſignificat idẽ quod *ſuper*, ſed quod *iuxta, contra, circa verſus.* Vnde optimè vertit Hieron. *ſub firmamento.* Vlterius addo, non idem eſſe ſuper faciem firmamenti, ac ſuper firmamentum, quia facies hic ſignificat id vbi cœlum ſecundum ſuperficiem ſe ſe præbet videndum, Cœlum autem ſic ſe repræſentat viſui, vt oculus nec capiat diſtantiam, nec ab aere diſtinguat. Vnde quidquid ſublime, & pendulum eſt in aere, vt ſunt aues altius volantes, cœlum contingens videtur, & dicitur, & eius volare ſuperficie. Huic ergo notitiæ, quæ oculis noſtris capitur, ſe ſe accommodat ſcriptura.

Hoc ſimiliter ex nomine *firmamenti* remanet in ſe refutatum. Firmamentum, quod firmam, & ſolidam, habet naturam, prout ſonant voces, dicitur. Vox ipſa Rakak quidpiam extenſum ſignificat ſolidæ ac fortis laminæ inſtar, quæ ad incudem ſolet extẽdi.

di. Vnde ab ea radice RaKaK extenſiones laminarum dicuntur. Num.16. rem firmiter extenſam, & immobiliter hærentem ſignificat, ideo Pſal.135. vbi Deum terram firmaſſe, & ſtabiliſſe dicitur, ponitur vox Rakak, & Iſa. 42. Ezech. 1. Huiuſmodi firmitatem cœlis illis aſtriferis nomine firmamẽti attribuunt etiam profani. Homerus.

Solido ac denſo ære firmatum.

Pindarus cœlum æreum ob peremnitatem appellat, Orpheus inter alia, adamantinum, & indomabile vocat. Ex quibus omnibus clare colligitur firmitatem ſoliditatemque dicere cœli s vbique appropriandam, aeri liquido, & corpori fluido repugnantem.

Patitur præterea præfata expoſitio non leues difficultates. Quoniam hoc capite Geneſ.1. firmamentum eadem ſignificatione exprimi debet, neque veriſimile eſt tàm paucis verſibus æquiuocationem commiti, infirmamento poſitum Solem, & Lunam, & cętera aſtra tradit Scriptura, quod aeri repugnat. Illa ſimiliter tam repetita de vaporibus verba ingerunt difficultatem. Quonam enim modo ſuaderi poteſt tunc nubes fuiſſe, quando quidem, cap.2. nondum pluiſſe Dominum ſuper terram dicatur, primoſque dies ſerenos, & innubes eſſe decuerit. Nullæ igitur fuerunt illa die inferiores aquæ, inter quas poſſet intercedere ſeparatio. Addo has aquas, quas diuidere præcipitur hic firmamentũ, diſtinguit ab aquis nubium Pagina ſacra. Dan.3. poſtquam ſic alloquitur: *Benedicite aquæ, quæ ſuper Cœlos ſunt Domino*, inuitatis ad laudes diuinas cunctis, quæ ſuper cœlos ſunt, & in cœlis, pueri ordine quodam, ad ea quæ infra cœlos ſunt, deſcenderunt, & aquis illis aquam de nubibus contraponunt, poſteriori loco ad laudes diuinas inuitatam: *Benedicite omnis imber & ros Domino.*

Traditur Antilogiæ cõciliatio ſecura

Cœlum quod prima die dicitur factum. Empyreum intelligimus cœlũ, firmamentum quod ſecunda die condidit Deus, ſydereum Cœlum, & orbes omnes cęleſtes. Munus namque firmamenti, aquas ſcilicet ab aquis diſpeſcere atque illas parietis inſtar conſidere, nulli corpori, præter cœlo poterit appropriari. Quod ex aquis factum tanquam materia, plures, & nobiliores Patres ſenſerunt. Nomine ergo cœli cum dicit Moſes: *In principio creauit Deus Cœlum, & terram.* Strabo, Beda Cœlum Empyreum ſub aſpectum non cadens, Angelorum, beatorumque domicilium intelligũt, Diodorus Tarſenſis in Catena Lipomani, Ambroſ. Ceſarius Philoponus, & Seuerianus. Primum id mihi ſuadet, quia Scripturæ, vndique locum quemdam vti peculiarem Dei extra mundum memorant, elegantibusque metaphoris celebrant, modo cœlum cœlorum, modo firmiſsimum habitaculum Dei, modo regnum, domũ Domini Ieruſalem ſupremam, ciuitatemque præclaram ipſum appellantes. Probat Cęlum Empyreum Paulus 2.ad Corinth.12. *Scio hominem in Chriſto annos quatuor decim raptum vſque ad tertium Cœlum.* Quaſi iuxta Scripturam triplex cœlorum genus conſtitui in veritate debeat. Aereum primum, quod vſque ad orbem Lunæ incorruptibilem pertingit, ſydereum, orbes omnes ex aqua factos, in quibus aſtra omnia ſunt collocata, comprehendens, Empyreum tertiũ, quod ſedes Sanctorum appellatur, quod vſque ſeraptũ memorat Diuus Paulus. Validis congruentijs ſuadent huiuſmodi veritatem ſancti Patres. Decuit enim (inquit D. Thomas) vt ſicuti in exordijs mundi, ſpiritualis electorum gloria in beatitudine Angelorum eſt præſignata, ita etiam vniuerſi

uerſi ac corporum noſtri mirifica reſtauratio auſpitium in corpore immenſa gloria præſignito deſumeret. Tum etiam, ſi damnati in locum quẽdam corporeum, in imum ſcilicet terræ centrum caliginibus, denſiſsimiſque obrutum nubibus relegantur, quare beati, & electi in locum ſupremum alterum fulgentiſsima luce perfuſſum extolli non debent, cum ſicut illi atro, ita iſti corpore coruſcante potiantur.

Renuit concedere Cœlum Empyreum; veſtigia Rabbinorum de more Caietanus ſequutus. Empyreum (inquit) à poſterioribus traditum in Scriptura non reperitur, nec vlla efficaci ratione fuerit inuentum, cum nec ſenſu deprehendatur, nec moueatur, neque Angeli, qui ſunt incorporei eorum ve conditor loco corporeo, quo ſint, indigeant. Tum, quia ſi tale ſupremum cœlum conditum fateremur, ſane lucidum eſſet, & comprehenſibile ſenſu, ſicut ſtellæ, quia lucidæ, licet minora ſint corpora. Tum, quia ſi lucidum ab initio illumminaret ſuperficiem aquarum ſibi coniunctam, neque tenebræ eſſent ſuper faciem abyſsi contra litteras ſacras oppoſitum referentes.

Extra humana vere conſortia, qui tam ſingulare corporis domicilium, tollere nobis cœlum Empyreum contendunt, proijciendos iudicat Martinengo in ſua Gloſſa Magna, ſolidum in ſacris litteris fundamentum, ab antiquiſsimis parentibus traditum, habere, oſtendimus ſupra, neque inutiliter à nobis inuentum, quamvis conditor Deus, & Angeli eius à corporeo loco dependentiam non cognoſcant, vt beatitudine ſumma fruantur. Quoniam ſicut manufactis non indiget templis, quibus habitet Deus, decet tamen decoris, pulchriſque templis vereri, ſic licet Angeli corporeo loco non egeant, cum ſit neceſse alicubi in ſpatioque ſint, decens eſt potiùs pulcherrimo loco, quam innani, & caliginoſo exiſtere. Luce ſimiliter fulgentiſsimum fatetur Empyreum, D. Tho. 1. p. q. 66. Sed in fabrica tabernaculi, quæ hoc vniuersũ repræſentabat, tertia pars quæ erat ſancta ſanctorum, velo quoddã occultabatur, ne videretur, ſic Cœlũ Empyreum, velo quaſi quoddã à parte inferiori tectum corporis cuiuſdã craſsioris velo, quod radij Cœli Empyrei non penetrarent, condidit Deus Optimus, Maximus, concauũque illius vſque ad terram repleuit aquis, illam vero inferiorem partem, quæ eſt quaſi velum Empyrei, eſſe in conſummatione mundi, cum cæteris elementis iunouandã tranſparentiorem viſu, vt deinceps pulchritudo Empyrei, terræque claritas ſpectabiles redderentur violentus nimis diſcurſus non erit. Quod licet fateremur immobile, in primũ mobile, per illudq; in hæc inferiora influxiſſe non inficiabimur lumine mediante, vel alias per vires occultas, ſicut Angeli ſuperiores, qui licet nunquã mittantur, in medios, & in infimos qui mittuntur exercent verum influxũ de quo Diu. Thomas 1. part. q. 66. art. 3. Eſto licet ocioſum non eſſet, ſi lucidum in ſe, & pulcherrimum, Dei curiæ, hominum, & Angelorum habitationi deſeruiret.

(?†?)

PROPIEDAD INTELECTUAL

Geneſ. 1. Sexto die maſculum, & fœminam fecit eos, vnde Eua ſexto die fuit creata.

Geneſ. 2. Septimo die ex coſta Adami fuit Eua producta.

Deliria Rabbinorum referuntur.

SVMMVM illud, ingrati, & inobſequentis animi vitium, quo ſemper Iudaica gens laborauerit (inquit Buſtorfius in ſynagoga) diligenti ac ſeria meditatione perpendendum eſt, vt horrendas execrationes, in quas iuſto Dei iuditio inciderunt præ oculis ſemper habeamus. Non ſolum corpore, & fortunis, ſed mulctati ſunt mente, delirio, ſcilicet, cæcitate, & amentia, ita vt tenebras meridie palpauerint, quemadmodum Moſes minatus erat Deuter. 28. & conqueritur Iſaias 29. Nihilque recti amplius vel docuerint, vel cognouerint, ſiquidem Dei verbum repudiauerant, de quo Ier. 8. Natura hoc omnibus Iudæis eſt quaſi implãtatum, vt ſe ſupra omnes mundi nationes extollant, & omnes alias infra ſe deſpiciant, & quantum eſt in ſe ad necem vſque perſequantur. Superbæ huius præſumptionis duæ ſunt cauſæ, præconcepta de perſonæ propriæ dignitate, & ſanctitate opinio, & expreſſum Dei omnipotentis mandatũ, de omni commertio, & coniunctione cum cęteris gentibus vitanda, illiſq; penitus excindendis, & internetione deuouendis, Deut. 7.

Vt autem nobis Chriſtianis aliquando compertum fiat an Iudæi adeo ſancte ſe ſe gerant, & tam arcte, tantoque zelo, vt videri volunt, legi Moſis adhæreant, & an illi ſoli ſint gens intelligens, ſancta, pura, & recta, vbicunque, prout poſtulauerit antilogiæ expoſitio in animum duxi, fidem, & religionem illorum Iudaicis fabulis, ſcatentem, ob oculos omnium proponere, omnęque Iudaicã viuendi, & negociandi rationem ex ipſorum libris veriſsime, & ex ipſis fundamentis exponere iuxta Buxtorfij fidelem obſeruationem eius in ſynagoga. Ad rem iam.

In *Speculo ardenti* (quod Germanica quidem lingua, verum Hebræis characteribus, Cracouiæ prodijt anno 1597.) cap. 8. hæc habẽtur verba. Deus mulierẽ ex coſta viri finxit, vt tãquam corporis membrum, admirabili illi omnium membrorũ ſibi mutuo miniſtratiũ conſpirationi, & conſenſui, pro viribus reſponderet, & in illa viro vitæ auxilium ſolatiumque eſſet. Hinc diſputant ſapientes noſtri ſuper eo quod ſcriptum exiſtat. *Et creauit Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, ad imaginem Dei creauit illum, maſculum, & fœminam creauit Deus*, cũ cap. 2. ſubijciatur, *non eſt bonum hominẽ eſſe ſolũ, adiutoriũ illiſi mile faciamus ei.* Hic, pro admirabili, qua cęteros mortales anteſtant ſapientia, interrogãt Iudæorum doctores. Quonã exceſſerit, abierit, euaſerit prima illa mulier, quæ cum illo creationis leges ſubijt? Verum fauete linguis, & acutiſsimos tãtæ deciſionis arbitros vaciuis auribꝰ auſcultate. Primæ mulieri Liliſæ nomen fuit, eã ſuperbã, & inoſequentẽ viro ſuo ſeſe præbuit, quod æquè ambo ex terra creati eſſent, ideoq; Deus illã homini ademit, & aliã ex corpore eius condidit, quæ morigera eſſet, & omni ope, omnique ſtudio illi miniſtraret, nõ ſecus ac mẽbrum corpori. Huc pertinet hiſtoria, quæ legitur in Bem Sira quẽ Conſtantinopoli Iudæi excuderunt. Cum in principio Deus Adamum in paradiſo ſolum creaſſet, dixit nõ eſt bonum hominẽ eſſe ſolũ, vxorem itaque è terra ſimilẽ illi creauit; cui Liliſæ nomen impoſuit. Sed è veſtigio iurgia inter eos gliſcere cęperunt, & in hunc modũ inter ſe rixari. Mulier initium fecit, & dixit: *Ego tibi*

tibi non succumbam, cui vir: *Neque ego tibi me submittam, sed potius incumbam, tibi dominabor.* Mulier ingressit, *Ambo pares sumus siquidem ex terra creati.* Ita auersis mansere animis, dictis infestis sese inuicem discerpentes. Quum itaque Lilisa æterna hic præuideret disidia. Nomen Tetragrammaton protulit, & protinus volatu per aerem apertum præpeti cursu sese prorripuit. Quo facto ita Deum cõpellauit Adã Domine totius mundi, vxor quam mihi dederas è conspectu meo volauit. Tres igitur Angelos, *Senoi, Sansenoi, Sanmangeloph*, qui Lilisam fugientem reuocarent, misit Deus, his eos alloquutus verbis; si in reditũ cõsentiat, bene se res habet: sin verò: cẽtum singulis diebus è filijs eius morientur. Ita illã insequuti Angeli, in mari demũ sunt assequuti, quo tempore procelosum valde, & tẽpestuosum erat, illo ipso videlicet in loco, quo postea Ægyptij submergendi erant, Deique mandatũ illi notũ fecerunt. Quũ vero obtẽperare nollet, & redire recusaret: dixerunt Angeli. Ni nobiscũ redeas, in mare immersã te suffocabimus. Tunc illos rogauit vt se missam facerẽt: se enim in id demũ creatã, vt pueros octo, puellas vero viginti primis à natiuitate diebus, infestaret, & occideret. Quod cũ audissent Angeli: vi illã arripere, & ad Adamũ reducere satagebant. Tũ Sacramẽto se se obstrinxit Lilisa, omnẽque infantibus nocendi potestatẽ eiurauit, si modo Angelorũ illorum nomina, vel effigies in schedula, charta, pergamena, aut vbicũque descriptas, aut depictas reperiret, pœnã etiã sibi à Deo iunctã, centũ nempè filiorũ singulis diebus mortẽ, recipere se spopondit. Ex inde ergo singulis diebus centum *Schedim*, ideſt, iuniores dæmones e filijs eius mortui sunt. Et hæc est causa cur horum Angelorum nomina, in Kamea, hoc est membrana scribamus, & infantibus pro amuleto appendamus, vt scilicet Lilisa hoc cõspectu iurisiurãdi memor, noxias ab illis manus abstineat. Hactenus Bensira.

Ex his constabit, quo respiciat id quod nunc factitant ipsi Iudæi cũ partus mulieris iã appropinquat. Ante omnia quidem Iudæus vitæ sanctitate insignis (si modo talis vspiã sub cœlorũ conuexitate reperiri possit) creta accepta in ambitu cubiculi circulum describit in omnibus parietibus, & circa lectum Hebræis caracteribus sequentia inscribit verba *Adam, Chaua, Chutz, Lilis*, ideſt, *Adam Eua* apagete *Lilis*. Quibus significant si grauida puero sit mulier, ei a Deo vxorem Euæ non autem Lilisæ similem dandam, si vero puella hanc olim marito suo in auxilium futuram, vt Adamo fuit Eua, non autẽ refractariã, & in obsequentem, qualem se Adamo præbuit Lilisa. Ex quibus constat ad antilogiã, in ptimo textu primã Lilisam Adami vxorem referri, in secundo de Eua ex costa Adami productã sermonem instituí. Verum his tam solidis fundamentis, & firmissimæ eruditioni Rabbinicæ risus erit pro impugnatione.

Nunc lectum admissi risum teneatis amici.

Huiusmodi est aliud delirium, quod refert Manases Ben. Israel in suo conciliat, tom. 1. vt conciliet antilogiam relatã. Euã simul cũ Adamo creatã, ipsius Adami præpost eris tunc vnitã, in vnico supposito ambos, quod *hominem* Scriptura appellauit eo quod maris, & fœminæ vtrumque sexum contineat. Sic intelligunt illud Numer. 31. *Animæ hominum* sexus fœminei, cũ autem Deus de costa Euam produxisse dicitur, perinde est, ac si de latere conditam tradat. Hoc enim verbum, *Selach* latus significat

plures Exod. 26. in fabrica tabernaculi, vbi noſtra Vulgata legit in *latere* Hebræus *Selach*. Educere igitur Euam de latere Adami, per inde eſt, ac diuidere, incidereque formas illas, loco autē ſanguinis, in Euæ diuiſione longiſsime effuſi ex Adam carnem ſubſtituit Deus. Neque Adamum ſine vxore aliquando vixiſſe, *Cum non eſt bonum hominem eſſe ſolum* Sacra pagina profert, deuet intelligi, ſed quod non ſit bonum, Adamum inter omnia animantia ſingularem, & vnicum fore, Euam ponamus diuiſam, & ſeparatam, coram Adami facie, & oculis eius præſentem. Expoſitionem præfatam laudibus, & verbis extollit Manaſes Ben-Iſrael, & ſapientiores Rabbinorum coriphæi illi ad hæſerunt, R. Salomon, Aben Ezrah, Rabenu Baye, R. Elihezer, & Ishac Karo in Gloſ. Firmat ſuam intelligentiam Manaſes hoc ratiotinio. Coſta, ex qua dicimus Euam eſſe productam, vel exceſsit in Adamo, quæ integre perfectum illum reddebat, vel ad eius vltimam perfectionem fuit neceſſaria, ſi primum, imperfectus natus eſt homo, & ſic defectus in Deum conditorem reflecteretur, ſi ſecundum, reſciſſa illa coſta, incidiſſe in defectum dicendum erit. Addit, quod nuſquam exprimit textus in Euam ſpiraculum vitæ miſſum, à Deo igitur vt vitam, & ſpiritum receperit Eua, neceſsè eſt quod in eodem ſuppoſito conditam cum Adamo fateamur, quaſi eodem ſpiraculo vitæ vterque viuere inceperit.

Non minus riſum prouocat, tam elegans iſta fabella, & ipſe textus ſi attente legatur, falſitatis redarguet ſui mirificam explicationem. Quamvis namque daremus coſtam illam fuiſſe hominis integritati per utilem, & neceſſariam, illa reſciſſa, non ideo mutilus in poſterum foret, quoniam pro illa Deus carnem ſuppleuit. Alij, & carnem cum coſta de Adami latere eſſe detractam, & viciſsim alteram cum carne coſtam eſſe ſuffectam, voluerunt, vt merito loqueretur Adam. *Hoc nunc os de oſsibus meis, & caro de carne mea.* Vnde leuiter. mulieris conditionis hiſtoriam reſpuit purpuratus Caietanus ad allegoriam confugiens, quod Catharinus acriter, vt par eſt, confutauit.

Conciliatur antilogia.

D. Bonauentura in 2. ſentent. diſt. 18. quæſt. 2. Euam, ſexta die, non ſeptima, in lucem editam, tradit. Tum quia Geneſ. 2. dicitur Deum ſeptima die compleuiſſe omnia, quæ ad mundi pulchritudinem, & fabricam ſpectabant, & ab omni opere tunc quieuiſſe. Eua autem, non minus quam ceteræ animantium fœminæ, quinta, & ſexta die productæ, ſpectat ad mundi conſtitutionem, ſi igitur. Euam produceret ſeptima die, nec requiem haberet Deus, nec completa poſſent dici vniuerſa. Tum etiam, quoniam prius quam textus, & veſpere, & mane clauderet diem ſextum, eis, inquit Deum largitum benedictionem, dominijque terræ, & omnium, quæ eius ambitu continentur, poſſeſsionem eſſe impartitum. Vlterius concludit factum eſt veſpere, & mane dies ſextus. Intra ſextum igitur diem extitit noſter vterque parens. Verumtamen, ſicut Moſes, modum determinatum, quo condiderat hominem, in caput ſecundum referendum, reliquit, ſic eundem in locum diſtulit hiſtoriam Euæ formationis in particulari, de latere ſcilicet noſtro protoparentis. Vel dicendum quod ſeptima die, qua Deus requie gaudebat, omnia quæ fecerat in memoriā reduxit, referens hominis formationem, in quo, tanquā

epi-

epilogo (microſcomos, ideſt mundus paruus appellatur) continentur cuncta, quæ fuerat ſex diebus, iterum que viſis illis, & delectatus vidit Deus cũcta quæ fecerat, & erant valde bona. Vide inferius dicenda.

Ex Geneſ. cap. 1. v. 13. Virgultum terræ tertio die dicitur fuiſſe productum.

Cap. 2. Geneſ. v. 4. Iſtæ ſunt generationes Cœli, & terræ quãdo creatæ ſunt, die quo fecit Deus Cœlum, & terram, & omne virgultum agri. Ex quibus ſic, eodem die quo Cœlum, & terram condidit Deus, fuit terræ virgultum, ſed condidit Cœlum, & terram primo die, virgultum igitur non fuit tertio die creatum.

PLures Rabbini, vnico die Cœlum, & omnes herbas fuiſſe creatas tanquam in potentia, & virtute ſentiunt, quando plantas, tertio die productas refert, de illis prout ſuam vltimam perfectionem ſunt aſſequutæ, loquitur Scriptura. Audi Maimonidem. Sapientes (inquit) dixerunt, multis locis, quod eius expoſitio eſt, cum cœlis, & cum terra, hoc eſt, quod creator creauit cum cœlis quidquid eſt in cœlo, & cum terra, quidquid eſt in terra, ſubnectit. Et aſsimilauerunt creationem agricolæ ſeminanti diuerſa genera ſeminum in terra, pars autem oritur poſt vnum diem, alia vero poſt duos dies, ſed omnia ſemina proiecta ſunt in vna hora. Ex quibus in ſententia iſtius Rabbini, omnia ſimul fuerunt producta in virtute cauſæ, ex qua prolapſu temporis originem ſucceſsiuè ſunt habitura. Quid autem hoc ſit, quod conditum primo, vt cuius virtute, & ſemine fuerunt omnia, varia ſunt placita doctorum, & opinantium, Emmanuel Aboab, Chaos, ſeu illam primam materiam in qua omnia ſteterunt ſine temporis præcedentia. Cecinit prius Ouidius.

Vnus erat toto naturæ vultus in orbe.
Quem dixere Chaos, rudis indigeſtaque moles.

Idem ſenſere Boetius de conſol. Philoſoph. Gregor. Nazianz. Hoc erat illud Chaos, quod Philoſophi priſci materiam ingenitam appellabant. Terreum corpus alij ſuſpicati ſunt vt Xenophon, Fluidum ex aquis congeſtum alij vt Thales Mileſius. Alij aereum, vt Anaximenes. Ex atomis alij confictum, vt Epicurus, Igneum alij ſomniarunt vt Parmenides. Nonnulli ex elementis cunctis compactum vt Empedocles.

Negare non poſſumus ante productionem herbarum, imò, & omnium, quæ à primo vſque ad vltimum diem condita ſunt, Chaos præceſsiſſe, quod cunctas gentes recognouiſſe ſentit Eſteuchus. Chaos enim appellatur à Græcis, hebraice dicitur *Thohu*. Nos etiam libenter fatemur Chaos, & materiam informem non quidem diſtin-

ctam à terra, Cœlo, & abyſſo, ſeu aqua, ex qua orbes cœleſtes creati ſunt (inquit Petauius) ideo terram, quæ eſt pars iſtius materia, Vulgatus dixit innanẽ, & vacuam, ſeptuaginta, terra autem erat inuiſibilis, & incompoſita, quia vt inquit Baſ. nec dum ſpectator illius præceſſerat homo, vel quia ſub aquis latebat, vel quia non erat lux, ideo inuiſibilis appellabatur. Incompoſita, dicitur, quia terræ plena ſummaque compoſitio, & fæcunditas, & vniuerſa arborum, plantarũque germinatio eſt, nec non flores, & alia quæ paulo poſt decorauerunt tellurem. Deus igitur plantas, hominem, cætera ve animalia, quæ ex aqua, & partim ex terra facta commemorat Scriptura, creauit ſimul cum cæteris rebus, totoque hoc vniuerſo non quidem actu, ſed potentia, & virtute, tanquam in materia, & cauſis, ex quibus poſtea orirentur, & tanquam rationibus ſeminalibus, & deinde ex aqua, & terra fabricauit actu, & pulchritudinem dedit.

Aliter, nec non ſine fundamento poteſt conciliari antilogia. Cum Geneſ. 2. dicitur: *Iſtæ ſunt generationes Cœli, & terræ, die quo*, ibi dies pro tempore vſurpatur, quod apud Græcos, atque Latinos eſt vſitatum. Exẽplum ſit Ciceronis illud ex lib. 2. in Verrem. ¶ Itaque, cum ego diem in Siciliam inquirendi per exiguam poſtulauiſſem, inuenit iſte, qui ſibi in Achaiam viduo breuiorem diem poſtularet. ¶ Deut. 32. pro tempore ſupponit dies *iuxta eſt dies perditionis*, ideſt tempus. Iſai. 9. *Sicut in die Madian.* Ioa. 8. *Abraham exultauit, vt videret diem meum*, & cap. 9. *Me oportet operari donec dies eſt.* Et alibi ſæpè dies pro tempore ſumitur. Ideo. Iſac Abrabanel Numer. 8. vbi noſtra Vulgata ex die quo percuſſi omne primogenitum, ponit *Tom*, quod niſi pro tempore non ſupponeret, verba verificari non poſſent, quia primogenita die non nocte fuere percuſſa. Dicendum etiam fuequentem eſſe in litteris Sacris Hebraiſmum, ſingularis pro plurali. Vel denique dici poteſt Moſem breuitati ſtudiſſe, quia præcedenti cap. longius dierum præmiſſerat diſtinctionem. Vnde cum dixit, *& omne virgultum*, repetenda ſunt illa verba: *Die quo fuit Dominus*, quaſi eſſe debeat ille contextus. Iſtæ ſunt generationes cœli, & terræ, quando creata ſunt in die quo fecit Dominus cœlum & terram, & in die, quo fecit omne virgultum agri.

Geneſ. 1. Sexto die maſculum, & fœminam creauit hominem.

Geneſ. 2. Productis plantis floribuſque cum terra, homo (inquit Moſes) non erat qui operaretur terram, formauit deinde hominem de limo terræ.

INter alia, hæc antilogia, Præadamitarum auctori (fuerit neſcio an ille, de quo ſuperius Petauius, ille enim ſpurciſsimas hæreſum colluuiones ſuſcitauit, ſed ſine apparenti ratione, hic, qui Galliæ, ſi Grotio credimus, ſcripſit, plura non ſine temeritate docuit, nec ſicut illum, ita eruditio exulauit, ille, homines ante Adamum cęleſtes finxit, hic, ante primũ parẽtem homines ex hominibus propagatos) fundamento deſeruit, vt ante primum omnium parentem, quoſdam, quos ipſe Gentiles homines gene-

ne-

nere, & ſpecie diſtinctos ab ijs, qui ab Adam per naturalem propagationem deſcendunt, finxiſſet. Aſſerit ergo hominem ſexto die, quo terræ omnia creauerat animantia, conditum eſſe, cuius productionis fit Gen. cap. 1. memoria, diſtinctum autem ab eo de quo Gen. cap. 2. qui fuit Adamus, omnium Iudæorum origo, primus parens, & caput. Homo autem, cuius creatio continetur Geneſ. cap. 1. caput fuit, & origo omnium Gentilium, qui pariter cum beſtijs fuere creati, ſicut & ſimiles reputati. Moſes autem Iudæorũ ſcripturus hiſtoriam, per epilogum creatione totius vniuerſi hominiſque Gentilium relata, & tanquam extranea materia terminis vrebibus vnius capitis clauſa, ab Adamo incepit illam à Geneſ. 2. cap. vt Iudæorum primo parente, ſicut hiſtoricis omnibus, qui gentis ſuæ hiſtorias litteris tradunt, illas ordinari eſt ſolemne.

§. I.

Proponitur fundamentum Præadamitæ primum, & de eodem homine Adamo explicatur vtrumque Geneſis caput ſecundum, & primum.

SIc arguit Præadamita ad veritatem Catholicam, tot retro ſæculis à nullo ſerenitate turbatam, ſomnijs ſuis debilitandam, & profanandam. Homo, de cuius creatione habetur cap. Geneſ. 1. ore, inquit, creatus eſt: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtrã*, & verbo fecit. Manu autem, & lutũ manibus ſubigendo Adamum Deus effinxit. Vnde de illis Iſaias cap. 45. *Ventura interrogate ſuper filios meos, & ſuper opus manuum mearum mandate mihi.* Quibus Dei manuum opera appellantur Iudæi. Deinde, quoniam plantauerat Dominus paradiſum voluptatis à principio in quo poſuit hominem. Denotat ergo principium retrolongiſſimũ, de quo ſcriptum eſt ad aperturam cap. 1. Geneſ. *In principio creauit Deus cœlum, & terram.* Si autem Adamus fuit ille primus homo conditus à principio, & triduo poſt terram creatam non dixiſſet Geneſ. de hoc Adamo, quem tulit Deus in paradiſo. *Plantauerat à principio*, ſed nudius tertius plantauerat paradiſum, tertio enim creationis die apparuit arida, & plantatus fuit paradiſus, die autem ſexta creatus homo, qui refertur Geneſ. 1. Deinde quia homini, de quo Geneſ. 1. nulla lex data eſt, nullaque illis arbor interdicta, *Ecce dedi vobis* (inquit Deus) *omnem herbam afferentem ſemen ſuper terram, & vniuerſa ligna, quæ habent in ſemetipſis ſementem generis ſui, vt ſint vobis in eſcam.* Adamo autem, de quo Geneſ. 2. ſecundæ creationis homini arbor ſcientiæ boni, & mali interminata eſt à Domino: *De ligno ſcientiæ boni, & mali ne comedas* (inquit) *in quocumq; ne enim die comederis ex eo, morte morieris.* Adde, quod dicitur Adamo, non inueniebatur adiutor ſimilis illi, abſurdum autem eſt quæſitum fuiſſe adiutorem ſimilem illi inter animantia atque volatilia. Quæ enim relatio aut ſimilitudo hominis cum quadrupedibus, aut volatilibus. Credibile ergo eſt hic annumeratos Gentiles die ſexto, de quibus Geneſ. 1. creatos indiſtincte cum alijs beſtijs, inter quos Gentiliumque fœminas adiutorium ſimile Adamo non repetitur.

Verum, quam leuibus rationijs ſit ductus, vt inciderit in tam futilem, inauditamque nouitatem, quis non videt? Imprimis autem ſibi Apoſtolum habet contrarium, qui Act. 17. ſic alloquitur Athenienſes. *Fecitque Deus, ex vno ſanguine, totam gentem hominum, vt habitaret ſuper vniuerſa*

sa superficie terræ, definitis instatis temporibus, & positis terminis habitationis eorum. Quibus expressè Paulus Gentiles atque Iudæos vnum sanguinem esse, ex vno & eodem cõiugio, auctore illo Deo, omnes sine discrimine deriuatos.

Sed ad hoc ita Præadamita respondet. ¶ Non mouet me, quod introducit D. Paulus in Areopago, dicens: Act. cap. 17. Deum fecisse totam hominum gentem ex vno sanguine. Non enim concluditur hinc, vt vulgo receptum est, homines omnes oriundos ex Adamo. Imò illud tantum, Deum compegisse omnes homines, ex vna eademque materia, ex vna eademque terra, ex vno eodemque puluere, ex vna eademque carne, ex vno eodemque sanguine. Quæ locutio vulgaris est in sacris litteris: *Ecce & me, sicut & te fecit Deus: & eodem luto ego quoque formatus sum*: aiebat Elin. ad Iob. Tale illud est Domini nostri D. Petrum alloquentis. *Simon Bariona, caro & sanguis hæc non retexit tibi.* Nec prætereundum est quod hoc loco Actorum, signate distinxit Apostolus materiam à progenie hominum. Materiam fecit ex sanguine, progeniem duxit à Deo. Vbi dixit: *Fecit ex vno sanguine totam hominum gentem.* Deinde concludit. *Progenies ergo Dei cum simus.* Non dixit. Progenies Adami cum simus. Quippè qui alloquebatur non Iudæos, sed Athenienses Gentiles, & respiciebat non particularem illam creationem Adami, qua Deus Iudæos in Adamo sibi peculiariter finxit, & efformauit filios; sed generalem illam, qua Deus naturam ipsam, & omnes homines ad sui imaginem creauit: & secundum quam imaginem dicuntur indistincte omnes homines progenies Dei.

Verum, quam aperte contraria sit Præadamitæ expositio, nunc constabit. Illud enim Pauli, *ex vno sanguine* ex vna, & eadem materia, puluere, & terra interpretatur. Vnde fateri debet, quæcumque Dominus ex vno eodemque puluere, terra materiaque compegisset, intelligi posse, ex eodem sanguine egisse, sed omnia animalia bruta ex eadẽ materia, terraque Dominus fecit, ac ex qua compegit, & homines. Ex eodem ergo sanguine homines cum animantibus possunt dici compacti. Ex quibus deducit similiter Pythius æquè bruta, ac homines, dici posse ad Dei imaginem facta, progeniesque Dei, cum asserat Præadamita, quæcumque ex vno sanguine fecisse Deum, intelligi potest, illa omnia ad imaginem Dei creata, & progenies Dei dici posse intelliguntur. Si ergo bruta, & homines ex eodem puluere fecisse Deus intelligi potest ex eodẽq; sanguine, æquè ad Dei imaginem condita, & sicut homines, Dei progenies dici possent. Manifestum ergo est verbis illis, *ex eodem sanguine* Apostolum non designasse materiam, aut terrã, ex qua omnia inferiora condita sunt à Deo, sed primam generationis originem, seù creationem proprie ad imaginem Dei Athenienſibus incognitam. Vnde non Mosis, aut Scripturæ verbis, sed poetæ cuiusdam gentilis, cuius poema familiarissimum ipsis, quo Athenienses suaderet, omnes homines ex eodem sanguine, idest, ex vnius hominis procreatione productos à Deo, illumque, quem ignotum colebant, Deum omnium hominum sine discrimine fuisse parentẽ, ita vt ex vno produxerit sanguine probat. Pater igitur ille est, & noster, & vester (inquit Apostolus) in ipso enim viuimus, mouemur, & sumus, sicut, & quidam vestrarum poetarum dixerunt, citatque ex Arato hemistichiũ. Neque fundamenta, si nolet, decipere sufficerent ipsum. Idem quidem homo, qui formatus refertur, cap. 1. ac 2. in primo enim capite creatio traditur

tur hominis, in ſecundo eiuſdem hominis exponitur modus formationis: non enim omnia vnico verbo poſſunt referri, neque hiſtoricus vno capite comprehẽdere omnia. Neque oppoſitum conuincit, quod paradiſum dixerit plantauiſſe à principio, non enim tempus denotat retrolonguiſſimum, ſed prioritatem conditionis ante hominis creationem. Si namque retrolongiſsimo tempore ante Adamum paradiſus conditus eſſet ferequè ſimul cum alijs hominibus, quos Præadamitas eorũ auctor appellat, non poſſet ſic vere dici: *Non erat homo qui operaretur terram*, cum ante Adamum homines forent. Neque licet Domini non expreſſerit Moſes præceptum impoſitum homini cap. 1. ideo colligi poteſt arborem non interminatam eſſe, referendum cap. 2. remittit, non exprimit cap. 1. præceptum, verum non excludit, nec negat. Apud ipſum autem Præadamitam eneruis, quæ ſequitur, eſt conſequentia. Nil de hoc ſcriptum in Sacra pagina extat. Ergo non eſt, cum obijcicientibus, homines ante Adamum Scriptura non refert, ergo ante Adamum non fuere homines. ſic reſpondeat fol. 161. ¶ Atque negatur ſequi illud: nullos fuiſſe homines ante Adamum, quia nulli ante Adamum nominatim leguntur in Geneſi. Simili ratiotinio deierare poſſent, arcam Noe, primam fuiſſe nauium omnium, quia prior non legitur in Geneſi, quaſi vero Adamus, qui ſecundum vulgatam hypoteſim formatione ſua, artes omnes edoctus eſt, Nauticam ignorauiſſet; artium omnium tum mage egregiam, tum ſocietati hominum mage neceſſariam; tum naturali, & quotidiano vſu natandi, deprehenſu mage facilem. Tale eſt, quod eodem Noe iactant, plantauiſſe primam vineam, quia nulla prior legitur plãtata apud Moſem. ¶ Addit præterea, non ideo Melchiſedechũ ſine patre, & matre, & ſine genealogia fuiſſe, quod eius parentes non referantur à Moſe. Si ergo apud ipſum non valet. Vineæ plantatio à Moſe ante Noe non refertur, nauis ante arcam non memoratur, parentes Melchiſedechi non ſcribuntur, ergo ante Noe non fuit ars Nautica, vineæ plãtatio, aut Melchiſedechus ſine parentibus ortus non eſt. Nullius roboris eodem iure debet apud ipſum reputari argumentum. Præceptum homini impoſitum de non comedendo ligno non ſcribitur à Moſe cap. 1. Geneſ. ergo non eſt, ipſi, arborem edere prohibitum.

§. II.

Proponitur fundamentum ſecundum, & retorquetur in Præadamitam.

DEſumit fundamentum ſecundũ ex eo, quod imperfectus vniuerſus conditus eſſet, ſi producta terra cum plantis, & animantibus per totum orbem non crearentur homines qui animantibus, florũ venuſtate, arborũ, terræque fructibus, hominibus ſolis eorumque vtilitati ab auctore naturæ productis, non fungerentur. ¶ Porro, inquit Præadamita, qua ratione creationis terra germinauerat herbã, qua ratione prodierant arbores, qua ratione animata fuerãt animantia, qua ratione, inquã, producta hæc omnia fuerant ſecundũ ſpecies ſuas, per ſuos dies, vna eadẽque progreſsione creationis, ſuper omnẽ terrã, ſiue notã atauis noſtris, ſeu nouiſsime, ſiue non dũ cognitã, inducendũ eadẽ analogia creationis formatos à Deo fuiſſe homines maſculos, & fęminas, vno die, vna eadẽ, neque intermiſſa creatione, & vbicumque terrarũ, neque regionẽ vllã fuiſſe in terris, quæ germinauiſſet herbã, quæ produxiſſet arbores, & iumẽta,

quæ

quæ intra ſextum,& vltimũ abſolutæ creationis diem, non habuiſſet ſuos homines, & ſuos dominos. Ad hoc certe creata fuerant, vt ſeruirent homini ſuo domino loquendo in ſpecie, vel hominibus ſuis dominis, enarrando indiuidua. Deus autem feciſſe quid fruſtra videretur, & quid non conueniens, ſi eo ipſo die, quo deſtinauerat illa vt ſeruirent homini, nec creauiſſet eodẽ tẽpore homines, qui vel eis vſi fueſſent, vel vti potuiſſent, vbicũque terrarum, & illa producta fuerant. At ſi ponimus Adamũ primũ, & vnicũ hominẽ, a quo deductæ, & effuſæ deinceps fuerunt per totum orbẽ coloniæ hominũ, ad quid per illud immenſiſsimũ ſpatiũ tẽporis, quo potuit vniuerſus orbis, per vnã, & ſolã hanc proſapiã habere ſuos colonos, & ſuos dominos: ad quid, inquã regiones Meſopotamiæ antipodes germinauiſſent, herbas, & olera? quibus dominis pependiſſent fructus arborũ natarũ in terris illis, quos iuuiſſent earum iumenta ſic creata, & nuncupata vt iuuarent homines? Vel ergo per illud longiſsimum tempus, ſi non fruſtra, certe ad alrũ vſum ad quẽ non deſtinauerat illa Deus, fuiſsẽt creata illa, vel fatẽdũ eſt, ibi creatos fuiſſe homines eodem tẽpore, qui eis dominarentur, qui eis vterentur. ¶ Confirmat rationem. Deformes enim fuiſſent terræ omnes, ſi caruiſſent in principio ſuo gramine, ſuis arboribus, & ſuis animantibus. Informes ergo omnino euaſiſſent in principio, decore, & ornatu ſuo præcipuo, ſuis hominibus nẽpè, propter quos conndita omnia.

Deinde, quoniam ſi homines vbique terrarum Deus in principio non condidiſſet, hominẽ & fœminã ſolos beſtijs terræ, & animantibus cunctis Dominus expoſuiſſet, quod credendũ non eſt de auctore vniuerſi, nec de illius conditione primæua. Quod ſuadet ex paritate rationis ex Dei conſilio deprehenſæ in regimine mũdi eiuſdem. ¶ Scriptum eſt (inquit) Exod.23. Deum quo tempore educebat Iſralem ſuum ex Ægypto, vt illũ ad terram Chanaam introimitteret hæc illiuauiſſe. *Non eijciam populos terræ Chanaam à facie tua anno vno, ne terra inſolitudinem redigatur, & creſcant contra te beſtiæ. Paulatim expellam eos de conſpectu tuo, donec augearis, & poſsideas terram.* Idem Deuter.17. Duplex ibi cernitur cautio, quare nollet Deus ex interuallo anni vnius, neque vno omnes impetu eijcere nationes terræ Chanaam, quarum in locum ſuffecerat populum ſuum Iudaicum. Prima erat: quia nollebat terram illam, cui benedicebat, informem, & indecorem ſolitudine euadere: horror enim, non decor eſt inſolitudine: imò nota eſt maledictionis ſolitudo. Proinde lamentabatur Propheta ſuper Ieruſalem maledicta. *Quare ſedet ſola ciuitas plena populo?* Et inferius. *Egreſſus eſt à filia Sion omnis decor eius. Abierunt eius principes, abierunt eius virgines, & iuuenes eius in captiuitatem.* Secunda cautio erat, ne creſcerent, & multiplicarentur beſtiæ Chanaam contra populum Dei. Prima cautio decoris erat: ſecunda ſecuritatis. Nolebat Deus nutu, & momento, quod potuerat, nationes terræ Chanaam delere: ſed eas paulatim expellere, donec augeretur populus Iudaicus, & plenus eſſet numerus terræ illius hominum, & ſuorum habitatorum, qui foret terræ decor, & quo potis eſſet ſe à beſtijs terræ Chanaam vindicare. Si ergo hæc fuit Domini cautio, ſuper terræ tantum Chanaam decore, & ſecuritate populi ſui Iudaici, quamvis numero ad centena millium tunc temporis excreuiſſent Iudæi, quid non cauiſſe Deum putauimus in creatione mundi, ſuper decore, non terræ vnius tantum, ſed omnium terrarum, quotquot

ſunt

ſunt in mundo, ſi creare inſtituiſſet hominem, & fœminam ſolos, ne in ſolitudinem redigerentur? Si Dominus multa centena millia Iudæorum beſtijs vnius regionis exponere timuit, veriſimile exiſtimabimus Deum expoſuiſſe voluiſſe beſtijs terrarũ omnium hominẽ, & fęminam ſolos? Si nimium creuiſſent beſtiæ terræ Chanaam contra centena millia multa Iudæorum, qui illã habitarent, quidni creuiſſent nimium, & multiplicatæ fuiſſent beſtiæ terrarum omnium contra Adamum, & Euã ſolos in omnibus terris?

Verum, hæc fundamenta poſſe in ipſum fortiter retorqueri, viderit, qui Præadamitã fol. 178. & folio 87. legat. Ipſe enim locis citatis, filios Adã Iudæos eſſe ſeparatos à filijs Gentilium, Paleſtinam, vniuerſamque terrã Iudæorum hortum concluſum eſſe cuius aditus nõ patebat Gentilibus ait. Non ergo Gentiles homines, de quorum creatione in ſui ſententia habetur Geneſ. cap. 1. creatio, vnquam ante Adamum Palæſtinã in habitarunt, fuit ergo, terra illa floribus fructibuſque referta, & hominum orbata decore, informis, & imperfecta à Deo creata? Tum, terra illa, quam Præadamita ſanctam appellat, germinauerat flores, à principio edidederat fructus? Si non, imperfecta à Deo condita eſt præcipua pars vniuerſi. Si primum, quibus ergo hominibus prodierãt arbores per tot curricula temporis? Cum ſoli Gentiles eſſent queis in terram additus erat præcluſus, ſolis Adami poſteris patens. Deinde, ſi ſolos Adamum, & Euam creauit, quo pacto ſucceſsiuè ingreſsi ſunt Palæſtinã, à principio enim cum terra animantia intra Palæſtinam Deus produxit. Tot ergo ante ſęcula creationem Adami præcedentia, multiplicata ſunt animantia, illis ergo conditos ſolos Euam expoſuit, & Adamũ. Eadem ergo fundamenta, quibus in nos inuehitur Præadamita, contra ipſum irrefragabiliter pugnant. Idem dicere cogitur de exiguo numero hominũ, quĩ poſt diluuij miſerabilem cladẽ manſere ſuperſtites, iſti namque (dato adhuc quod vniuerſale non eſſet) non poſſent à principio totã incolere Palæſtinam. Quibus, rogo, germinauerat terra flores? quibus prodierant arbores, & ediderant fructus? cum extora regione parum terræ exiguus hominum numerus calcare potuiſſet.

Dicendum ergo eſt, perfectum omnibuſque numeris abſolutũ conditum eſſe vniuerſum. Quoniam perfectio vniuerſi ſolis ſpeciebus conſiſtit, vnde Adamo à Deo creato decore hominum, ſicut & floribus fructibus, & animantibus fuerat prædita terra, imò ſine Eua non imperfectus appareret vniuerſus, cum teſte Caietano non exprimæua intentione Eua fuerit producta, ſed quia neceſſaria fuerat, vt ſpecies propagaretur. A principio autem vbique terrarum homines non eſſe ab auctore ſuo productos tam clarũ eſt, quàm inauditũ contrarium. ¶ Non eſt autem arduum videre (inquit Auguſt. lib. 12. de Ciuitat. Dei, cap. 21.) multo fuiſſe melius quod factum eſt, vt ex vno homine, quem primũ condidit, multiplicaret genus humanum, quã ſi id inchoaſſet à pluribus. Nam cum animantes alias ſolitarias, & quodãmodo ſoliuagas, ideſt, quæ ſolitudinem magis appetant, ſicuti ſunt aquilæ, milui, leones, lupi, & quæcunque alia ita ſunt, alias vero gregales inſtituerit, quæ congregatæ, & in gregibus malint viuere, vt ſunt columbi, ſturni, cerui, damulæ, & cętera huiuſmodi, vtrumque tamen genus non ex ſingulis propagauit, ſed plura ſimul iuſsit exiſtere. Hominem vero cuius naturam quodammodo mediã inter angelos beſtiaſque condebat, vt ſi

creatori ſuo tanquam vero Domino ſubditus, præceptum eius pia obedientia cuſtodiret,in conſortiũ tranſiret Angelicum ſine morte media, beatã immortalitatem ſine vllo termino conſequuturus,ſi autẽ Dominũ Deum ſunm libera voluntate ſuperbe ac inobedienter vſus offenderet, morti addictus,beſtialiter viueret,libidinis ſeruus, æternoque poſt mortem ſupplicio deſtinatus. Vnum ac ſingulum creauit, non vbique ſolum ſine humana ſocietate diſerendum, ſed vt eo modo vehementius ei commendaretur ipſius ſocietatis vnitas vinculumque concordiæ, ſi non tantum in fœminam copulandã viro, ſicut ipſum creari illi placuit, ſed ex ipſo,vt omne,ex vno homine diffunderetur genus humanum. ¶ Quid clarius contra Præadamitã? in quem, omnium pariter Sanctorum Patrum teſtimonia congeri poſſent,ſi illa ipſe vellet nouitati præferre.

Neque Adamum Euãque ſolos creatos Dominus beſtijs cum periculo expoſuit,vt inquit enim Chryſoſt. mox vt apparuerit homo, fære fugam capiunt,quod ſi aliquando ab illis inuadentibus lædimur, hoc ideo fit quia fame vrgentur, vel propter alias rationes.Beſtiæ autem ideo populum intra Chanaam inuadere timeri poſſent, quia diſperſis hominibus per illã terrã, feriſque,deficiente,quo fugere poſſent,loco à cęteris hominibus occupato,inuaderent igitur feræ tãquam hoſtesHebræos,ſi tã quam per dominos illis fugã capere non liceret,initio autẽ vniuerſi creati pauxillo terræ ab hominibus incolato ſupererant campi, montes, & ſylvæ quo fugerent,& confugerent beſtiæ.Hominem enim etiam poſt ipſum peccatum ferocia etſi animantia timere docuit ipſa Sctiptura. Geneſ.9.dixi, Dominus Noe,& poſteris eius. *Terror veſter ac tremor ſit ſuper cuncta animalia terræ, & ſuper omnes volucres cœli,cum vniuerſis quæ mouentur ſuper terram.* Et D. Iacobus in ſua Canon.cap.3. *Omnis natura*,inquit,*beſtiarum,& volucrũ, & ſerpentium, & cæterorum domantur,& domita ſunt à natura humana*.Quod ergo,in creatione ſolius Adami,& Euæ,periculi timendũ à feris eſſet?quæ ſolitudinem amant, hominem timent,&non,niſi fame agitatæ,vel ab hominibus prius inuaſæ lædunt,præcipuè tunc temporis,quãdo nullis deficeret cibus.

§. III.

Alia,quibus Præadamita mouetur, referuntur,& eneruantur rationes.

VIdeamus iam, quibus tandem moueatur rationibus, vt ſuam ex propria cerebro inuentam de hominum ante Adamum creatione introduçat ſententiam. Ductus eſt primo,ex illo Geneſ.3. *Fecitque Dominus Deus Adæ,& vxori eius tunicas pelliceas*,tunicas nempè ex pellibus occiſorum animalium.Quis non inde conijciat fuiſſe eodem tempore coriarios,alurarios,& pelliones? Secundo,cognouit enim Adam vxorem ſuam Euã,quæ peperit Cainum,deinde Abelum natu minorem,diuiſitque Adamus terras filijs ſuis adultis, quod fieri ſolet inter homines iure ciuili viuentes.Terras ſcilicet arandas Caino:oues paſcendas tradidit Adamus Abelo.Erat ergo tunc temporis *meum*, & *tuum*, quale fuit,& eſt in ſocietate hominum, à longiſsimis temporibus bene,& legitime inſtituta.Deinde fuit Cain agricola, paſtor ouium Abelus. Qui dicit aratoriam artem, multas alias ſupponit,& qui dicit agricolam innumeros fere præſupponit artifices. At ſi nulli præter Cainum agricolam fuere tunc temporis artifices,maximus ſane fuit ar-

delio

delio Cainus. Ergo ſibi ſolius fodit ferrarias, fornaces excitauit, ſibi incudẽ, & malleos fabricauit, & alia ferramenta, quibus vomerẽ cuderet, & procuderet: ſecures ſibi acuit, quibus cæſæ arbores formas acciperent, vel aratri, vel raſtri, vel plauſtri, vel cęteri id genus. Tum ſi ex farre quod meſſuerat, panẽ, vt credibile eſt, confecit, ſibi ergo ſolus cauauit lapicidinas Cainus, vnde molas erueret: vel ſi tũc tẽporis nullus erat molendinorum vſus, eo deductus eſt vbi flent nequã homines, qui polentas pinſitant, & ſibi priſtinũ conſtruxit, vbi panes torreret. Fuit ergo Cainus ſolus arator, meſſor, & piſtor. Eas ergo Cainus artes exercuit, ad quas innumeri pennè ſerui, & artifices requirenbatur, quæ non niſi longiſsima meditatione, & vſu reperiri potuerũt. Parua illa sũt. Nobiliſsimus omnium hominum, qui referebat Deum auum, & terram auiam, deputatus fuit ad ferrarias, & lapicidinas, vel in priſtinum ad tũdendas ſegetes, quo damnati ad metalla, vel ſerui pœnæ deportabantur. Abel fuit paſtor ouuium, ideſt, cuſtos ouium. Quare ergo cuſtodiebat oues? Quos fures timere debuerat, præter patrem, matrẽ, & fratrem, ſi nulli præterea fuiſſent homines in terris? à lupis autem & feris rapacibus, quę gregem ſuum inuaſiſſent, plus Abelo ipſi, quam ouibus ſuis timendum fuiſſet, ne illum, ſcilicet, neglectis ouibus inſurrexiſſent.

Tertio. Quoniam veriſimile eſt Adamum tunc temporis degiſſe, vel in pago circumſepto, vel in oppido muris cincto, cum Cain, poſtquam in eius animo nefandũ fixum eſſet facinus, dixerit: *Egrediamur foras, cumque eſſent in agro, cõſurrexit Cain aduerſus fratrem ſuum.* Denotat ergo Cainum, & Abelum concluſos fuiſſe, vel intra ſepta vici cuiuſdã, vel intra muros cuiuſdã oppidi: intra quos timuit apprehendi Cainus, & ob torto collo rapi in carcerem, ſi in agro Abelum non occidiſſet cõtrapoſito vrbi, quod facere ſolent graſsiores, & facinoroſi homines, qui flagitia, & homicidia maximè perpetrant. Hinc ergo apparet præmia illo tempore benefactis decreta, & malefactis ſupplicia. Vnde Dominus Cain alloquens, ait: *Non neſi benè egeris recipies? ſin autem male, ſtatim in foribus peccatũ aderit?* In foribus, ideſt, in portis. Notum autẽ eſt pręcipuè apud Orientales iudicia exerceri ſolita in portis, imò etiã nunc apud ipſos, porta cadẽ eſt ac curia, vnde ſignificauit Dominus Caino, ſi male ageret rapiendum ad iudices, qui pœnas ſceleris ſui ab eo repoſcerẽt. Vrget. A quibus latronibus acceperat Cainus enſem, vt fratris verteret ſanguinem? Itẽ, quos timuit Cainus, cũ inquit Deo: *Omnis qui inuenerit me, occidet me?* Timuit ergo iudices, & leges, quibus plectẽdus capite erat. Effugit ergo iuriſdictionẽ, in qua occiderat fratrẽ ſuum, atque adeo in qua ſiſtendus erat iudicio, & aufugit more reorum omnium, qui ſcient ſe rẽ malã meruiſſe, & pedibus illico perfugiũ pariunt. Aufugit ergo in aliã regionẽ, ad Orientalem plagã Edeni vt habet Geneſ. Notatu verò digna ſunt verba illa: *Eiſcis me hodie à facie terræ*, ideſt, à terra ſancta: *Et ero profugus & vagus in terra*, ideſt, peregrina, & Gentilitia, in qua vagaretur timens occidi. In vanũ ergo poſuiſſet Dominus ſignũ in Caino, ne occideretur à quopiam homine, ſi vacuæ hominum fuiſſent terræ illæ, ad quas confugiſſet Cainus.

Quarto. Geneſ. enim 4. dicitur Cain cognouiſſe vxorem, ex qua genuit Enochum, ex qua ergo progenie fuit vxor eius? non ex familia Adami, cui filia nata non erat, ex Gentilibus ergo oriunda, hominibus ſcilicet illis, quorum creatio Geneſ. cap. 1. narratur, quibus ſancta ſua origine profanata, ſe impius fratricida immiſcue-

rat. Deinde ad plagam Orientalem appulsus, ciuitatem ædificauit Cainus, ex nomine filij sui Enoch appellatam, vt ab alijs Orientalis plagæ Edem distingueret ciuitatibus, quæ sua vtique habebãt nomina. Sed quibus architectis, & fabris vrbem illã posuit Cainus? Quibus ciuilibus illã composuit? si non accersiti operarij, si non aliunde quam ex familia patris sui Adami deducta colonia, qui vrbem suam habitarent? Orbus erat tunc temporis Adamus. Abelus occisus erat. Cainus effugerat, & genuit deinceps Sethum Adamus, annos natus triginta & centum, quem, vt perit Eua dixit Adamus. *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel, quem occidit Cain.* Quibus verbis palam est, nullum aliud semen, nullam aliã propaginem suffectam fuisse Adamo in locũ Abeli nisi trigesimo & centesimo ætatis suę anno, quo tempore Cainus iam tum vxorem duxerat, & vrbem ædificauerat. Addit Gen. *Et facti sunt dies Adami postquam genuit Sethũ, octingenti anni. Genuitque filios, & filias.* Quod dixisser haud dubie de tẽpore illo, quod inter lapsum erat ab Abelo ad Sethum, si per illud tẽpus vel filios, vel filias genuisset Adamus. Quia vero neque illos nec illas intra illud tẽpus genuit, id circo dixit Adamus genito Setho. *Posuit mihi Deus semen aliud pro Abelo, quem occidit Cainus*, idest, substitutus est mihi Sethus in locũ Abeli mortui. Accedit Iosephi locus de Caino loquẽs. ¶ Accitis (inquit) vndequaq; latrociniorũ & nequitiæ socijs: nec nõ magistrum illis ad facinorosam vitã effectum. ¶ qui ergo fuerunt homines illi *socij* ad partẽ prędarũ suarũ vndequaque acciti? Contra quos acciuit manũ illam facinorosorũ hominũ Cainus? Anne armauisset nepotes suos contra suos itidẽ alios nepotes? Fuerũt ergo alij per orbẽ dispersi homines, qui originẽ suã non recognoscerẽt ex Adamo?

§. IV.

Fundamentis eius ex Patrum omniũ fere occurritur sententia.

QVAM autem imbecillia, quæ Præadamitã mouerũt, sint omnia, viderit, qui apud sanctos Patres illa legerit euanuisse. Primum enim parũ roboris habet vt ante Cain fuisse iam probet coriarios. Quãvis enim ex pellibus Dominus Adamũ induisset, & Euam, non inde colligere licet rudes non esse, sed per artem quasi concinnatas ad calceos. Gennadius sic exponit ¶ Quemadmodum verba illa, quæ Adam dixisse refert Moses ex diuina procul reuelatione. *Propterhanc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ*, Seruator noster in Euangelijs Deum dixisse retulit, ita quod hic ait: *Et fecit illis Deus tunicas pelliceas*, Adam, & Euam a Deo inspiratos fecisse dicẽdum est. Tunicas autem pelliceas intelligimus, quas sibi excorticibus quasi expellibus arborum confecerunt. ¶ Theodorus sic inquit adhunc Genes. locum. ¶ Cùm ergo quæritur: quænam essent pelliceæ tunicæ? si dixeris ex pellibus animalium, huic opinioni repugnat, quod nulla animalia sacrificari iussa erant, aut si in sacrificium iugulata essent, animantium illorum genus defecisset, masculum namque tantummodo, & fœminam fecerat Deus, neque ex nihilo factas esse dicere possumus, iã enim requieuerat Deus ab operibus suis. Quid ergo? Dicendum cortices arborum pelles quoque rectè dici, nõ eas tantum quæ animalibus detrahuntur. Ex his igitur sibi tunicas cõfecerunt, id illis diuina bonitate suggerẽte. ¶ Vide Eucherium, Diodorũ, Strabum, Rupertum, & Caietanum, qui omnes (vnum si excipias Rupertum) ex pellibus animaliũ occisorum vestimenta censent esse confecta, vel ex pel-

pellibus à Deo ex nihilo productis, ex quorum ſentẽtia pelles illas fuiſſe per artem elaboratas, ſed informes, & rudes dumtaxat, nullus cordatus ex textu colligere poſſet cum Præadamita.

Neque ſecundum. Sic Caietanus inquit. ¶ Hinc coniectura eſt, multiplicatos fuiſſe tunc homines, adeo vt opus eſſet grege ouiũ, & vt iã eſſent effecta inſtrumenta ad colendã terrã. Nulla ſiquidem Scriptura teſtatur inſtrumenta ferrea inuẽta fuiſſe poſtea à Tubalcaim, vt ibidẽ patebit. Et ſimiliter nulla Scriptura teſtatur homines ante diluuiũ, poſtquã eiecti è paradiſo, ſolis fructibus terræ vixiſſe. Beroſus nãque refert homines ante diluuium etiã humanas carnes comediſſe, & officium Abelis teſtatur gregem ouiũ humanibus vſibus ſeruiſſe. Conſtat autem humano more loquẽdo, quod grex ouium ſeruit humano generi, non ſolũ præbendo lanas, & agnos, ſed lac, & caſeum. ¶ Et quidẽ certũ eſt ante necẽ Abeli plures alios filios Adamum progenuiſſe, cũ prope 130. ætatis ſuæ annum innocens interfectus ſit. Quis ergo credet per tot annos vrgente naturæ fęcũditate, ſolitudine mundi, & Dei benedictione de prolis multiplicatione, ſolos Cainum & Abelum Adamo fuiſſe filios? Illud autẽ, quod Seth Caino ſit ſubſtitutus nõ indicat ante genitũ Sethũ, Cainum filium dũtaxat habuiſſe, ſed noluiſſe Dominũ Adamum fraudatũ non iri numero filiorum, quibus tunc protraheretur. Vnde pro Abelo occiſo illi natus eſt Seth, & liberorũ integer numerus reſtitutus, Setho, Abelo defũcto, ſuccedẽte, religione, pietate morumq; integritate per quã ſimili.

Ad tertium conſtabit inferius pro nunc autem dicendum, ex verbis illis: *Egrediamur foras* male Præadamitã inferre intra pagum, vel ciuitatẽ Cainum & Abelũ fuiſſe clauſos, cũ intra domum manſiſſe ſit veriſimilius, quã natura magiſtra, vt à frigore, & alijs calamitatibus temporis non vexarẽtur, credibile eſt, conſtruiſſe. Fatemur libenter in foribus, & in portis poſt Adamum currentibus ſæculis ſolita exerceri iudicia; ſed non inde colligitur ſic intelligi Geneſ. locũ relatũ. Quod innuit ipſum etiam, quo Præadamita fundatur. Ex illis enim verbis: *Sin autem male egeris, ſtatim peccatum in foribus aderit*, vnde ſignificauit Dominus Caino (inquit Præadamita) ſi male egiſſet rapiendum adiudices eſſe. Hoc ergo quod ipſi fuit fundamentum, ſuadet & conuincit oppoſitũ. Cain enim male egit reliquo vitæ tempore, ad iudices autem raptus nunquam eſt. Quo ergo fine ad iudices, vt plecteretur, rapiẽdus eſſet, qui à Domino ſignum acceperat, vt ſeruaretur immunis. *Nõne ſi bene egeris, recipies? ſin autẽ male, ſtatim peccatum foribus aderit?* denotat peccatum ſtatim publicum, & manifeſtum fore, ſicut clamauit vox sãguinis, quẽ interfecit, Abelis. Nota illa verba, *Eijcis me à facie terræ*, ideſt, ſanctæ, & ero profugus in terra, ideſt, Gentiliũ, quam bene cohæreant cum his, quæ tradit inferius agens de innundatione diluuij, vbi inquit ſemper quod abſolutè apponitur terra, intelligi debere de terra ſancta ſeù Palæſtina.

Ad quartũ conſtabit inferius Gen. cap. 4. vbi ex Auguſt. vxorem quam duxit Cain ex poſteris Adami fuiſſe trademus, & quod de ciuitate ab ipſo conſtructa vrget in nos, exponemus. Pro nunc audi Chryſoſt. ¶ Sed fortè (inquit) dixerit aliquis, quomodo cũ Scriptura nuſquam alterius mulieris meminit, dicit quod Cain habuerit vxorẽ? Ne mireris dilecte. Nuſquam enim cathalogum mulierum diligenter facit, ſed Scriptura ſuperuacuum non commemorat, neque omnes viros commemorat, ſed ſuccintius nobis narrat, dicens, quod generauerint, filios, & filias, & mortui ſunt.

Verisimile igitur etiam nunc Euam peperisse filiam post Caim. Nam quia initia erant, debebatque augeri humanum genus, sorores vt acciperent, concedebatur. Et ideo consentanea hæc nobis coniectãda reliquit Scriptura, & hoc solum narrat, dicẽs: *Et cognouit Cain vxorem suam.* Idẽ sentit Theodoretus, Caietanus, & quotquot Genes. locum exponunt. Vide quæ de coniugio Abrahæ cum Sara dicemus inferius.

Præcipuum, quo fidit Prę adamita, fundamentum, vt homines ante Adamum fingat, desumit ex illo Pauli ad Rom. cap. 5. *Vsque ad legẽ enim peccatũ erat in mundo, peccatum autem non imputabatur non existente lege.* Verum de hoc Gen. c. 4. sermo instituetur, & Apostolus declarabitur.

Genes. cap. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.

Deut. 6. Audi Israel, Deus tuus Deus vnus est.

MYsteria fidei, vt inquit Hornbeek, pro ratione tẽporis varijs modis Ecclesiæ vsui attemperata fuere, non ergo mirũ hunc de Trinitate articulũ, vtpotè altissimum pandentem mysterium, etsi semper in Ecclesia traditum, maximè verò cum aduentu sanctissimi nostri Messiæ vberius explicatum fuisse, & ex Nouo Testamento, cuius iã ante adstructa auctoritas est, illius veritatem copiosius confirmari. Pro nunc autem relictis, quæ vberrime tractant de sacrosancto Trinitatis mysterio, tãScholastici Theologi, quã Dogmatici, hoc dumtaxat contra Rabbinos pro veritate Catholica expẽdemus, adductis tàm exceptionibus quibus impugnat Manasses Ben Israel nostram fidem, quam impugnationibus Hornbeek, quibus conuincitur Rabbinorum obstinata perfidia.

Expressum pro Personarum Trinitate diuina est, quod in nostra antilogia opposuimus, testimoniũ, *Faciamꝰ hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Quo omnia in plurali numero Dominus nõ dixisset, nisi pluralitatẽ in se aliquã significare in animo habuisset. Res enim periculo plena erat, quum Deus omnino vnus sit, statim in initio ita de se pluraliter loqui, nisi reuera aliqua tuisset pluralitas. Nulla autem alia intelligi potest, quam personarum, quia pluralitatis personæ omnia sunt, & verba, atque res personas innunt.

Viderunt difficultatem Iudæi, vnde varie discurrunt apud Manassem in suo conciliat in Gen. q. 6. ¶ R. Samuel bar Nahman, verbis R. Ionatã in Beresit Rabba, ait Mosem cũ in scribẽda lege ad hunc locũ, *faciamus hominẽ*, peruenisset, dixisse Domine mundi, quare occasionẽ hominibus præbes errandi in simplicissima tua vnitate? eique respondisse Dominũ, Tu modo Moses scribe, & qui errare cupiet, erret, iam verisimiliter vaticinabatur Moses versum hunc daturum erroris occasionem hominibus nonnullis, cũ multiplicem facturi essent causam primam, quæ vnica & perfectissima est: Quam opinionem nonnulli habuere, quibus videatur, ex vno agente non posse (vt Auicena ait) duos contrarios effectus procedere, quales quia bonum, & malum sunt, crediderunt duas esse causas, aut principia ex quorum vno bonum proueniret, ex altero malum vt notauit R. Leuiben Gerson ad 10. cap. Exodi R. Ioseph Albus, R. Abraham Salom, & alij complures, ideoque fingit Mosem timentem, ne hic versus errorem eorum firmaret, retinuisse ad tempus ma-

manũ à scriptione; sed postea reputasse nihil esse cur metueret, quod soli, errare vellent, hinc colorem suo errori quæsituri essent, vt rectè sensit R. Ioelbensueb in opere suo, Olat Sabat, & R. Semuel Iaph, in Iephe Toar supra idem dictum, nec ratio eius rei obscura est: nam sequens versus demonstrat, vnum modo, & solum Creatorem esse, cum dicitur, *Et creauit Dominus Deus Adam*, vbi in singulari, dicitur, & creauit, non in pluri numero, *& crearunt*. Super causa autem verborũ, *& faciamus*, varie differunt sapientes nostri. R. Ieosuab sub nomine R. Leui in Beresit Raba ait, faciamus hominem: qui cum Deus consultauit? cum fabrica cœli, & terræ. Sanè benè respondit. Etenim quomodo Rex, tametsi suprema potestatẽ, & imperiũ habet, sæpè subditorum se consilio subijcit, ostendens hac re charitatem suã in ministros, & clientes suos: ita & Rex Regum, ad creationem nobilissimæ huius creaturæ, conuocauit ad consiliũ omnes mundos quos creauerat. Eandẽ sententiã amplexus R. Salomoh, dicit porro Deũ his verbis humilitatẽ nobis cõmendare, tãquam Principẽ omnium virtutũ, eoque sæpius sic legi, quasi accipiat cõsiliũ ab inferioribꝰ. Etiam R. Semuel bar Trahman ait, Deũ consultauisse cũ opere cuiusque dici: quo innuere vult, omnes quodãmodo creaturas concurrisse creatione hominis. Theologi Cabalistæ in sacro opere Zoar, subtilius verba sacræ Scripturæ accipientes, dicunt, ecce, in cunctis reliquis operibus, & creaturis sacra Scriptura in singulari loquitur, vt, fit lux, producat terra, &c. Sed quando de homine agit, ait, faciamus in pluriũ numero significãs (quæ etiam Platonis sententia erat) Deũ loqui cũ secundis causis, quibus dicta, ecce super est vt animal creem, quod nomine cũ immortalibus conueniat, verũ id si immediatè à me procederet, totũ diuinũ esset; proindevos corpus date, ego, quæ restat, animam dabo. Huic sentẽtiæ etiã fauet R. Moses Alschech adhunc locum, & in Sosanat à Amaquim, atque ita ait, Deum locutũ cum quatuor mundis, quos ponunt Cabalistæ, idque quia homo constat corpore, & triplici anima, cògruit mũdo fabricæ, formationis, creationis, & emanationis: ideoq; dixit in plurali, *faciamus*, quia vnusquisque suã contulit portionẽ: & quẽ admodum R. Ishac Arama in Glos. ad Pentateuchum, ait, quia coaluerunt mundi tum contrarij, necessariũ erat, medium aliquod existere, quod partĩ ceps omnium, eos inter se colligaret, adeo vt omnes isti auctores existiment, Deum, qui vnicus & solus est, hic secundas causas in plurali numero allocutum esse.

Contra hanc expositionẽ oponit Hornbeek, sicut & aliàs inferius referendas impugnat, ergo saltẽ verba nobis fauent, in probanda ex ijs aliqua in Deo plũralitate, qui verò multiplicẽ ex illis fecerunt causam primã nescio, an, vlli fuerint. Certè quidẽ multi plures finxerunt Deos, sed nõ ex hoc loco, qui Scripturã habent, & sequũtur, in hunc non incident errorẽ. Neque in hoc abuti possunt, qui duo ponunt principia contraria; nã quo modo hæc inter se consultassent, aut cõuenissent, de creãdo homine? quomodo hæc eandem poterint dici habere similitudinẽ, ad quam hominẽ creassent? Sequẽs quidẽ versus demõstrat vnum esse Deum creatorem; at non, quod in præcedẽti haud notentur plures personæ. Iã quod non benè (aliter ac Manasse censet) respondeat ad locum hunc R. Iehos. Deum scilicet cũ fabrica Cœli, & terræ consultauisse, sic ostendimus: alia est ratio Regis in consilium subditos vocantis qui eo eget, alia Dei qui vti eo non eget, ita nec illud: quum indignetur Deus, si quis ei attribuatur consiliarius.

Isai. 11. 12. 13. 14. *Quis mensus est pugillo suo aquas, & Cœlos sphithama expandit, aut complexus est trientali puluerem terræ, & ponderauit statera montes, & colles lancibus? quis extendit spiritum Iehouæ? aut vir à consilijs docuit eum? Cum quo communicauit consilium vt instrueret se, doceretque se iter iudicij.* Doceret, inquam, se scientiam, & viã summæ prudentiæ notam faceret sibi: vide, vt distincte in opera creationis Deus remoueat à se omne consiliũ, & consiliarium, Maimonid More Nenoch part. 11. cap. 4. post citatum hunc locum Genes. 1. 26. ait. ¶ Horum dictorum omnium mens, & sententia non est; ac si Deus loqueretur, cogitaret, consilium, & consiliationem aliorum peteret, vel sententia alicuius iubaretur; nam quo modo adiuuari posset creator a creatura sua? ¶ Non in consilium Deus hic, vocat, sed operis societatem; non dicit, quid faciam? sed faciamus: & quum neminem agnoscat in opere creationis socium, haud magis quam consiliariũ, patet eum non alloqui mundos, aliaque extra se, quæ non crearunt cum Deo. Creatio semper soli Deo vendicatur, eaque se distinctum vult ab alijs. Iesa. 42. 5. Sic ait ille fortis Iehoua, creator cœlorum, & qui extendit eos, qui expandit terram, & res prognatas ex ea, qui indit animam populo agenti in ea, & spiritũ ambulantibus in ea, et 44. 19. Ego Iehoua facio omnia, extendo cœlos solus. Expando terram per me ipsum, & 45. 18. & 18. 13. maximè creatio hominis creaturæ præcipuæ, Deo soli attribuitur. Genes. 5. 1. Iesa. 54. 5. Malach. 2. 10. 15. gloriam meam alteri non dabo. Iesa. 41. 8. 4. Quod Cabalistæ de quatuor dicunt mundis, reijcimus. Proferat, quid & quousque causæ secundæ, mundi, & opera cuiusque diei, ad creationem hominis contulerint Non sanè illa corpus dederũt, quod ipse Deus dicitur formasse ex puluere terræ. Genes. 2. 7. 19. & etiam Euæ ex Adamo cap. 2. 21. 23. cap. 1. 27. 7. neque metus fuerit corpus si a Deo immediatè proueniret totum diuinum esse; non magis quam anima, vel corporalia reliqua à Deo immediatè creata, quod si Deus illis hic iniunxisset, vt corpus darent, potius dixisset, facitote, quã faciamus, & sic distinctius, facitote vos corpus, ego animam quã vno verbo se cum illis immiscere, & dicere faciamus, nec homo est creatus ad illorũ imaginẽ, sed solius Dei. Genes. 5. 1. & 9. 6. & si esset non tamen posset illorũ imago, cum illa Dei coniungi in vna oratione, *ad imaginem nostram.* Denique aliter Bereschit rabba. Scriptum est inquit Iesa. 44. 24. quis mecum in creatione fuit? nam Psal. 96. scriptũ est, tu Deus facis mirabilia solus, in humanis quidem rebus consuetudo est, vt rex vna cum proceribus laudem reportet administratæ Reipublicæ, quia ipsi adiubant in sustinendo onere. Verũ non ita Deus Sanctus benedictus. Sed ipse solus creauit mundũ, ipse solus istam gloriã habet, ipse solus celebrãdus est per mundum suum, dixit R. Tanchuma, Tu Deus solus creasti mũdum, sed & Manases ipse, Problem. 13. de creatione, pag. 55. sapientes ex eo inferunt (inquit) in vocibus his contineri admirandũ hunc articulũ, quod solus Deus omnia per se ipsum creauerit, quasi legeretur, Deum dixisse, quis fuit adiunctus mihi in creatione mundi? Ex quibus verbis concludimus non esse contra rationem, ab vno Deo manasse totam rerũ multitudinẽ, siue vnum Deum res multas creasse.

Secunda expositio est Aben Ezræ. Deum cũ solis intelligentijs locutum arbitratur, in hanc quasi sententiã. Hactenus imperaui aquis, & terræ: vt animalia producerent: sed nunc creaturam hanc ceteris perfectio-

ctiorem ſimul ego, & vos faciemus: vt ſic homo æquali loco cũ intelligentijs ponatur. Quoniã, & illæ qualẽ qualẽ affinitatem cũ materia habent, quatenus deſpicientes occupantur mouendis orbibus, & nihilominus ſpirituales ſunt; quod ſuſpicientes propter finem magis ſublimem, Deũ nempe, orbes moueant, vt Ariſt. docet. Sic etiam iuxta R. Samuel bar. Nahaman, homo fuit creatus duabus figuris, quæ cum animã, & corpus ſignificent contrariæ ſunt: quia corpore deorſum ſpectat, at anima ſurſum ſe egerit, quã ſententiã ſequitur R. Leui ben. Gerſon, & Iſaac Abranabel in Gloſ. ad hunc locum. R. Iehuda Leuita dicit quoque Deum Angelos allocutum, quos Prophetæ intelligebant in figura humana; & quemadmodum nobiles ac præcellentes hæ creaturæ, propriores ſunt primæ cauſæ: ſic homo terreſtris, qui illis ſimilis eſt, ratione quadã factus ad imaginem, & ſimilitudinem Dei. Idẽ ſenſiſſe Abrahamũ Dauid diſcimus ex auctore Igarot. Sic Manaſſes qui eandem ſequitur in Exod. quæſt. 6. Verũ quis non videat, quã hæc extorta ſit expoſitio? Potentiæ quidem diuinæ foret defectus, ſi intelligentijs egeret ad hominis creationẽ, illiuſque gloria ſoli Deo non deberetur. Neque homo æquali gloria cum Angelis eſt ponendus, vt inquit Pſalter. *Minuiſti eum paulo minus ab Angeli*, Pſalm. 8. vnde male Iudæi etſi quoad animam hominẽ faciunt Angelis ſuperiorem. Neque Angeli qualem qualẽ cũ materia habent affinitatem, quod Manaſes latius proſequitur Problem. de creat. 22. & 23. neque homo ad illorũ imaginem poteſt creatus dici.

Eodem repellitur tertia expoſitio ratiotinio, quam tradit R. Moſes Gerundenſis. Deum ſcilicet locutum cum elementis, & terra, adducitque pro ſe quod eodem ſexto die terram producere iuſſerat animalia, cũ qua nunc quoque ſermonẽ habens dicat, faciamus in plurali. Et ſic terrã puluerem ac limum dediſſe, vnde corpus creatum eſt, cui Deus animã inſpiraverit. Repellitur, inquã, inquit Hornbeek, quoniã quomodo cũ elementis & terra ſermonẽ habere ad faciendũ opus aliquid decens erit Deo? quum ne nos quidem materiam aliquã, quã uis præſtantẽ, ita ſimus allocuturi *faciamus*. Neque, etſi terra puluerem ac limum dederit, ideo feciſſe dicitur hominem, cauſa enim materialis eſt, nõ efficiens, cui ſoli cõuenit agere. Neque homo factus eſt ad imaginem terræ ſenſu eo, quo hic dicitur.

Eiuſdem roboris eſt expoſitio, quã tradit R. Ioſue de Sanhin. Deum nempe animas conſuluiſſe. Videtur mihi (inquit Manaſſes) id dicere voluiſſe, quemadmodũ animæ iã primo die creatæ erant (quod plerique Hebræorũ ſentiunt) noluiſſe Deum per vim, & inuitas illas indere latenti materiæ, ſed volẽtes, ideoque dixiſſe, *faciamus*, nempe in hanc mentem, formate humana corpora. Falſo quidem expoſitio nititur fundamento, animas ſcilicet ante hominẽ prius fortas fuiſſe. Deinde quis cogitauit, non aliter volentes corpora ſubijſſe animas, niſi ijs primũ ita blandijſſet, & demulſiſſet Deus, ne indirentur corpori inuitæ? Quis niſi ſomnians potuit excogitare animas feciſſe corpora ſingulas ſua? Sic homo creatus erit ad imaginem propriã; corpus ad ſimilitudinẽ animæ. Deus ſimiliter cum dicit cap. 3. Geneſ. *Ecce homo factus eſt ſicut vnus ex nobis*, quos ſic alloquitur? illos, quos hic dicens, *faciamus*. Quomodo illud interpretabuntur, ſiquidem animas hic fuerit allocutus?

R. Sahadias à Gaon exiſtimat vſitatum hunc in Scriptura loquendi morem eſſe, vt rex dicat, *nos rex*, tamet

met ſi præter illum nemo alius loquatur. Eandemque ob causam tradit R. Ame Deum cum corde ſuo conſultauiſſe, vt ſignificet cum nulla creatura, ſed ſecum tantummodo allocutum. Comprobari poteſt hæc expoſitio, Geneſ. enim 29. *Dabimus tibi etiam hanc*, dicitur. Daniel 2. *Loquemur coram rege*. Numer. 22. *Forte prævalens percutiemus eum*. Verum non eſſe vſitatum modum loquendi, vt quis in prima perſona de ſe pluraliter loquatur, ſicuti hic *faciamus*, conſpicuum eſt. Etſi vel ſemel aut iterum ita quem piam locutum probaretur, vt in exemplis allatis, non ſequitur inde morem fuiſſe vſitatum. Quin Aben Ezra tria profert citata loca, ad ſingulaque reſpondet. Ad primum Geneſ. 29. *comple*, inquit Laban Iacobo. *Septimanã huius, tum dabimus tibi etiam illam pro ſeruitute*. Ideſt, ego, vxor, & amici dabimus tibi. Similiter ad illud Num. *percutiemus*, ideſt, ego, & populus, ſeu exercitus percutiemus. Sic Iarchi ad illum locum. Per *Piel* infinitiuum Ezra etiam explicat quaſi, fortè potero percutere eum. Quo citat Ierem. 30. v. 2. *Et innocentem te habendo infinitiue*, ideſt, *non proſus impunem te relinquam*. Ad illud Daniel 2. *Hoc eſt ſomnium illud, cuius interpretationem coram rege*, ideſt, ego, & ſocij mei mecum, meis verbis. Vnde v. 17. ſocijs ſuis verbum notum feciſſe Danielem dicitur. Ex quibus videmus nullum ſubſidium in ſacris habere, qui dicunt vſitatum loquendi morem fuiſſe, vt quis de ſe in plurali loquatur, ſicuti hoc loco Deus, *faciamus*. Quamvis autem poſtea in vſum venerit aliquando, non hinc tamen ſequitur ſermonem Dei id imitari voluiſſe. Neque in nomine proprio tum plurale adhibetur, ſed vel in verbo, vel pro nomine, vti *nos Philippus* iubemus, non Philippi, hic ſecus eſt, Dominus iubet. Modus ergo de ſe loquendi pluraliter, ortus vel ex conſcientia propriæ imperfectionis, ideòque neceſſarij auxilij Diuini, vel humani, vel ex elatione, nulla autem ex his notione phraſis illa vſurpari de Deo poteſt. Si autem pro maieſtate alloqueretur ſic Deus, pluries eo loquendi modo vteretur, præcipuè cum legem dabat, neque tum dixit. *Nos eduximus te*, ſed. *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti*.

Per quod impugnata manet expoſitio, quã tradidit Manaſſes, Scripturam in creatione hominis peculiari vti modo loquendi in plurali, *faciamus*, quod verbum videtur imperantis ſibi ipſi, & ad ſuſcipiendum, ac faciendum aliquid incitantis, eaque re oſtendere Dominus vult, omnes reliquas creaturas ſuo beneficio creatas. Verum non ſolum phraſis eſt ſe ipſum alloquentis, vt diximus ſupra, ſed neque ſe excitantis. An extorpore aliquo ſe Deus excitaret, aut ſibi imperaret? neque ſolum exprimitur, præſtantius opus quaſi ſingulari ſtudio Deum aggreſſum fuiſſe. Neque vlla eiuſmodi conciliatione tollitur controuerſia, vel argumentum, quod ex inde pro pluralitate perſonarum petimus, eneruatur. Dicimus ergo Deum vnicum eſſe in eſſentia ſimpliciſsima atque infinita. De quo intelligendus eſt Moſes Deut. 6. Geneſ. autem 1. de pluralitate in perſonis, quam ſecundum fidem fatemur. Cauſam autem, cur ita ſcriberet, Moſes iuſtiſsimam habuit, vt nempè Trinitatem, in hiſtoria creationis, ad creationem nobiliſsimæ creaturæ dilucidius manifeſtaret, qui paſsim aliàs docet, vnicum Numen eſſe: eoque ſolus is, qui ſciens volens erret, errorem ſuum contra hæc verba defenſurus eſt. Deus ergo cum perſonis Diuinis locutus eſt cum dixit, *faciamus hominem*. Trinitati enim opera conueniunt ad extra. Vide Raim,

Mart,

Mart. & Ioſephum de Voiſsim, Petauium, & Galatinum, & Theologos Scholaſticos, quibus hoc myſterium mirifice dilucidatum eſt.

Geneſ. cap. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram.

Pſalm. 70. Nullum ſimilem eſſe Deo dicitur.

Vide pro huius conciliatione quæ Geneſ. cap. 5. dicemus.

Geneſ. 1. Dicitur producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile ſuper terram. Vnde volatilia ex aquis eſſe formata apparet.

Geneſ. 2. Dicitur formatis de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus cœli.

CAietanus Eugubinus, & Catharinus e xhumo volatilia eſſe formata cenſent Hebrææ verſionis, & Paraphraſis Chaldaicæ nimie amatores. Illa enim ſic vertit. Repere faciãt aquæ reptile animæ viuentis, & volatile volet ſuper terram. Iſta ſic. Mouere faciant aquæ reptile animæ viuentis, & auis volitet ſuper terram. Verum cęteris verſionibus præponderat noſtra Vulgata. Et ſanè, ſi ex terra productæ eſſent, earum formationem diei ſexto non reſeruatam, ſed quinto, dicere, abſurdũ eſſet.

Patres autem paſsim aues ex aqua exortas prodidere. D. Ambroſ. in Hexam. lib. 5. Cyrillus, Chryſoſt. Baſ. lib. 1. in Geneſ. hom. 7. Theodor. atque Rupertus, & vt alios non referam, Auguſt. lib. 3. de Geneſ. ad litteram cap. 3. Non ſcriptum eſt (inquit) producant aquæ reptilia animæ viuentis, & producat aer volatilia volantia ſuper terram. Sed vtrumque hoc animantium genus ex aqua productum eſſe narratur. Quidquid ergo aquarum, ſiuè labiliter vndoſum, & fluidum eſt, ſiuè vaporabiliter tenuatum atque ſuſpenſum, & illud reptilibus animarum viuarum, hoc volatilibus appareat diſtributum, vtrumque tamen humidæ naturæ deputatur. Proſequitur rurſum. Iſte vero inferior aer qui excipit exalationes humidas maris, & terræ, & ad ſuſtinendas aues quodam modo craſſatur, nõ niſi ex aquis accipit animalia. Quod enim eius humidum eſt, hoc portat alitum corpora, quæ ita nitũtur pennis volantes, quemadmodum piſces quibuſdam ſuis alis natantes, proinde ſcienter, tamquam ſpiritus Dei, qui ſcribenti aderat, ex aquis dicit producta volatilia. Aquarum enim natura bipartitum locum ſortita eſt, inferiorem ſcilicet in vnda labili, ſuperiorem vero in aura ſtabili, illum deputatum natantibus, iſtum volantibus: hæc Auguſt. Ad illud autem Geneſ. cap. 2. *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & vniuerſis volatilibus Cœli*, reſpondetur illam particulam & nõ repetere illud ex *humo* vt ſit ſenſus, formatis ex humo tàm animantibus terreſtribus, quam volatilibus, ſed repetere illud *formatis*. Vt ſit Moſis hic ſenſus. Formatis ex humo animãtibus terreſtribus, & formatis etiam volucribus poſt formationem duorũ horum generum animalium, adduxit ea ad Adam.

Rabam Gamaliel apud Manaſſem ben Iſrael, aues fuiſſe ex aqua lu-

luctuoſa formatas, mixta ex terræ,& aquæ elementis, ideò extra aquam connaturaliter viuunt, & volant, quod niſi ex vtroque elemento productæ forent,fieri non poſſet. Moſes Gerundenſis,idem,quod ſuperius dedimus ſentit, Rabbi Perfect, auctor Ephod,vbi Vulgata *humo*,legere Hebræum *Adama*,ideſt, maſa quatuor elemẽtorũ ait,vnde ex limo, ideſt,ex quatuor elementis formauit aues, & quia in his prædominatur aquæ elementum, dicitur,producant reptile aquæ.Rabbi Hiskian, vtrumque cõponit textum, quia aquæ aliquas aues producunt,Cygnos;ſcilicet, atque anſeres,quæ inhabitãt aquis, cęteras autem aues, quæ frequentius degunt in terra,ex illa duxiſſe originem,tradit.

Geneſ.1. Formatus dicitur ſexta die homo.

Geneſ.2. Homo non erat qui operaretur terram.

FAcili negotio antilogia in concordiam venit, ſenſus enim verborum cap.2.non eſt quod homo qui operari poſſet,non extitiſſet. Voluit namque Deus,plantas omnes,& omnia arbuſta,arbores,& virgultum, ſe ſolo,ſuoque imperio feciſſe innuere. Vt autem Deo ſoli eorum tribueretur procreatio, ſubdit rationem, quia ante productionem eorum,neq; pluuia foret,neque exiſteret, qui illa coleret, homo, quæ duo ad naturalem arborum generationem fere concurrunt.

Geneſ.1. Vidit Deus omnia quæ fecerat,& erant valde bona.

Iſai.45. Ego ſum qui paraui lumen, faciens pacem,& creans mala. Et alibi paſsim hæc repetuntur.

BAſilius hom.9. ¶ Malũ igitur (inquit) aliquod eſt ſecundum noſtrum ſenſum, aliud natura ipſa. Malum itaque natura ex nobis oritur. Iniuſtitia, laſciuia, inconſiderantia, timiditas, inuidia, & reliquæ huiuſmodi, quæ animam ad Dei ſimilitudinem factam ſolent inquinare, rurſum malum dicimus,quod triſte, durumque ſenſibus noſtris eſt,vt corporis morbus, ægeſtas ignobilitas plagæ, pecuniæ damna, domeſticorum amiſsiones, quorum quod libet nobis à D. O. Maximo ad vtilitatem inducit, diuitias aufert ijs,qui male vtebantur,infirmitatẽ inducit ijs quibus magis expedit membra habere impedita, & impetus ad peccandum tardiores.

D.Hieronymus ſuper hunc capitis locum. Quidquid enim in ſcriptuturis Sacris dicitur,turba comminans eſt,& grandi voce aures credentium penetrans. Si iuſti ſumus per tubam Chriſti ad beatitudinem prouocamur,ſi peccatores audimus, quæ ſimus tormenta paſſuri. Malum autem, quod Dominus facit in ciuitate non cõtrariũ eſt virtuti,ſed afflictio eſt,& cruciatus,de quo legimus Matth. c. 6. *Sufficit diei malitia ſua*, ideſt, tribulatio, & anguſtia, & Iſai.45. legimus. Ego Deus qui feci lucem,& tenebras, qui facio pacem, & condo mala: ſicut enim tenebræ contrariæ ſunt luci, & diei, ſic & paci bellum contrarium eſt,quod non per ſe malum eſt, ſed malum videtur ijs eſſe, qui

qui ſuſtinent. Et vt ſciamus in Scripturis ſanctis, malitiam interdum non contrariam virtuti, accipi, ſed afflictionem, pœnaſque, anguſtiam, vnum adhuc de Iona ſumamus exemplum, cap. 3. Et vidit Deus opera eorum, quia conuerſi eſſent à ſuis vijs peſsimis, & pœnituit eum ſuper malitia, quam locutus eſt vt faceret eis. Malitia vtique ibi, ſubuerſio eſt Niniuitarum, quia per prophetam Deus fuerat comminatus, & non virtuti contraria, quæ ad peccatum pertinet, pro quo comminabatur tormenta peccãtibus.

Sumitur ergo bonum in primo capite pro integritate (vt cum methaphiſicis loquamur) prædicatorum eſſentialium, & pro integritate partiũ, phiſica corpora, conſtituentium, quia omnia erant bona in ordine ad decorem, & pulchritudinem vniuerſi. De omnibus ijs fuſe vt ſolet Pereirus in cap. 1. Geneſ. & D. Thom. 1. p. q. 49. art. 2.

Patet ex ijs ad cap. 2. locum textui Geneſ. cap. 1. diſcordantem nempè, lignum ſcientiæ boni, & mali, Auguſt. ſic inquit, erat corporale, ſicut aliæ arbores, nec cibo noxium. Qui enim fecit omnia bona valdè, nihil mali in paradiſo ſtatuit, ſed mala fecit tranſgreſsio præcepti. Oportebat autem, vt homo ſub Domino poſitus, ab aliquo prohiberetur, vt virtus eſſet merendi obedientia, quæ ſola veriſſime virtus eſt rationali creaturæ degenti ſub poteſtate Dei, ſicut primum & maximum vitium tumoris, velle vti ſua poteſtate, quod & inobedientia eſt. Non enim erat, vnde homo ſe habere dominum cogitaret, niſi aliquid iuberetur. Arbor ergo non erat mala, ſed ſcientiæ dicta noſcendi bonum, & malum, quia poſt prohibitionem erat in illa tranſgreſsio futura, qua homo experiendo diſceret quid eſſet inter obedientiæ bonum, & inobedientiæ malum. Nec de fructu, qui naſceretur inde poſitum eſt nomen, ſed de ipſa re quæ tranſgreſsionem ſecuta eſt.

Geneſ. 1. Vidit omnia quæ fecerat, & erant valde bona.

Eccleſ. cap. 1. Vanitas vanitatis, & omnia vanitas.

HIC vanitas, non malum, ſed bonum, quod cito tranſijt, velut vapor fumi, & aura tenuis, quæ facile ſoluitur innuitur. Vana ergo ſunt omnia tẽporalia fœlicitati æternæ cõparata, quia mutationi ſubdita ſũt. Vide Hieron. tom. 5. in Eccleſ. cap. 1. Lyrã, D. Antoninum Florent. 1. p. tit. 2. cap. 8. §. 3. Chryſoſt. in epiſt. 7. quæ eſt ad Eutrop. Aug. lib. 20. de ciuit. Dei, cap. 3. D. Thom. 1. p. q. 65. art. 1. & q. 63. art. 5.

CAPVT 2. GENESIS.

Ex Geneſ. 2. Requieuit Deus ab omni opere quod patrarat.

Ioan. 5. Pater meus vſque modo operatur.

TExtum Ioann. 5. Cum inquit Chriſtus, *Pater meus vſque modo operatur*, omnes auctores, vt inquit Maldonatus, ad hunc modum exponunt, vſque modo, ideſt, etiam die Sabbathi. Quod enim dictum

ctum eſt Geneſ.2.& Exod.20.Requieuiſſe Deum die ſeptimo, *ab omni opere quod patrarat*. Non eſt intelligendũ, quaſi poſtea nihil egerit. Producit enim etiam nunc in montibus fœnũ, & herbam ſeruituti hominum, Pſalm. 148. & Solem ſuum oriri facit ſuper bonos,& malos,& pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos, Matth.5. Sed ceſſaſſe tunc à nouis generibus rerum efformãdis, quemadmodum ſex diebus fecerat. In hanc ſententiam Orig. tom.28. in Num. Amb.lib.7.in Luc.cap.13.Aug. hic,& lib.4. Geneſ. ad litter. cap.10. & 12.conueniunt.

Aliter conciliari poſſunt noſtræ antilogiæ textus, illud Ioan. *Pater meus vſque modo operatur*, idem innuit ac ſi Chriſtus dixiſſet, nullum Patri, nullum ſibi ad agendum tempus eſſe præſcriptum, omnes homines tẽpora ſua ſibi cõſtituere, vt agant,& vt requieſcant, Deo non eſſe datam legem, poſſe pro ſuo arbitrio, & quandocumque voluerit agere, quia dominus Sabbati, dominus etiam temporis eſt, nullo pendens, nulla tenetur lege.

Geneſ.2. Compleuitque Deus die ſeptimo opus ſuum quod fecerat.

Exod.20.(& ex Geneſ.1.idem conſtat) ſex enim diebus fecit cœlum,& terram.

TExtus iſte antilogiam imbibere apparet, quoniam complere, eſt aliquid quod deficeret, facere, nõ ergo ſex diebus, ſed ſeptem vniuerſa formauit. Septuaginta aliter legunt, nempè die *ſexto*. Reſpondet R. Simon Ben. Yobay, quod vltimum diei ſexti primum eſt inſtans dei ſeptimi, & ſic compleuit ſeptimo excluſiue,& ſexto incluſiuè. Rab. Gueniba aliud verè ſomniauit, inquit enim nulla firmitate gaudere, cuncta quæ ſunt naturalia, ſi illis defuerit anima. Die ergo ſeptimo illam infudit Dominus vniuerſo, quod propriè non dicitur opus R. Leui, vbi Vulgata *compleuit*, & in Hebræo *Vayhal*, legit ipſe *Vehamid*, ideſt, deſiderauit operis eius conſeruationem.

Aben Ezra aſſerit, quod *compleuit*, non eſt opus facere, ſed feciſſe, probat, quia Exod.12. dicitur *primo die non erit fermentum in domibus veſtris*. Quod ſic intelligitur. Non quod eo die eijciatur extra domum, ſed quod iam ſit expulſum, quia præceptum azima edendi, à nocte primũ diẽ Paſchæ præcedenti, initium ducebat, & ſeptem diebus durabat. Vnde *compleuit die ſeptimo*, idem ac ſexto die omnia fuiſſe patrata valet. D. Iſac Abrabanel, quod vltimum cõplementum operum naturalium fuit benedictio, ſine qua nihil nanciſcitur vltimum ſuæ creationis finem. Compleuit igitur die ſeptimo, non operãdo, ſed benedicendo.

Geneſ.2. Poſuit hominem in paradiſo, vt operaretur,& cuſtodiret illum.

Geneſ.3. Maledicta terra in opere tuo. Quaſi operari pœna fuerit peccati.

FAcilis eſt (inquit Pereirus) difficultatis huius enodatio. Iſta namque innocentiæ operatio iucunda eſſet,& non laborioſa. Cumque etiam id temporis, vitam animalem agere deberet homo, nec ſemper

Dei

Dei contemplationi valeret intendi, varias per membra corporis obiret actiones, omnium pleniſsima fuiſſet iucunditatis, ac voluptatis agricultura, quæ in admirationem prouidentię diuinæ extollere ſolet.

Geneſ. 2. In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.

Geneſ. cap. 5. Nongentorum triginta annorum vita functus eſt Adam.

MORTEM corporalem Adamo minatum Dominum ſentiunt communiter Patres, & inde Rabbini colligunt, quod in Hebræo, *Moriendo morieris* reduplicatur: vt habetur in illo dicto Abimelech, Geneſ. 28. & Reg. 3. cap. 2. dixit Salomon die quo tranſgredieris Cedron moriendo morieris. Conſtat autem Regem corporalem ſolam pœnam imponere poſſe. Sicut Nathan Dauidi inflixit, cum dixit puer tibi natus moriendo morietur. Vbique ergo duplicata cõminatio pœnam tantum corporalem confirmat. Hanc ergo minatus eſt Deus Adamo, ſi violaret præceptum.

Theodoretus quæſt. 38. in Geneſ. Non ſtatim (inquit) mortuus eſt Adam poſt tranſgreſsionem, verumtamen decretum, & ſententiam mortis ſacra Scriptura mortem appellat. Itaque cum primum comedit Dei ſententia obnoxius fuit ſupplicio mortis in ſingulos dies atque horas, velut reus mortis ipſam mortem expectans. Etenim niſi cõmediſſet, potuiſſet non mori, imò nunquam mortuus fuiſſe; at poſtquam comedit cibum vetitum, non potuit effugere quin aliquando moreretur.

Verius iudico iuxta id quod iam tetigit D. Gregor. hom. 37. in Euang. ſtatim atque Adam peccauit, mortem actualem incurriſſe, quoniam corpus veſte nuptiali iuſtitiæ originalis expoliatum miſerias huius vitæ ſentire cæpit, frigus, calorem, & alia vſque ad mortis lapſum, quod eſt incipere mori, vt bene ſenti. 2. Reg. cap. 14. mulier illa. *Omnes morimur, & quaſi aqua dilabimur.* Sic vbi ſupra Greg. temporalis vita æternæ vitæ comparata, mors eſt potius dicenda, quam vita. Ipſe enim quotidianus defectus corruptionis, quid eſt aliud quã quædã prolixitas mortis? Corpus igitur Adæ in eodem ſtatu permaſiſſet, niſi ipſe peccaſſet, nõ enim paulatim fuiſſet diſſolutum, aut uitiatum, & ad mortem delapſum: at poſt peccatum cępit paulatim diſſolui, & corrumpi, & ad interitum fluere, & ex eo tempore mors ei cępit dominari.

Geneſ. 3. Vidit igitur mulier quod bonum eſſet lignum.

Geneſ. 3. Et aperti ſunt oculi eorum, & cum cognouiſſent ſe eſſe nudos.

Auguſtinus lib. loqution. in Geneſ. n. 9. ſic inquit. Quod ſcriptum demum eſt de Adam, & Eua, aperti ſunt oculi eorum, cum abſurde credatur eos in paradiſo cœcos, vel oculis clauſis prius ob erraſſe; loquutionis eſt, quam etiam de Agar ſcriptum eſt, aperuit oculos ſuos, & vidit puerum, neque enim clauſis prius oculis ſedebat. Et quod in fractione panis aperti ſunt oculi eorum, qui cognouerunt Dominum poſt reſurrectionẽ. Neque enim per viam cum illo clauſis oculis ambulabant. Videatur Auguſt. lib. 11. de Geneſ. ad litt. & lib. 14. de Ciuit. Dei, Rupert. lib. 3. de Trinit. cap. 10. Aperti ergo ſunt oculi eorũ, ideſt, ea, quibus antea minus intenti, perceperunt, vt inquit nãque Tirinus, triſtem iacturam, tum ſibi, tum poſteris, incredibilium bonorũ ſenſerunt cladem intolerabiliũ malorum fractis innocentiæ repagulis, iam incurſantem in orbẽ, maximam in ſe confuſionem, pudorẽ atque mærorẽ, acerrimũ conſcientiæ ſtimulũ, qui animũ arrodebat. Senſerunt denique, ſed malo ſuo, nimis veras, certaſque fuiſſe minas Dei, Dœmonis vero promiſſa vana, & fallacia.

Geneſ. 3. In pœnam dixit mulieri Deus multiplicandos conceptus, in dolore parituram filios, & ſub viri fore poteſtate, & dominio.

Hæc omnia acciderent, etſi ſtatum conſeruarent fæliciſſimum innocentiæ Geneſ. 30. & Pſalm. 127. Vxor tua ſicut vitis abundans.

CIrca huiuſmodi antilogiã pulchra ſunt, quæ expoſuit Salianus. Conceptus (inquit) non ſimpliciter in pœnam ponitur, cum in benedictione Domini cenſeatur, vt patet Geneſ. 30. Nã Lia liberis abundans. *Hoc* (inquit) *pro beatitudine mea, beatam quippe me dicent mulieres*, non ſolũ ſe benedictã, ſed beatã prædicat in multitudine liberorũ. Et contra, Racheli mortis inſtar erat liberis carere, adeo vt diceret viro ſuo. *Da mihi liberos alloqui moriar.* Adde Dauidẽ, *Vxor tua ſicut vitis abundans.* Apud Iudæos ait Hieron. lib. 1. contra Iouinian. gloria erat in partubus, & partũritionibus, & maledicta ſterilis, quæ non habebat ſemẽ in Iſrael, & beata cuius erat ſemen in Sion, & domeſtici in Ieruſalẽ. Nihilominus ærumnæ conceptũ meritò numerabantur in pœnis, quibus tàm mater, qnàm infans tanto tẽpore affliguntur. Vnde Virgilius.

Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.

Quæ omnia faſtidia ſub nomine ærũ noſi conceptus comprehenduntur: quibus omnibus cariturus erat innocentiæ ſtatus:

Altera pœna eſt dolor partus, de quo (addit) eodemmodo, quo de cõceptione philoſophandum eſt, naturale eſſe fęminæ, & maximè in humana ſpecie, cum dolore parere: laxanda quippè ſunt clauſtra vt eri, pro magnitudine fętus educendi, & ſubiungenda, quæ inter ſe maximè cohærentia ſunt; & compacta, quod ſine grauiſsimo doloris morſu fieri non poteſt. Et quamvis naturalis ſit hic dolor, & non tantum pœna peccati, cum in brutis etiam reperiatur, in quibus nullum eſt peccatum, durante tamen ſtatu innocentiæ, non ſine corruptione, ſed ſine do-

dolore laxato vtero, ex particulari Dei gratia, & benignitate, fœtus emiſſus eſſet in lucem. Ea gratia in pœnam peccati ſui iam priuatur mulier, quæ vbi filios iræ Dei ſibi concepit, & cum multis erumnis filios Adæ circumtulit, parit denique filios doloris ſui.

Obſcurior eſt (proſequitur) tertia mulieris pœna, quomodo enim pœna dicenda eſt, ſubiectio mulieris viro ſuo, cum ea in ſtatu quoque innocentiæ futura erat? ſicut & filiorũ ſub patre, & diſcipulorum ſub magiſtro, & ciuium ſub magiſtratu, & omnium rerum creatarum ſub omnium creatore Deo. Non enim in paradiſo mulier futura erat maior vel æqualis viro, vrpotè facta à Deo animo, & corpore inferior & indigens prudenti directione viri ſui, quæ ſine ſubiectione, & obedientia eſſe non potuiſſent. Sed illa ſubiectio nõ haberet rationem pœnæ, tũ quia ſpontanea eſſet, & ſine coactione, ſicut Apoſtolus ait, legem non eſſe iuſto poſitã, quia ſponte ſua, quæ ſunt legis exequitur: tum quia vir nihil imperaſſet, quod non eſſet conſentaneum rationi, & ad alterius, vel vtriuſque vtilitatem, ad quam vterque naturaliter propenderet: denique vna eſſet vtriuſque que mens, voluntas, appetitus, iudicium, quamdiu manerent diuinæ legi obſequentes. Nunc autem ſubijcitur, vel inuita, & ille non raro exercet in illam penè tyranicam dominationem, eamque ſæpè tàm iuſtis, quã iniuſtis coercet pœnis, nulla cum lege politica coercente; neque tamen mulieri vice verſa licet in virum. Quod ſignificant illa verba: *Et ipſe dominabitur tui*, quæ interpretans D. Auguſt. lib. 11. de Geneſ. ad litt. cap. 37. Dixit quidem per charitatem ſeruite inuicem, ſed nequaquã diceret inuicem dominamini. Poſſunt itaque coniuges per charitatem ſeruire inuicem, ſed mulierem non permitit Apoſtolus dominari in virum, hoc enim viro potius Dei ſentẽtia detulit, & maritum habere dominum meruit mulieris non natura, ſed culpa: quod tamen niſi ſeruetur, deprauabitur amplius natura, & augebitur culpa. Hæc Auguſt. Illud autẽ, *dominabitur*, prænuntiando, à Deo dicitur, non iubendo, vt docet Abulẽſis. Iuſtum itaque fuit multiplicari erumnas conceptuum mulieris, quæ ſuos fœtus ad multiplices parabat erumnas: æquum fuit, vt cum dolore corporis ſui pareret quos ferebat ad tot animi, corporisque dolores, vt dominantem vſque ad mortem experiretur virum, quem fecerat ſeruum mortis, & peccati, & illum rigidum nunc ſentiret, quem blanditijs ante perdiderat.

EX GENES. 4.

Geneſ. cap. 4. Poſſedi hominem per Deum inquit de Cain Eua.

Ioan. 1. Non ſicut Cain, qui ex maligno erat.

FAcilis eſt concordia, imò neque neceſſaria, vbi nulla eſt oppoſitio, poſſedit namque Cain per Deum Eua, ideſt, reputauit maximũ ſibi à Deo collatum beneficium, & merito quidem, cum fuerit fructus fœcunditatis. Ioannes autem reſpexit Cain, & opera eius, fructus impietatis, & maligni pectoris ſigna.

Ex Geneſ. cap. 4. Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear.

Paul. ad Rom. 5. Peccatum vero non imputabatur non exiſtente lege.

§. I.

Proponitur Præadamitæ expoſitio.

PRæcipuum hoc eſt Præadamitæ fundamentum, vt homines auderet ante Adamum aſsignare. Hæc ſunt Apoſt. verba ad Roman. 5. Sicut per vnum hominem peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors, ita etiam in omnes homines mors pertrāſijt, in quo omnes peccauerūt. Vſque ad legem enim peccatum erat in mundo, peccatum autem nō imputabatur cum lex non eſſet. Sed regnauit mors ab Adam vſque ad Moſem, etiā in eos qui non peccauerunt in ſimilinem præuaricationis Adæ, qui eſt forma futuri. Sic Paulus. Huiuſmodi teſtimonium vrget ita Præadamita, & præcipuè verba illa: *Nā vſque ad legem peccatum erat in mūdo, peccatū vero nō imputabatur nō exiſtēte lege.* Sic vrget. Vel enim lex illa intelligēda erat de lege data Moſi, vel de lege data Adamo, ſi de lata Moſi, aſſerendum eſt peccatū fuiſſe in mundo ante Moſem, ſed per illud tēpus non fuiſſe imputatum, quod eſt falſum. Si de lege data Adamo, ſtatuendum eſt peccatum fuiſſe ante Adamum in mundo. Ponendi ergo alij homines ſunt ante Adamum, qui quidē peccauiſſent, ſed non imputatiuè. Non ergo ex horruit Præadamita contra religioſam antiquitatem, & omnium. ne dicam placitum, verum & cogitatum, ante Adamum ponere homines.

Sic ergo explicat D. Paulum. Sicut per vnum hominem, ſcilicet Adamum, qui legem diuinā de arbore nō edēda tranſgreſſus eſt, intrauit in mūdum, ſeu originem vel ortum accepit, & per violatā huiuſmodi legē mors, ita etiā mors in omnes homines peruaſit, in quo omnes peccauerunt. Innuit enim Apoſtolus reciprocā conuertentiam, vt quemadmodum poſito peccato, ponitur & ſequitur mors; ita etiam poſita morte inferatur neceſſariò peccatum. *Nam vſque ad legē peccatum erat in mundo. Vſque ad legē*, intellige legē datam Adamo, ad quā vſque peccatum erat in mundo, & ſimiliter mors. Sed neque mors regnauit, aut ius vllum habuit tempore illo ante Adamum, quoniā peccatum ante violationem Adami, & non exiſtēte illa lege, peccatum non imputabatur, ante legē enim illā, neque peccatum, neque mors vllum ius in mundo vſurpauerant, nulla eis erat in poſſeſsione mūdi legitima collocatio, & omnium ratio eſt, quia ante Adamum nulla lex lata erat. Sola ergo lex data Adamo fuit, cuius tranſgreſsio effecit imputationem peccati, & mortis regnum conſtituit, quæ reatum induxit peccato, & mortē inſtituit pœnam iſtius reatus; quæ peccatum fecit imputatum, & mortē vlciſcentē, & regnantem. *Regnauit mors ab Adamo vſque ad Moſem.* Hoc eſt per imputationem peccati cepit regnare mors, ante Adamum enim peccatum & mors erant, ſed neque illud imputari, neque iſta cepit regnare, niſi poſt tranſgreſſionē Adami ab ipſo violationis momento vſque ad Moſem, ideſt, vſque ad legem datam Moſis. Moſes enim hoc loco ſumitur pro lege data Moſi, ſicut, & Adamus pro lege data illi. Sicut apud humaniores auctores, *Decem viri* pro lege ſumuntur duodecim tabularum, & in iure vulgare eſt, *ait Prætor*, vbi ſumitur *Prætor* pro legibus remiſsioris iuris, quas Prætores olim edixerant. Ideo autem

autem imputationem accipit à lege Adami peccatum, quia fuit generaliſſima, & prima legum diuinarũ in dicta omni generi humano. Moſis lex appendix fuit legis illius generaliſſimæ ad particularem vſum Iudæorũ. Chriſtus autẽ moriens ſuſtulit imputationẽ peccati, à violata prima lege inmundo inuenta; & legẽ Moſis, quã Iudæus, & ipſe Chriſtus obſeruauerat, antiquauit. Morte ergo ſua legis tranſgreſsionẽ Chriſtus Dominus expians, ſuſtulit eius effectum, nẽpè imputationẽ peccati, & regũ mortis, iuxta illud, mors mortua tũc eſt in ligno, quando vita mortua fuit.

§. II.

Impugnatur Præadamita.

PLura ſibi tũ implicantia, tum fidei noſtræ de peccato originali parum conſona, omnia autẽ contra Sanctorum Patrum opinionem, imo & omnium Theologorum aſſenſum à Præadamita ſunt excogitata. Superius, homines non niſi chimericos ante Adamum fuiſſe probauimus, expoſitionem Pauli, qua maxime fidit repellere, opus, ſed labor non erit. In primis ergo peccatũ à lege imputationem fatemur verum non à lege Adami, ſed à lege naturali omnibus hominibus inſita à conditore naturæ. Sic ergo contra Præadamitam, ſi Adamum præceſsiſſe homines diceremus, peccatum foret & imputatũ peccatum, exeo enim poſt Adamũ imputatiue peccatum omnes homines peruaſiſſe tradidit, quia lex exiſtebat, qua exiſtente imputari peccatum neceſſe eſt. Si autẽ ante Adamũ homines eſſent, & peccatores, lex eſſet cuius præuaricatio peccatũ imputabile foret, vbi enim præuaricatio non eſt, peccatũ non eſt, & vbi lex nõ eſt, neque præuaricatio legis eſt. Foret ergo lex naturalis ante Adamũ à qua deuiarent peccatores, ſi ante ipsũ homines fuiſſent, quod ipſe cõcedere tenetur, cũ folio 9. legẽ naturæ rectã rationẽ eſſe dicat, vnde leges Gentiũ ortæ ſunt: à quibus leges ciuiles fluxerunt, quæ ſecundũ varios Legum latores varia ſibi induerunt nomina. Tales olim fuerunt, vel duriores Lycurgi leges, vel molliores Solonis conſtitutiones, vel quæ tulere ſtrictiora iura Decem viri, vel quæ edixere remiſsiora Prætores. Qui ergo contra rectã rationẽ, legẽque naturæ peccabant peccato imputatiue, delinquere dicendũ eſt, quia imputatur peccatũ exiſtente lege, cum ergo lex naturæ comitetur homines, qua rationales ſunt, pro quocunque tempore fingat homines, inſeparabilem legem naturalem recognoſcere cogitur, à qua ſi deuient, peccatores denominari debent imputatiue.

Confirmatur ex Præadamitæ principijs. Introducit Præadamitam auctor illius, ſic alloquentem, cap. 13. ex verbis Pauli. Viuebam (inquit) vita illa naturali tantum, quæ mihi communis erat cum cæteris animantibus. Remordebat me intrinſecus peccatũ meũ, peccabã abſque lege & ante legẽ Dei, ſed non peccabã in Deum. Imo & illud pigebat me peccati mei quondã quia præter legẽ illam naturalẽ, quæ me cũ nata erat, leges itidẽ aliæ præſcriptæ mihi erant ante legẽ illã Dei. Quidquid Dei notum mihi poterat eſſe, manifeſtum mihi erat lumine illo innato, & recta ratione illi, quæ mihi à natura indita erat. Hæc ſua principia. Sed quis, quã vera ſint, non videt? Imprimis enim, quo pacto viuere poſſent homines illi ficti vita cõmuni cũ brutis quos, male facti pigebat, cõſcientiaq; remordebat? Deinde. Qui peccabãt cõtra Dei lumen innatũ, quo ſe illis Deus manifeſtabat, in Deũ peccare neceſſe eſt, alias nullũ recognoſcet peccatũ, præter illud peccatũ Adã, nullũ enim recognoſcit diſcrimẽ inter peccatũ Præadamitarũ & poſt Adamũ Gẽtiliũ. Allegat

enim in sui opinionem Paulum ad Rom. 1. 19. 20. & Act. 17. v. 23. incognitum dicens Præadamitis Deum, sicut tempore Pauli Athenienſibus. Condemnabatur, addit, eorum peccatum, & accuſabatur natura ipſa, qua ratione Gentiles tempore D. Pauli legem non habentes ſibi ipſis erant lex. Ex quibus: ſic Præadamitæ etſi peccarent in legem naturæ, ita vt accuſetur damneturque eorum peccatum non peccant in Deum. Pariter ergo Athenienſes, & tempore Pauli Gentiles reliqui, ſibi ipſis cum eſſent lex, in legem naturæ peccantes, ipſa natura accuſante, & damnante ipſorum peccato, non peccare dicentur in Deum. Hoc ſecundum ipſe negat, cum poſt Adamum formatum peccatum fateatur in mundo poſt tranſgreſsionem, & imputationem Adam, vel nullum aliud formatum erit in mundo peccatum, niſi ſolum originale, neque hoc ſecundum negat dumtaxat ille, ſed expreſſe Apoſtolus Paulus ad Rom. 1. v. 18. & v. 25. & 28. populos omnes Gentiles inexcuſabiles eſſe pronuntiat.

Deinde repellitur Præadamita. Mouetur ipſe vt illud, *Ante legem peccatum erat in mundo* de lege Adamo data exponat, à cuius violatione orta eſt imputatio peccati, quia illa lex eſt per excellentiam lex legum, & generaliſsima omni generi humano lata. Hoc autem falſum eſt, quia Adamus fuit in ſua ſententia caput Iudæorum, neutiquam generis totius humani, vt ipſe frequenter repetit ſuo libello. Non ergo in Adamo omnibus, ſed ſolis Iſraelitis tulit Dominus legem illam. Deinde. Quoniam omnes leges habent à legiſlatore encomium, & excellentiam, non (vt ipſe innuit) à tranſgreſsione generali ſumenda eſt, infelix commendatio, triſte & deplorandum encomium à generali execratione poſteris ineuitabili originatum. Numquid lex Moſis à Deo lata non eſt, aut digito eius elaborata? Tum etiam. Lex Adami fuit peculiaris, & vnicum ſolum præceptum, ſicut & lex, quam recognoſcit ipſe de ſanctificatione Sabbati ante Moſem, de diſcretione mundorum & immundorum, de abſtinentia à ſuffocatis præcepta Noaco, & de circũciſione Abrahamo data.

Repellitur tertio Præadamitæ expoſitio. Pro omni tempore quo intelliguntur homines, debet concedi peccatum, & illius imputatio regnumque mortis, ſed ante Adamum, peccatum imputatiue, neque mortis recognoſcit imperium, ſolum ergo ab Adamo, & non ante illum homines fuerunt, quibus imputaretur peccatum. Maior propoſi. 10, quã ipſe negat, niſi terminis ludere gaudeat, eſt manifeſta. Quid enim eſt regnum peccati, niſi iuriſdictio in omnes æqualis, & peruaſio communis? Fuit autem tempus vllum, quo homines peccatores dicantur, & non paſſi ſint mortis imperium, ſepulchrique aculeum? Fuit ergo ius mortis ſemper illæſum, & eius regnum potens ſemper intactum, & in omnes homines æquẽ extenſum.

Reſpondet Præadamita, duplex recognoſcens peccatum, naturale nempè, & legale, illud quod à prohibitione nulla legis pependit, ſed à prauis naturæ humanæ appetitionibus, quod & materiale dicitur à Præadamita, eo quod manat ã natura noſtra, à materia, à carne, & ſenſibus noſtris. Peccatum legale ſeù formale, quod manauit à lege, cuius tranſgreſsione peccatum formam imputationis accepit. Quoties enim homo (inquit Præadamita) delirat à recta ratione illa, quæ hominẽ conſtituit, quoties impulſu materiæ ſuæ, quam habet communem cum brutis, quid agit dignum pecore (peccatum à pecore Latini mutuati ſunt) & indignum homine: toties cadere videtur

,tur à ſpecie ſua,& incidere in ſpeciē pecoris ſiue bruti. Quidquid enim fit ab homine,vel iniuria numinis,vel ira, vel libidine,vel aliquo alio appetitu, commune ei eſt cum pecudibus,quas natura finxit ad terram pronas,neque ad cœlum conuerſas. Cōmunes ſunt hominibus cum brutis rapacitas, ſitis effera ſanguinis: communes inceſtæ nuptiæ, libidinoſæ illæ nefandarum venerum prurigines, cętera generis huius, quæ à Gentibus natura duce prohibita legibus ſunt. Peccatum formale ſeù legale fit legis tranſgreſsione, vnde peccatum, quod ante Adamum erat peccans ſimpliciter,& materialiter,forma ſuperueniente ſeù aduentu legis, ſiuè per imputationē violatæ legis factum fuit legale, & formale,quo peccauit Adamus, & in illo homines omnes. Vnde ante Adamum peccabant actualiter quoad materiam non autem quoad formam,& imputationem peccati, quæ eſt vera ſimilitudo tranſgreſsionis Adami,de qua hic agitur. Quodcumque autem peccatum ſit ſua ſequitur mors, naturalis naturalæ peccatum, formalis cōſequitur frale, & legale. Mors naturalis,quā corruptio naturalis generat,antecedentē naturam corruptā,vel pede cito,vel pede claudo nunquā deſerit. Mors legalis,quā tranſgreſsio legis facit,vltrix addita poſt legirupam ſedet. Ac veluti peccato naturali peccatum legale inditur: mors legalis morti naturali apponitur. Tum quo argumento peccatum legale peccato naturali inditum, reatum generat qui mente concipitur: mors legalis morti naturali appoſita, mortē ciuilē parit,quæ fictione eſt & ſpiritu intelligitur. Vnde bella, peſtes,& febres,& quæcumque de genere hoc conturbant & male vrunt homines,originem non habent ex Adamo,qui primum infregit diuinam legem,ſed ex natura hominum vitiata,quos vel inhians prædæ fames,vel effera vindictæ cupiditas,vel flagrans regni ambitio, arma capeſcere incitat,vt naturales appetitiones,& innatas libidines expleāt. Peſtes,& febres quis naſci,& inflāmari non expertus eſt, vel ex naturalis aeris corruptione,vel ex ipſa noſtri corporis imbellicitate? Ex eſu enim arboris boni & mali mortuus non eſt Adamus, neque Cainus ex fratricidio ægrotauit. Omnia ergo hæc ex vitio naturæ ſuæ putridæ, & putidæ orta ſunt, vitium enim innatū hominibus, ſolida fuit, & naturalis hominibus calamitas,vt enim inquit Ezech.cap.28. *Productus eſt ignis de medio eorum qui illos excideret.* Natura ergo ſua incendia in hominum cordibus facit.

Imprimis Præadamita ſcholæ terminorum ignorantia laborat, dū materiale,& naturale diſtinguit, & ſeparat à formali peccati, malitiamque vtrumque facit diuidere membrum. Illa duo in omni,& eodē peccato vniri Theologi vnanimiter cenſent,ipſa peccantis actio, vel à natura,vel à carnis affectione, vel ab affectuum inclinatione, vel ab animi incogitantia, vel à voluntate manauerit mala,dicitur materiale, formale autem ipſa dicitur diſconuenientia cum lege,moralitate deſumpta à lege diuina non ſine libertate creata iuxta Theologorum poſitiones diuerſas. Materiales vtpotè actiones phiſicæ,& naturales bonæ ſunt, & à Deo ſunt,formale,quod indiſconuenientia,& à lege receſſu cōſiſtit malū eſt,& à creatura eſt, imputatio autē non ipſa eſt eſſentia mali, ſed quid ſubſequutum ad illam. Hæc ſunt ſcholæ principia ſi cum Theologis loqui velit. Deinde ſi appetitus ſeù natura corrupta peccatum eſt naturale,eſus, & manducatio arboris in Adamo, nullum ſi adeſſet præceptū, eſſet naturale peccatum, Omnes ergo actiones naturales, in quas inclinat

nat natura corrupta, licet alias prau ũ finem non respicientes, malæ erunt, & naturalia peccata. Hoc si dicatur, quis auctor erit naturalis peccati, nisi conditor naturæ corruptæ, qui illã materiam fecit vitiatam.

Confirmatur. Quod naturaliter peruasit in omnes homines, aut ex ipsa creatione, aut ex peccato ab illo vno homine Adamo perpetrato peruadere necesse est, posterius Præadamita negauit, quia iam ante Adami peccatum nullo iure in homines intrauit mors, ex ipsa ergo creatione peccatũ, & mors in omnes irruerunt homines, idque iure nullo. Deus ergo conditor omniũ auctor mortis est, & peccati, & quidem iniustus, qui peccatũ, & ex peccato mortẽ nullo iure transfuderit in omnes, quos à principio creauerat homines.

Vlterius, Præadamita, ex iecore cupiditatibus idoneo concludit corruptam concupiscentiã in Adami viscera fuisse ante ipsum esũ à Deo vetitũ. Vidit fructũ, inquit, atque vt illi iecur erat cupiditatibus idoneũ, concupiuit illum, concupiscentia ipsa peccatũ fuit. Hinc ergo concludit in Adamo fuisse innatũ corruptionis, & concupiscentiæ vitium. Sed ego infero inde. Manus idoneæ erant vt præhẽderent fructũ, os & dentes vt manducarent. Sunt ergo hæc omnia vitia naturæ? quis illa vitiosa fecit? Ipse Deus fecit nos, non ipsi nos, Dominus, inquam, qui edixerat ab initio, vidisse omnia quæ fecit, esseque valde bona, & perfeciisse sua benedictione. Aliud quidem est concupiscere fructũ, qua vetitum, aliud appetere fructum, secundũ, vitium non est, primũ malitia fædatur, non à sua natura, sed quia apponitur lex. Cõcupiscere fructũ scientiæ boni, & mali malũ esse potuit, quia licet ex Scriptura prohibitio appetitus consentientis non constet, credibile tamen est, cũ hæc sit Dei præceptorum natura internam obedientiã efflagitantiũ, appetitũ cohibentiũ, sed id est vbi adest aduertentia & libertas, propensio enim & procliuitas naturalis ante liberã aduertentiam neque mala est, neque vitium insitum est, quin potius hæc inclinatio appetitus, iecoris & renum propensio in vetita, si illis reluctetur voluptas, gradus sunt ad coronã, meritaque pugnantis. Deinde. Præadamita, à transgressione Adami, peccatum accipit suam formam. Inquit, quod falsum est. Imputatio enim accedit ad peccatum existens in sua essentia, nil autem rei dici potest essentia, quod illam in suo esse constitutam supponit. Vlterius. Imputatio peccati non peccantis est actio, sed legislatoris morte punientis, nõ vt peccato (quod absit) formã inducat, sed iustitiã vt probet suam & veritatem. Si ergo ab imputatione acciperet formam peccatum, à legislatore malitia suam haberet essentiam.

Dicendum tandem contra illum est, vnicũ & solum peccatum Adami fontem esse mala passim & enormia scaturientẽ, in primaque creatione omnia esse integra, & diuina benedictione nobilitata. *Quoniam Deus*, inquit Sap. c. 2. *Creauit hominem in exterminabilem, & ad imaginem similitudinis suæ fecit illum. Inuidia autem Diaboli mors introiuit in orbem terrarum* Ex illo ergo Adami primo peccato appetituum est orta intẽperies, mors, & aliæ quæ illã comitantur, calamitates. Vnde dicendum cũ Augustino, si homo primus iustitiam originalem seruasset, non moriturus, & sic immortalis abesset extrinseco ex Dei volũtate & decreto. De quo D. Tho. 1. p. q. 97. ar. 1. Scot. in 2. dist. 19. August. lib. de quæst. Vet. & Nou. Test. D. Bonauent. in dist. 19. Dominus enim non inquit, in quacunque die comederit Adamus, morte moriturum, sed redditũ iri mortalem, & statim cæpit mortalitatis signa experiri

riri extrinſecus & interius. Quod ſi hoc Præadamitæ non ſedauerit animum, audiat Gregor. in Regeſt. lib. 6. cap. 195. ¶ Si Adæ (inquit) qui primus peccauit, anima in peccato mortua non eſt, quomodo de ligno vetito ei dictum eſt; in quacumque die comederitis ex eo, morte moriemini? Ecce comedit Adã, & Eua de ligno vetito, & tamen in carne ſua vltra nõ gentos annos poſt modum vixerunt. Conſtat itaque quod in carne non eſt mortuus. Si ergo in anima mortuus non eſt (quod dici nefas eſt) falſam ſententiam de illo protulit Deus, qui dixit, quia qua die comederet, moreretur. Sed abſit hic error, abſit à vera fide. Nos enim, primum hominẽ, qua die peccauit, anima mortuum dicimus, atque per hunc omne genus humanum in hac mortis, & corruptionis pœna damnatum. Per ſecundum vero hominẽ, & modo à morte animæ, & poſtmodum ab omni corruptione carnis in æterna reſurrectione liberari nos poſſe confidimus. Sicut autem & prædictis reſponſalibus diximus, Adæ animã in peccato mortuam dicimus, non à ſubſtantia viuẽdi, ſed à qualitate viuendi. Quia enim aliud eſt ſubſtantia, atque aliud qualitas, non eſt eius anima ita mortua, vt non eſſet: ſed ita mortua vt beata non eſſet. ¶ Idem ſenſit Eucherius. D. Auguſt. tã corporis, quã ſpiritualem animæ vitam intelligit, lib. 13. de Ciuit. Dei cap. 12. De ſpirituali autẽ morte loquutum Paulum conſtat ex principijs Præadamitæ. De illa enim, regnaſſe per peccatum, morte loquitur Paulus iuxta illum, quã Chriſtus Dominus moriendo deſtruxit, ſed ſolam mortẽ ſpiritualem, non corporalem Chriſtus deleuit: illa ergo eſt, quã minatus eſt Parentibus primis Deus, & quæ per peccatum intrauit in mundum.

Denique Præadamita impugnatur. Eatenus nãque mors, & eius imperium in homines omnes peruaſit, quatenus in vno tota natura peccauit, nequit autẽ peccatum formatum, vt ipſe loquitur, refundi in vniuerſam naturã, niſi ab illo vno omnes naturali propagatione deſcenderent. Illi ergo homines Adamo antiquiores, & ab illo non propagati peccato originali fędari nullo iure, nullaque ratione vincetur. Hoc argumentum, Grotij præuidit iudicium, vt impietatis argueret Præadamitæ ſententiã; ſic inquit agens de Americanarum gentium origine contra Latium ab inconuenienti argumento. ¶ Quod ſi Americani Germanici non ſunt, iã à nulla gente orti erunt. Cui conſequens eſt, vt credantur; aut ab æterno fuiſſe, cum Ariſtotele, aut ex terris orti, vt de Spartanis fabula eſt: aut ex Occeano, vt voluit Homerus: aut aliquos ante Adamum fuiſſe conditos homines, vt nuper aliquis in Gallia ſomniauit. Si hæc credantur, magnum video periculum pietati. ¶

Præadamita difficultatẽ præuidit, & ſoluit, ſed neſcio an lapidibus lapides deliniuerit. Conſideratur (inquit) peccatum originale, vel quatenus vitium eſt, vel quatenus reatus eſt. Quatenus vitium naturaliter inhæret hominibus, quatenus reatus eſt, aliunde eiſdem aduenit, & ab Adamo in illos tranſit. Proprium illud hominum omnium, alienum, & Adamicum hoc dicitur. Primum, materiale proprium, & inhærens definitur ſic: *Morbus hæreditarius ſiuè labes, in qua homines omnes concipiuntur, & naſcuntur*, iuxta illud Pſal. *in peccatis concepit me mater mea.* Secundum, formale & quod alienum, & reatus eſt: *Inobedientia Adami eſt, quatenus omnibus hominibus imputata fuit*, iuxta illud Apoſtoli: *Per inobedientiam vnius, peccatores conſtituti ſunt multi.* Materiale peccati, quod peccati labes, & vitium eſt, propagatione fit, ex materia

&

& natura hominũ corruptioni dedita. Formale peccati, imputatione ortum habuit ex tranſgreſsione legis quam Adamus violauit. Imputare alicui peccatum alterius, eſt eundem eodẽ loco habere, ac ſi ipſe peccatũ illud commiſiſſet. In quo requiritur, quod perſonarum altera pecccatum illud non commiſerit, alioqui iam nõ alienum peccatum, ſed propriũ ſibi imputaretur. Imputatur porrò peccatum perſonæ vnius perſonæ alteri, quæ illi cõmunione quadã iuncta eſt, ita vt habeat cum illa cuiuſdã corporis, & ſocietatis rationẽ, & ſimilitudinem. Neque verò neceſsè eſt omnes homines duxiſſe originẽ ab Adamo, vt cenſerentur omnes peccauiſſe in Adamo, ſed imputatũ eſt hominibus peccatum illius, quatenus intelligitur tranſgreſsio illius myſticè effuſſa in illa omnia, quæ imputationi Adamicæ ſubiacebant. Exempla plura ſunt, quibus & nos impugnat, & ſuam expoſitionem confirmat. Dominus ſæuit in ſexaginta mille Iudæos propter peccatum Dauidis: putandũ ne ergo fuit Iudæos illos oriundos ex Dauid vt imputaretur? Solũ ergo illis imputatũ fuit, quatenus Dauid princeps eorũ & caput erat: quo nomine referebat populum omnem Iudaicũ, & qua ratione populi dicuntur plecti propter deliramenta ſuorum Regum. Quando fideles omnes dicũtur filij Abrahã, an ne ideo cenſenda eſt imputata fides Abrahami Iudæis ipſis quatenus ab Abraham naturali generatione prognati ſunt? Nihil minus: ſed dicuntur ratione ſpirituali & myſtica Iudæi, & Gentiles filij Abrahami, quatenus Abrahamus, quoad fidem, vices ſuſtinuit omnium fidelium Iudæorum & Gentilium, & qua ratione ſola dictus eſt indifinitè, pater credentium. Sufficit ergo cõmunio vel vnio politica & myſtica ad imputationem, ita vt quod facit caput corpori toti imputetur. ¶ Iouis opus eſt (inquit Heſiodus) commune ſuppliciũ vrbibus inferre, propter delicta Magiſttaruũ. ¶ Ita propter violatum ab Agamemnone ſacerdotẽ Apollinis, totus fere Græcorum exercitus peſtilentia exhauſtus eſt. Et quidquid delirabant Reges, Achiui plectebantur. Neque ſolũ quod facit corporis caput Politici, ſed, & quod mẽbrum, populum omnem reatu obſtringit. Quale de Achã, cuius ſacrilegio totus Iſrael dicitur peccauiſſe, Ioſue 7. & Iudic 19. propter concubinã Leuitæ, quam habitatores Gabaa de tribu Beniamin vſque ad mortem moluerant, tota tribus penè extincta, & deleta fuit. Huiuſmodi imputationem Ethnici non ignorauerunt. ¶ Multoties, inquit Heſiodus, tota ciuitas ob malum virum punitur. ¶ Horatius. ¶ Sæpè Dieſpiter, Neglectus, inceſto addidit integrum. ¶ Iudæis inſuper omnibus Sedeciæ Regis periurium fuit imputatum, propter quod nefas Babylonem captiui ducti ſunt. Idem de imputatione myſtica dicendũ eſt, ratione cuius ſicut fides Abrahami fidelibus & in Gentilibus ab eo propagatione naturali non prognatis imputata eſt, ita & peccatum Adami in omnes per imputationem deſcendit, etſi ab illo per propagationem naturalem non ſint. Neque hoc eſſe neceſſarium ſuadet exemplo mundi totius, cui peccatum Adami æquè imputatum eſt. Terra enim fuit maledicta propter peccatum Adami, nullus autem dixerit mundũ orinndum, aut natum eſſe ex ſemine Adam.

Verum huiuſmodi effugium, facile erit, præcludere. Aliud namque eſt, vt benè Pythius notauit, alteri alterius peccatũ imputari, aliud vnũ in alio peccare. Iudæi ergo propter Dauidis puniuntur peccatum, illis regis imputatur nefas, ſed quis dicet Iudæos peccaſſe in Dauid, ſicut in Adã omnes homines? ad imputationem,

nem, & vt quis luat alterius pœnas ſufficit aliqua vnio Politica, & non neceſsè eſt ab eodem ſeminali propagatione deſcendere, quod indiſpēſabile eſt, vt dicatur vnum in alio peccare. Ab Adamo autem vſque ad nos nulla generatio fuit naturalis, qua Patris peccatum in filium traduceretur: vt filius in ſuo patre commiſiſſe idem dicatur peccatum, quamvis ſæpius in hac vita paterni peccati luere pœnas contingat, in Dei tamen iudicio iniquitatem patris non feret filius, ſed anima quæ peccauerit ipſa morietur, vt Ezech. cap. 28. De quo & alijs exemplis allatis dicemus, Geneſ. cap. 9. Qui ergo in Adamo peccare dicuntur, oriundi ex Adam intelligi debent, ſicut Leui dicendus eſt ex Abraham oriundus, quia in Abraham decimatus eſt. Per quod patet ad maledictionem terræ. Hæc enim non dicitur peccare in Adam, ſed propter illius peccatum maledictione puniri, quæ longiſsimè diſtant. Terra maledicitur, vt magis puniatur Adam, quia ſicut fecunditas ante peccatum beatitudinem primi ſtatus augebat Adam orta terræ ex conditoris benedictione, ita ſterilitas, quæ ex maledictione aduenerat terræ vna erat ex pœnis quam paſſurus erat propter peccatum. Addit peccatum Adami omnibus imputari, ſicut fides omnibus etiam eius non poſteris; ſed quis non videt errorē? Fides Abrahami ex Abraham non eſt, ſed ex Deo, vti fides omnium fidelium, quæ neque præteritis, neque præſentibus, neque futuris imputari potuit, vt male ipſe tradit. Non pater dicitur fidelium Abrahamus, qua ratione omnium hominum Adam iuſtus ex fide ſua viuit inquit Hab. 2. non ex Abrahami fide imputata.

§. III.

Exponitur D. Paulus ad Roman. cap. 5. v. 13.

TEſtimoniū Pauli, quod difficile eſt, longiſsimè Præadamitæ ab eſt ab intelligentia, ſic ergo exponendū iudico Paulum cum Pythio in ſua reſponſione Exeſtatica. Et imprimis hoc tempore Apoſtoli, vt ſibi perſuaſit Pythius in Eccleſia aliqui erant, quibus (vt inquit ille) peccatum ex Adamo quidem ortum, ſed vſque ad Moſem imputatum non videretur, quia non rectè intelligebant quid eſſet peccati imputatio: neque pro lege habuiſſe, quæcumque præcepta ſcriptis non eſſent conſignata. Vnde Moſis Dei digito conſcripta lex, miraculiſque & ſignis cęleſtibus authorata: à plurimis pro ſola lege fuit habita. Contra hos ergo omnes, vt probet Paulus ante legem Moſaicam in mundum peccatū intraſſe, inquit, v. 13. *Nam vſque ad legem peccatum erat in mundo*, & vlterius progreditur, *peccatum vero nō imputabatur non exiſtente lege*. Vt conuincat ante legem ſcriptam, quæ abſolutè vocatur lex, tamquam analogi principalis ſignificatum, fuiſſe aliam legem, ex cuius tranſgreſsione peccatum intrauit in mundum, ſic cōponit diſcurſum. Peccatum non imputatur non exiſtente lege, ſed ante legem ſcriptam, non exiſtebat lex, nō ergo peccatum. Prima propoſitione ad Roman. 4. lumini nota ſuppoſita, ſecundam ſuadet propoſitionem, in v. 12. *Et per peccatum mors: & ita in omnes homines mors peruaſit*. Vbicūque enim mors eſt, imputatio peccati eſt, quia vt inquit Paulus ad Roman. 6. ſtipendium peccati mors eſt.

Ex quibus ſic declaratur Apoſtolus v. 12. 13. & 14. ad Roman. cap. 5.

Ori-

originem vniuersalis miseriæ exponit v. 12. ibi: *Per vnum hominem in mundum peccatum intrauit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccauerunt*, ideſt, in mundum à Deo creatum immaculatum, vbi omnia erant valde bona ab ipso creatore laudata, per vnum hominem peccatũ omnium vitiorum fontem intrasse affirmat ex transgressione primi præcepti, *& per peccatum mors* ex illo vnius hominis peccato ortum mortis deducit, & vbi mors nulla erat, ipsam mortem ingressam per vnius illius præcepti violationem. *Et ita in omnes homines mors peruasit*, ideſt, non solum se mortalem, sed omnes ex eius lumbis descensuros, vt culpæ eidem succumberent, & pœnæ mortis, effeciſſe. Quod exprimit, ibi: *In quo omnes peccauerunt*, versu 13. *Nam vsque legem peccatum erat in mundo.* Hic iam docere aggreditur, non per Mosis legem peccatum imputari cæpisse, sed antea per peccatum primi parentis ex violatione præcepti, quæ quædam lex particularis appellari potest, in mundum intrasse. Vnde durante illo tempore ab Adamo primo homine ad Mosis vsque legem peccatum iam erat in mundo. Nam peccatum illud idem, quod per vnum hominem intrauit in mundum erat in mundo vsque ad legem. *Peccatum vero non imputabatur non existente lege.* Ex hoc probat aliam præcesisse legem, ex cuius transgressione per vnum illum hominem peccatum intrauit in mundũ, quia mors imputati peccati certissimum signum est: *Regnauit autem mors ab Adamo vsque ad Mosem: in eos etiam qui non peccauerant ad similitudinem transgressionis Adami*, ideſt, quia transgressio Adami fuit peccatum personale, in posteris peccatum originatum, & solum in capite voluntarium. De quo plura scholastici.

His obstare videtur Paul. ad Roman. 7. qui sine Mosis lege se non recognouisse peccatum inquit: *Cupiditatem non nossem nisi lex dixisset. Nõ concupisces.* Verum Apostolus, ibi, non respicit ipsum peccatum, quasi remissius antea fuerit, qualitate, & natura; sed sensum peccantis, & ipsius conscientiam. Perpetrent duo, vnum idemque natura peccatum, hunc poterit magis stimulare maleficij conscientia, quam illum. Lex itaque conscripta sensibile nobis magis peccatũ fecit. Ideo subdit Apostolus. *Sed peccatum, occasione per illud mandatum sumpta, effecit in me omnem cupiditatem.* Quare omnes aliæ leges tàm Adamo, quàm Noe datæ, præ lumine Mosis legis tenebræ dici possunt, sicut & illa quoad cæremonialia præ lege nostra Euangelica.

D. Thomas sic Paulum exponit. Dictũ est, quod omnes peccauerunt in Adam, quia nec etiam lex peccatũ abstulit. Vsque ad legem, ideſt, etiã sub lege, vt ly vsque teneatur inclusiuè. Peccatum erat in mundo, quod quidem potest intelligi de lege naturæ, & de lege Mosis, similiter de peccato originali, & de peccato actuali. Peccatum enim originale erat in paruulo vsque ad legem naturæ, ideſt, vsque ad vsum rationis per quẽ homo huiusmodi leges aduertit, iuxta illud: *In peccatis concepit me mater mea.* Nec tamen cessat hoc peccatum lege naturali adueniente in homine, sed magis exercescit per additionem peccati actualis, quia vt dicitur Eccles. 7. *Non est homo iustus in terra, qui faciat bonum.* Sed si intelligamus de lege Mosis, tunc quod dicitur peccatum fuisse in mundo vsque ad legem, potest intelligi non solum de originali, sed etiam actuali: quia ante legem & sub lege peccatum vtrumque permansit, Prouerb. 20. *Quis potest dicere mundum est cor meum?* Quamvis autem lex peccatum

carũ non auferret, peccati tamen cognitionem fecit, quod antea non cognoſcebatur. Vnde ſubdit. *Peccatum non imputabatur.* Quod quidem planum eſt ſi intelligatur de lege naturali. Quamvis enim peccatum originale ſit in paruulo ante legem naturalem, & reputetur ei à Deo, non tamen imputatur ei apud homines. Si autem intelligatur de lege Moſis, planum eſt quantum ad aliqua peccata actualia, quod non imputabantur ante legem, ſicut illa quæ ſpecialiter ſunt per legem prohibita, quæ homines peccata non reputabant, ſicut quod dicitur Exod. 20. *Non concupiſces.* Imputabantur tamen quædam peccata prout erant contra legem naturæ. Vnde, & Geneſ. 39. Ioſeph legitur in carcerem miſſus propter adulterium imputatum. Conſequenter agit de morte dicens. Quamvis peccata ante legem non imputarentur, tamen mors, ſcilicet, ſpiritualis, ideſt, peccatum, & æterna damnatio, de qua dicitur in Pſal. *Mors peccatorum,* peſsima, regnauit, ideſt, poteſtatem ſuam exercuit in homines, ducendo eos in damnationem ab Adam, per quem peccatum intrauit in mundum, vſque ad Moſem, ſub quo data eſt lex. Ioann. 1. lex per Moſem data eſt non ſolum in eos, qui peccauerunt actualiter, ſed etiam in eos qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, qui actualiter peccauit, Oſeæ 6. *Ipſi autem ſicut Adam tranſgreſſi ſunt peccatum,* vſque ibi: *Præuaricati ſunt in me,* quia etiam pueri damnationem incurrebant. Poteſt etiam & ſub hoc ſenſu intelligi de morte corporali, per quã manifeſtatur peccatum fuiſſe etiam cum non imputabatur, quaſi dicat: peccatum autem non imputabatur ante legẽ: ſed ex hoc deprehenditur fuiſſe, quia regnauit mors, ſcilicet, corporalis. Primo quidem aliquas paſsiones inducendo, puta famem, ſitim, & ægritudinem, & tandem totaliter diſſoluendo, etiam in eos qui nõ peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, ideſt, in pueros, qui non peccauerunt actualiter, quoniã etiam mortem corporalẽ Chriſti antea, & poſtea patiuntur, ſecundũ illud Pſal. *Quis eſt homo qui viuit, & non videbit mortem?* Hæc D. Th.

D. Ambroſ. apud Angel, Præceptorem, aliam tradit expoſitionẽ. Pauli verba de peccato ſolum actuali, & de Moſis lege intelligit. ¶ Et ſecundum eundem inducũtur hæc verba, ad manifeſtandum quod per primum parentem peccatum in hunc mũdum intrauit, & in omnes tranſiuit, vſque enim ad legem, ideſt, ante legem Moſis, peccatum erat in mundo, ſcilicet, actuale. Homines enim multipliciter peccabant cõtra legem naturæ. Vnde dicitur Geneſ. 13. *Homines Sodomitæ peſsimi erant.* Peccatũ autẽ non imputabatur, cum lex non eſſet, quod eſt intelligendũ, nõ quia imputaretur quaſi puniẽdũ apud homines, cum quidã legantur ante legẽ puniti ab hominibus pro delictis, vt patet Gen. 39. & 40. ſed non imputabatur, quaſi a Deo puniendũ. Tunc enim nõ credebãt homines, quod Deus humana facta vel puniret, vel premiaret ſecundũ illud Ioa. 22. *Circa cardines cæli perambulat, nec noſtra conſiderat.* Sed poſtea lege diuinitus data innotuit, quod peccata imputantur à Deo ad pœnã, & nõ ſolum ab hominibus. Sed mors, ideſt, peccatũ regnauit, ideſt, omnimodã ſuã poteſtatẽ exercuit ab Adam vſque ad Moſem excluſiuè. Nam per Moſem data eſt lex, quæ cæpit peccati regnum diminuere incutiens timorẽ diuini iudicij, ſecundũ illud Deut. 5. *Quis det eos talẽ habere mentẽ, & timeant me, & cuſtodiant vniuerſa mãdata mea?* Regnauit peccatum vſque ad Moſem non tamen in omnes, ſed in eos qui peccauerunt

in ſimilitudinem præuaricationis Adæ. Dixit enim Ambr. in libris antiquis non inueniri hanc negationem, *Non*. Vnde credit à corruptoribus appoſitum. Adam quidem magis credidit promiſsionibus Diaboli, quam commonitioni diuinæ, vt patet Gen. 2. & ita quoddammodo Diabolum prætulit Deo. Sic igitur in ſimilitudinem præuaricationis Adæ, præuaricantur idolatræ, qui relicto Dei cultu, Diabolum colunt. In tales ergo mors, id eſt, peccatum totaliter regnauit: quia eos omnino poſſedit. Fuerũt ergo ante Moſis legẽ homines Dei cultores, qui etſi peccarent, non tamen in eis peccatum regnabat, quia non totaliter eos à Deo ſeparabat, ſed peccabãt ſub Deo, id eſt, ſub fide vnius Dei, etiã ſi peccarent mortaliter, vel ſub charitate Dei, cum peccabant venialiter. ¶

Tertiam expoſitionem addit D. Thomas, quã magis genuinã litteræ D. Pauli exiſtimauit. ¶ Dixerat enim Apoſtolus, quod per vnum hominem peccatum in hunc mundũ intrauit, & quia peccatũ eſt trãſgreſsio legis diuinæ, poſſet alicui videri, quod hoc non eſſet verum, quantum ad tempus ante legem, præſertim cũ ſupr. cap. 4. dixerit: *Vbi non eſt lex, nec præuaricatio*. Et ideò poſſet aliquis credere, quod non per vnũ hominẽ, peccatum in mundum intrauit, ſed magis per legem. Et ideò ad hoc excludendũ dicit, quòd vſque ad legem, id eſt, tẽpus ante legem peccatũ erat in mundo, & originale & actuale, non tamen erat peccatum cognitũ præſertim quaſi à Deo puniendũ. Et hoc eſt, quod ſubdit: *Peccatum autem non imputabatur*, ſcilicet, quaſi contra Deũ exiſtẽs, cum lex ſcilicet, diuinitus data non eſſet. Fuerunt enim aliqui, vt dicit Philoſophus in 5. Ethic. qui crediderunt, quod nihil eſt iuſtũ naturaliter, & per conſequens nec iniuſtum, ſed per ſolam poſitionem legis humanæ. Et ſecundũ hoc non imputabatur aliquod peccatum, quaſi contra Deũ exiſtens, & præcipuè peccatũ originale, id eſt, non cognoſcebatur. Sed quod iſta reputatio hominũ eſſet falſa, oſtẽditur per effectũ, quia mors corporalis regnauit ab Adam, per quẽ intrauit peccatũ originale in mundum vſque ad Moſem, ſub quo data fuit lex, & ita cum mors ſit effectus peccati præcipuè originalis, manifeſtũ eſt, quod ante legẽ fuit peccatũ originale in mũdo. Et ne aliquis dicat, quod moriebãtur propter peccata actualia, ad hoc excludendũ dicit, quod regnauit etiã in eos, qui non peccauerant proprio actu, ſcilicet, pueros, & etiam iniuſtos qui non peccauerunt mortaliter, qui tamen peccauerunt in primo homine. Et ideò ſubdit. in ſimilitudine præuaricationis Adæ, in quantum ſimilitudinem illius peccati traxerunt per originem ſimul cum ſimilitudine naturæ. Quod moriebantur abſque proprio peccato, demonſtrat quod in eis erat diffuſa ſimilitudo peccati Adæ per originẽ. Et hoc eſt, quod Apoſtolus manifeſtare intendit, ſcilicet, quod per Adam primum parentem peccatum originale in mundum intrauit.

EX GENES. *Cap.* 4.

Geneſ. cap. 4. dicitur omnis qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur, & de Lamech Cain interficiente à caſu, & in conſulto dicitur in calce capitis maiores pœnas daturum.

Deut. 25. Pro menſura peccati debet eſſe, & plagarum modus.

§. I.

Refertur prima sententia, & repelluntur Burgensis, & Oleaster cum Rabbinis.

MOSES Gerund. Thuring. & Burgensis, Cainum non fuisse interfectum, neque cap. 4. Genes. haberi, quod fuerit à Lamecho occisus, sed quod solum fuerit vsque ad diluuium punitus, in quo iuxta Hebræos Cain, & tota eius posteritas perijt, existimarunt. Ideo Scriptura quoto tempore vixerit nũquam refert, Deus autẽ ab occisione voluit tueri Cain, vt pœna sui facinoris diuturnius ab omnibus perciperetur, quã si modicũ duraſſet sub ea, sicut vagum per mundum discurrere voluit, vt non solum in vno loco, seù regione, sed in varijs iustitia Dei erga ipsum ostenderetur, iuxta illud Psal. 58. *Ne occidas eos, ne forte obliuiscãtur populi mei, sed amone eos in virtute tua, & disperge eos.* Et fundamentũ in ipsa sponsione diuina radices habet, cũ enim Cain Deo dixisset. *Omnis qui inuenerit me occidet me.* Deus respondet. *Nequaquam ita fiet.* Vnde non videtur rationabiliter dictum quod assertio diuina frustaretur. Idem sensit Oleaster, qui ad communem opinionem conuellendã, eo præcipuè nititur, quod scilicet si Lamech occidit Cainum, oporteret iuxta verbum Dei ipsum Lamechum septies punitum esse, quod non legimus contigisse.

Verum diluuio summersum Cainum, tàm falsum est, quam inauditum aliquem illis temporibus ad 1656. annum, vitam produxisse. Illum sub hæc tempora à Lamecho interfectum satis indicat Scriptura, quæ ea de causa Caini posteritatem commemorat, vt vltio de eo sumpta intelligatur. Neque ita certum est Deum absolutè promisisse, fore vt non occideretur, cum potius oppositum indicent verba diuina, sed solum promisit Deus, fore vt nemo sciens, & prudens eum occideret, & ideò ei fuit appositum signum, non autem vt à nullo inscio occideretur, maximè cum imprudentibus, & inscijs signum esse non posset. Neque obstat, quod numquam legamus Lamechum ob necem Caini septuplum fuisse punitum, non enim omnia in Sacra Scriptura habentur. Præter quam quod, non leuis est pœna, infamia, & reatus gemini homicidij, quorum altero, & senex, & progenitor; altero, & filius Tubalcain (vt volunt Hebræi) fuerit interfectus. Quod si ipse cum vxoribus, & septuaginta filijs aquis diluuij obrutus fuit, criminum nõ exiguam pœnam exsoluit, vel vt sentit Iosephus septuagies septies.

§. II.

Reijcitur expositio Rabbinorum.

SIC explicãt difficultatem præsentem plures Rabbini. Lamech qui vigamiam introduxerat, in vxoribus fuit punitus, quia per quæ quis peccat, per hæc & torqueretur, & ideò iam senex factus à suis mulieribus male tractabatur, & volens earum impetum in ipsum reprimere, dixit: *Quoniam occidi virum* ad cuius intellectum sciendum, quod Lamech iam cæcutiens petijt causa venationis in agrum ductus à puero propter pelles animalium, quibus induebatur, & Cainum inter frutesta latentem, quia semper timebat, feram puer suspicatus, dixit Lamech, vt in illum dirigeret iaculum, quo interfectus est Cain. Videns autem Lamech, tam grauiter deliquisse in occisione Cain sic

verberauit puerum, quoad occiderit eum. Et hoc est quod dicit: *Occidi virum*, ideſt Cain, *in vulnus meum*, ideſt, per liuorem à me ſibi indictum, quia non occiderat eum vulneratione, vel gladio, ſed per ictus graues ſine ſanguinis effuſione, qui carnē ſub cute nigreſcere faciunt. Cum dicitur de *Lamech vero ſeptuagies ſepties*, intelligitur, ideſt, multo grauius punietur qui occiderit Lameth, ac ſi diceret vxoribus ſuis. Quare me tantum affligitis, quia ſi per iſtam afflictionem moriar, maiorem pœnam incurretis.

Verum iſta expoſitio ſuſtineri nō poteſt. abſurdum enim eſt Lamechū tam ſenem fuiſſe, vt eius oculi caligarent, & illi opus eſſe directore in vulnus ſagittæ. Quæ enim in venatione tam dira cupido hominē impellat decrepitū venatorijs accingi telis, quæ, quo dirigenda ſint, non videt? Neque tam ſenex videri poteſt, qui Henocho ſuppar erat ætate, qui 66. dumtaxat agebat annū. Secundo, quia non videtur veriſimile, quod vir ille ſic à duabus mulieribus affligeretur. Tertio, quia iam Lamech plures genuerat filios, qui non ſunt credendi parentis videre afflictionem, & ipſum à moleſtijs vxorum non liberare.

§. III.

Ruperti, & Hieronymi referuntur expoſitiones.

HIeronymus ſentit de Lamech dari ſeptuagies ſepties vltionē, nō quia occiderit Cainū, ſed propter bigamiam, quā primus inuenit in mundo. ¶ Primus Lamech ſanguinarius (inquit) atque homicida, vnam carnē in duas diuiſit vxores, fratricidiū & vigamiam eadem cataclyſmi pœna deleuit, & de altero ſepties vindicatū eſt, tantum diſtat in numero, tantū & in crimine. ¶ Contra eandem Lamechi polygamiā inſurgit Nicolaus Primus Pontifex ſcribens ad Lotharū Regem polygamiæ reum. ¶ An non (inquit) diſtricta vltione ferendus eſt, qui in duabus vxoribus adulteriū Lamech, & flagitiū imitatus eſſe dignoſceris? quod Dominus non niſi poſt ſeptuaginta ſeptem generationes ſub ſalutifero aduentu deleuit, cum Cain fratricidium ſeptima generatione aquis abolitum ſit cataclyſmi. ¶

Rupertus, ¶ videtur ſecundū numeri quantitatē plus eſſe, ſeptuagies ſepties vltio dabitur, quā ſeptuplum punietur. Sed profectō minus eſt, non enim quantitas vtriuſque numeri, ſed natura hic attendenda eſt. Hoc ergo ſeptenarius, & ſeptuageſimus ſeptimus differunt quod ſeptenarius incompoſitus, & propterea inſolubilis habetur. Nam ſeptenarius præter vnitatem nullus metitur numerus, ſeptuageſimi ſeptimi vero & ſeptenarius, & vndenarius menſores ſunt. Cum igitur dicit Deus. *Qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur*, inſolubilis pœna debet intelligi, & ſubaudiri oportet, niſi præcedens pœnitentia ſolubile, ideſt, remiſsibile peccatum fecerit. Cum autē dicit Lamech, ſepties vindicta dabitur de Cain, de Lamech vero ſeptuagies ſepties inſolubilis vindicta Lamech debet intelligi. Et rectè, quia Cain pœnitentiam non egit, ipſe verò Lamech pœnitentiā egit, quia peccatum ſuum confitetur. ¶

§. IV.

Conciliatur antilogia.

IGITVR tamquam irrationabile negandum eſt, Lamechum interficientem Cainum grauius deliquiſſe, quam ipſum Cain innocentem ſponte occidentem, & conſulto, ideòque immeritò maiores luere pœnas. Hoc poſito aſſentior

D. Hieron. epist. ad Damas. Rabbàno, Strab. Commest. Lyran. Caietan. Delrio, & Saliano, quod Lamech occiderit Cain à casu, & non ex consulto, videntes autem vxores eius Caini necem, quam sub graui pœna Dominus prohibuerat, timentes probabiliter, ne proles ab eo genita grauiter punienda foret, refugiebant concubere cum Lamech, volens autem ipsas allicere, & timorem illarum repellere, sic se excusabat dicens: *Vltio dabitur de Cain*, ac si diceret, Cain qui fuit pessimus, non fuit interfectus nisi vsque ad septimam generationem, in fine septem generationum, (Cain enim post multas miseria interfectus est, quia ab Adam vsque ad Lamech sunt sex generationes, & ipse Lamech, qui iam genuerat filios, septimam componit generationē,) multo fortius ego qui leuiter peccaui, non puniar in prole mea, nisi vsque ad plures generationes, imò & vsque in generationes sine termino: *Idem enim valet septuagies septies.* Obuius enim est in Scriptura modus iste loquendi. Matth. cap. 18. *Non dico tibi vsque septies, sed vsque septuagies septies, ideſt, toties quoties sine numero determinato.*

Genes. 4. v. vlt. Enos, iste cæpit inuocare nomen Domini.

Genes. cap. 4. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, Adam etiam inuocauit nomen Domini.

---

§. I.

Referuntur variæ lectiones, & Rabbinorum reijcitur expositio, quæritur origo idololatriæ.

SEptuaginta sic verterunt locum nostrum. *Iste sperauit inuocare nomen Domini Dei*, ideſt, sperauit per inuocationem Dei se malis, & periculis omnibus liberandum. In Hebræo, *tunc cæptum est inuocare in nomine Domini.* Onchelos in Chaldæa Paraphasi in contrarium vertit sensum: *Tunc in diebus eius incepeperunt filij hominum, vt non orarent in nomine Domini*, varietas lectionum harum originē ducit ex ambigua voce Hebræa *Huchal*, quæ vt demonstrat Oleaster, tria significat, polluere, seu profanare, tum occidere, & incipere. De idololatria ergo locum intelligunt Rabbini, eo quod tunc pollui, & profanari incepe rit nomē Domini, & adorari ceperint Sol, & Luna à filijs Caini, Enos patriarchæ coætaneis. Innuere videtur ipsum nomē Enos, quia Euseb. in Præ. Euang. vocem Enos ab obliuione educit: *Enos*, ideſt, *immemorē* vertit, quod homini obliuio, & imperitia cōtingat ex contagio terreni corporis. Et probat ex illo Psal. 85: *Quid est homo, quod memor est eius?* vbi in Hebræo legitur *Enos*. Vnde vocatur *Enos*, propter id quod versu sequēti dicitur, quia tunc inceperit Dei cultus specialis obliuio, & nominis diuini profanatio, atque lachrymabilis pollutio. Parētes enim tēpore Patriarcharū nomina filijs ex aliquo illorū singulari facto imponebāt, vt Phaleg sic nominatus, quia eius natiuitate acciderit terræ diuisio. Ista est communis Hebræorum sententia, & præcipuè Dauid Kimhi.

Verum qui Onchelos paraphraste sunt nixi, & tempore Enos inue-

ctam in mundum idolatriam putarunt, faciliter refelluntur D. Cyrillus Alexand. lib. 1. contra Iuli III. homines omnes qui ab Adam vſque ad Noe fuere, vnicum Deum vniuerſorum conditorem colere ſentit, & nullum alienis deditum fuiſſe Dijs. Irenæus lib. 5. cap. 29. Tertul. lib. de idol. cap. 4. idé pluries. Herodotus Ægyptios omnium primos Dijs aras, & delubra ſtatuiſſe, & ab illis Græcos fuiſſe mutuatos refert. D. Fulgent. lib. 1. Mith. idoli inuentionem in Syrophanem Ægyptium, qui filij ſui ſimulacrum collocauit in doloris ſolatium, retulit. Hyginus Fab. 274. à Prometheo duxit originem. Sed hæc omnia diluuium præceſſerunt. Beroſus Ninum fuiſſe authorem idololatriæ primum. De quo Hieron. in Oſe, Ninus Rex Aſsyriorum aduerſus Zoroaſtem Magum, Regem Bactrianorum forti certamine dimicauit, & in tantam peruenit gloriam, vt patrem ſuum referret in Deum, qui Hæbraicè dicitur Bel-bel.

Iuſtinus Martir exiſtimare videtur Protoparentes paradiſo eiectos, quia Deos crederent qui non eſſent; Deorumque nomen poſteris tradidiſſent. Quod repetit etiam Amb. lib. de Parad. cap. 3. Qui autem (inquit) ſunt, qui contempto Deo peccauerunt? niſi qui neglecto creatore ſeruierunt creaturæ Deos ſibi conſtituentes quos colerent ad iniuriam Dei? Nam & Thare pater Abrahæ, & Nachor, & Laban proprios Deos ſibi vendicabant, & peccatum Adæ nõ longè eſt ab idolatria, præuaricauit enim putans ſe hominem futurum Deum. Æſtimauit enim hoc magis profuturum, quod diabolus ſuaſit, quam quod Deus iuſsit, in loco Dei diabolum ſtatuens: vnde & ſubiectus eſt diabolo. ¶ Eodem ſenſu loquitur Clemens lib. 2. Rec. Theoph. Ant. 2. ad Antholium, Epiphan. lib. 1. de Her. Verum quis non videat, ſanctos Patres locutos non de riguroſa idololatria, qualis eſt exterior, quæ ab arte ſtatuaria, plaſtica, ſculptura, & pictura originem ducit, ſed de ſola idololatria interiori, quæ communis eſt cuilibet præuaricationi, & peccato, in quo auerſio ab vltimo fine diuino, & iniuſta conuerſio ad creaturam à Theologis recognoſcitur. Idololatriam igitur Noetico diluuio eſſe iuniorem probat D. Thomas 2. 2. q. 94. art. 4. propter recentem mundi creationis memoriam, ex qua adhuc vigebat cognitio vnius Dei in hominum mente. Conſtat ſimiliter diluuio antiquiorem non eſſe, quoniam ſi hoc vigeret inter homines delictum diluuio puniendum eſſet tanquam grauiſſimum omnium, peccatis autem ſenſualitatis Deum offenſum, & propter huiuſmodi ſcelera mundum aquis ſummerſum, illis verbis: *Omnis caro corruperat viam ſuam* indicat Scriptura, & omnes eius expoſitores.

Opponitur locus Sap. cap. 14. ibi: *Acerbo enim luctu dolens pater, cito ſibi raptiſ filij fecit imaginem, & illum, qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cæpit, & conſtituit inter ſeruos ſuos ſacra, & ſacrificia.* Deinde interueniente tempore, conualeſcente iniqua conſuetudine hic error tanquam lex cuſtoditus eſt, & tyranorum imperio colebantur figmenta. Verum Salomon, author Sapientiæ libri, vt inquit Euſeb. lib. 4. Hiſt. cap. 22. Egeſippus, Irenæus, & omnium antiquorum chorus, hoc refert, ſed ex illo nõ conſtat, an id quod tradidit, diluuiũ præceſſerit, cum ſimilem hiſtoriam Fulgentius retulit vbi ſupra, & ad tempora poſt diluuium ſit reducenda. Neque quæ Matthias Turingius in Burgenſem congerit & D. Thomã, quid roboris habent, ait enim infirmam D. Thomæ rationem. Quoniam ſi memoria recens creationis per mille & ſexcentos annos idololatriã

ex-

excluſit, memoria ſeueræ punitionis per diluuium, debuit eam repellere per plures annos, pœnam enim homines meminerunt potius quam beneficiũ, vt lucet in exitu Iſrael de Ægypto, cuius beneficij breuiſsimè oblicti vitulo thus obtulerunt.

Verum licet infirma ratione probaretur, tunc non viguiſſe idololatriam, non ideo conuinceretur illis temporibus impietatem illã cæpiſſe. Præterquam quod, mundi productio, & omnium creaturarum plenius loquitur creatorem, quam diluuium, cũ illæ permaneant (inquit Salianus) earumque teſtimonium lumine naturæ confirmetur: nihilque apud homines frequentius decantantum illa ætate primæua quam mundi creatio. At diluuium citò præterijt, & ſecum abſtulit eos, qui pœnæ memores eſſe poſſent, reliqnit aliquos, qui beneficij conſeruationis facilius oblicti ſunt, facta maiori, quam ante diluuiũ, hominum per totum orbem diſperſione. Quo pertinet illud Lactantij, fontem erroris, Dei obliuionem eſſe.

Caietanus in explicatione huius loci exiſtimat Deum antea inuocatũ fuiſſe: E nos autem fuiſſe primum, qui cæperit illum colere ſub nomine *Iehoua*, quod tanquã ineffabile ſilentio ſumma veneratione colunt. Non diſtat ab hac expoſitione Rupertus. ¶ Enos (inquit) dictum cæpiſſe inuocare nomen Domini, qui creatorem Deum cum hoc ipſo nomine, quod eſt Dominus, primus inuocauit. Sed nomen Iehoua primũ reuelatũ eſt Moſi, vt indicatur Exod. cap. 6. *Nomẽ meũ Adonai non indicaui eis*, vbi in Hebræo legitur *Iehoua*. ¶

§. II.

Conciliatur antilogia.

GEnebrardus in Chron. aſſerit, quando tempore Enos nominatim legitur cæptum inuocari nomen Domini, ſolemnior quidam cultus inſtitutus ſignificatur, alioquin Adam, Cain, Abel, Seth ſimplicem ſacrificandi ritum vſurpauerant, Simplex enim huius loci ſententia pendet è ſuperioribus. Interea dum Cain & eius ſoboles fundendis metallis, ducendis multis vxoribus, ædificandis vrbibus, & tentorijs, cæteris rebꝰ mæchanicis, & huius vitæ excogitandis intenderent (nam hæc toto contextu præceſſerunt) Enos natus eſt Seth, qui cæpit inuocare nomen Domini, ideſt, Enos tantum opus poſuit in amplificando diuino cultu, quantũ laboris inſumebant iſti in rebus caducis, ſeſe planè dedens religioni, & excogitans ſolemnem inuocandi Dei ritum adiecto animo ad ſuperiorem, & digniorem vitam. Pulchra antitheſis. Iſti excogitabant res ad hãc vitam vtiles, ille ad futuram. Ideo igitur Enos dicitur cæpiſſe inuocare nomen Domini, quia maiori ſtudio id fecerit & pietate (illuſtrat Salianus) ſicut Noe dicitur cæpiſſe exercere terram, quia maiori, quam ante ſtudio atque induſtria feciſſet, vnde ſubditur plãtaſſe vineam. Nembroth dicitur ipſe cæpit eſſe potens in terra etſi potentes fuiſſent gigantes ante diluuium, quia ipſe ingenioſius cæpit exercere tyranidem poſt diluuium. In diebus Iehu cæpit tædere Dominus ſuper Iſrael 2. Reg. 15. quando ſcilicet is, qui aſſumptus fuerat ad ruinã Achab, & idolorum eius, cæpit & ipſe idola colere, ſed iam pridem pœnituerat Dominum, quod conſtituiſſet Saulem Regem. Et apud Samuelẽ ex huiuſmodi tædio querebatur: *Non enim te abijecerunt, ſed me; ne regnem ſuper eos.* Sic ergo Enos dicitur cæpiſſe inuocare nomen Dei, id eſt, palam colere ſeù excellentius, quam vulgus ſoleret, prædicando, vel certas cæremonias, & precũ formulas adhibendo ex inſtitutione patris ſui,

ſui. Plenius explicat huiuſmodi concordiam Iacobus Bolduc. ¶ Quemadmodum (inquit) Sethi pater Adã ſuos ſpirituales filios habuit omnes veri Dei cultores, quos appellauit Nephilim, & iſti ſtatum fidelium ſæcularium repræſentabant', ita Seth filius eius ſtatum Eccleſiaſticorum inſtituit, quos generali nomine denominauit filiorum Dei, ſicut poſtea filius eius Enos monaſticæ vitæ fundamenta poſuit, cuius ſectatores, & profeſſores, ab eius nomine Enoſcæi ſunt appellati. ¶ Hæc ille, qui alibi id nomen in Eſſenos ait deflexiſſe, quos viros religioſos fuiſſe teſtantur Philo, & Ioſephus.

Secundo explicari poteſt, & in concordiam variæ lectiones adduci. Cum dicitur Enos incipere inuocare nomen Domini, filij etiam Cain, & genus Seth cæpere deflectere à via veritatis, vitijs dediti, ſerui abiectiſsimi ſuæ ſenſualitatis, vt innuit illud: *Videntes filij Dei filias hominum.* Vnde dictus eſt Enos, nõ ex illo quod ipſe fecit, ſed ab eo, quod alios feciſſe intelligimus, quia cum alios Dei immemores ſuo appetitui ſeruientes videret, incenſus diuino amore, veri Dei cultui ſe totum dedit ab alijs ſingulariter diuiſus. Quo magis quippè creuerint deprauati mores, & homines oppreſſerit iniuſtitia, in pijs, & fidelibus accenditur pietatis, atque iuſtitiæ integritas & ſtudium. Sicut Abraham dicitur pater credentium, nõ quod primus crediderit, ſed quia tot inter infideles ipſe fidei ſuæ illuſtre reliquit exemplum. Sic Enos incæpit inuocare nomen Domini, non quia primus, ſed cum fere nullus eſſet, qui viam veritatis eligeret (delicta & ſcelera plurima hominibus tunc impono, ſed non idololatriam illa ætate) ipſe ab alijs diuiſus ad pietatem magis accendebatur. Vide Hieron. ſuper epiſt. ad Gal. cap. 3. lib. 1.

Ex cap. 4. Geneſ. Cain cognouit vxorem ſuam, & peperit Henoch, ſolum illi fuerunt duo parentes, & filius.

Ibid. *Ædificauit ciuitatẽ, & vocauit nomẽ eius ex nomine filij ſui Henoch, ciuitatem autem multitudo conſtituit.*

S. Auguſtin. lib. 18. de ciuit. Dei, cap. 8. huiuſmodi antilogiam duplici concordia componit. ¶ Defendenda mihi (inquit) videtur hiſtoria, ne ſit Scriptura incredibilis, quæ dicit ædificatam ab vno homine ciuitatem, eo tempore, quo non pluſquam viri quatuor, vel potius tres, poſtea quam fratrem occidit, fuiſſe videntur in terra, ideſt. primus hominum pater omnium, & ipſe Cain, & eius filius Enoch, ex cuius nomine ipſa ciuitas nuncupata eſt. Sed hoc quos mouet, parum conſiderant, non omnes homines, qui tunc eſſe potuerunt, ſcriptorem Sacræ huius hiſtoriæ neceſsè habuiſſe nominare, ſed eos ſolos, quos operis ſuſcepti ratio poſtulabat. Propoſitum quippè ſcriptoris illius fuit, per quem Spiritus Sanctus id agebat, per ſucceſsiones cæterarum generationũ ex vno homine propagatarum, peruenire ab Abraham, ac inde ex eius ſemine ad populum Dei, in quo diſtinctio à cæteris gentibus præfiguraretur, & prænuntiarentur omnia, quæ de ciuitate, cuius æternum erit regnum, & de rege eius, eodemque conditore Chriſto, ſpiritu præuidebantur eſſe ventura, ita vt nec de altera ſocietate hominum taceretur, quam terrenam dicimus ciuitatem, quantum ei commemorandæ ſatis eſſet, vt ciuitas Dei etiam ſuæ aduerſariæ comparatione clareſcat. Quod igitur ſcriptum

eſt.

eſt. Et cognouit Cain vxorẽ ſuam, & concipiens peperit Enoch, & erat ædificans ciuitatem in nomine filij ſui Enoc. Non eſt quidem conſequens vt iſtum (intellige Enoch) primum filiũ genuiſſe credatur. Neque hoc ex eo putãdum eſt, cognouiſſe vxorẽ ſuam, quaſi tunc ſe illi primitus concubendo miſcuiſſet. Nam & de ipſo patre omnium Adamo non tunc ſolum hoc dictũ eſt, quando conceptus eſt Cain, quem primogenitum videtur habuiſſe. Et paulo inferius. Nec illud neceſſario argumento eſt, vt primogenitũ patri exiſtimemus Enoch, quod eius nomine ciuitas illa nuncupata eſt. Nõ enim abſre eſt, vt propter aliquã cauſam, cum & alios haberet, diligeret eum pater cæteris amplius. Neque enim & Iudas primogenitus fuit à quo & Iudæa cognominata eſt, & Iudæi. Sed etiam ſi conditori ciuitatis illius iſte filius primus eſt natus, (vide ſecundam ſolutionem) non ideo putandum eſt tunc à patre conditæ ciuitati nomen eius impoſitũ, quando natus eſt, quia nec conſtitui tunc ab vno poterat ciuitas, quæ nihil aliud eſt quam hominum multitudo vno ſocietatis vinculo colligata: ſed cum illius hominis familia tanta numeroſitate creſceret, vt haberet eã populi quantitatem, tunc potuit vtique fieri, vt & conſtitueret, & nomen primogeniti ſui conſtitutæ imponeret ciuitati. Tã longa quippe vita illorum hominum fuit, vt illic memoratur, quorũ & anni taciti non ſunt, qui minimũ vixit ante diluuium, ad ſeptingentos quinquaginta annos peruenire. Nam plures nongentos annos etiam tranſiuerunt, quamvis nemo ad mille peruenerit. Quis itaque dubitauerit, per vnius hominis ætatem tantũ multiplicari potuiſſe genus humanum, vt eſſet vnde conſtitueretur non vna ſed plurimæ ciuitates? Quod ex hoc conijci facilime poteſt, quia ex vno Abraham non multo amplius quadringentis annis numeroſitas Hebrææ gentis tãta procreata eſt, vt inexitu eiuſdem populi ex Ægypto, ſexcenta millia hominũ fuiſſe referantur bellicæ iuuentutis (70. ſolum Ægyptum ingreſsis) vt omittamus gentẽ Idumæorum nõ pertinentem ad populum Iſrael, quã genuit frater eius Eſau nepos Abrahæ, & alias gentes natas ex ſemine ipſius Abrahæ, non per Saram coniugem procreatas. ¶

Geneſ. cap. 5. in die qua creauit hominem, ad ſimilitudinem Dei fecit illum.

Pſal. 70. Quis ſimilis erit Deo? dicit Dauid.

AD imaginem, & ſimilitudinem Dei factus eſt homo ſecundum animã, quæ ſubſtantia ſpiritualis eſt, intellectu, voluntate, & libertate prædita, ſicut Deus. Vnde Auguſt. Hoc (inquit) excellit in homine, quia Deus ad imaginem ſuam hominem fecit, propter hoc quod dedit ei mentem intellectualem, qua præſtat pecoribus. Nam & pecora Deus fecit, ſed non ad imaginem ſuam. Homo ergo Dei ſimilitudo eſt, & imago ſecundũ gradum intelligendi, quo antecedit omnibus animantibus, quibus eſt omnino ratio negata. Relucet in dominio hominis in primis imago diuina, Greg. Nyſenus lib. de opific. hominis. Hominem (inquit) naturæ diuinæ, cuius omnia parent imperio, imaginẽ eſſe, nihil eſſe putandum eſt aliud, quã regium ei decus in ipſa creatione tributum eſſe. Quemadmodum enim more humano, qui. principum imagines faciunt natiua formæ indicia effingnnt,

gunt,atque etiam purpuræ amictu regiam dignitatem exprimunt, eaque deinde ſuis imago numeris abſoluta, ex conſuetudine Rex appellatur. Ita & hominis natura ſic condita,vt reliquorum creatorũ domina eſſet,propter eam,quæ Regem huius vniuerſitatis refert,ſimilitudinem, imagò quaſi viua erecta eſt,cum qua & dignitas,& nomen archetypi communicaretur.

In ſimilitudine etiam diuinarum virtutum relucet Dei imago,& ſimilitudo. Amb. lib. 6. cap. 7. Imago Dei (inquit) virtus eſt,non infirmitas,imago Dei ſapientia eſt,& imago Dei iuſtitia eſt, D. Bern. lib. de gratia,& libero arbitrio,in arbitrij libertate tradidit imaginem Dei eſſe ſitam. Puto (inquit) in his tribus libertatibus (præmiſſerat triplicem conſilij,arbitrij,& complaciti in homine) ipſam, ad quã conditi ſumus,conditoris imaginẽ,atque ſimilitudinẽ contineri, & imaginem quidẽ in libertate arbitrij, in reliquis autem duabus bipartitã quandam conſignari ſimilitudinem Dei. Idem in immortalitate,& immaterialitate.

Hæc ergo,quibus homo accedit ad Deum,hominẽ ad imaginem, & ſimilitudinẽ Dei,non ſecundum vnitatẽ tantum,ſed etiam Trinitatis pluralitatẽ conſtituunt. Nec ideo (inquit D. Auguſt. Epiſt. 102) putanda ſunt hæc tria Trinitati comparata,Sanctiſsimã Trinitatem tribus potentijs hominis memoriæ,intellectui,& voluntati cõparauerat, vt omni ex parte conueniant,cui enim ſimilitudini in diſputando conuenientia tanta cõceditur, vt ei rei, cui adhibenda eſt omni ex parte coaptetur,vel quando ex creatura ad creatorem aliquid ſimile aſſumitur?

Ex his autẽ inferre non licet hominẽ ſimilitudinem Dei, & imaginẽ eſſe,ea æqualitate,qua verbũ diuinũ imago eſt claritatis æternæ. Quoniam homo in gradu intelligendi conuenit cum diuinis perſonis, eſt autẽ imago deficiens à Deo infinitè,& longiſsimè diſtans, ſapientia, exiſtentia,& perfectione quacunque prædituſ fuerit. Verbũ autem diuinũ eſt perfectiſſima imago,eiuſdẽ naturæ,atque ſubſtantiæ cũ patre, illi æqualis ſapientia,bonitate,omnipotentia,infinitate, immenſitate,& æternitate. Videantur Pererius,Delrio,Bonfrerius,& erudite,vt ſolet Petauius,qui omnia, quæ imaginẽ Dei,& ſimilitudinẽ in hominis corpore,& anima, tã ſecundũ naturalia conſtituunt,latiſsime tradidere.

Ex Gen. 6. Videntes Filij Dei filias hominum,quod eſſent pulchræ, acceperunt vxores. Quo iratus eſt Dominus.

D. Paul. ad Rom. 5. Non exiſtente lege non imputatur peccatum,neque culpa huiuſmodi coniunctio non erat prohibita. Deinde qui erant Filij Dei?

---

§ I.

Refelluntur qui de ſpiritus Gem,locũ exponunt.

PLuribus,antiquitate,eruditione, nec non ſanctitate præſtantibus, *filiorum Dei* nomine Angelos Moſem intellexiſſe, communiter tribuitur ſententia,Ioſepho lib. 5. ant. Iuſtino Martyri in priori Apolog. pro Chriſt. Clemẽti Alexãdrino Strom. lib. 3. Tertuliano lib. de habitu mulier. Euſeb. lib. 5. de Præparat. Euang. cap. 4. qui ex eo loco male intellecto, quæ de connubijs cum mulieribus Deorum Poetæ finxere, & de gigantibus

tibus contra Deum bella gerentibus, existimat accepisse, sicut & Iulianus Apostata apud Cyrillum lib. 9. aduersus illum, Lactantio lib. 2. diuin. instit. cap. 15. Verum merito iam hæc exulauit sententia. Si enim libidinis fuisset Angelorum peccatum, hoc primũ esset, quo carceribus inferni retruderentur. Quod absurdum est, quoniam ab exordio mundi ad id vsque temporis fere mille anni fluxerunt, sed alia, ab illis, antiquiora, & in exordio mundi fuisse commissa, constat ex illo Sap. 4. *Inuidia diaboli mortem intrasse in orbem terrarum.* Mors autem statim, peccante Adam, intrauit in mundum. Quin etiam ex Eccles. cap. 10. *Initium omnis peccati esse superbiam*, habetur, indeque colligitur Angeli primum peccatum esse non aliud, quod indicat Isai. capit. 14.

Iamblicus, Plotinus, Porphyrius, Maximus Tyrius, Apuleyus, & quotquot Platonici dogmatis fuerunt, Dœmones corpore aereo constare tradunt, quare voluptate, & dolore pariter esse affectos. In quorum sententia, intelligi de Dœmonum cum mulieribus commixtione à Mose tradita, quis autumare posset. Certissimum autem est corporis expertes dęmones esse, quoniã, præter illa apud Theologos obuia, quibus spirituales esse probantur, indicat expresse Lucas, cap. 4. apud quem, intra hominẽ vnum legionem Dœmonum habitasse, & à Christo Domino expulsos, legimus. Qui autem fieri posset, si materiæ expertes non forent, sex millia Dœmonum intra vnius corpusculi angustias coarctari? Communi ergo sententia ab Ecclesia recepta, & Lateranensis Concilij Magni auctoritate fundata, Angelos, Dœmones ve omnino in corporeos esse fatemur, ac voluptatis carnalis, & delitiarum expertes.

Paulus autem Burgensis, Dœmones incorporibus assumptis, mixtos cum mulieribus esse Genes. 6. defendit, Mosis narrationi maximè conueniens; quos enim Vulgata *Gigantes* appellat, in Hebræo habetur *Nephilim*, ideſt, cadentes, lapsos, scilicet, de cœlo propter peccatum, vt Isai. 14. & Lucæ 10. *Videbam Sathanam, sicut fulgur de cœlo cadentem*, quasi Moses, Dœmones incubos cũ fœminis mixtos illam gigãtium prolem mundo dedisse significaret. Verũ præter quam quod *Nephilim* de Gigantibus propriſsimè dictum sit, cum appellari possent cadentes, à vastitate corporis, virium robore in alios irruentes, cadereque facientes, expositio contra litteram textus est. Moses enim, de solis hominibus Dominũ locutũ, ostendit, ibi: *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est. Videns Deus* (addit) *quod multa malitia hominum esset in terra.* Hic ergo Dominus hominũ recolens scelera, non meminit Angelorum, Dœmonum ve peccati. Deinde quoniam, Dœmones nullibi filij Dei appellantur.

§. II.

Proponitur Præadamitæ expositio, & refellitur.

ALiter Præadamitarum auctor huiusmodi locum, quem sicut & alia profanat zeloque catholico simulat virus Iudaicum, cum vt ipse fatetur, insolitum gaudium pertentet tacitum suum pectus, quoties imago subit futuri, quem ipsi sperant, reditus Iudæorum, totus est Præadamita in suo libello vt genus, Iudæorum supra sydera exaltet. Asserit ergo nõ solum genere, verum specie à Gentilibus Iudæos differre. *Elegit nos hæreditatem suam speciem Iacob, quam dilexit Psalm.* 47. Vbi nota (inquit) Iudæorum speciem distinctam esse ab spe-

ſpecie Gentilium, quam neque dilexerat, neque elegerat Deus in hæreditatem ſuam. Diſtincta certè apud Philoſophos hominum ſpecies à brutorum ſpecie, diſcreta verò eſt apud Scriptores ſacros, illoſque Iudæos, horum ſpecies à ſpecie Gentilium quos paſsim confuſos legas cum brutis animantibus & beſtias exiſtimatos, reſpectu ad Iudæos habito, qui vel homines per excellentiam, vel excellentiori titulo homines Dei indigitantur. Ante Adamum ergo inquit (quis talia fatetur) homines fuiſſe creatos vt tradidimus ſupra, Adamumque caput, & primum Iudæorum fuiſſe parentem de quo Geneſ. 2. Alios autem homines primo die fuiſſe creatos gregatim cum animantibus, vno eodem neque diſtincto creationis die, vt non differret creationis dies, quos natura creationis non diſtinguebat.

Ex ijs ergo apparet Iudæos filios Dei appellari Iſai 63. *Tu Domine pater noſter es.* Exod. 3. Deus Abraham, Deus Iſaac Exod. 4. Primogenitus meus Iſrael. Vnde Lucas 3. in genealogia Chriſti dicitur qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei, quaſi Adam filius Dei fuerit qui caput Iudæorum eſt, vnde, & ipſi filij Dei ſunt. Gentiles autem homines, & filij dicuntur hominum; ſed nunquam homines Dei. *Sciant vero gentes, quoniam homines ſunt* Pſal. 19. & Pſal. 66. *Impoſuiſti homines ſuper capita noſtra*, ideſt, ſubiugum noſtrum. Ierem. 49. *Dediſti Iſraelem in gentibus, contemptibilem inter homines.* Vbi gentes & homines idem ſunt. *Filij hominum vſque quo graui corde*, ratione oppoſitionis eadem, qua Iudæi Filij Dei: ſicut in præſenti capite filij dicuntur, filiæq; hominum, quæ à gentilibus procreatæ. Deinde cum filij appellantur Dei Iudæi, beſtiarum nomine indigitantur Gentiles, inquit enim Chriſtus Dominus, Matth. 15. *Non eſt bonum ſumere panem filiorum, & mittere canibus*, loquebatur cum Chananæa, & gentili. *Filiorum* autem *Dei* Iudæi, ſicut & *canum* nomine Gentiles intelliguntur. Pſal. 32. *Intellectum tibi dabo, & inſtruam te in via qua gradieris*, & ſeriatim Iudæis præcipit nolite fieri ſicut equs, & mulus, quibus non eſt intellectus, ſicut Gentiles, & de illis Dauid, Pſal. 22. *Circũdederunt me canes multi, tauri pingues obſederunt me*, Baruc. 3. *Vbi ſunt Principes Gentium, & qui dominantur ſuper beſtias terræ*, ideſt, ſuper Gentilium populos. Abominandum autem erat Iudæos, quos intellectus diuinus ſpecie differre fecit à brutis, contaminari Gentium mixtura, cum de tali ſeparatione Dominus fuerit ſollicitus. *Quando diuidebat* (inquit Moſes) *Altiſsimus gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Iſrael.* Gigantes ſimiliter vocantur, atque potentes Magnates, cap. 6. homines illi, vt à gentilibus differre, ſit aliquod ſignum, quod indicet, cum Gentiles appellentur infantes, parui, & pauperes, iuxta illud, *Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem*, Gentiles intelligũtur, qui Chriſtum ſequendum laude erant perfecturi. Et illud Luc. 18. Sinite pueros venire ad me, ideſt, gentiles, & illud: *Niſi efficiamini ſicut paruulus iſte.* Vnde addit. *Qui ſcandalizauerit vnum de paruulis iſtis*, vt de paruulis ætate, quorum fides balbutiens erat oſtenderet non eſſe locutum, ſed de Gentilibus, qui in illum crederent, ſicut rationis maturæ credunt in illum. Dicti ſunt etiam filij iræ, hoſtes Dei, cum Iudæi hæreditas, & poſſeſsio Dei, & hortus cõcluſus, fons ſignatus dicãtur, inde cõcitata fuit ira diuina, quoniam mixtura Gentilium flos conualliũ emarcuit, & torrentes aquæ viuæ in via

beſtiæ

bestiæ conturbauerunt bibentes.

Verum, quam leue sit fundamẽtum, diuersitas cognominum *Filiorum hominum, filiorum que Dei*, vt phantasmata ista somnientur, homines que ante Adamum conditi genere, & specie distincti à Iudæis, cęteris que Adami posteris designentur, quis non videt? cum his nominibus Iudæos ipsos non semel indigitari videamus. Isaias cum Israelis populo loquens, obseruantiam que Sabbathi consulens, sic inquit capit. 56. *Beatus vir qui facit hoc, & filius hominis, qui apprehendet istud*. Et alibi passim Prophetæ. Quin imò ipse Christus Dominus qui Iudæus, semine que erat Dauid, Matth. c. 20. *Ecce ascendimus Ierosolymam, & filius hominis tradetur*, inquit. Æqualis roboris est, quod bestiæ, bruta que appellentur Gentiles, vt inter ipsos, atque Iudæos distantis generis intercapedinem probet. Nomina namque sunt, non propria, gentium ve non exponentia naturam, sed sine discrimine Iudæi, ac Gentilis peccatoribus cunctis communia, ira que indicant homines per peccatum fędari, vt ad brutorum ignobilitatem accedant, iuxta illud Psal. 48. *Comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*. Expressus contra Præadamitam est locus, Psal. 71. vbi de ipso Dauid. *Vt iumentum factus sum apud te*. Non ne ideò distinctus genere homo, ab ijs qui alibi filij dicũtur Dei? Quid, nescio, in Iacobi filiorum benedictionibus dicet? vbi Issachar asinus fortis, dan coluber in via, Nephthali ceruus emissus. Beniamin lupus rapax.

Neque locus, Matth. 15. *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus*, vbi suum reperit Præadamita inter Iudæos filios Dei, canem que Chananæam, discrimen, contra ipsum non est. Audite ipsum, f. 94. ¶ Vulgaris (inquit) opinio est, Gentiles oriundos esse ex hominibus illis Iudæis, qui à Iudæis in gentes abierant, verbi gratia, ex filijs Caini, qui se ipsum familia patris sui abdicauerat, ex filijs Cham, cui Noe maledixerat, ex filijs Ismael nothi, nec non ex filijs Esau reprobi. Sed omnibus notum esse debet, generis huius Iudæos nusquam in aliegenas, & Gentiles, sed in Iudæos, & in fratres Iudæorum reputatos. Cuius rei locuples testis Moses est, Deuter. cap. 23. vbi agit de ijs, qui adscribi in ciuitatem Iudæorum idonei essent. *Non abominaberis* (inquit) *Idumæum, quia frater tuus est neque Ægyptium, quia aduena fuisti in terra eius*. Nota hic Idumæos successione sua à filijs Abrahami, capite minutos, restitui in ciues Iudæorum, tamquam fratres Iudæorum, & eiusdem generis Iudaici. Ægyptios vero in ciues eorundem adscitos, tamquam hospites, alienigenas, & generis Gentilitij. Fratres Iudæorum credidit Idumæos Moses quando misit nuncios ad Edon, qui dicerent. Hæc mandat frater tuus Israel, Num. cap. 20. Annumerantur inter fratres Iudæorum Ismaelitæ, qua ratione, Genes. 21. *Filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est*, dicitur. Eadem argue de Ammonitis, & de Moabitis, quatenus sunt semen Lothi, eodem patre oriundi, quo Abrahamus natus erat, Thare nimirum patre Abraham. Eadem repũta de filijs Cain, & de filijs Cham, & de reliquis quibus secessus fuit à Iudæorum ciuitate alienus, vtpotè, eadem stirpe, & eodem Adamo ortis, quo Abrahamus ortus erat. ¶ Hæc ille. Ex quibus constat, quam infeliciter, nomen bestiarum, & proprium Gentilium esse, & quo differant à Iudæis, asserat.

Etenim, quod Matth. 15. Chriſtus Dominus mulierem illam appellauerit canem, colligit beſtiæ cognomen proprium Gentilium eſſe. Mulier autem, quam canem Dominus dixit, Gentilis non erat, cum genere eſſet Chananæa, cuius ſtirpem ab Adamo oriundam, à Gentiliſmo genereque diſtantem, & inter Iudæorum fratres reputatam, Præadamitam recognouiſſe videmus. Vel ergo poſteros Cham Gentiles dicere debet, vel male ex loco Matth. probauit intentum. Eodem vitio laborat argumentum, à cognomine *hoſtium Iudæorum*, quo nuncupãtur Gentiles, deſumptum. Cum Pſal. 82. inimici Dei, & Iudæorum appellentur Idumæi, Iſmaelitæ, Moab, & Agareni, Amon, & Amalec, quos ſuperius fratres Iudæorum, ſtirpeque, & genere cum illis ipſe conuenire fatetur. Similem patitur obicem cognomen *filiorum iræ Dei*, quo nuncupauit Gentiles, Paulus namque Iudæus erat, de ſe autem, ſtirpis que ſuæ cæteris, dicit ad Epheſ. cap. 2. *Eramus filij iræ*. Hoc autem argumentum, vim contra Præadamitam non qualem qualem habere, vt commune Gentilibus ſit, & Iudæis *iræ Dei filiorum* cognomen probet, fateri coguntur omnes, qui *filios Dei*, dici Iudæos, viderint, Præadamitam probare ex illo, *Tu Domine pater noſter es*, Iſai. cap. 63. Si enim Iudæus Iſaias non eſſet, foret argumeutum infirmum. Idem de *puerorum*, qua cognominari, voce, Gentiles tradit, dicendum. Quoniam de Synagoga intelligere debet Cantic. illud: *Soror noſtra parua, & vbera non habet*, ſicut & de eadem, *Hortus concluſus, fons ſignatus*, ipſe Præadamita prædicauit. Non ergo ſignum, quo vel genere, aut ſpecies Gentiles à Iudæis diſtinguantur, nomine aſsignat, quod vtriuſque commune non ſit ac indiſtinctum. Denique, quoniam in Iacobo, Iſaac, & Abrahamo benedicendas gentes habetur, Geneſ. 12. *Benedicentur in te vniuerſæ cognationes terræ*, & Geneſ. 18. in ſemine Abrahæ, in Iſaac, Geneſ. 26. in Iacobo, cap. 28. Eodem ergo titulo Dei ſunt Gẽtiles, atque Iudæi.

Dicit ad hoc Præadamita, Iudæos coniunctiori titulo Deo adhæſerunt electione que myſtica geniti ſunt, quorum genitura natura quædam myſtica fuit, qua Iudæi naturales tamquam filij habiti ſunt, ideo Iſai. 46. portauiſſe illos in vtero ſuo, & genuiſſe in vulua ſua, dicitur. Illa autem electio deriuatione, & participatione à Iudæis in Gentes effuſa eſt, non enim ad illum gradum naturæ vocati, aut electi Gentiles ſunt, vnde adoptio conceſa eſt, quæ eſt imitatio naturæ, per quam adoptati in filiorum familiam Iudæorum filij habiti ſunt, ſecundum adoptionem illam quę electione myſtici perficitur. Iudæi primo gradu naturæ filij, Gentiles filij etiam, ſed ſecundo adoptionis gradu, qua adoptiui tantum dicuntur, & reputantur filij. Quo ſenſu intelligendus Paulus Epheſ. 1. vbi Deum prædeſtinare Gentiles in adoptionem filiorum Dei, ideſt, Iudæorum, ait. Adoptio ergo ſancta res eſt, quia beneficium imitatur naturæ, ſed quanto veritas ſanctior imitatione eſt, tanto natura ſanctior adoptione eſt. Natura & adoptio faciunt filios, natura veros, adoptio fictitios, adoptio homines tranſfert ex vna familia in aliam, & ex vno nomine ad aliud gentem mutat, quod fictionis, & imitationis eſt, genus vero non mutat, neque generis conditionem, filios facit;

ſed

ſed non facit ex libertis ingenuos, vel ex ſeruis liberos. Res aliter ſe habent in adoptione myſtica, ac in ciuili, illius enim virtute natura gentium vertitur in ipſam Iudæorum naturam, imitatio naturæ, quæ eſt in adoptione ciuili, eſt ipſa natura in adoptione myſtica, & veritas, cuius imaginem fictio iuris præfert myſterio adoptionis, re ipſa generatur. Genus ergo vt gentem mutant Gentiles adoptione, & translatione ſua in Iudæorum gentem, & familiam, & ſimiliter conditionem è ſeruis, qua fiunt liberi, qua genus ſuum mutant, fiunt Gentiles adoptione illa non tantum filij, ſed euadunt ingenui. Efficacia quippè tota adoptionis huius in libertate poſita eſt, & proclamant ad libertatem ſuam, quicumque ad libertatem filiorum Dei, ideſt, Iudæorum, adoptionis iure illo accedunt.

Verum hæc omnia leui etiam fundamento ſunt dicta. Nullam filiationem audiuimus vnquam, quæ vel naturalis, vel adoptiua non ſit, naturali filiatione nullus homo filius, quamtumcumque exaltetur Iudæus, eſt; ſed ſolum Verbum Diuinum eiuſdem conſubſtantialis naturæ cum Patre. Omnis ergo homo, ſi Filius Dei eſt, media gratia, quæ participatio Dei eſt, aſſumitur ad extraneam naturam. In hoc autem eſt diſtinctio Iudæi, & Græci, ſeù Gentilis, circumciſionis, & præputij, vt inquit Paulus ad Colloſenſ. cap. 3. & ad Romanos. 10. nam idem dominus omnium, & capit. 3. ad Romanos, an Iudæorum Deus tantum? Nonne & Gentium? Rex omnis terræ Deus. Aliud autem eſt, quod prius adoptionem filiorum ſint aſſequuti Iudæi, Moſis ſeruantes legem, aliud, quod inæqualiter excellentiori que titulo, quam Gentiles iugo Chriſti ſubiecti, cum finis legis Moſis ſit Chriſtus, vt inquit Paulus ad Roman. 9. vnde perfectius filij adoptati, cum ex amore Deo ſeruirent, & ſpiritu Dei agerentur, inquit enim Ioann. capit. 5. *Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri.* Non ergo electio in adoptionem filiorum Dei, à Iudæis, ſed à Chriſto Domino, in omnes qui credunt in nomine eius, qui non ex voluntate carnis, nec ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt, oritur. Quæ vera ſunt, licet concedamus libenter, populum Iudaicum electum, dilectum que Deo fuiſſe, & ab hac dilectione fuiſſe Gentiles excluſos olim; vt Paul. ad Epheſ. 4. Vnde & ad Epheſ. 2. *Vos qui aliquando eratis longè*, (inquit Paulus) *facti eſtis prope in ſanguine Chriſti. Vocabo non plebem meam, & non dilectam, dilectam*, (inquit ad Roman. 9.) *& non miſericordiam conſecutam, miſericordiam conſecutam. Et erit in loco, vbi dictum eſt eis, non plebs mea vos, ibi vocabuntur filij Dei viui.* Repromittitur enim eis dignitas filiorum Dei, de qua Iudæi gloriabantur. Ab hac ergo adoptione per Chriſtum è ſeruis facti ſunt liberi, & effecti Gentiles ingenui, non à Iudæis, ſed à Deo miſerente deſcendit benignitas Dei in ſeruos peccati, & idolorum cultores.

Denique contra Præadamitam ipſe idem eſt, quoniam Præadamita, Syſt. lib. 4. capit. 7. folio 179. inquit. ¶ Iratum vero Deum propter Iudæorum nefas, pœnituit feciſſe hominem, & terram perdidit, qua Adamum formauerat, vnde Iudæi nati eſſent, lutulentum, & corruptum hominum genus. ¶ Et folio 204. mixturam

Gentilium cum Iudæis cauſam diluuij fuiſſe, folio ſimiliter 78. Ex quibus ſic contra ipſum. Præadamita explicans locum Pauli ad Roman. 5. ſæpius repetit, non exiſtente lege peccatum non imputari, ſed nulla lex conſtat poſteris Adami impoſita de non miſcendis coniugijs, cum ipſe pluribus in locis de Adamo, & poris eius, de quorum conditione, Geneſ. 2. ſermonem inſtituens, atque gentilibus, ijs dicat nullam legem imponi, illis ſolam de arbore non veſcenda. Non ergo imputatur Iudæis peccatum, quod ſe miſcuerint Gentilibus, iniuſte ergo citra delictum, aquarum punirentur diluuio. Deinde quoniam aquarum miſerabili clade perierunt Gentiles ſimul. Hos autem nullo legis teneri vinculo, non ſemel tradidit Præadamita, quamvis ergo Iudæi in mixtura cum Gētibus deliquiſſent, pœnaſque iuſte luiſſent, nō ſic Gentiles, expelli ergo à Paleſtina deberent prius cum ſuis filiabus, vt ſoli Iudæi, & peccatores perirent.

§. III.

Conciliatur antilogiæ.

DIcendum ergo eſt: filios Dei poſteros fuiſſe Sethi, Caini vero filias, & neptes, filias hominum, vtpotè hominum vitijs nimis irretitas, nuncupari. Poſteros Sethi filios Dei appellari, ex eo conſtat, quod tàm Seth, quā Enos pietate præditi erāt. Enos enim cæpit nomen Dei inuocare. Seth ſummè iuſtus, & pius, vel vt inquit Suidas litterarum, & cœlorū ſcientiæ inuentor, Dei quidem nomine Sethum fuiſſe celebrem ex Leprogeniſi ſcribit Cedrenus, vnde poſteri eorū Filij Dei appellantur: vel propter ſimilitudinem Adæ. Hebræi rationem tradunt, quia in populum elegerat numen, ſic apud R. Eliæzer in Pirke, cap. 23. de quo Apocryph. apud Ioſeph. Scaligerum in notis ad Euſeb. pag. 244. Vbi Cyrillum lib. 9. aduerſus Iulianum. Poſteri autem Cain filij dicuntur hominum, eo ſenſu quo Paulus ad Corint. 3. inquit. Animalis homo non percipit ea, quæ ſunt ſpiritus Dei. Frigeſcente ergo religionis ardore Cainicæ ſtirpis vxores ducētes, qui pij viri fuerant, conſuetudine earum flagitioſa polluti, in omnia ſcelerunt genera irruerunt. Vniuerſorum ergo hominum in terra augmentata malitia prouocauit iram diuinam, & diluuij fuit cauſa, coniugia autem filiorum Dei cum hominum, & Caini filiabus dumtaxat occaſio fuit. Niſi vera eſſent, quæ habentur apud Seldenum de Iure naturali, & Gent. lib. 5. Sethum nempe Adami auſpicijs Amnam cepiſſe in vxorem, montem que ſacrum cum poſteris ſuis tenuiſſe, cuius ad radices Cainitarum conualles erant, iuramentumque per ſanguinem Abelis, ſe de monte non deſcenſuros, neque de filiabus Caini ſibi ſelecturos vxores, præſtitiſſe. Mox autē contra iuſiurandum vxores duxerūt, flagitijsque ſunt irretiti, qui ſeparati Numen iuraque naturalia religioſe coluerant. Sed hæc teſtimonio Scripturæ non conſtant.

Geneſ. cap. 6. Pœnitet me feciſſe hominem.

Pſalm. 109. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum.

AVguſt. tetigit noſtræ antilogiæ textus varijs in locis, lib. 17. de ciuit. Dei, cap. 17. & in Gen. & tom. 6. lib. 1. contra aduerſ. leg. & proph. cap. 20. D. Thom. 1. p. q. 19. art. 7. Geneb. ſuper Pſal. 109. Tertul. lib. de Pœnit. ¶ Quid eſt (inquit D. Auguſt. tom. 6. orat. aduerſ. Iudæ, cap. 9.) non pœnitebit, ideſt, ſacerdotium nulla ratione mutabit? Neque enim ſicut hominẽ, pœnitet Deum, ſed Dei dicitur pœnitentia, quamvis ab illo inſtitutæ rei cuiuſcumque mutatio ſit, quæ credebatur eſſe manſura. Proinde cum dicit; *Nõ pœnitebit eum, tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*, ſatis oſtẽdit eum pœnituiſſe, hoc eſt eum mutare voluiſſe ſacerdotium, quod conſtituerat ſecundum ordinem Aaron, ſicut de vtroque videmus impletum. Nam & Aaron Sacerdotium, iam nullum eſt in aliquo templo, & Chriſti Sacerdotium æternum poſuerunt in cœlo. ¶ Hæc Auguſt. vbi ergo dicitur, quod pœnituit hominem feciſſe, loquitur more noſtro, & mutatio rerum ſignificatur immutabili præſcientia diuina.

Geneſ. 6. Ego diſperdam eos cum terra.

Eccleſ. 1. v. 4. Terra autem in æternum ſtat.

---

§. I.

Proponitur de noua ſuperficie terræ nouiter adinuenta ſententia, & refellitur loci Geneſ. 6. v. 13. expoſitio, & ſimul genuina traditur.

VIdens Deus, quod multa hominum malitia eſſet in terra, & cũcta cogitatio carnis intenta eſſet ad malum. *Delebo* (inquit) *hominem, quem creaui à facie terræ*, & v. 14. *Diſperdat eos cum terra.* Vrbis huius periodi intelligentiam, ſumma tranquilitate, quietaque pace à venerabili antiquitate ad tempora noſtra authores omnes guſtarunt, ſed vita noſtra viciſſitudinibus plena, vera nulla potitur pace, ſed eſt militia expoſita ſuper terrã. D. Ioſephus Antonius Gonçalez de Salas eques purpuratus cruce Calatrauenſi, magnum vrbi compendio edidit opus, quo inrendit luce parare nobis, tot tetro ſæculis cæcutiẽtibus, ſplendore que veritatis, ab ignorantiæ tenebris liberare. Non ſolũ homines (inquit) ſed ſuperficies terræ ſimiliter aquis diluuij perijt, obruta enim in poſterũ aquis primæua illa telluris ſuperficie, quam mortales omnes vſque ad diluuiũ incoluere, altera alibi ſuperficies terrę diuerſa prorſus ab illa primæua poſt diluuiũ prodijt, ſedes ſubinde futura viuentiũ cuius, & incolæ actenus, ſumus, & erimus vſq; ad dierũ eius nouiſsimũ cõplementum. Huius ſententiæ ſe prius author cenſorẽ egit, quam audiſſem patronũ. Audax (inquit) ingeniũ, ęgre ſiſtitur paruis, ingẽtia ſæpius ambit fabuloſa tormẽta, prȩcipitari que malit, quã ſerpere.

Nunc ad rationes, quibus ſingularẽ telluris cauſam defendit. Horrorẽ lethalis ſceleris primi ſacer textus c. 2. præmittit, & ſimul execrationis aduerſus tellurẽ teli à Domino fulminati, cũ dicit: *Maledicta terra in opere tuo*: infecti iã humus, & homo ſordib⁹ primi peccati, ſitibundi ſanguinẽ humanũ biberunt in Abelis fratricidio, ſic refertur in Hebræo textu crudelitas eius: *Nũc itaque maledictus e terra, quæ aperuit os ſuũ vt exciperet ſanguinẽ fratris tui de manu tua*, dexteritate sũma hebraizãtes exponũt (inquit ipſe) ſed qui ſint iſti, nõ nominat,

maledictus autem execratus tu de terra ex parte ipsi⁹ terræ, hoc est maledicta erit terra propter te, & quæ iam maledicta est propter peccatum primi parentis iterum propter te maledicetur; Execrationis rationem expressit Dominus cũ dicit: *Quæ aperuit os suum vt exciperet sanguinem*; quo alludit Lucius Seneca noster Extrema Troade, non stetit fusus cruor humore summa fluxit, obduxit. Statim sæuisque totum sanguinem tumulus bibit. His ergo commotus Deus ostendit his verbis pœnituisse homines fecisse in terra: *Videns autem Dominus quod multa esset malitia hominis in terra, & omnis imaginatio cogitationis eius cordis tãtummodo esset malum omni die, pœnituit Dominum, quod fecisset hominem in terra, & doluit in corde suo.* Ex quibus sic ponderatis vocibus, non rationibus, infert suam sententiam; si namque nõ ista, sed tantũmodo in iudiciũ homines adducerentur; ad quid appendicula illa bis repetita *in terra*, satis erat dixisse, vidisse Dominum, quod multa hominum esset malitia, & abundaret *in terra*, ipsam igitur insimulasse terram apertius innuit, & terræ, & homini pariter minari supplicium, semel namque mortalium iniquitatem audimus memorari; ter vero inculcari iniquitatem telluris; quis igitur putet sceleris deprauationẽ terræ amplificari non esse importunum, vbi mitiganda foret deinceps acerbitas supplicij?

Plura alta pulchraque addit noster scriptor verba, sed primam rationem solis prædictis viribus roborauit; sed quis non videat, quibus firmissimis vasis stupendum, quod ipse clamat, excogitauerit moliri ædificium? concedamus ergo libenter corruptam sordibus iam primi parentis, sanguinis Abelis aliorumque peccatorum fædatam terram, sed quid inde? sicut enim propter sanctitatẽ hominum, vel rerum, quæ ibi tractantur terra dicitur sancta *vere locus iste sanctus est, & ego nesciebã*, dixit Iacob cum vidit præsentiam diuinam: sic è contra propter hominum flagitia, eo in loco polluta, & execrata censetur, vel vocabulum *terræ* accipitur pro homine per Synedochem, vt positum sit *terra* pro homine; quod constat aperte, quia cũ dicit, *omnis caro corruperat viam suã* noster auctor hominem intelligit nomine carnis ex qua cõponitur, qua ergo violentia hominem nomine *terræ* intelligẽdũ nos recusabimus? sicut ergo homo, quia totus factus erat carnalis, caro appellatur, inquit Chrysostomus hom. 24. in Genes. sic ergo appellatur terra, qui terrenorum bonorum, voluptatumque est affixus cupiditatibus, iuxta illud D. Pauli: *Primus homo de terra terrenus*; Vlterius libenter impertior prædicto authori, à Deo terram sordibus peccatorum fœdatam, perditam, deletamque fuisse innundante diluuio, quid inde? crassissima erit Minerua, terram quoad suam substantiam intelligere omnino delendam. Quoniam vt sacra Scriptura in riguroso sensu communi Patrum intelligatur consensu retento, sufficit fuisse terrã quoad ornatum vastatam, & pulchritudine orbatam, quia superficies eius conspicua apparet ex venustate plantarum præueniente, & ædificiorum decore, vel quoad diminutionẽ præferens fructus, vnde inferunt carnibus vesci Noe, posterisque eius Dominum permisisse, quia fructus terræ humanam speciem pro eorum debilitate conseruare nequirent. Huius exemplo, quæ diximus, apertius meridiana luce constabunt, quia Sacer textus dicit Genes. 2. eodem die quo produxit Deus Cœlum, & terram, omne creasse virgultum, & tamen herbas tertiò die productas expressius descripsit Moses, quæ sic D. Thom.

Thom. parentem Augustin. in eandem explicationem suauiter trahens, explicat, Deum, scilicet, plantas primo die fecisse virtute, & potentia tanquã in materia, & causis ex quibus postea orirentur, & quasi rationibus seminalibus, tertio autem conditas, quia suã omnino perfectionem illo die fuissent adepræ, si ergo aliquid conditũ factum intelligit scriptura quando de coris, & pulchritudinis perfectionem assequitur, licet antecedenter receperit etiam substantiam, quid mirum hic nominet perditã, destructamque terram, non quando superficies amisserit esse, sed quia perfectione decoris, & pulchritudinis orbandam minatur Dominus? Et huius argumenti efficatia, si qua est, in suum retorquetur authorem, in Sacra namque Scriptura nullo robore gaudet paralogysimus iste, terra est imperfecta, & polluta, ac tandem est maledicta, ergo abolita fuit, & omnino superficies deleta, eisdem penè verbis sic loquitur de terra in Leuitico 18. Dominus: *In his enim omnibus polluerunt se gentes, quas ego à facie vestra emitto, & polluit se terra, & visitabo iniquitatem eius super eam*, & paulo inferius. *Omnes abominationes istas fecerunt homines terræ ante vos, & polluit se terra*; En terram pollutam, ecce Dominum terram pœnas minantem, & nihilominus hæc omnia ad homines illam habitantes referri constat, non ad terram quam supplicium neque expertam, neque passam retulit Moses.

§ II.

Proponitur secundum fundamentum, & explicatur, Gen. 8.

AD secundum huius ædificij proceri fundamentum iam deueniamus, simulque si æqua solidate iactum, cogitemus, præbiturum namque hominibus Noe solatium laborum, quibus in terra maledicta vexabantur, vel requiem præstaturum auguratur Lamec eius parens, id enim nomẽ innuit siuè deriuetur, *Anuach*, quod est requiem præstare, vt septuaginta maluere, siuè *Anoacham*, quod est consolari, vt Latino arrixit Vulgato, id exposuisse, inquit auctor noster, Rabbinos, (miror vnquam non nominasse) his verbis, Noachus cum recẽs natus esset, & nullũ de se adhuc dedisse inditium, præ tenella ætate præbere posset, augustissimo nomine Noach, hoc est, quiete siuè consolacione vocatus est à patre suo, quod nomen nouam terræ pollicitabatur faciem, mitigata telluris malignitate, qua erat per diuinam execrationem affecta: Vnde cum iam placatis vndis Domino holocaustum offerret, sic inquit textus. *Odoratus est Dominus odorem quietis, vel quiescere facientis iram Domini, & dixit Dominus in corde suo, posthac non amplius maledicam terræ propter hominem.* Sicut ergo iam terrã maledixit propter primum hominem Deus, sic hic propter hominem iustum non execraturum pollicetur terram. Exquibus liquido infert de distincta superficie telluris hic Sacram paginam loqui. Primo quia quid indulgentiæ telluri Dominus largiretur, cum rursus non maledicendã promittit si de terra prima loquitur Dominus? cum primam tellurem illam satis antea maledictionibus impeti jsset, opus nõ esset noua maledictione, vt execrata haberetur: illud ergo beneficium, quod Deus post diluuium promisit terræ, terram respexit, quæ maledictionem experta non esset, & à cuius facie infectio primi parentis abesset.

Secundo colligitur ex eo, quod dicit textus: *Non igitur percutiam vltra omne viuens, quemadmodum feci*, quia si locus iste de prima noua, & nondum infecta terra intelligendus non

non foret, non verificaretur ſenſus, qui talis eſt, non amplius terræ maledicam propter hominum peccata; ob hominum enim iniquitatem illam, potius neque hominibus ipſis, neque ipſi telluri pepercit, nulla ergo ratio eſt, quare iniquitas quæ primo iratũ reddidit Dominum, nunc placabilem reddat, niſi quia illic tædebant Dominũ crimina patrata in terra fæce malitiæ inquinata, hic autẽ licet prauitas hominum eadẽ eſſet, aberat tamen ab iſta terra recens producta, maledictio & infectio; hoc rationis ſecundæ robur: licet plurima alia ſua eloquentia garriat.

Sed quis non videat omnia iſta ideo in altum authorẽ leuare, vt celerius, & præcipiti curſu ruant? Concedo libenter Noe ſuo ortu ſolatium requiẽque in laboribus hominibus præſtiturũ, quod innuit nomen eius, quid quid dixerit Suidas, qui vocẽ Noe deducit à verbo græco *Noo*, quod ſignificat natare, ab euentu futuro origine ſumpta, cum ſolus comite ſua familia diluuij innundantes aquas fugiſſet; ſed quod meritis Noe labores hominũ temperati fuiſſent, precibuſque eius requiẽ, & ſolatium acceperint Rupertus lib. 4. in Gen. cap. 16. quid inde vt nouam terram pro arbitrio finxiſſe teneamur, inquit, Imò potius in ipſum authorẽ ſuum iacitur telum, omnes quippe labores ex maledicta primæua terra ortos recognoſcit natura, ex illa ſpinas, & tribulos germinatos, minatur Dominus, ſi ergo nouã terrã poſt diluuium calcarunt homines, neque peccati ſordibus infectã, neque ira Dei execratã, fœliciſſima tellus iſta hominibus poſt diluuium erit ipſa ſolatium, & in laboribus requies: ad quid igitur recurrit author ad merita iuſti, & ſantiſſimi Noe? Illum vero locum intelligendum de prima ante diluuium tellure ipſa verba manifeſte declarant; quia dicit: *Non amplius maledicam terræ propter hominem*, quæ in riguroſo ſenſu de ſecunda tellure intelligi nunquã poſſunt, quoniã non amplius maledicere terræ, ſupponit aliquando illã maledixiſſe, ſi tellus igitur iſta nunquã exe crationẽ audiuit, non de noua, ſed de veteri ante diluuium intelligenda ſũt verba. Vnde Hebraice, & Græce ſic legitur, *non addam adhuc maledicere terræ*.

Neque ſecunda ratio ipſi, neque cuilibet cordato prodeſſe poteſt, quis namque ſomniare poteſt iniquitatem hominum prout in terra maledicta iratum efficere Deum? eandemque prout in noua terra nulla fœce execrata maledictionis, Deum placabilẽ reddidiſſe, quaſi Deus à materialiſsima telluris ſuperficie gratus, vel iratus dicatur; cum iſta, vt ſuperius diximus, ſolum ſancta, vel mala ab operibus hominum denominari poſsit: Neque crimina eadem intenſione, & eadem grauitate in Deum commiſſa in terra nulla maledictione execrata, Deum non offenſum afficient; ſi namque Adamus peccatum primum non commiſiſſet, terra nullam audiret execrationem a Deo. Quis ergo temere dicet delicta, illa benedicta terra patrata Deum ad iracundiam non prouocare? Ex quibus colligo, criminibus diluuij aquis iam vindictis, placabilem apparuiſſe Deum propter ſacrificium Noe; ille nãque odor quietis dicebatur (teſtis eſt Oleaſter) quod faceret Deum quietum, & placatum ipſi offerenti, peccata namque noſtra, immunditiæque noſtræ ſunt fætores, ideo aliquando iraſcitur nobis, cuius furori fumo illo, ſeu ſacrificij ſuauiſsimo odore, vt quieſceret à vindicta, Noe occurrit, ſicut enim bonus odor delectabilis eſt, & ſuo modo olfacientem quieſcere facit, ſic fumus iſte bonus odoris; hinc ethymologiæ nominis Noe rationem iterum percipere poteris. Tandem cæcutire videtur auctor iſta ſubtilitate, maledictio

ne

ne namque quia execratus est Dominus ante diluuium tellurem, nascuntur infœliciſsimi fructus, dolores, & ipsa mors; quo igitur pacto noster auctor mortem, labores naturæ nostræ post diluuium non negabit, si post cladem miserabilem illam noua sine terræ maledictionis execrationisque pœna fungimur terra? & vt alia scrutari incipiamus, ex mala intelligentia Scripturæ sui fundamenti ratio processit, ibi: *Vltra non maledicam terræ.*

Et vt omnibus occludatur huius auctoris rationisque lumen, ex crassa intelligentia loci, Genes. 8. processisse, Videamus quoniam; loquitur de tellure, quæ ante atque post diluuium eadem esse debet, hæc autem, & primam maledictionem post primũ parentis peccatum à udiuit *maledicta terra, &c.* & nunc in ipso diluuio passam fuisse maledictionem, est omnino conspicuum. Sicut namque benedictio ex decreto Dei significat abundantiam bonorum, ita maledictio, malorum, quæ à Deo inflinguntur, comprehendit copiam; vnde, & in primo peccati Adam maledicta fuit terra, cum à pulchritudine, & à fœcunditate descenderet in diluuio, quæ salsis aquis sterilis stetit, & pulchritudine decore que orbata; vel si malim Hebræum audire, *Calal* non maledicere significat, sed leuem esse, & vilipendere, leuia enim contemnimus, & vilipendimus, Iob 39. ecce *Calothi*, ideſt, leuis reputatus sum, aut contemptibilis, Leuit. 20. Patrem suũ, aut matrem suam *Chilel*, vel despexerit, aut contẽpserit, licet alij vertant blasphemauit sic 2. Reg. 19. quia *Chilel*, vel *despexit*, ideſt, leuem reputauit Christum Dominũ; vnde hìc legit Oleaster, non addam vt despiciam amplius terram propter hominem; vel non addam aliebare terram amplius, scilicet, hominibus, & iumentis. Vocat autem aliebare terram, ab ea homines, & animantia auferre, quod terra videatur, nunc hominibus, & animantib us onerata, Isaiæ 9. *hecal*, ideſt, aliebare fecit, scilicet, *tiglath pileser* terram Zebulon, ideſt, hominibus in captiuitatem reductis, leuiorem reddidit.

§. III.

Proponitur tertium fundamentum, & explicatur locus ex epistola secunda Petri.

ACtenus à sacri Historici vestigijs prosecutus est noster auctor ad argumẽta petita ex narratione, quæ terminis eiusdẽ historiæ continetur; hinc ad alia argumenta proficiscitur. Obijcit primo locum ex epistola 2. Petri, Canonica cap. 3. *Licet enim eos hoc volentes, quod cœli erant prius, & terra, de aqua, & per aquam consistens Dei verbo, per quæ ille tunc mundus aqua innundatus perit. Cœli autem qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt, igni reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum. Ille tunc mundus aqua innundatus perijt.* En qualiter nouam appellat terram, inscium ergo terræ duplicis, quam adstruimus, se non præbet Apostolus.

Confirmatur hoc auctoritate Iosephi, qui lib. 1. antiq. cap. 4. ex versione Geleni sic inquit. ¶ Deus viri iustitia delectatus, non eius solum sæculi homines extremæ malitiæ damnauit, sed cum decreuisset vniuersum hominũ genus extinguere, aliud que nouum, & à virij s purum instaurare, primam vitam eorum breuiore spatio circumscripsit, & abrogata lõgæuitate intra centum, & viginti annos coercuit, dein continentem terram in pelagus transmutauit. ¶ Duo enim complexum Deum dicit Iosephus, & homines extinguere, & in pelagus

lagus tranſmutare tellurem, ſed vt genus hominum inſtauret, nouum inſtituit à ſordibus purum, nouam ergo terram pariter poſt diluuium primum ſubſtitutam agnoſcit.

Sed quid roboris habuerit hæc ratio apud Danielem Heinſium exercitat. Sacra in ſecundam Canonicam Petri non ignorauit noſter auctor, cum inquit. ¶ Nihil ſanè ad Cœlos, in quos tantum abeſt aliquid potuiſſe aquam, vt ne terra quidem fuerit ſublata, neque alia, aut noua nunc ſit. Et paulo poſt. Perijſſe autem omnes, qui extra arcam, etiam terræ ſpeciem externam, ac decus, nemo equidem, quod ſciã, negat; ipſam vero perijſſe terram, ne Poetæ quidem dicunt, vt qui in diluuij diſcriptione canat Ouidius.

Pœna placet diuerſa genus mortale ſub vndis.
Perdere, & ex omni nimbos demittere Cœlo. ¶

Non latuit noſtrum geographum, qualis fuerit ſibi roboris hoc patrocinium, neque legitimæ Petri intelligentiæ relatæ quid repugnans reperiſſe cenſendum eſt; Scopus namque Diui Petri epiſtola iam relata, refellere, erat, Gnoſticos, alios que hæreticos, qui ſine metu vindicis Chriſti ſuis concupiſcentijs ſeruientes, nullum fore iudicium prædicabant; his ergo horrorem iudicij depingit Petrus, nouam terram, nouos que Cœlos vocat Petrus, quia nouam perfectionem illuſtriores que dotes ſperant, iuxta illud Apoc. 21. *noua ecce facio omnia*; in reſurrectione, nam que vniuerſali erit reſurrectio, renouatio, & glorificatio, non ſolum hominis, ſed cœlorum, terræ, & totius mundi, qui hominibus electis ſeruiuit; & ideò ſeruitus talis coronam merito iuſtitiæ, vt ſic loquar, condigne ſperat. In diluuio homo noua crearione reſurget, vt paſsim cum Scriptura proclamant Patres; quis tamen rudis temere dicat diſtinctam, aliam que futuram in reſurrectione creaturam? Sed nouum futurum hominem in perfectione, quia quaſi cœleſtis reſurget impaſsibilis, & immutabilis, qui fuerat prius mortalis, paſsibilis, miſerijs que pluribus plenus, iuxta illud Pauli ad Corinth. 15. *Seminatur corpus carnale, reſurget corpus ſpirituale*, ſic proportione ſeruata, docuit Sanctus Thomas. Dixit etiam Petrus, ille tunc mundus aqua innundatus perijt, quis ex hoc inferat tellurem iudice Petro perijſſe? mundus namque terra ſolum non eſt contentus, ſed tellurem, Cœlum Sydereum, & aereum, vt Geneſ. 1. homines, cætera que animantia comprehendit; quis ergo quia Petrus dixit diluuio perijſſe mundum, inferat Cœlos Sydereos aquis innundatos pari clade perijſſe? aqua namque quæ quidem cubitis altior erat ſuper montes, quos operuerat, nulla vi agere in Sydera poſſet. Perijt ergo aquis ille primæuus mundus, quia plantis, hominibus, & cæteris animantibus, quibus tellus pulchritudine, decore que fulgens erat, breui morula fuerat orbatus, & noua etiam poſt diluuium erit ſimiliter terra, vel nouo decore, & puritate, fulgurore que ſplendens, pueris in limbo nunc exiſtentibus pulchrum præparatum habitaculum (piè diſcurrebat ſic in 4. Sententiarum Paludanus) vel vt ait in Elucidario Anſelmus, terra, quæ ingenio ſuo corpus Domini confouit, tota erit vt paradiſus, & quia ſanctorum ſanguine eſt irrigata, odoriferis floribus, roſis, violis, immarceſcibiliter erit perpetuo decorata. Audi Salianum, qui Noe ex arca eggredientem, illud Apocalypſis 21. non ſine admiratione fingit loquentem. Ecce video Cœlum nouum,

tum,& terram nouam,primum enim cœlum,& prima terra abijt, & mare iam non est;abijt prius illud cœlum nimbis inhorrescens, pluuijs continentibus diffluens,fulgetris intermicantibus minaciter coruscans, sonoris tonitribus horrendũ remugiens, & procellosis venturum concursibus omnia disipans, atque prosternens. Et ecce adest cœlum nouum cum vere nouo; Cœlum nouum noua vndique luce hilarescens, Solis, reliquorum que astrorum gratissimos radios quaqua versum diffundens, & zephyris leniter spirantibus suauiter fragans. Abijt terra illa tota squalida, tota sordida, tota lutulenta; terra illa damnata diuino maledicto, exitialibus aquis in pernitiem omnium viuentium vndique scaturiens. Abijt terra illa turpissimorum peccatorum sordibus polluta,& fœtens; & ecce adest terra noua germinans heruam virentem, & odoriferos flores, & ligna pomifera, sicut à principio. Hæc ille, sed non pro Salas.

Neque Iosepus, quem prius laudatum in sui patrocinium non sine violentia traxit, erit aduocatus fidelis,cum non recognoscat geminam illam tellurem, quamvis namque in pelagus tellurem dicat Dominum transmutasse,hoc verum est; sed quid inde? Tellus,quæ ante diluuium solem videbat, aquis illius manet innundata,in pelagus mutata? Et terra quam pedibus nunc calcamus,illa nonne est, quam ante diluuium innundauerant aquæ? Quæ arida ex tunc apparens homini,& cœteris animantibus,libens obtulit habitaculum? quis hoc sensisse Iosephum sine fictione dicere audebit? quis natiuitatem istã toto cœlo Sacræ Scripturæ pugnantẽ temere proferret, nisi præcipitato ingenio? quod de se non diffiteretur gloriabundus noster Geographꝰ. Igitur subtilitatem eius cum sana paginæ Sacræ intelligentia minus cohærere,cuilibet, qui litteras norit, dubium non erit. Genes. namque 8. postquam aquæ nimis multiplicatæ super terram vniuersam præualuissent,asserit Sacer vates: *Reuersæ que sunt aquæ de terra euntes,& redeũtes*;quasi manifestius dixisset,à terra, quam centum quinquaginta diebus innundauerant,ad voragines suas, atque cauernas reuersas fuisse,Quod si genuinũ sensum horum verborum ad fluxus retorqueat, quia aquarũ,quæ (vt in Seder olam Raba, cap.4. notatur) consistebant,& silentes cõquiescebant; impijs intra eas supplicium debitum luentibus, facta fuit reuersio, ipsis iam decrescentibus ad fluendum,& refluendum, cuius vicissitudidem vis ipsa vndarũ ademerat aquis; si hæc (inquam) sic pro suo arbitrio explicare voluerit,manifestè septuaginta interpretum contradicet versioni,qui sic legunt ,*Cadebat aqua de terra.*

Rursus progreditur Scriptura,& dicit,quod decrescebant aquæ emisitque Noe Columbam,vt videret si cessassent aquæ,ex cuius aduentu cessasse aquas recognouerat Noe,post, pluribus diebus transactis, aperiens Noe tectum arcæ, respexit, vidit que quod terræ esset superficies siccata. Si prima ergo mundi tellus in pelagus mansit mutata, ad quid decrescerent aquæ, exiccaretur que terra? melius non esset, quod nauigium arcæ in nouam telluerem tamquam securum portum appulisset? ad quid tã longum,& periculosum naufragium? si nam que aquæ diluuij primam deferentes sedem, tellurem, quam homines habitabant,innundasse permanenter dicamus, ad quid naufraga fluctuabat arca? cum alia,quam relinquerat,terra,poterat ipsi parare portum; Si dubites,aqua tanta quomodo desijt? audi Chrysostomum. ¶ Dei præceptum est,quod facit omnia, ne

igitur

igitur nos curiosius exploremus quo modo, sed tantum credamus quod iussit, & exaltata est abyssus, & præcepit, & iterum suum continuit impetum, & ad proprium concesit locum, quem solus ipse Dominus scit, qui condidit. ¶

§. IIII.

Aliud proponitur argumentum.

AD aliud argumentorum pro veritate sua pugnantiũ genus, quæ vocant exempla, accedit noster auctor, vtinam maiori fœlicitate. Quoniam in iustitia Diuina nouum (inquit) non est cum habitatoribus peccantibus ipsam tellurem supplicijs, grauibus que pœnis afficere, vt vlciscereturnamque Dominus Sodomorum peccata, sulphureo igne de Cœlo eiaculato, vastauit Sodorum regionem totam, vt Genes. 19. *Pluit super Sodomam, & Gomorram sulphur, & ignem à Domino de Cœlo*, & subertit ciuitates has, & omnes circa regionem, & vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ virentia, in cuius memoriam portio telluris illa adhuc mari submersa manet; mare que mortuum nunc dicitur, aquarũ que vice vitumẽ fluens tamquam pabulum, & nutrimentum ignis. Sic Plinius de illo, libro 5. cap. 19. Asphaltites nihil præter vitumen gimnit, vnde & nomen. De quo audire liceat Borchardum 1. part. cap. 7. numero 36. ¶ Mare mortuum semper est fumans, & tenebrosum sicut os inferni, sicut oculis meis vidi, (& post alia) tanta vero calamitas ei regioni accidit in execrationem peccati Sodomorum, quod Deus tot sæculis vlciscitur, vt etiam regio ipsa pœnas luere videatur perpetuo: ¶ Secundum exemplum, est Numer. 10. Cur namque Datham, & Abiron ipsi Mosi rebelles Cœlum cum terra puniuit? postquam namque Deus à tabernaculis eorum fugere populum reliquum præcipisset: *Confestim igitur vt cessauit* (inquit textus) *dirupta est terra sub pedibus eius, & aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum; at vero omnis Israel, qui stabat per gyrum fugit, à clamore pereũtium dicens, Ne forte, & nos terra de glutiat.* Vbi nisi locutos illos de ista voragine accipimus, inepta erit omnino eorum suspicio, quo cumque enim fugerent, terræ periculum non vitarent. Tertium exemplum ex Apocal. vocat, ibi namque Michaelem cum antiquo serpente, & committere bellum, & tandem cecidisse de Cœlo cum illo tertiam Cœli stellarum partem, narrat Euangelista, & quia in Cœlum commissum scelus Luciferi indicat, locus ipse omnino perditus est, sic nãque post pugnam victoriæ que laurum commemoratum, progreditur textus: *Neque locus inuentus est eorum, amplius in cœlo.* Pariter ergo non solum homines pœnas luere dicemus, verum etiã ipsam tellurem sedem propriam, & habitaculum hominum aquis diluuij punitam iri. Huc accedit, quia namque aqua ante diluuium fœcibus cõtaminata non erat, neque ipsam maledictionem vnquam audiuit, nec pisces Deus puniuisse videtur; ex primæuo namque illo sæculorum de cursu, quis dixit, priscis hominibꝰ terræ parũ fuerit, terris adiecimus vndas, fortunæ miseras auximus arte vias; à cõtrario igitur sensu legitimo discursu constat homines cum ipsa defœcata tellure pœnas luisse diluuij.

Sed quam infirma argumentandi sit ratio, quis non vider? cum à singularibus vniuersalem regulam intendat firmare. Concedimus ergo Sodomitas simul cum terra obrutos fuisse, cum Sacer textus ex verbis ipsis subuersionem vastationem que innuat;

innuat; fateamur hoc idem de Datham, Core, & Abiron, licet negare non sine fundamento nobis nefas nõ esset, Core namque cum taberna culo suo absorto filij eius penduli in aere hærebant, quoad terra rursus se coniugeret, concluderet que hiatum; sed quid inde? licebit cuilibet pro suo arbitrio alia similima inferre? præcipiẽte Domino morte plectitur Acã, oues, asinos, & bobes, cunctamque supellectilem igne consumpsit Iosue, licebit igitur à paritate dicere terram sordefurti fæcatam luisse cum illo pœnas? neutiquam; quia hic nihil de tellure dicit, cum de Sodomitis, & de illis qui referuntur in Numeris expressè Scriptura doceat. Eodem igitur vitio noster auctor laborat, vt tellurem ante diluuium pœnas vnà cum peccatoribus luisse conuincat, aperte ipsum argumentum rubescere faciet, & præcipuè tertium exemplum. Angelus namque in Cœlo Empyreo tanquã proprio principatu, præparato que domicilio in gratia à Domino conditus; sordibus peccati superbiæ que macula defæcatus est; sed quid inde? pars aliqua cœli Empyrei præcipitata cum illo est? quis vnquam somniare potuit? Audi Augustinum sermone 28. de verbis Domini. ¶ Secundum Lucam Cœlum est vbi culpa cessauit, Cœlum est vbi flagitia non sunt; Cœlum est vbi nullum mortis vulnus est, sanctificatum est Cœlum Dei; cessus est Diabolus. ¶ *Non est inuentus locus eius* addit textus; quid inde? exilium ab illa fœliciſsima patria innuit, pœnamque damni ista rationabili sententia Deus definit; qui namque exilio perpetuo ab aliqua ciuitate exire in pœnam delicti præciperetur, vtiq; de illo verificari posset non esse inuentum locum eius in ciuitate; extorte autem intelligeret, qui illum ad aliquam significandam specialem sedem deflectere vellet, fateor tamen peccatis hominum, neque fœdatas aquas ante diluuium, neque iustitiã Diuinam, neque eius minas vnquam expertas esse, sed nõ ideo illis pepercit Deus, piscium que plebi, & animãtia terræ puniuit; quia nusquam illa aperuissent hominibus viam, neque illis inseruisset, sicut terra cętera que animantia; sed quia simul cum homine corruperant viam suam, & nefandis cõgressibus sese maculabant, vel cum hominibus se miscebãt, aut quia sese mutuo interficiebant; ideò voluit merito Deus animantia cum hominibus perire.

Bona ergo fide maneat in sua possessione antiquitas veneranda, vnicã immobilem post, & ante diluuiũ eam dem recogno scens tellurem; gemina, quantumcumque solidauerit eius Patronus, rectoricã que muniuerit propugnaculis, obliuione sepulta, cui dixerim sine iniuria, quod Arystonimꝰ apud Sto. sic ligna dum augent ignem ab ipso consumi. Mirabar prius post longam à Deo sæculorũ periodum fulgẽtia lumina Ecclesiæ ad nostra vsque tempora cæcutisse, & gratias acturum, quod à caligine eques iste præ ceteris illuminatus liberauerit veritatem, destinaueram animo; post quã diuturnius studio veritatis eius fundamenta libraſſem, attendebam Senecæ sic loquenti: quidam incredibilium rerum commendationẽ parant, & lectorem aliud acturum si per quotidiana duceretur miracula excitant. Quod item scripserat Libius de Valerio Anciato, *mendatio accommodat fidem*, merito iudicarem non sine indulgentia posse applicari; alia, quæ similis roboris sunt, quia non vacat referre omittimus fundamenta.

[✱]

Geneſ. cap. 6. v. 3. Dixit que Deus non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt eruntque dies illius centum viginti annorum.

Si hæc verba dirigantur ad omne genus humanum quaſi generis vitæ humanæ periodus 120. annis definiatur, Arphaxad Sale, Heber. annos 120. exceſſerunt Geneſ. cap. 11. & Ioiada ad 130. peruenit 2. Par. 24. ſi ſolum ad homines, qui tunc exiſtebant ſolum 100. interfuerunt a comminatione vſque ad diluuium, Geneſ. cap. 6.

PHilo in lib. de Gig. Ioſeph. lib. 1. antiq. Iſac Abarb, atque Rupertus hoc ad vitam hominum deinceps futuram referri ſentiunt, quaſi termino 120. annorum fuerit in poſterum comprehendenda. Eruntque dies illius (inquit Rupert.) centum viginti annorum: alij quidem paulo plures, alij paulo pauciores poſt diluuium vixerunt annos, & Iacob qui centum quadraginta ſeptẽ, & Ioſeph qui centum & decem vixit annos.

Verum hanc expoſitionem manifeſtè redarguunt plures, qui terminum 120. annorum ſuperarunt. Sem poſt diluuium vixit annos quingentos, Arphaxad, Salen, & Heber plus 400. imò, & Ioiades poſt diluuium prope mille quingentos annos, vſque ad 130. peruenit. Quo præcluditur, quo R. Iſac Abarbanel reſpondet, quod licet hic promulgata fuerit ſententia limitans dies vitæ, non fuit ex templo executa, ab extremo enim lõgiſsimæ vitæ ad extremũ vrebiſsimæ non acceditur, niſi paulatim per medium decreſcente perdies vita. Vnde poſt vitam patriarcharum, qui referũtur cap. 11. omniũ vita termino 120. annorum fuit definita, & quam plures non attigere. Præcluditur eius euaſio exemplo Sem vitæ longiſsimæ, & Ioiadæ, tot annos poſt ipſum diluuium metas termini vitæ excedentis.

Reſponderi poſſet ad hoc ex Titelm. Pſalm. 89. quod Deus terminis 120. annorum circumſcribit vitam, quæ vere ſit vita, illa vero quæ limites tranſgrederetur, non vita, ſed mors potius, ærumnoſa ve vita appellanda erit. Sicut cum Pſalm. 89. *Dies hominis in ipſis ſeptuaginta anni, ſi autem in potentialibus octoginta anni, & amplius labor, & dolor.*

§. I.

Conciliatur Antilogia.

DIcendum ergo eſt ſupra relata verba, ad illos homines, qui tũc exiſtebant, & innundante diluuio perituri erant, dumtaxat dirigi poſſe propter ſuperius relata. Expreſsè tenet Hieron. in trad. Hebraic. D. Aug. lib. 15. de ciuit. cap. 24. quod autem dixit Deus (inquit) erunt dies eorum centum viginti anni, non ſic accipiendum eſt, quaſi prænuntiatũ ſit, poſt hac homines 120. annos viuendo non tranſgredi, cum & poſt diluuium etiam 500. annos exceſiſſe inueniamus.

Nunc autem ad difficultatem. Ab eo tempore, quo Deus verba relata locutus eſt vſque ad diluuium, non niſi centum anni currerunt, illa enim dixerat Deus, cum iam Noe quingentos annos nactus tres filios genuiſſet, vt cap. 5. Geneſ. conſtat, diluuium autem accidit anno 600. Noe vt cap. 7. Geneſ. ſcriptum eſt:

vbi

vbi sunt igitur alij viginti? Hieron. Quia vero (inquit) pœnitentiam illi agere contempserunt, noluit Deus tẽpus expectare decretum, sed viginti annorum spatijs computatis induxit diluuium anno 100. agendæ penitentię destinato. Similia tradidere Chrisost. hom. 25. in Genes. & Hugo.

Vero similior est D. August. vbi supra, expositio, sed intelligendum est (inquit) hoc Deum dixisse, cum circa finem quingentorum annorum esset Noe, ideſt, quadrigentos octoginta vitæ annos ageret, quos more suo Scriptura quingentos vocat, nomine totius maximam partem plerumque significans, 600. quippè anno vitæ Noe secundo mense factum est diluuium: & ita cẽtum viginti anni prædicti sunt futuri vitæ hominũ perituroru̇m, quibus transactis diluuio deferentur. Nec frustra creditur sic factum esse diluuium, iam non inuentis in terra, qui non erãt digni tali morte defungi, qua in impios vindicatum est. Nullus enim illorum diluuio mortuus est, quos de semine Seth propagatos sancta Scriptura commemorat.

Sed alia calumniæ videtur patere rima, quia hæc verba locutus est Deus, cum iam Noe, Sem, Cham, & Iaphet haberet filios, cum autem ab ortu Sem vsque ad diluuium soli interceserint 98. anni, quia biennio post diluuium centum erat annorum Sem, fit quod ab intimatione diuina diluuium vsque non currerint 120. anni. Sed ad hæc plura ca. 11. dicemus. Pro nunc autem dici posset, quod Deus protulerit illa verba 20. annis ante Sem filij natiuitatem. Cur autẽ Scriptura generationem Sem retulerit ante prædicta verba? dicendum hoc feciſſe per anticipationem frequentem in sacris litteris, vt patet ex Genes. 11. & 12. exitus enim Abrahæ fuit ante mortem patris sui Thare vt plures volunt 160. annis, & nihilominus exitum refert post patris illius mortem.

Ex Genes. cap. 7. Dicitur diluuium illud super vniuersam terram generalissimum illam deleuisse, vnde paradisus terrestris in hoc terrarum orbe constitutus ruinam passus aperte constat.

Eccles. 44. Traditur Henoch fuisse in paradisum translatum.

§. I.

Refelluntur, quæ opinionis etiam demerentur nomen.

ORigenes in tom. super Genes. omnẽ paradisi historiã subuertit, & allegoricè exposuit. Franciscus Georgius to. 1. problem. errorẽ Orig. penè extenuatũ in lucẽ iterũ reuocauit. Ioãnes Nouiomagus in scholijs à se editis in lib. Bedæ de natura rerũ, arbitratur paradisum nil aliud esse, quã hunc mundũ, nã sicut Gentiles appellant mundum, domiciliũ, & templũ Deorũ, ab inexplicabili pulchritudine, & summæ venerationis opificio, ita in Sacris litteris locũ voluptatis intelligendũ hunc mundũ indicat, cuius absoluta elegantia, nil ornatius excogitari potest. Verum Scriptura hoc figmentum confutat manifestè, quo enim modo paradisus sic in Oriẽte esse posset, aut inde repelli?

Alij paradisum in terra ponunt, sed ita super terram eleuatũ, vt orbẽ lunæ contingat. Sic Rupert. lib. 1. de Trin. cap. 37. Damas. lib. 2. de fid. cap. 11. S. Ephren. Basil. orat. de parad. Isidor. lib. 14. ethym. cap. 3. eam sententiam refert D. Thomas 1. p. q. 102.

Caramuel negare non potest paradisum aquis diluuij subuersum esse. Quoniam in explic. mixt. eam Hisp.

tuetur singularitate ductus vt solet, primum hominem in Hispania creatum, & eodem in loco paradisi sitam amænitatem. Castella namque in Hebræo *Adamuz* appellatur, & huc vsque durat ciuitas, quæ aliquando Metropolis erat, Cordubæ omnino vicina, cuius regnum pars est totius Castellæ. Verum laus nimia veritatis est onus, vt inquit Eurip. in Oreſt. cum nostra Hispania ipsam superet etiam inuidiam, gloriari non patitur irreligiosis fictionibus, sicut de Alex. retulit Curt. lib. 9. cap. 2. nostra quoque gloria cum sit (inquit) ex solido, plus habet operis quam nominis, neque falsis vlanditur honoribus. Fundamentum recentioris tam leuissimũ est, vt nomine solo, *Adamuz* nitatur, ob similitudinem, qua gaudet, cum Adammah sic appellatur terra illa rubra, in qua erat paradisus, & conditus fuit primus parens. Hinc cogitauit Caramuel, quod, quia Adamah fuit terræ nomen proprium, in qua fuit paradisus formatus, & Cordubæ oppidum nomine illi simillimũ, *Adamuz* conseruatur, in Hispania fuit paradisi locus amæniſsimus primo situs. Eadem leuitate mouentur, qui in Damasco Syriæ, quasi illic sit Adama, idest terra rubra ex qua nomen accepit Adam (vt inquit Leonar. Marius) ponunt.

Hæc cogitatio faciliter euanescit. In primis namque in Castella duo sunt oppida *Adamuz* appellata. Valentiæ regno 140. domibus populus exstat nomine *Villareal de Adamuz*, Metropolis & oppidum primum, quod sibi restituit Rex D. Petrus secundus Aragoniæ anno 1212. vt inquit Escolanus hist. de Val. lib. 3. cap. 3. Præterquam quod probabile est, oppidum illud sic appellasse propter asperitatem loci. Arabice namque *Adamuz* asperrimum locum significat, quali aspero situ vicinum Cordubæ oppidum collocauit natura communiter *Sierramorena*. Vlterius, quoniam (vt obseruat Eruditissimus Marchio Agropolensis in sua Hispania antiqua, opere quidem eximio prælo nondum dedito, sed historiarum studiosis, Sacræ que Scripturæ versatis diu desiderato) verisimilius est hoc nomen *Adamuz* Arabicum potius quam Hebræum esse, cum dictionario aliquo Hebraico reperiri non possit. Neque in Hispania vnquam habuit gens Hebræa Colonias, cum solum à Ierusalem deuastata domicilium habuerint. Deinde conuincitur, quia Adam non fuit conditus in paradiso, vt patet ex textu, si *Adamuz* ergo fuit paradisus, non fuit in illa terra formatus.

Omitto, quod apud nullum, *Adamuz* signum significare Castellam facile demonstrabitur. In Talmuld. sic explicat eius glossator, domum fortem *Kastulin*, vel *Kasitulin*. Vnde firmarunt Kastel ad significandum non tantum Castellanum, sed etiam *el Mayordomo*, sic vsus est Rabà Bar. Nachmon. In Scriptura quippè *Tira* idem est ac Castellum, vt ex Cantic. cap. 8. ver. 5. constat. Omitto nomen *Castella*, modernum esse, quia tempore Regis Fruelæ non Castella, sed appellabatur Bardulia, sic D. Iosephus Antonius de Salas in compendio Pomponij Mellæ not. 2. Vnde comites Odoarius, & D. Rodericus primus gubernatores tantum ciuitatis nomine *Oca*, alteriusque appellatæ *Castella*, fuere, & hinc totius prouinciæ nomen, in sententia quidem melioris iuditij, comites proprietarij à tempore comitis Fernan Gonçalez. Sed de hoc satis.

§ II.

§. II.

Conciliatur antilogia.

MItto in primis Caietanum, qui,diluuij aquis montes qui ſuperant nubes negat opertos,inquorum vno tempore calamitatis ſuperſtes remanſit Enoch,ſed eos ſolum ab aquis tactos,qui ſub cœlo aereo in quo coguntur nubes, reperti ſunt. Mitto(inquam)Pererio,à quo optime refellitur lib.12.in Geneſ.

Dicendum reſpondeo, Enoch tranſlationis locum paradiſum terreſtrem eſſe,ſic Irenæus, Iuſtinus Martyr,D. Athan in epiſt. de Nicæna ſynodo,Iſidorus,Procopius Gazæus,& plures alij, quos refert Feuardent, in D. Irenæ,lib. 4. huiuſmodi amæniſsimum locum ſpeciali prouidentia diuina ab aquis liberum fuiſſe, nullibi ſcriptura repugnat. Ex quibus conſtat, Enoch in paradiſum terreſtrem tranſlatum, ab aquis dilubij mirabiliter intactum.

Repugnant reconciliationi prę-fatæ,inter alios Pererius, atque Salianus,qui aquis dilubij iam pridem obrutum, vel certe à Deo homine que deſertum ſqualuiſſe cenſuerunt. Quamvis namque extet ipſa regio ac paradiſi locus,ornatus autẽ, delitiæ, atque eius eximia elegantia omnino abolitæ fuerunt. De amæno quolibet loco exponentes Eccleſ. caput 44.

Verum omnia, quæ contra noſtram expoſitionem tradit Pererius, in ipſum retundi facile poſſunt. Quoniam quamvis ſcriptura de omnibus dicat, inter diluuij aquarũ immanitatem obijſſe (illis dumtaxat liberis qui confugeruut ad arcam) cenſet Pererius Enoch non ſubuerſum ab aquis. Quare formidabit concedere, paradiſum terreſtrem diluuio non eſſe obrutum,licet vniuerſam terram aquis illius opertam aſſerat Scriptura? Maxime cum Eccleſ. cap. 44. firmet ſimilem exceptionem.

Quod ſi dicatur(ſic inſtat contra noſtram expoſitionem Pererius) aquas diluuij eſſe à Deo detentas, ne paradisũ attingerent, non ſolum nõ iubat iſtam opinionem, ſed valde improbabilem reddit,vt pote, quam non poſſunt iſti tueri niſi confictis arbitratu ſuo miraculis, confugere autem ſine cauſa ad miracula, à Patribus, & Theologis reprehenditur, & præſertim ab Auguſtino. Hæc autem ratio manifeſte ipſum redarguet inconſequentis. Fatetur namque Henoch tranſlatum eſſe in paradiſum, hoc eſt in amæniſsimum locum,quo liber exterit ab aquis. Ille amæniſsimus locus (ab ipſo rogo) erat in terra,vel extra? Secundum negat,ſi fuit terreſtris, ergo vel aquis opertus, & ſic ſicut Enoch ſuperſtes relictus. Si ab aquis intactus, quid de vniuerſali Scripturæ, *ſuper vniuerſam terram*, dicemus? Si ergo in illo amæniſsimo loco, quem confingit Pererius, mirabiliter vixit & viuit Enoch ſimili fundamento defẽdi valet,paradisũ terreſtrẽ quia domicilium Enoch,aliæ & ſi non eſſent rationes, mirabiliter veneratum ab aquis,diluuij cladem nõ eſſe paſſum.

Ex Geneſ.7. Diluuium vniuerſam deleuit terram, & omnem ſubſtantiam quam fecit de ſuperficie terræ.

Geneſ.8. Columba ramũ oliuæ portauit, non poſſet autem ex oleis illis, quam diluuiũ obruerat, ſed ex campo, quo aquæ non acceſsiſſent.

IAm Præadamitã, Iudæos, quorũ Adamus caput Geneſ. 2. refertur cõdictus, diſtinctos genere & ſpecie & a Gentibus, quorum creatio Geneſ. capit. 1. ſeparatos, hos filios Dei, illos filios hominum nuncupatos.

vidimus tradidiſſe. Separauerat, inquit, Deus Iudæos à Gentibus, quo tempore illos collocauerat in terra ſancta, & ſua, tamquam in horto concluſo, cuius aditus Gentibus non pateret, ad quos vtique Gentes nefas eſſet Iudæis accedere: Iudæos ergo vetuerat Deus mixturam vllam facere cum Gentilibus, maxime vero auerſatus erat, filios ſuos matrimonio contaminari cum filiabus hominum. Contra Dei vetitum admiſſerant Iudæi ad terram ſuam Gentiles homines: qui cum cæpiſſent multiplicari ſuper terram (intellige Palæſtinam) & filias procreauiſſent: videntes filij Dei, ideſt Iudæi filij Adam, filias hominum, quod eſſet pulchræ, ideſt filias Gentilium, acceperunt ſibi vxores, ex omnibus, quas elegerant. Concubitu porro illo prognati ſunt Gigantes, etenim cum vegetes, & fortes Iudæi, à recenti formatione, qua Deus optime habitos compegerat, ingreſsi eſſent ad filias hominum, ratione illa, qua fortes creantur fortibus, & diuinum humano cõmiſtum, heroas generat, creauere filij Dei filiabus hominum commiſti Gigantes, ideſt heroas, & viros fortes: quales explicantur loco eodem per potentes, & viros fama ſæculo ſuo illuſtres.

Iratum vero Deum propter Iudæorum nefas pœnituit feciſſe hominem, & terram perdediſſe, qua Adamum formauerat, vnde Iudæi nati eſſent, lutulentum, & corruptum hominum genus, *Quorum cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore*, ait Geneſis, ideſt à prima ſui origine, tum in Adamo primo eorum parente, qui Dei pactum tranſgreſſus erat, tum in ſe ipſis, qui fœdus vtique diuinum ruperant. *Delebo* (adiecit Dominus) *hominẽ, quem creaui, à facie terræ ab homine vſque ad animantia, à reptili vſque ad volucres cæli, pœnitet enim me feciſſe hominem*, Aduerte hic terræ nomine Palæſtinam intelligi more Hebræorum, qui nomine terræ ſimpliciter dictæ Palæſtinam intelligunt. Hominem igitur quẽ creauerat, decernit Deus delere à facie terræ illius. Per *hominem* quem creauerat, intellige Iudæos Adami filios. Per *animantia* vero Gentiles Iudæis permiſtos, & peccati Iudæorum cauſas, ſecundum ſuperius relata, quibus, Iudæos homines dici, & beſtias Gentiles habetur. Illis autem verbis, Geneſ. 7. v. 11. & 12. indicatur, homines, & beſtias terræ Iudaicæ perijſſe diluuio illo, quo Palæſtina tota immerſa eſt.

§. I.

Iacit primum fundamentum Præadamita, vt propoſitionem illam ſuper vniuerſam terram, *non abſolute pro terris omnibus, quibus ſol vtrumque reſpicit hemiſpherium ſupponat.*

SVperioribus vidimus iam, quam falſo duas illas hominum Præadamita diſtinxerit categorias, quamque leuiter ex nominibus illis *filiorum Dei, & hominis* abſolute, quibus Iudæi, ſicut & *animantium, beſtiarũ* ve ſolent Gentiles, videtur indigitari, vt vtrumque diſtinguat hominum genus, fuerit motus. Nũc autem, quibus præcipuum ſuæ expoſitionis fulcimen rationibus roboret, vt vniuerſam terram ideſt Palæſtinam dumtaxat aquas diluuij innundaſſe perſuadeat, attendamus.

Inquit enim more Hebræorum nomine terræ abſolute dictæ Palæſtinam debere intelligi, iuxta illud, *Separauit illos tibi in hæreditatem de vniuerſis populis terræ*, vbi Palæſtina intelligitur, ſicut & quod Euangeliſtæ de tenebris ſuper vniuerſam terram morte Domini ſparſis, ſuper to-

totam Palæstinam more Hebræorũ plures intelligunt, vnde melioris interprætes notæ (inquit) vertunt, *Super vniuersam terram Iudæorum.* Quæ omnia inquit explicari à prophe ta Isai cap. 9. *In die illa erit Israel tertius Ægyptio & Assyrio; benedictio in medio terræ cui benedixit Deus. Benedictus populus meus Ægypti, & opus manum mearum Assyrius. Hæreditas autem mea Israel.* Vbi nota: Ægyptium trans Nilum, & sinum Arabicum, Assyrium trans Euphratem, positos hinc & inde Israeli conterminos. Israelem vero tertiũ, inter Ægyptum, & Assyrium, & inter limites suos fluuiales, interiectum, Nilum scilicet, & Euphratem. Nota. inquam, Israelem positum tertium, & medium inter Ægyptios, & Assyrios, nec non benedictionem in medio terræ illius sanctæ, cui benedixisse hic dicitur, Ægyptios ergo, & Assyrios cernere erit, hinc & inde constitutos iuxta numerum filiorum Israel, & propter ripas tribuum Iudaicarum collocatos. Filios vero Adam, siuè Iudæos ipsos separatos ab Ægyptijs & Assyrijs; quos inter nimirum positi Nilo, & Euphrate diuidunt. Quæ omnia innui videntur, cap. 32. Deut. *Quando diuidebat altissimus gẽtes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum, iuxta numerum filiorum Israel.*

Quod si illi opponatur. Ruptos fuisse omnes fontes Abyssi magnæ, & cataractas cœli apertas. quasi ipsum cœlum aqueum in terras vndequaque effusum omnes orbes innundauerit, respondet, Abyssum magnam illam, mare ipsum Palæstinorum fuit: a quo fontes Palæstinæ omnes scaturiunt. Quos ruptos hic nobis exhibuit Genesis, vt repræsentaret Palæstinam totam in aquas liquefactã, exsudauisse quidquid humorum habuisset in venis, at enim vero, hic Moses vim addit hyperbolice dictis, & scriptis. Cœlum autem aqueũ in terras vndequaque effusum esse, interprætari, guerræ maximæ sunt. Hæc enim luxuriante stylo scripta fuerunt, vt vim exprimerent pluuiæ, qua Iudæorum terra diluuio illo innundata est. *Operti vero montes sub vniuerso cœlo*, intelligi debent de mõtibus Palæstinorum excelsis omnibus. Nec nõ vniuersum cœlum quod hoc loco dictum est, est quod Palæstinis patuit. Tralatitum enim est, cœlum suum regioni suæ assignari. Sensu eodem accipe caput Deut. 2. vbi Deus metum incutiens populis omnibus terræ sanctæ, ad quam Israelem suum intromittebat, hortabatur illum his verbis. *Hodie incipiam mittere metum, atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cœlo.* Omne cœlum hoc loco intelligendum, quod imminebat terræ sanctæ. Neque enim terrorem Iudaici nominis immittebat Deus tunc temporis in populos, qui habitabant sub cœlo, vel Sinensi, vel Americano, vel Australi. Ex quibus infert diluuium illud peculiare fuisse Iudæis, & in eius patrocinium Iosephum lib. 2. contra Apionem adducit, vbi recẽsẽs omnes auctores antiquos, qui Iudæorum meminissent, laudat inter illos Berosum. ¶ Berosus (inquit Iosephus) scripsit de arca, in qua generis nostri Princeps seruatus est. ¶ Non dixit, in qua generis humani Princeps seruatus est, sed in qua generis nostri, id est Iudaici, Princeps seruatus est. Agitur enim eo loci, de Iudæis, quos suos & genus suum vocauit Iosephus Iudæus ipse.

Verum hic non de terra quadam, populo ve determinato Scripturam locutam, indicant circunstantiæ, quibus diluuium exornat, vt constabit legenti. Fundamentum autem, quo passim vtitur vt ad Palæstinam vniuersam, terram restringat, volens nolens tenetur deserere. Isaias enim

cap.

cap.42. *Populum qui calcat terram*, inquit, & tamen ipse Præadamita fol. 107. nomine terræ, non sanctam imò & illam, qui à Gentilibus inhabitatur, intelligit. Falso ergo nixus est fundamento. Validissimum in Præadamitam est testimonium Psal. 105. *Terram autem dedit filijs hominum.* Vel ergo ibi nomine terræ intelligitur sancta, vel non, si secundum falsa sunt quæ tradidit, vt *vniuersã terrã*, Genes. 7. limitet ad Palæstinam. Si primum pariter est contra ipsum, loquitur enim Scriptura de terra dedita filijs hominum ab illis in habitata, sed in sententia Præadamitæ hæc debet terra Gentilium esse, quoniam hic, & fol. 68, & alibi passim, *filij hominum* cognomen Gentilium asserit esse, sicut & *filij Dei* Iudæorum cognomen proprium. Denique Psal. 49. *Audite hæc omnes Gentes, auribus percipite omnes qui habitatis terrã, quique terrigenæ & filij hominum.* En nude ponitur *terra*, & nihilominus Præadamita locum huiusmodi fol. 90. adducens, terram à Gentilibus in habitatam exponit. Vt quid ergo Genes. 6. & 7. quasi principium vniuersaliter acceptum fuisset, quod nomine terræ, si nullum aliud addatur, Palestina intelligi debeat, propositionem vniuersalem, qua vniuersa terra exponitur innundata, ad Palestinam detorquet. De tenebris in morte Christi Domini sparsim postea dicendum.

Addit præterea Præadamita, aquas esse Palestinas tantum; inferne ebullientes, & superne decidentes, vnde abyssum illam magnam mare Palæstinorum intelligit, à quo fontes Palestinę omnes scaturiunt, quibus ruptis Palestini periere, non autem concedit mare ipsum Palæstinum ita fuisse instigatum, vt in terram ipsam, aut innundaret, aut in altum eleuatum ipsos obrueret montes. Imprimis autem cum abyssus magna dicatur, improprie dicitur de Palæstina, Pythius aduertit, quod licet respectu sinuum vicinorum possit mare vocitari magnum, nihilominus maris Mediterranei pars quædam cum sit, cũ Oceano comparatum vix abyssus erit, nedum abyssus magna, quæ fundum creditur ignorare. Posset quidẽ Erythræum addere mare, quod terræ sanctæ ipse terminum fecit, vt abyssus augeatur, & ne Palæstinorum desse fontibus aliquid posset, accedere possent termini reliqui, sinus scilicet, quem ipse Arabicum iudicat, aut fluuius Ægypti, & Persicus, siuè Euphrates, quibus maribus & fluuijs ipse hortum illum Iudæorum conclusum apprime terminare instituit. Hoc enim pacto maior abyssus erit quam mare illud Palæstinorum, quin ideo deserere sua Principia Præadamita cogatur. Deinde, abyssum magnam illam, fontes à mari Palæstino scaturientes intelligit Præadamita. Quis vnquam dixit ab vllo mari fontes scaturire? Quamvis enim raro fons aliquis prope litus maris scaturire sit visus, non à mari, sed ex imis sub fundo arenoso aut calculoso maris venis emittuntur aquæ à natura fontanæ, per occultos ductus, & subterraneos meatus è montibus procedentes.

Denique, quoniam Genes. 1. terra inanis vacua, ac tenebrosa nuncupatur abyssus. Cur ergo hic per abyssum magnam, terrarum, & marium omniũ profunditatem non intelligemus? abyssum ergo magnam, vt sic quanta fuerit creatoris ira, magis percipiatur, venas dicimus omnes, meatusque aquarum subterraneos abyssi vniuersæ, marium que & terrarum profunditates, ruptis aquarum compedibus sursum efferbuisse: imò ipsum Oceani fundum, nunquam plumbo hominibus proditum, aut nauigantibus exploratum, cum omnibus reliquorum marium profunditatibus

eructitasse in terras omnes opulentissimas diuitias suas. Quæ omnia indicant verba Mosis exponentia diluuium, quin hyperbolice accipienda sinat Creatoris manus irata, neque vniuersi miserrima clades, quæ omnem ponderationem verborum que hyperbole superauit, quidquid illam extenuare Præadamita conetur non sine temeritate. Sic impugnat Pythius, & addit.

Guerras maximas (asserit) esse, expositiones quibus aliqui cœli cataractas apertas, cœlum aqueum effusum in terram interpretantur, Verum nullus, quem sciuerim, totum aqueum cœlum super terram effusum voluit, sed, quod cœli illius aquei sint cataractæ apertæ, vt aquis superioribus, inferioris abyssi aquis obuiam decidentibus, diluuio perirent omnia in sicco viuentia. Sic etiam intelligi posse ex verbis Petri Apost. 2. Petr. 3. 10. 12. vltimo illo iuditij die, fornaces cœli illius ignei disrumpendas, vt elementa æstuantia, & cœli conflagrantes soluantur; terraque & quę in ea sunt opera exurantur. Hęc autem sacris litteris satis sunt consentanea, impudenter autem guerrę dicuntur. Castigandum autem Pythius Præadamitam existimat, eo quod hyperbolico & dicendi genere entheo tradiderit esse conscripta.

Nimis tamen in Præadamitam accenditur Pythius, neque hic merito castigatur, quocum alijs in locis, pie segeret, si nota temeritatis in vrat. Immerito, in quam, quod hyperbole recognouerit in præsenti Pythius miratur, cum etiam Rupertus lib. 4. Cõm in Genes. cap. 20. ¶ Cataractæ cœli apertæ sunt (inquit) accipiendum est per hyperbolim: & sic esse dictum ad insinuandum innundationis magnitudinem, quæ tanta fuit, vt firmamentum inter aquas cœleſtes, & terrestres à Deo dissipatum esse videretur secundum vulgi opinionem. ¶ Neque falso, aliquos cœlum aqueum effusum in terras interpretasse, Præadamitam tradidisse, Pythio largimur. Cum Eugubinus illam amplectatur sententiã. ¶ Cur igitur (inquit) etiam supra cœlum sint aquæ, aquæ non nullis cœlum crystalinum vocantur. Has credendum est patefacto cœlo horribiliter erupisse, vrbi que totum orbem innundasse, nam his quoque aquis erat opus ad efficiendum generale diluuium. Alioqui si imbribus res tantũ acta esset, non modo quadraginta dierum & noctium pluuia, sed nec quadragiuta quidem annorum tanto diluuio efficiendo satis fuisset. ¶ Abulensis similiter attribuit huiusmodi sententiam cuidam doctori, quem ipse vocat solemnem, sed antiquio rem esse constat ex eo quod illius meminit Beda lib. de natura rerum, illa autem despici communiter solet.

Dicendum ergo est cum Ruperto Cœli cataractas apertas esse, hyperbolicum esse loquendi modum, Mose communi hominum opinioni stylũ attẽperante, qui in aereis regionibus siuè in cœlo immensam aquarũ vim contineri aiunt. Quo spectat Iob 12. *Qui ligat* (inquit de Deo) *aquas in nubibus suis, vt non erumpant pariter deorsum. Si continuerit aquas, omnia siccabuntur, si omiserit eas, subuertent terram.* Vnde in magna pluuiæ necessitate dicitur clausũ cœlum, & apertum cum imbrium est abundantia. Apertas ergo inquit Moses, cataractas in cœlo, vt immensam aquarum copiam è cœlo in terra profusam esse indicaret, simul enim aqua erupit ex terra & ex cœlo defluxit, quod inficias non ibit Præadamita.

Operti sunt aquis montes altissimi sub vniuerso cœlo, his verbis, cœlum, quod Palæstinis patuit, intelligit Præadamita Tralatitium enim, inquit, est cœlũ suum regioni cuique assignari. Mens igitur Pradamitæ so-

la

laca eſt, montes illos excelſos omnes, quorum cœlum Palæſtinis patebat, diluuij aquis opertos fuiſſe, vniuerſum enim cœlum intelligendum, quod Palæſtinis patebat. Contra quẽ ſic argumentatus eſt Pythius. Vniuerſum cœlum hic intelligendum: inquit Præadamita, quod Palæſtinis patuit: ſed vniuerſum cœlũ vniuerſi hemiſphærij Palæſtinis patuit, vniuerſum ergo cœlum vniuerſi emiſphærij hic intelligatur neceſſe eſt. Firmat, & probat ſubſumptã Pythius. Cœlũ quod vni regioni patet, eſt cœlum totius horizontis, aut hemiſphærij eiuſdẽ regionis, & omnibus patet regionibus, quæ ſunt in eodẽ hemiſphærio. Tale autem cœlum fuit illud vniuerſum, quod Palæſtinæ regioni vni patuit. Cœlum ergo illud Palæſtinis patens fuit cœlum vniuerſum vniuerſi Palæſtini hemiſpherij, patens etiã omnibus regionibus ſub eodem hæmiſphærio. Nullum hic tibi reſtat effugium, inquit Pythius, quin concedas, cœlum illud Palæſtinis patens, fuerit cœlum vniuerſum totius hemiſphærij. Hoc enim modo tralatitium eſt, *regioni cuique cælum aſsignari ſuũ*: Si vnquam Matheſi operã dederit: vt illud ſpatium cœli, quod huic prouinciæ patet, alteri etiã patere neceſſe ſit, quæ ſub eodẽ eſt hemiſphærio, cuiuſque regionis cœlũ, in toto mundo mediũ eſt totius hemiſpherij, & patet idem cœlũ regionibus, quæ sũt in eodem Finitore, aut ſub eodem cœli vniuerſi hemiſphærio. Cœlum igitur vniuerſũ, quod Palæſtinis patuit, idem cęlum fuit, quod & alijs eodem momento patuit regionibus, & terris omnibus, quæ erant ſub eodẽ Palæſtinæ hemiſphærio. Cęlum enim regioni patens metro regionis metiri velle, atque non vltra regionis termiuos extendere, inſulſo eſt inſulſius, atque ipſa ignorantia ignorantius.

Extendatur itaque argumentatio. Omnes excelſi montes ſub vniuerſo cęlo, quod Palæſtinis patuit, operti ſunt aquis quindecim cubitorũ altitudine, montium vertices excendentibus. Cęlũ autẽ quod Paleſtinis patuit, fuit cęlũ vniuerſi hemiſphærij. Omnes ergo excelſi montes aquis operti intelligendi ſunt, ſub vniuerſo cęlo vniuerſi hemiſpbærij. Nõ igitur Palæſtinorũ montes excelſos omnes intelligas neceſſe eſt: ſed omnes illos, quibus patuit cęlum vniuerſum, etiam ſecundũ tuum ipſius iuditium. Nos tamen montes cum Scriptura intelligimus omnes ſub vniuerſo cęlo, hoc eſt, cęli vniuerſitate, quia nullam apprehendimus Scripturæ limitationem.

Neque locus Deut. 2. quo hanc ineptitudinem probare ſatagit, illi prodeſſe poteſt. *Hodie incipiam* (ſcribit Moſes) *mittere metum atque formidinem tuam in populos, qui habitant ſub omni cælo.* Vbi omne cęlũ, inquit Præadamita, intelligendum, quod imminebat terræ ſanctæ. Neque enim terrorẽ Iudaici nominis immittebat Deus tunc temporis, Sinenſi, vel Americano, vel Auſtrali, vel Groenlandico. Supponit Præadamita, nullis populis, exceptis terram habitantibus ſanctam, metum incuſſum fuiſſe, hoc autẽ falſum: omnibus enim illis, qui incolebant exteras terras, quorũ aures Iudæorum feriret fama, Deus incuſsit metum, pectus que palpitabat gentibus omnibus Iſraelis nomine audito. Contremuiſſe omnes inquit Pythius paſsim intelliguntur, quoties exodi huius populi ex Ægypto recordarentur. *Terrorem mei* (inquit Deus Exod. 23. *præmittam ante faciem tuam, & fundam quemlibet populum, in quem venies: & omnium inimicorum tuorum exponam tibi ceruicem.* Omnes ergo populos in quos veniret Iſrael, inquit Dominus eſſe terrendos, non autem Palæſtinos dumtaxat.

Deinde, Præadamita (ex ſtudio

neſ-

neſcio) textus Deut. aliqua verba reticuit, illa nempe, *qui audierint famã tuam, illi trepidabunt, & langueſcent à facie tua.* Eſt ergo hic Sacræ Scripturæ ſenſus. Vniuerſum cœlum, quocunque fama hæc manaret, aut aut populus hic à Deo mittendus eſſet, omnes que gentes, ad quas Iudæorum peruenisſet notitia, maxime perterrendas, ſi ergo Sinenſis populi, vel Americani, vel Auſtrales, vel Groenlandici famam audiuiſſent Iſraelis, & Deus ſuum populũ ad illas poſſeſſionibus ſuis expellendas miſiſſet, trepidaſſent omnes, non minus quã populi alij, ad quos peruenerat fama. Non ergo *ſub vniuerſo cœlo*, niſi peperam, de cœlo terræ Palæſtinæ imminente, valet interpretari. Adde, notanda illa verba, *Die hoc incipiam imponere, &c.* Multis iam retro annis trepidauerant populi, quicunque horrenda illa ſigna Ægypti intellexerãt, famam que illorum audiuerant omnium, quæ in mari Rubro, & poſtea in deſerto contingerant admiranda, ſed iam præcipuè ex bellis cũ maximis regibus terræ illius fœliter gerendis, magnum illud Dei nomen diuulgandum erat in terrorem gentium omnium, & populorum: ad quos fama illa, & coronæ rumoris triumphales deferrentur: tantarum que victoriarum proflueret incendium.

Neque Ioſephus eſt pro Præadamita, qui lib. 5. Antiq. cap. 4. referens de diluuio Noachico hiſtoriam, Deũ, inquit, humanum genus extinguere decreuiſſe vniuerſum, & contingentẽ terram in Pelagi faciem tranſmutaſſe, vt nimirum nouum hominum genus, ex illo viro, cuius iuſtitia erat delectatus, arca ſeruato, inſtauraret, atque ita genus aliud aboleuit vniuerſum. Quæ vera non eſſent, ſi aliqui in mundo, præter ſeruatos in arca, poſt diluuium ſuperſtites fuiſſe, Ioſephus crederet. Neque verbis à Præadamita adductis habetur contrarium in ſui faborem. Scopus Ioſephi, Iudæus cum eſſet, Appionem Gentilem, quidquid ipſe de Iudæorum ſtirpe, hiſtoria que de illa Noachi ex ſacris litteris in arca ſeruati, & quidquid ſimul protuliſſet ex Scriptura de Abrahamo refellentem, erat ſuadere, verum etiam eſſe ex ſcripturis Gentilium, & ideo in ſui confirmationem allegat teſtimonium Beroſi, qui ſcripſit de arca, in qua princeps Iudæorum ſem nempe ſeruatus eſt, ex quo vniuerſa Iudæorum texitur genealogia. Id enim ſuadere Ioſephus voluit, quod negauerat Appio, hic autem inficias ibat, ſtirpem omnium Iudæorum ab aliquo, qui princeps ſui generis noſceretur, duci in arca ſeruato, ita vt ab illo genealogiam certam texere poſſent, quod neque Appio, neque feciſſet ex Gentilibus vllus, ideo vſque ad Adamum aſcendendo non perrexit Ioſephus, quia ſolam ſtirpis ſuæ docebat originem, neque cum Ægyptio contentio Iudæo erat de reliquijs generis ſui.

§ II.

Proponitur Præadamitæ fundamentum ſecundum, quo vniuerſale non fuiſſe diluuium, conatur oſtendere, repellitur, & antilogia reducitur ad concordiam.

DIluuium fuiſſe peculiare, terrã que Palæſtinam innundaſſe dũtaxat, probat ex illo, quod ſcriptum eſt de columba, quam Noe emiſit, & ad illum veſpere redijt, portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore ſuo. Ramus (inquit) ille virentibus folijs, quem matre ſua auulſum retulit columba, non erat ex oleis illis, quas diluuium obruerat, & per annum emenſum limoſa palude obduxerat: quarum, id circo folia limo grauata, limi rubigine emarcuerant. Probabilius ergo erit, dixiſſe columbam è mon-

montibus Armeniæ emiſſam, aquas diluuij omnes tranſuolauiſſe,&in cãpis ſuperioris Aſiæ elatioribus legiſſe ex olea quadam cataclyſmi,& limi pura ramum illum virentibus folijs, quo virentem, nec marcidam ſalutis ſpem Noe oſtentaret.

Quod vt clarius percipiamus, retractemus animo, & recogitemus apud nos impetum illum, quo diluuij imbres immenſis aquarum agminibus eruperint, & terram totam per quadraginta dies, & totidem noctes, nec mora, nec requie verberauerint. Reputemus quot, & quantas cœnoſas aquas præcipati montibus torrentes in valles deuoluerint. Tum vero diluuium ipſum torrentibus illis concitatum, & conflatum nil niſi aquam fuiſſe, limo, & cœno delibutam, quæ deinde cum per annum liquatur, quo montibus altioribus incubuit, & quindecim cubitis ſupra fuit: fæs limi infundum decidens ramis arborum ſubſedit, folijs que hæſit ſuper omnibus. Docemur nempe hoc quotidiano experimento, vbi torrentes turbidi ripas ſuas innundaueruut. Exſuctis enim poſtmodum aquis, cernimus & arundines, & arbores, quibus ripæ illæ conſitæ ſunt, limi pondere marginibus ſuis peſſum preſſas, & cœno immundiſsimo turpatas. Quale exemplar fuerat olearum omnium diluuio Noacico immerſarum. Oleas quin etiam ipſas, per annum ſolidum, quo diluuium illas obruiſſe, legitur, nullo Sole eas vegetante, cœnoſis aquis omnino corruptas, & interfectas, putruiſſe tandem credibile eſt. Concludit tandem. Facile certe mihi perſuaderem, aquas diluuij Noacici, centũ vel circiter milliaribus in ſuperiorũ Aſiæ conuexum fuiſſe euectas, hac ratione, quod gloui illius conuexitas ſalebroſa, & verrucoſa, imò ad Taurinos tractus dorſis immanibus exſurgens, curſus aquarum, vt credibile eſt, fregerit: & rupibus interiectis, ne longius & latius vagarentur, valide obſtiterit. Centum vero vel circiter milliaria emenſam, & remenſam die vno columbã, vt virentem ramũ oleæ roſtro legeret, & referret, hinc maxime conijcio, quod emiſſa mane venit veſpere. Conijcio, inquam, longius euolauiſſe: tum ex pernicitate alarũ, qua, innata celeritate rapitur columba: tum quod ducente & referente Deo quæſitum ierat pacis teſſeram, qua Deus, in Noe, Iudaicæ genti conciliabatur. At vero non ita longe volatum deſtinauiſſet, ſi marcidum & turpatum limo termitem carpere illi ſatis fuiſſet: proſtabant enim iuxta arcam innumeri.

Verum contra iſtam expoſitionẽ, & quo mouetur fundamentum expreſſa eſt Scriptura, optime que in illum ex eodem textu Pythius inſurgit. Auium enim naturam Noachus noſcens, rerum naturalium peritiſsimus, coruum primo emiſit alitem robuſtiſsimum & viuaciſsimum, quorũ natura eſt, ex tempore viuere, huc illucque, & quaqua verſus volitare: ſecurumque eſſe, quo penna ferat, & pes figatur: vnde prouerbium natum eſt: coruos ſequi. Nihilo minus tamen coruus, qui natura ſecurus, continua ad arcam agitabatur neceſsitudine. Si ergo in campis Aſiæ fuiſſet locus conueniens vllus, breui ex arca volans apprehendiſſet & in oculis habuiſſet Aſiæ ſuperioris montes; ſi enim campi illic elatiores erant, quã ipſi montes Armeniæ diluuij aquis operti, vt Præadamita tradit, quanta altitudine, ipſi montes Aſiæ extiterint coruinis oculis perceptibiles, non ergo perſpicaciſsima hæc & ſagaciſsima volucris, per quatuordecim fere dies indefinenter abijſſet, & redijſſet, ſi conuenientem in Aſia videret locum. Idem argumentum fit de columba. Illa enim ante ſeptem vltimos dies emiſſa, locum quietis non inueniens ad arcam reuerſa eſt. Non autem

tem rediret ſi in campis Aſsiæ inueniſ ſet commodum locum, ſicut illa, vel alia vltimo emiſſa: nõ enim vltima iſta colũba magis tranſvolaſſe omnes diluuij aquas credenda eſt, quã colũ ba præcedens, vt ſi vltima centũ, vel circiter millia ria vno die emenſa, & remenſa ſit, aquas omnes diluuij trãſvolando in Aſsiæ ſuperioris campos, præcedens æqua celeritate nõ rapiatur, eadem pernicitate gaudẽs alarũ. Denique. Quoniã Præadamita dicit, quod ducente & ferẽte Deo, quæſitũ ierat pacis teſerã ipſa columba. Quare ergo nos non idem dicemus de illa columba, quod Deo duce & auctore, ex aliquo ipſius Palęſtino oliueto, aquis diluuij cęnoſis polluto, reportaſ ſet termitem limo purum, aut virentibus folijs pacis teſſerã: quã miraculoſa, & nõ naturali tranſvolatione ex campis Aſsiæ ſuperioris.

Ad illud, quod totum argumenti robur conſtituit, *virentibus folijs*, dicendum eſt, Græcos libros habere *feſtucam*, Hæbraice eſt. *Ecce foliũ oliuæ raptũ erat in ore eius.* Vox *haleh* propriè ſignificat foliũ. Quod licet proprius columbæ imbecillitati conueniat, quam decerpere ramum, potuit tamen ſi tener fuiſſet pauculis cõſtãs folijs. Poſt ſedatos ergo diluuij impetus, fæcẽ dicim⁹ ſubſediſſe paulatim, foliaque in olearum ſummitatibus, ſi quid limi adhæſerit, ſuprema in aquis vndarum fluctuatione, & ſummorum termitũ agitatione diluta fuiſſe, & à ſordib⁹ purgata. Veriſimile enim eſt oleam illã ante diluuiũ folia habuiſſe virentia, eaque ſub aquis toto anno conſeruaſſe. Olea enim, vt tradit Plin. lib. 16. cap. 1. ex genere earũ arborũ eſt, quæ nunquam frõdibus viduatæ, earum virorem conſeruant. Teſtẽ adducimus B. Chryſ. hom. 20. in Geneſ. ¶ Sed vbi inuenit folium oliuæ? (inquit) Totum hoc factum eſt diſpenſatione diuina; & quod columba inuenerit, & quod ore tulerit ad Noe, quã quam hæc arbor ſemper virens eſt. Vnde veriſimile eſt, quod cum aquæ redierint, arbor hæc adhuc habuerit foliorum comam. ¶

§. III.

Proponitur, & repellitur tertium fundamentum Præadamitæ.

EX cap. 10. Geneſ. probat diluuiũ generale non fuiſſe Præadamitarum auctor, eo quod nõ omnes populi ex filijs Noaci ſunt propagati, & ideo neque omnes diluuij aquis immerſi. Cõſtat ergo, inquit ipſe, à filijs Noe non terrarum omniũ plagas, ſed terræ ſanctę regiones tantum diuiſas eſſe & poſt diluuiũ poſſeſſas. Probat primo, quoniam enumeratis filijs Sẽ, inquit Scriptura: *Natique ſunt Heber filij duo. Nomẽ vni Phaleg: eo quod in diebus eius diuiſa fuerit terra.* Eodẽ etiam cap. 10. habetur. *Hæ familiæ Noe iuxta populos, & nationes ſuas. Ab his diuiſæ ſunt gentes in terra poſt diluuium.* Vbi indicatur diuiſas eſſe regiones terrę sãctæ. Terra enim ſimpliciter dicta, terra ſancta eſt. Secundo. Verba enim illa Gen. 10. *Ab his diuiſæ ſunt inſulæ gentium, in regionibus ſuis, vnuſquiſque ſecundum linguam ſuã, & familias ſuas, in nationibus ſuis.* Quibus ſuſpicari poteſt generale fuiſſe diluuium, non poſſunt de regionibus extra terram ſanctam intelligi. Quis enim credat tanta hominũ propagine luxuriaſſe filios Iaphet, vt, non ſe capientibus in continenti terrarum omni habitatoribus, effuſi ſint in inſulas omnes adiacẽtes, & ſemotas, per æquor omne, tum Mediterraneum, tum Ægeum ſparſas? Hoc autẽ, quid mirabilium eſt, intra tertiam generationem filiorũ Iaphet.

Imprimis inconſequẽter loquitur, etenim capitibus præcedẽtibus terrã Palæſtinam diluuium tantũ obrutam repetit, & nõ ſemel, hic ad alias regiones extẽdit. Illa enim in Præadamitæ

principij cladē diluuij experta sunt, quæ postea à filijs Noe sunt diuisa. Regiones autem non solum terræ sanctæ, sed alias pariter illi cōterminas, pag. 211. fatetur à filijs Noe post diluuium esse possessas. Perierant ergo aliæ, præter Palæstinam, terræ regiones aquis innūdatæ diluuij. Præterea. Quoniam superius manifestè probauimus, terrā simpliciter dictam non supponere pro terra sancta, tunc enim temporis terra sancta non erat, nulla enim à Deo, à quo accepit post modum sanctitatem, facta fuerat terrarum vlla descriptio. Sanctum enim in Scriptura, separatum ab alijs significatur, ante Abrahamum autem nulla fuit populi discretio, neque terrarum electio, promiscue viuētibus tunc posteris cunctis Noe. Abrahamo enim fuit terræ facta promissio, duodecim autem tribubus terrę possessio donata est.

Neque secundum, quod aduersus dispersionem per orbem terrarum filiorum Iaphet intra tertiam generationem vrget, roboris est vllius. Non enim vllus dicere audebit: diebus nepotum Iaphet tanta propagine luxuriasse filios illius, vt intra tertiam generationem, effusi fuerint in insulas omnes habitatoribus non se intra cōtinentem terram capientibus. Scriptura autem initio diuisionis terræ, & regionum, auctores primos, atq; originem dispersorum populorum designat, vt ait Pythius. Diebus autem filiorum Iaphet non in tot, nec tam lōgiquas in terræ regiones se diuertere familiæ, cadentibus vero temporibus & traiectitij facti sunt populi, & vltra Euphratem, & fluuium Ægypti terras calcarunt, terminos que suos posuerunt filij Iaphet. Non quod eodē momento omnes statim terrarum omniū prouincias adirent, sed secundum familiarum numerum, atque linguarūt diuersas terras occuparunt: quibus familijs multiplicatis paulatim, ad alias, & alias regiones itū fuerit passim. Gentium regiones, cum dicit, aut insulas Scriptura, non intelligendæ sunt terræ, quæ iam à gentibus inhabitantur, aut quibus prælio expellendi essent gentiles populi ex Noe non oriundi, aut diluuio non extincti; sed quæ illo die quo scriberet Moses, reuera gētium regiones erant: & à sancto Dei populo, illarum incolæ discreti, gentes dicebantur.

Plura ex imperio Assyriorum sub Nino, regnatoribus Ægypti, Nino antiquioribus, & regibus Scythiæ, Thebanorum regum præfectura in Ægyptios, regum que dynastijs adducit testimonia profana, vt diluuiū hoc Noacicum Palęstinę terræ faciat particulare. Verum de antiquissimis imperijs quā plurima, quæ leguntur conscripta, non nisi fabulæ sunt, e orū que auctores, (de quibus Paulus ad Rom. 1. vanos, inquit, factos esse in ratiocinationibus suis, mutantes gloriā incorruptibilis hominis) qui posteris tradidisse, & scriptis consignasse mendatia potius credendi sunt, quàm à Sacræ Scripturæ apice vno discedamus, iuxta quam habemus, in vniuersam terrā, in omnem carnem, & sub vniuerso cœlo, aquas diluuij generaliter irruisse. Constat ex Sacra Scriptura animalia fuisse in arca salva seruata, ex quib⁹ singulorum esset genus instaurandum. Si ergo omnium generū animalia, vbique extra Palæstinam superfuissent, quid necesse erat omnes, & bestiarum, & volucrum, & reptiliū species ex vndis seruare, eisque postea indere fęcunditatem? Quidquid sit autem de testimonijs Sacerdotis Ægyptij, Strabonis, Solini, & cæterorum, quibus suam visus est firmasse Præadamita sententiam, quæ pro nunc examinare non vacat, veritas pro Sacra Scriptura semper stabit, nec poterit præterire.

Ge-

Geneſ. 8. v. 13. Sexcẽteſimo primo anno, primo mẽſe, prima die menſis, imminutæ ſunt aquæ ſuper terram. & aperiens Noe tectũ arcæ, aſpexit, viditque quod exſiccata eſſet ſuperficies terræ

Geneſ. 8. v. 14. Menſe ſecundo ſeptimo & vigeſimo die menſis arefacta eſt terra, quæ interſe opponuntur.

CAietan. diem illum quo Moſes arefactam dicit terram, vnum, & eundem eſſe, cum illo, quo exſiccata ſuperficies terræ ſcribitur, ait, dici autẽ primum primi mẽſis, ſi referatur ad annos vitę Noe, ſin autem ad annũ vſualem, ſiue currentem, nominari 27 ſecundi menſis. Opinatur enim hic auctor menſem ſeptimum, & decimum, cuius mentio fit in hoc c. v. 4. & 5. ab initio diluuij petendos eſſe; menſem primum v. 13. ad Natalem ſpectare, menſem ſecundum v. 14. ab anni primordio deduci.

At alij arbitrantur Moſem in tam vrebi narratione, tanta ambiguitate loqui noluiſſe, quæ narrationem ipſã obſcuraret. Accipitur igitur hic primus menſis, prima dies menſis, ſecundus menſis, & 27. eiuſdem, vt ſuperiori cap. ſecundus menſis 17. eiuſdẽ quo cæptum eſt fieri diluuium, facta ab anni currentis initio ſupputatione.

Igitur prima die primi menſis terræ ſuperficies aquis nudata, & exſiccata erat, inferius vero humida, mollis, & adhuc lutulenta, die 27. ſequẽtis menſis terra ipſa perfectè arida, ſiuè ſicca, & ſolida extitit, vt commodam hominibus & veſtijs habitationẽ præberet. Sic Abul. Pererius, & Salianus.

Geneſ. 8. Requieuit arca menſe ſeptimo 27. die ſuper montes Armeniæ.

Geneſ. 7. v. 11. Anno ſexcenteſimo vitæ Noe, mẽſe ſecundo 17. die mẽſis rupti ſunt omnes fontes abyſſi. Ex quibus habemus duos menſes, & 17. dies v. 12. facta eſt pluuia ſuper terram 40. diebus, & v. vlt. obtinuerunt quæ aquæ terrã 150 diebus, ex quibus colliguntur ſex menſes lunares (qui 177. diebus abſoluuntur) & dies 13. Quibus ſi adiungas menſes duos, & 17. dies nouem excedunt menſes, non igitur requieuit ſeptimo menſe.

SAlianus, quem alij ſequuntur, ſic explicat. Diluuium incæpit poſt 46. dies anni qui numeratur 600. Noe; continuata eſt pluuia per dies 40. cum perpetuo incremento, tum ſecutus eſt aquarum ſtatus 150. dies, qui iuncti imbrium diebus conficiunt 190. ideſt, ſex menſes, & 13. dies, quibus ſi addas 16. dies finietur ſeptimus menſis. Vnde ſeptimus menſis numerari debet ab initio diluuij, non à primo menſe anni 600. Noe, pro octauo & nono menſe adijciuntur 59. dies vſque ad initium menſis decimi, quo cacumina montium apparuerũt. Hinc ad corui emiſsionem dies 40. effluerũt, denique bis ſeptem conſumpti dies dum colũba bis emittebatur. Quibus diebus in ſummã redactis implebitur totus ſolaris annus ſexcẽteſimus vitæ Noe dierum 365. vt ipſi cõputant.

Verũ hæc cõputatio menſem ſeptimum facit cauum & conſequenter, ſi mẽſes lunares ſunt alternatim caui, & pleni menſes, primus cauus erit, quod non admittit Salianus. Deinde ſi dies vndecim adijciantur menſibus Lunaribus reddetur invtilis menſium lunarium vſus. Nõ enim apparet cur lunares menſes vſurpentur niſi ad curſum lunæ accomodentur, ea fere ratione, qua etiam nunc faciunt Hebræi. Hãc autem rationem turbãt vndecim dies

adiectitij: sic enim fieret, vt si annus 600. Noe nouilunio iniret, sex tentesimus primus luna circiter vndecima 602. luna 22. 603. luna 3. sequens circa plenilunium aperiretur, & totius annorum istorum de cursu, menses dicti lunares, multum à lunari mutatione discrepārēt, ac proinde tolleretur omnino vsus vtilis mēsium lunarium, qui vulgo alium in finem nō vsurpantur, nisi vt singuli dies mensium, ætati lunæ, more modo que ciuili congruant, quod ficti dies isti vndecim non patiū tur nisi rarissime. Menses lunares nō sunt ad vsum idonei, nisi vt ex ijs annus lunaris constituatur, vel simplex 354. dierum, vel embolimæus 384. aut 383.

Mirum etiā videtur mensem secundum cap. 7. Gen. ab anni initio deduci, & mensem septimum, & decimū, à die 17. mensis secundi, seù ab ortu diluuij, similiter mensem primum, & secundum cap. 8. ab anni initio numerari (vt inquit Salianus) sicut mensis secundus cap. 7. computabatur. Non possunt autem non magnis ambiguitatis angustijs conquati præfatæ expositionis auctores, si aliquos ab anni epocha, mēses alios ab initio diluuij numerent, cum eos Moses, sine vlla vatiationis insinuatione constituens, eodem modo computandos clare nō indicauerit. Torniellus quidem, cui p lacet etiam relata expositio, minus consequenter procedit, annum enim 36. regni Asa 2. Pa. 16. ducit à primordio regni Iudà, annum 40. quo reuellauit Absalon 2. Reg. 15. v. 7. ab actione Dauid, secundum & tertiū mēsem, de quibus Ex. 16. v. 1. & c. 19. v. 1. ab anni exordio supputandum fatetur.

Melius ergo textuum componitur contradictio si septimus mēsis ab anni epocha cęperit supputari. Vnde ab initio diluuij vsque ad aquarū diminutionē nō nisi 150. cōputantur dies, ita vt 40. dies imbrium in illis 150. includantur, vt D. Amb. de Noe, & arca cap. 17. vbi etiam vnum annum cōputat ab initio diluuij, non vsque ad annum 601. Noe, sed vsque ad diem 27. secundi mensis, & mensem septimū computat ab initio nō diluuij, sed anni, assentiunt Petauius, Bōfrerius, Menochius, Tyrinus, Scaliger, Petauius Rabi Salomon, & Moses Gerundēsis. Et ratio suadet, nulla enim est necessitas, quę vincat multiplicāda esse initia mensium, primi, secundi, septimi, decimi, quos in eodem historiæ contextu sine vllo varietatis initio ponit Moses, dum ait mense secundo anno sexcēte simo vitæ Noe immissam pluuiā, mense septimo arcam quieuisse, mēse decimo mōtium capita apparuisse: ac rursus primo mēse anni sexcentesimi primi vitę Noe (vt fatētur aduersarij) tectum arcæ fuisse apertum, mense secundo arefactam terram. Sicut ergo mensis secundus, omnium iudicio, ab anni capite computatur, ita septimus, atque decimus. Annum autem istum fuisse 600. vitæ Noe certum est, sensu superius explicato, quem annū 1656. orbis conditi numero, aquarū imminutionem referimus ad 151. ab initio diluuij computatam, quæ fuit 20. septimi mensis lunaris. Si vero menses fuerunt tricenarij 17. arcæ quietem facer textus Latinus, & Græcus notat die 27. eiusdem septimi mensis, quæ dies incurrit in 158. ab inchoato diluuio, si mensibus lunaribus vtamur, si tricenarijs incidet in 161.

Genes. 8. Decimo enim mense primo die mensis apparuerunt cacumina montium.

Ibid. v. 9. quæ cum non inuenisset vbi requiesceret pes eius, reuersa est colūbæ aquæ enim erant super vniuersam terram.

AV-

AVguſtin. in q. ſuper Geneſ. vnde conijcitur (inquit) quod cadaueri potuit coruus inſidere, quod naturaliter refugit colũba? Gloſſa Græca, ad quæſtionem ſic reſpõdet. Colũba requiem non inuenit, vel quia nullum ſui generis inuenit, coruus vero qui humidis gaudet, in corporibus natantibus requieuit. Chryſoſt. hom. 27 in 8. Gen. ¶ Non enim (inquit) ſimpliciter dixit, non inuenta requie, ſed apposuit pedibus ſuis, vt doceat nos, quod licet deſierant ex parte aliqua aquę, & cacumina montium appatuerant, ſed adhuc ob abundantiã aquarum etiam cacumina limo plena erãt, & ideò columba nondum ſtare, neque conuenientem ſibi cibum inuenire valens reuerſa eſt, reditu ſuo docens iuſtum, eſſe adhuc magnã aquarum copiam. ¶

Aug. hic. ¶ Quæritur (inquit) vtrũ poſt centum quinquaginta dies, hæc facta ſint, an per recapitulationẽ omnia rememorata, quę poſt quadraginta dies pluuiæ cęperũt fieri, vt hoc ſolũ ad 150. dies pertineat, quo vſq; ad ipſos mõtes aqua eſt exaltata, aut de fontib⁹ abyſsi, iã ceſſante pluuia, aut quia manſit in altitudine nullo ſpiritu ſiccante. Cętera vero quę dicta sũt non poſt centum quinquaginta dies omnia facta ſunt; ſed commemorata, quæ ex fine quadraginta dierum fieri cęperũt. ¶ Et inferius, q. 14. Quæ quæſtio (inquit) videtur per recapitulationẽ poſſe diſſolui, vt ea poſterius narrata intelligãtur, quæ pri⁹ facta ſunt.

Geneſ. 8. Tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit holocauſta.

Leui. 11. & Deut. 14. Diſtinctio inter hæc animalia munda ab immundis, & holocauſtũ eorũ tunc primum habetur.

D. Thom. 3. p. q. 60. ar. 5. ad 3. (inquit) ſicut in ſtatu naturæ legis, homines nulla lege exteri⁹ data, ſed ſolo interiori inſtinctu mouebantur ad Deum colendũ, ita etiam ex interiori inſtinctu determinabatur eis, quibus rebus ſenſibilibus ad Dei cultum vterẽtur. Paul. Burg. ſcript. ſcriptur. par. 2. diſ. 3. cap. 11. in qualibet ætate, & apud quaſlibet hominum nationes, ſemper fuit aliqua ſacrificiorũ oblatio. Quod antem eſt apud omnes, naturale eſt. Cuius ratio eſt, quia ſicut in rebus naturalibus, inferiora naturaliter ſuis ſuperioribus ſubduntur, ita etiam naturalis ratio dictat, vt ſecundum naturalem inclinationem, homines, ei, quod eſt ſupra omnes, ſubiectionem, & honorem exhibeant ſecũdum modum homini conuenientem. Qui modus eſt, vt ſenſibilibus ſignis vtatur ad exprimendum interiorem affectũ. Vnde ex naturali ratione procedit, quod homo ſacrificijs vtatur inſignum honoris, & ſubiectionis, ad ſimilitudinem eorum, qui aliquid offerunt domino in recognitionem dominij, qua primo ducti Cain, & Abel alter cruentum, alter ex frugibus obtulit ſacrificium.

De his autem ſacrificijs ante legẽ ſcriptam, ſic legitur in Guemara Babilon. ad tit. Zebach cap. 14. fol. 115. Et vniuerſa animalia rite offerebantur, ſiue iumentum, ſiuè pecus, ſiuè fera, ſiuè auis, idque tam fęmina, quàm maſcula, tã vitioſi, quàm integri corporis modo ex mundis eſſent, non itẽ immunda, & victimæ ſic oblatæ fuerunt cunctæ holocauſta. Ad idem tẽporis interuallum, ante legẽ, ſcilicet, ſcriptam, illud Domini ad Iobi amicos, ſpectat, Iob 24. Iratus eſt furor meus contra te, & contra duos amicos tuos, quia non eſtis locuti de me rectum, ſicut ſeruus meus Iob, nunc igitur tollite vobis ſeptem vobes, & ſeptem arietes, & ite ad ſeruum meũ Iob, & offerte holocaſtum pro vobis, & Iob ſeruus meus orabit pro vobis.

Huiuſmodi autem mundorũ ab immũdis diſtinctionẽ quo ad ſacrificia, vel ex traditione maiorum ſuorum acceperat Noe, quã obſeruauant inſtinctu Dei, vel dicendum appellari immunda animalia, illa quę victui humano naturaliter ſunt repugnantia, munda è contrario, audi Chryſ. hom. 24. in Geneſ. vbi ſuapte natura mundũ homo ab immundo ſecernit. ¶ Quod autẽ (inquit) hoc ſit verum, conſidera quemadmodũ non nullis locis, quidã abſtinent ab aliquibus vt in mundis &c. Sic etiam fuit tempore Noe. Ipſa vero ſciẽtia ei viro inſita docebat eũ, quæ eſſent ad cibum cõmoda, & quæ immũda, non quod talia per ſe eſſent, ſed quia pro immundis habebãtur. ¶ Et inferius. Itaque ſcientia à Deo nobis indita, horum eſt magiſtra, & doctrix. Poſſet autem & aliter dici, quia Deus, quæ præceperat, & ſcire ea manifeſtè fecit.

Vel dicendum, ex his, quæ in poſterũ lege Moſis præcepta ſunt, plura in obſeruantia fuiſſe apud pios viros ante legem, ſicut decimarum ſolutio Geneſ. 28. ſuſcitatio ſeminis, Geneſ. 38. abſtinentia à ſanguine, & ſuffocato, cap. 9. & alia, quæ ſeptem Noachidarum præcepta vocant, de quibus Seldenus lib. de iure Hebræor. & lib. 1. de Syned.

Geneſ. 8. Nequaquam vltra maledicam terræ.

Deut. 28. Maledictus in ciuitate, maledictus in agro. Et Pentapolim ſubuertit Deus.

FAcilis eſt concordia, cap. namque 8. promittit vniuerſæ terræ ſecuritatem, ideſt, nunquam fore generalem internetionem vniuerſæ terræ. Cui non contradicit, quod aliquam vrbem, agrum vè propter peccata hominum percutiat, ſicut igne, & ſulphure abſorbuit Pentapolim. Maledictiones ergo ſecundi textus priuatos ſpectant, contemptores ſcilicet maieſtatis; & honoris diuini, quos malos male perdet Deus.

Geneſ. 9. Dixit Deus creſcite, & multiplicamini.

Paulus 1. ad Corinth. 7. Qui non iungit virginem ſuam melius facit.

NON ſolum Hebræi virginitatẽ expugnant, verum etiam ex Chriſtianis nõ pauci etſi munitiſsimã debellare contendunt. Sic rigide hoc Geneſ. teſtimonium exponunt Rabbini, vt quotquot per naturã, & ex ætate ſunt apti cuiuſcumque fuerint conditionis, & qualitatis ſub præcepto ad nuptias volare teneantur. Apud quos, teſte Buxtorfio, nulla virginitatis, & cælibatus habentur encomia, nec vota leguntur, nec præmia, ſicut matrimonio promiſſa. Omnis homo, (inquiunt Rabbini) de ducenda vxore, vt lætificet, & multiplicetur, tenetur, & quicumque hoc non obſeruat, perinde facit, ac ſi effunderet ſanguinem. Sentiunt idem præter Iouinianum, & alios antiquos hæreticos, recentiores quotquot laxiori vitæ operam dantes, ſibi fęminas copularunt, Bucerus, Zuinglius, Petrus Martyr, Pelicanus, Ochinus, Oecolampadius, & innumerabiles alij, quos Lutherus fa-

facili deturpauit negotio, vt cluſtra deſererent, voti & religionis iugum excuterent, vt ſic corpora per myſticam coniunctionē Deo ſacrata, ſcortis compingerentur diabolo mancipata. Pro omnibus ſic loquitur pater ſpurciſsimæ ſectæ Lutherus. ¶ Cæliba tus & virginitatis aureola, nugæ ſunt ſunt & mera Sathanæ mendatia. ¶ Et lib. de vita coniug. ¶ Sicut (inquit) in poteſtate mea non eſt vt ſim mas, ita minime ſitum eſt in me; vt ſim ſine muliere. ¶ Huius Eccleſiæ hoſtis maximè peſtilentis lectarij odium Arrianorum in virgines excitarunt, & maximè acuerunt.

§ I.

Virginitatem & continentiam apud omnes gentes etiam barbaras commendabiles fuiſſe. Venerabilis eius antiquitas ab exordio conditi orbis, & Apoſtolorum tēporibus ad noſtra vſque deducitur.

EThnici in primis, qui omnes vitæ puritate volebant excellere Sacerdotes, illis ad ſacra acceſſuris venerea omnino prohibebant. Inde Virg. Eneid. lib. 6.

Quique Sacerdotes caſti, dum vita manebat.

Plutarc. ideo Romanos Sacerdotes ſolitos inquit à capra abſtinere, verum nec nominare licebat, quia hoc animal ſymbolum libidinis erat. Sacerdotes pariter Athenienſes (teſte Hieronymo) qui Græce Hierophantæ dicuntur, ſorbitione cicutæ ſe caſtrare ſolebant, vt caſtius peragerent ſacra, ſed vt ad Pontificis dignitatē ſunt euecti, viri eſſe deſinebant, ne quid in eis foret aut ad voluptatem, aut ad libidinem. Simili cauſa Diali Romæ attingere hederam nefas erat, quod antiquitus foret laſciuiæ ſignum, vt tradit Feſtus Pompeius, Tertulianus lib. de Monog. Sacerdotes Iunonis, Dianæ, Appollinis, imò & Veneris impudentiſsimæ Deæ virginitatem coluiſſe, & Sacerdotes matris Deorum Cybeles dictos ſibi virilia amputaſſe, vt maxima poſſent obire ſacra, tradit. Ægyptios Sacerdotes caſtitatem immaculatā ſeruaſſe, & ideo à ſalis vſu abſtinuiſſe, quod caloris vi libidinem concitaſſet, tradunt Plut. lib. de Iſide, & Oſiride, & Iodocus Clictouæus in Propug. Eccleſ. aduer. Luther. lib. 2. Vuilhelmus Lyndanus lib. 4. Panop. cap. 98. De virginitate caſtitate que gentilium plura Cœlius Rhodig. lib. 8. lect. Antiq. cap. 1. & Tiraq. leg. 15. Connub. à num. 115.

Pro omnibus & præ cęteris vnus in laudem, antiquitatem, & gloriam virginitatis adducatur D. Hieronymus teſtis. ¶ Percurram (inquit) vrbes iter Græcas, & Latinas, Barbaras que hiſtorias, & docebo virginitatē ſemper tenuiſſe pudicitiæ principatum. Referunt fabulæ Atlantam Calidoniam virginem ſemper in venatibus, ſemper in ſyluis, non tumentes vteros fœminarum, faſtidia que conceptuum, ſed expeditam & caſtam amaſſe virtutem. Harpalicem quoque virginem Thraciam inſignis poeta laudare volens, non amplius habuit quid diceret, niſi virginem nominaret.

O decus Italiæ Virgo!

Chalciæcus quoque filia illa Leo, perpetua virgo peſtilentiam patriæ ſcribitur ſponta nea morte ſoluiſſe: & Iphigeniæ virginis ſanguis aduerſos placaſſe ventos. Quid referam Sibyllas, quarum inſigne virginitas eſt: & virginitatis præmium diuinatio? ¶ Et inferius de Veſtalibus. Poſt pauca addit. ¶ Nec mirum hoc de hominibus, cum Mineruam quoque & Dianam virgines Deas finxerit error gen-

ti-

tilium,& inter duodecim ſigna cœli, quibus mundum volui putant, virginem collocarint. Magna iniuria nuptiarum, vt ne inter Scorpios quidem, & Centauros, & Cancros, & Piſces & Ægocerotes, vxorem maritumque conſtruxerint. ¶ Poſt alia. Apud Gymnoſophiſtas Indiæ (inquit) quaſi per manus huius opinionis auctoritas traditur, quod Buddam Principē dogmatis eorum elatere ſuo virgo generauit. Neque hoc mirum de Barbaris, cum Mineruam quoque de capite Iouis, & Liberum patrem de fœmore eius procreatos doctiſsima finxerit Græcia. Speuſippus quoque ſororis Platonis filius, & Elearchus in laude Platonis, & Anaxilides in 2. lib. Philoſophiæ, Perictionem matrem Platonis, phantaſmate Apollinis oppreſſam ferunt; & ſapientiæ Principem non aliter arbitrantur, niſi a partu Virginis editum. Sed & Thimæus ſcribit Pithagoræ virginem filiam choro virginum præfuiſſe, & caſtitatis eas inſtituiſſe doctrinis. At ne nobis Dominum Salvatorem a Virgine procreatum Romana exprobaret potentia, auctores vrbis, & gentis ſuæ Ilia virgine, & matre genitos arbitrantur. Hæc de virginibus ſæculi currens per multiplices hiſtorias, & properans ſermo perſtrinxerit. ¶

Accedant ergo veteris teſtamenti, & ab exordio etiam fœderis noui exempla. Abel Virginum ſignifer (ſic plures appellant) virginitatem commendat, ſi ab antiquitate quæras encomia. Cui ſic placuerat virginitas, vt tandiu aducenda vxore conditione illa primæua mundi, quando inſtabat prolis multiplicandæ neceſsitas, perſeuerauerit continens, erat namque centenarius, cum eſſet occiſus à fratre, vt ex communi Hebræorum, & Chriſtianorum traditione deducit Abulenſis trac. de optima Politic. qui ſimul cum Paradoxis circumfertur, vbi nu. 65. Abelem occiſum à fratre ſuo centeſsimo anno à creatione Adæ, ait, Adamus enim quintodecimo à ſui creatione genuit Cainum, & poſt alios quindecim Abelem, deinde poſt centum occidit Abelem Cain, ſic etiam Genebr.

De Noe ſic Caietanus. ¶ Iuxta Hebræum (inquit) habetur, & fuit Noe filius 500. annorum, non fortè niſi myſterio de Noe dixit Moſes, quod fuit filius tot annorum, & intelligo, quod hoc dixerit ad ſignificandam abſtinentiam Noe ad generandum vſque ad 500. annum ſuæ ætatis. ¶ Si ergo præceptum generale, quo pacto 500. annis ab eius abſtinuit executione? Nemo tranſgreſſorem dicere audebit eius prædicante ſanctitatem ſacro vate cap. 6. Rectè ergo caſtitatem coluit Noe 500. annis, ſicut & Enos 105. De Elia nihil quod rei vxoriæ oleat, vel leuiter innuit Scriptura, quæ omnes penè vitæ illius actus ſerio reſerauit. S. Ignatius martyr epiſt. ad Philadelph. Hieronym. epiſt. 22. de cuſt. virg. Ambroſius lib. 1. de Virg. Iſidor. lib. 2. de officijs Eccl. c. 17. Caſian. lib. 6. inſt. renuat. cap. 4. coluiſſe caſtitatem Eliã arbitrantur.

De Eſſenis, Ioſephus lib. 15. antiq. cap. 15. Vxores (inquit) non ducunt, neque ſeruos habere feſtinant, aliud quippè iniquitatis, aliud ſeditionis opportunitatem exiſtimãt. Oppoſitum ſenſit Hieronymus 1. Paral. cap. 28. ſuper illa verba: *Qui præerãt ſubſtantiæ regis cum eunuchis*, Phariſæos caſtitatem excoluiſſe teſtatur Baron. tom. 1. in appar. ad Ann. De Nazaræis Chryſoſt. hom. 4. in Matt. ¶ Nazaræi (inquit) ſecundum legem hi nuncupabantur, qui caſtitatem Deo inſigni voto mancipabant, nutrientes comam capitis. ¶ Verum ijs reſiſtit Samuel, imò & Sanſon vxoribus alligati.

Verum quidquid de ijs ſentire cui-

cuicunque libuerit, Mariæ Virgo Sanctiſsima primogenia virginitatis votum emiſsiſſe,& ante deſponſationem ſe deuouiſſe templum immaculatum Deo,ſenſerunt Bernar.ſerm.de verbis Apoc.& Auguſt.lib.de S.Virg. cap.4. D.Thom. 3.p. q.28.art.4.poſt deſponſationem,& apud omnes ante annuntiationem votum eſt recognoſcendum,ſi verbis illis opponi nolint: *Quoniam virum non cognoſco*,vt probat latè Baron.tom.1.in appar. & recognouit Gregor. Nyſſen. orat. de Chriſt.natiu.cui omnes patres Græci ſunt adſtipulati. Poſt conceptionem, & Chriſti Domini partum votum intraſſe virginitatis, & feciſſe ſolemne, colligitur ex Bernard.ſer. de B.Maria cuius initium Aue Maria,ex Athanaſ.ſerm.de Virg. Cypr. ſerm. de natiu. Chriſt. Vide Biuar. de Vet.Monach.

A tempore autem Apoſtolorum ad noſtra,caſtitatem maxime habitã, & veneratam virginitatẽ, nullus qui dubitet, erit,præcipuè ſi vera eſſent, imò potius ſi fictus Luitprandus non eſſet. Anno 36. (inquit) S.Iacobus Apoſtolus in Hiſpaniam monaſticã vitam inuexit,& nu.118. S.Elpidius, quem S.Iacobus præfecit Toletanis primum Pontificem, monachus fuit. Ita Toleti fundauit monaſterium virginum,& aliud monachorum. De ſæculo vero ſecundo monaſticam vitã probat hiſtoria S.Frontonis Abbatis,qui in Nitria Ægypti monte floruit,& in vitis patrum circunfertur. Tertio ſæculo acta probant apud Eſquilinum lib. 6. cap.157. & apud D. Petrum Damianum hæc extant verba.¶Apoſtolicam vitam delegerunt(Flora,& Lucilla)qua ſe à terrenorum amore retraherent,& corporis ſui ſanctificata vaſcula pudicitiæ ſanctificatione litarent.¶Hoc ſæculo floruit Paulus Anachoreta Thebis ortus heremiticam vitam aggreſſus, qui obijt anno 342, iuxta Scaligeri calculum. Ab hoc vſque ad ſæculum quintum floruerunt Arſinoitæ, Nitriotæ & Scithiotæ, ijs deuaſtatis à barbaris, poſt modum reparatis, ac tandem omnino deletis anno 584. Deinde Tabenneſiotæ ſub inſtitutis Pachonij, ſub cuius diſciplina celebres Thebaydenſes monachi fuere. Tam Ægypti monachatum, quam apud alias regiones erudite,vt ſolet, tradidit Biuarius, vt ex his omnibus conſtet, quam altis radicibus apud Eccleſiam virginitas,& caſtitas ſiſtant.

A temporibus Apoſtolorum cæpiſſe collegia virginum colligitur ex S. Ignatio, qui his temporibus, quibus Paulus Corinthios inſtruebat, Antiochenam gubernabat Eccleſiã, inquit,igitur epiſt.ad Philip.8.¶Saluto collegium Virginum, & cætum viduarum.¶Et epiſt.10.ad Smyrnenſes.Saluto(inquit)& eas, quę in perpetua degunt virginitate, & viduas. Et epiſt.12.ad Antiochenos. Virgines (inquit) agnoſcant, cui ſe ipſas conſecrarunt;idem epiſt.13.ad Heronem diaconum.Clemens in epiſtolis, quas ſcripſit,Encylicis pluries virginitatem commendat. Sic Epiphan. hær.30. & Hieronymus contra Iouinianum.De Corinthiorum vrbe,quæ cum eſſet impudentiæ ſentina, facta fuit,inſtruente Paulo, caſtitatis aſylum,ſic loquitur Tertul. Hodie denique virgines ſuas Corinthij velant, quod docuerint Apoſtoli, qui didicerint,approbant. Iphigeniam,à S. Matthæo Apoſtolo baptiſmo donatam, & ſacro velo ſimul cum alijs Deo conſecratam ab illo tradit Abdias Claudius de cont.lib.9. & refertur in Martyr.Rom. die 21. Septemb. S.Teclam,& Petronillam, à B.Petro conſecratas,refert Suar.tom.3.de Relig.lib.cap.3.

Virgines autem fuiſſe à primis Eccleſiæ temporibus conſtat ex Cõcilio Illiberitano can. 13. vbi hæc tra-

tradiderunt SS. Patres. ¶ Virgines, quæ seDeo dedicauerunt, si pactũ perdiderint virginitatis, atque eidem libidini inseruierint, non intelligentes quid amiserint, placuit, nec in fine dandam eis esse cõmunionem. Quod si semetipsas pœnituerit, quod infirmitate corporis lapsæ fuerint, & toto tempore vitæ suæ huiusmodi fœminæ egerint pœnitentiam, & abstinuerint se acoitu, eo quod lapsæ potius videantur, placuit, eas in finem communionem accipere debere. Concilium Cælarauguſt. I. celebratum anno 380 confirmat eadem. Ibi enim can. 8. vt ante 40. annos sanctimoniales virgines non velentur, statuitur. Ex Carthaginensi Concilio III. cap. 33. in quo D. Augustinus subscripsit patet iam tum fuisse Virginum structa monasteria, & ex Cabilonensi Concilio sub Carolo Magno, cap. 61.

§. II.

Potest quis ad continentiam seruandam voto se obstringere, semel autem Deo per votum sacratus tenetur seruare fidem, nec ad nuptias potest volare. Explicatur Cypriani, & D. Augustini loca.

EX præcedentibus constat maximo fuisse apud fideles honore virginitatem, & castimoniam, idque haberi obseruatum ex traditione, & Apostolica disciplina, licite autem fieri in Ecclesia potuisse constat ex D. Paulo, qui hanc libertatem cõcesit Christianis ad Corinth. 7. *Si acceperis vxorem non peccasti: Et si nupserit virgo, non peccauit. Dico autem non nuptis, & viduis, bonum est illis, si sic permaneant, sicut & ego,* & v. 38. *Igitur & qui matrimonio iungit virginem suam benefacit; & qui non iungit, melius facit.* Et v. 32. Cælibatum anteponit coniugio.

Posse autem quem voto continentiæ libertate plena vinciri, sentiunt omnes patres veteres cum Augustino. De quo sic ipse Lutherus. ¶ Augustinus non solum Christianus, verum etiam doctor supra doctores omnes christianitatis effectus est, ita vt Ecclesia Christiana post Apostolos nullum illi æqualẽ habeat. ¶ Et quidem ipsa Scriptura comprobat, cum præter Lucam, qui cap. 1. v. 34. votum B. Virginis non obscure demonstrat, Matthæus etiam cap. 19. sic inquit de eunuchis. *Sunt etiam eunuchi, qui de matris vtero sic nati sunt: & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus; & sunt eunuchi, qui se ipsos castrauerunt propter Regnum Cœlorum. Qui potest capere capiat.* Quid est se ipsum castrare propter Regnum Cœlorum? nisi ex desiderio obtinendæ cœlestis patriæ voto continentiæ ligari, & libertatem nuptias contrahẽdi libertate amputare. D. Augustinus lib. de sancta Virg. cap. 23. ¶ Quid (inquit) veracius, quid lucidius dici potuit? Christus dicit, veritas dicit, eos, qui pio proposito ab vxore ducenda se continuerunt, castrare se ipsos propter Regnum Cœlorum. Et contra, humana vanitas impia temeritas contendit, eos qui hoc faciunt, præsentem tantummodo necessitatẽ molestiarum coniugalium deuitare, in Regno Cœlorum amplius quid quam cęteris non habere. ¶ De fœminis sic legimus 1. Timot. 5. v. 11. *Adolescentiores autem viduas deuita. Cum enim luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt habentes damnationem, quia primam fidem irritã fecerunt.* Vbi per fidem primam votum castitatis, & continentiæ interpretatur August. de sancta virg. cap. 33. & lib. 1. de adulterinis coniugijs, cap. 24. & in Psal. 75.

Ex Illiberitano Concilio superius vidimus, cap. 13. virgines Deo sacratas, si fidem quam deuouerunt irritam facerent, pœnis notatas.

Con-

Concil. Tribur. cap. 23. & 26. Concilium Melden. 65. & can. 70. Vormacienſe cap. 26. Tribur. cap. 23. Carthagin. IIII. & Toletan. I. Aurelian. V. cap. 19. & alia quam plurima, quæ Gibalinus refert de clauſ. diſquiſ. 2. cap. 1. Pamel. ad Cyprian. epiſt. 62.

His oppoſitum ſenſiſſe videtur Cyprianus epiſt. 62. ad Pomponium. ¶ Quod ſi ex fide (inquit) ſe Chriſto dicauerunt, pudice & caſte ſine vlla fabula perſeuerent, ita fortes & ſtabiles præmium virginitatis expectent, ſi autem perſeuerare nolunt, vel non poſſunt, melius eſt nubant, quam in ignem delictis ſuis cadant. ¶ Quid clarius contra noſtrum inſtitutum. Reſpondendum nihilominus iudico loquutum de virginibus nullo voto caſtitatis ſolemni neque ſimplici affectis, Cyprianum. Quoniam poſt verba relata, hæc immediatè ſubiunxit. ¶ Certe (inquit) nullum fratribus, aut ſororibus ſcandalum faciant; cum ſcriptum ſit: ſi cibus ſcandalizat fratrem, non manducabo carnem in ſæculum, ne fratrem ſcandalizem. ¶ Si ergo vt fratrem non ſcandalizent, virgines nubere ſuadet Cyprianus, non de virginibus voto caſtitatis adſtrictis intelligendus erit Cyprianus, iſtæ enim non poſſent non ſcandalo eſſe, quæ Deum ſponſum puriſsimum pro homine fœdiſsime commutarent. In eadem ſimiliter epiſtola virgines impudico dedicis contubernio, Chriſti adulteras appellat, quod non leuiter confirmat noſtram expoſitionem. Oſtendit illam, quod Pomponius, cui reſcripſit Cyprianus non de virginibus ſacris ſolũ, ſed de omnibus virginibus, quæ ſtatũ ſuum tenere firmiter decreuere, conſulit, cuius dubio ex Apoſtolicis, & Euangelicis traditionibus reſponſurum promittit, ijs quidem aperte repugnat, vt quæ ſuam ſacrarunt Deo virginitatem, ipſum contemnant abolira fœde pulchritudine caſtitatis.

Difficilius erit Auguſtinum exponere cap. 10. in lib. vnico de bono viduitatis. ¶ Quidam nubentes poſt votum aſſerunt adulteros eſſe, ego autem dico, quod grauiter peccant, qui tales diuidunt. ¶ Verum in primis illud verbum *poſt votum* in toto Auguſt. lib. non extat. Eius autem hæc ſunt verba. ¶ Proinde qui dicunt, talium nuptias non eſſe nuptias, ſed potius adulteria, non mihi videntur ſatis acute ac diligenter conſiderare, quid dicant; fallit eos quippè ſimilitudo veritatis (addit ad finem capitis) fit autem per hanc minus conſideratam opinionem, qua putant lapſarum, à ſancto propoſito fœminarum, ſi nupſerint, non eſſe coniugia, non paruum malum, vt a maritis ſeparentur vxores, quaſi adulteræ ſint. Et cum volunt eas ſeparatas reddere continentiæ, faciunt maritos earum adulteros veros, cum ſuis vxoribus viuis alteras duxerint. ¶

Dicendum nihilominus eſt intelligi debere Auguſtinum; viduas nullo voto emiſſo iuſte ad matrimonium poſſe volare. Viduas quidem in Eccleſia olim, alias continentes nullo voto deuinctas, quæ ſæculares appellabantur, qualis Iuliana, ad quam ſcribebat Auguſtinus, hæ nubere poterant, alias autem Sanctimoniales, quæ voto erant ligatæ, & quibus nubere non licebat, recognoſcit Concilium Toletanum IIII. can. 55. Igitur Auguſt. vt perfectionem continentiæ doceret Iulianam, epiſtolam ſeù librum de bono viduitatis inſcripſit. Ne autem in ſententiam Tertuliani intelligeret inclinatum, qui ſecundas nuptias improbauit, ipſe approbat & vera eſſe coniugia concedit illarum connubia. Hanc autem eſſe Auguſtini mentem conſtat, ex eo quod de bo

no

no simplicis propositi continentiæ solum egit, scribebat quippè ad Iulianam viduam, quæ nullo castitatis voto teneri, sed solum continentiam elegisse apparet ex cap.4. illius libri. Deinde hoc manifestè ostendit, quod Augustinus cap.2. promisit epistolam Pauli ad Corinthios exponere. Paulus autem de continentia, seù abstinentia à coniugio non de voto simplici, aut solēni castitatis agit. Vnde nuptias secundas comparat cū viduitate tamquam honestum, & honestius: suadet ergo Iulianam ne ad secundas cōuolet nuptias, nō quia quid turpitudinis haberent; sed quia continentia præstaret matrimonio secūdo. Quando autem viduitatis continentia voto fulcitur, neutiquam vouens secundis nuptijs copūlari licet. Hoc ipse Augustinus defendit, cap.8.& cap.9. eiusdēm libri,& aperte demonstrat.

Verum facilius exponitur Augustinus, licet ipsum de virginibus Deo sacris agere confiteamur: si recolamus memoriæ ab huiusmodi virginibus nuptias contractas validas, licet illicitas fuisse vsque ad vndecimum sæculum, tunc enim in Synodo generali Romæ anno 1130. celebrata coniugia ista irritauit Ecclesia. Quamvis namque in Concilio Toletano IIII. c.52.& Tribur.c.23.& alijs decretum sit huiusmodi coniuges sacros separari debere, de separatione quoad torum sunt interpretanda non quoad vinculum, illis namque sæculis neque religionis solemne votum irrita reddebat coniugia. Ex quibus dicendum loqui Augustinum de secundis nuptijs etiam à sacratis Deo fœminis, vel viris susceptis, de quibus contra plures oppositum existimantes, affirmat validas esse neque dirimendas, legitima que coniugia licet illicita, cum adhuc ab Ecclesia irritata non forent, & nequaquam existimanda adulteria. Quod si lib. de adult.cap.24.& lib.2. cap.12. similia coniugia adulteria appellauit, non quia inualidæ nuptiæ essent, hæc dixit, sed quia ratione promissionis, & voti, sacrilegij vitio maculantur.

§. III.

Explicatur D. Paulus ad Titum cap.1.

EXtat contra dicta D. Paulus Tit.1. cuius verba in nos conuertunt Hæretici, vt continentiam à cōiugio asserant separatam, & à temporibus Apostolorum nullum, neque vouisse, neque fuisse professum, si aliquis namque continere deberet, maximè qui sanctitatem & plenitudinem ascenderet sacerdotij. Is autem neutiquam, cum Paulus referens quales esse deberent, qui in præsbiteros, seù episcopos eligerentur, vnius vxoris virum, potius quam cælibem præceperit esse ordinandum. Sic instruit Titum. *Si quis sine crimine est, vnius vxoris vir, filios habens fideles.* Quasi cælibes à tanti plenitudine ministerij releget & excludat.

Vt lux maxima huiusmodi loco Pauli pateat, obseruanda sunt, quæ tradit Baronius tom.1. de Cretensium Ecclesia, in quam dirigebat Apostolus verba. Ibi enim nullum cælibem, qui nunquam duxisset vxorem, erat possibile reperiri (inquit Bar.) cogentibus nimirum antiquis Cretensiū legibus, vt omnes homines à puero vxores ducerent. Quod testatur Strabo lib.10. qui ex Ephoro rempublicam describit Cretensium. Cum alioqui si ea lex cessasset, haud facile foret, inter gentiles, qui recentes Christo nomē dedissent, adultum hominem cælibem reperiri, quam obrē & ad Timothæum scribens Ephesiorum episcopum hoc ipsum monuit.

Quin

Quin, vt idem Strabo, licite in pueros insanire illi mos erat, adeo vt formosis, & illustri genere ortis turpe esset nullum habere amatorem, haberique à cunctis in honore pueros raptos, vt tàm in consesu, quam in ambulando primarius illis locus tribueretur, splẽdidiori que permitteretur vti veste ab amatore donata. Vnde subdit Paulus, morem infamissimum illum, qui apud Cretenses inoleuisset, respicies. *Filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ.* Paulus ergo vt turpissimos Cretensium mores euangelica prædicatione subuerteret, eos, ex illis tantum mandat præsbiteros ordinari, qui à tanto scelere abhorrentes, filios haberent fideles, non in accusatione luxuriæ, qui scilicet filiorũ suorum exemplo quid cæteris faciendũ, non verbis tantum, sed facto facile suaderent.

Non autem ideo *vnius vxoris virum* ordinandum præcipit Paulus, vt excludere cælibem velit, sed quia nõ facili apud Gentiles, Iudæos ve prouectæ ætatis esset, hominem reperiri, qui non esset coniugio ligatus. Quis enim (inquit ipse Bar.) tam obtuiæ mentis poterit in animum ducere, vt Paulus ad præcipuam, maximam que omnium Ecclesiasticam functionem, ad ipsum inquam, diuinissimum sacerdotium coniugatos potius, quam cælibes instituerit eligendos; cum 2. ad Timoth. 2. ne Deo militans implicet se negotijs sæcularibus, moneat? Quæ quidem obligatus nuptijs, dans que operam liberis procreandis, & educandis, non potuisset vitare eodem, 1. Cor. 7. testãte: *Tribulationem carnis habebunt huiusmodi*, & impedimentũ vnioni cum Deo recognoscit fore coniugium. Forte creditur (inquit Siricius epist. 4. cap. 9.) quia scriptum est vnius vxoris virum. Non permanentis in concupiscentia generandi, dixit, sed propter continentiam futuram. Neque enim integros non admisit, qui iam vellem autem, & omnes homines sic esse, sicuti & ego, ait. Et apertius declarat, dicens. Qui autem in carne sunt, Deo placere nõ possũt. Vos autem non estis in carne, sed in spiritu. Nil ergo contra cælibatum neque leuiter dixit Paulus.

Quod licet coniugatis necessitate sæpius ad sacerdotium eligi contigisset, ea tamen lege, vt consentiente primum vxore, sic electi desinerent prorsus vsu coniugij esse viri, ita vt si inuenti essent operam liberis dare, redigerentur in ordinem. Quod ita Apostolica traditione receptum & vsu que probatum erat, vt quamtumlibet Iouinianus impurissimus esset, affirmaret hoc ipsum. Sic Hieronymus lib. 2. contra Iouin. Adeo alta radici fixa in Ecclesia est sacerdotum continentia, vt ab Apostolis esse plantatam, docuerint Patres in Concilio Cartag. II. & in Ecclesia antiquitus esse seruatum, vt si qui interdum ad Sacros ordines coniugati adsciscerentur à coniugij vsu penitus temperarent. In Concilio Illiberitano c. 35. ¶ Placuit (habetur) in totum prohibere episcopis, præsbiteris, diaconis & subdiaconis positis in ministerio, abstinere se à coniugibus suis, & non generare filios, quod quicumque, fecerit honore clericatus exterminetur. ¶ Hæc eadem renouata habentur Synodo Arelatensi, tẽpore Sylvestri Romani Pontificis celebrata. In Turonensi I. c. 2. & Turonensi II. can. 20. Quod exprimit etiam exemplum Vrsini præsbiteri, quod refert S. Gregorius Dial. lib. 4. c. 11. Idẽ decreuit Taurinensi c. 5. Arausi. can. 23. & 24. Altisiod. can. 20. Matisc. I. can. 11. Tolet. II. can. 1. tertium can. 5. quartum can. 43. octauum can. 5. nonum can. 10.

Verum plura apud patres reperiuntur in Concilijs decreta, quæ huiusmodi doctrinã videntur deficientẽ reddere. In primis in Can. 5. Apost.

ſtatutum eſt. Ne epiſcopus, aut preſbiter, aut diaconus vxorem ſuam prætextu religionis abijciat. In Concilio Illiberitano can. 65. Solum propter adulterium, quod perpetrauerit vxor, proijcienda eſſe à clericis ſtatuitur. Sentit ergo aliter retinendam à clerico vxorem.

Ad Canonem 5. Apoſtolorum dicendum, ibi non præcipi, vt coniugatus clericus liberis generandis & vſu matrimonij incumbat, ſed quod habentes vxores, illarum curã habeant, ipſiſque de omnibus ad vitam honeſte agẽdam neceſſarijs prouidere teneantur, iuxta exemplum Petri 1. Corinth. c. 29. & Pauli præceptũ Timot. c. 5. vide Seuerinum Binium. Ad Can. 65. Illiberitani non erit obſcurior expoſitio, ſi illum intelligimus de clericis maioribus ordinibus initiatis (nõ bene Albaſpinæus de clericis in minoribus intellexit) retinentibus ſuas vxores non quoad vſum coniugij, ſed quoad domeſtica miniſteria, & vt illis, quoad victũ & alia neceſſaria prouiderent, & quas vt ſorores habebãt diſtinctis cubiculis ab vtriſque occupatis, reijcerent in pœnam criminis, & delicti, iure namque ſacrorum Canonum, vir ſciens vxorem ſuam adulterium comiſiſſe, in eo que perſiſtentem tenetur deſerere.

§. IV.

Concilium Gangrenſe, & Nicænum explicantur. Præsbiteros apud Orientis Eccleſiam, cum coniugibus ante initiationem ſuſceptis non teneri continenter ſe gerere, neque in Nicæna oppoſitum ſtatutum.

MAiorem habere videtur difficultatem Concilium Gangrẽſe can. 4. ſic ibi decernitur. ¶ Si quis exiſtimat de præsbitero coniugato, quod eo ſacrificante non oporteat ipſius oblationi, vel ſacrificio communicare, anathemate eſto. ¶ Idem decreuiſſe Synodum Nicænam Paphnutij ſuaſione referunt Socrates lib. 1. hiſt. Eccleſ. cap. 8. Sozomenus lib. 1. cap. 22. Caſiodorus in Tripart. lib. 2. cap. 14. apud Gratian. in cap. Nicæna Synodus 31. diſt. ¶ Nicæna Synodus (inquit) corrigere volens hominũ vitam in Eccleſijs commemorantiũ, poſuit leges, quas canones vocamus, in quorum tractatu, videbatur aliquibus, introducere legem, vt epiſcopi, præsbiteri, diaconi, & ſubdiaconi, cũ coniugibus, quas ante conſecrationẽ duxerant, non dormirent, ſurgens autem in medio Paphnutius confeſſor contradixit, honorabiles confeſſus nuptias, & caſtitatem eſſe dicens cum propria coniuge concubitum, ſuaſitque cõcilio ne talem poneret legem, grauem eſſe aſſerens cauſam, quæ in ipſis, aut eorum coniugibus occaſio fornicationis exiſteret. Et hæc quidẽ Paphnutius (licet nuptiarum eſſet inexpertus) expoſuit. Synodus que laudauit ſententiam eius, nil ex hac parte ſanciuit, ſed hoc in vniuſcuiusque volũtate, nõ in neceſsitate dimiſit. ¶ Eadem tradiderunt verbis penè eiſdem Socrates & Sozomenus. Ad cuius hiſtoriæ fidem ſtabiliendam facit, quod ex codice vetuſto Bibliothecæ Vaticanæ refert Alphonſius Piſanus lib. 3. de actis eiuſdem Concilij Nicæni ad finem.

Baronius tom. 1. malæ fidei notat hiſtoriam Socratis, & Sozomeni, & ſimiter tenet in Orientis Eccleſia cautũ ſemper fuiſſe, ne præsbiteri cõiugibus, quas ante initiationem duxerunt, maritalibus copulẽtur amplexibus. Hoc autem eſſe firmatum ab ipſa Nicæna Synodo tradit, dum can. 3. ſtatuit, ne cum præsbitero, diacono, & epiſcopo ſubintroductæ mulieres habitarent, ſed tãtũ illæ, quarũ nulla prorſus poſſit eſſe ſuſpicio, quas & recenſet, nẽpe matrẽ, ſororẽ, auiã, amitam que, quarum admittat contubernium, cũ nec

ſi-

ſicut de reliquis excipiat, de vxore, ſane quidem eam, ſicut cæteras, non admittendam eſſe, liquido viſa eſt ſtatuiſſe. Hæc Bar. Verum in Oriente impune vti coniugio præsbiteris eſſe permiſſum, nullus negare pot eſt. Qui volebant enim arctiori & puriori cõſcientia miniſterium tam altum implere, continẽter ſe gerebant, nec poſt initiationem amplexibus vxorũ implicabantur. Quibus autem hæc ſancta diſplicebat abſtinentia, liberis tã quam ſæculares operam dabant. Hoc in ſtatu legem continentiæ relinquendam ſuaſit Paphnutius, & decreuit Synodus Nizæna relata.

Grauiſsimis autem fundamentis fuiſſe motos patres Concilij Nizæni, vt continentiam præsbiteris non imponerent, & Paphnutium, vt id conſuluiſſet, credendum eſt. Ex Socrare lib. 2. cap. 33. motiuum deduci poteſt. Inualuerat namque paulo ante error cuiuſdam monachi Euſtachij Sebaſtæ epiſcopi facti, qui nouas leges, iugumque graue Eccleſiæ imponere intendit, à cibis abſtinendũ docuit, & nuptias prohibuit, plures que à coniugio iam diu contracto ſegregauit, fierique precationes in ædibus coniugatorum vetuit, benedictionem que præsbiteri habentis vxorem, fugiendam. Hoc videntes Paphnutius, & Synodi Nicæni patres diuino conſilio nixi nil de nuptijs præsbyterorum nouiter decreuerunt, ſi namque vſum coniugij præsbiteris tunc vetarent, impeti nuptias, & vt ſcelus quoddam damnari turpiter intelligerent, & in dies creſceret Euſtachij hæreſis excitata.

Mouere potuit Paphnutium, vt ſic Nicænam conſuleret Synodum, quod commouit Dionyſium Corinthiorum Epiſcopum, vt ſuaderet Pynitũ Gnoſiæ Eccleſiæ Epiſcopum, ne graue ſeruandæ caſtitatis onus animis diſcipulorum imponeret, ſe eorũ attemperãs imbecillitati. Cuius Conſiliũ amplexum eſſe Pynitum tradit Euſebius, lib. 4. hiſt. Eccl. c. 22. Attende quid in Sicilia decreuit Greg. Mag. in epiſt. ad Petr. ſubd. lib. 1. ep. 42. apud Gratia. in c. ante triennium. ¶ Ante triennium (inquit) omnium Eccleſiarum ſubdiaconi (ſic prohibuerat Pelagius Secũdus Pontifex) Siciliæ prohibiti fuerant, vt more Romanæ Eccleſiæ, ſuis vxoribꝰ nullatenus miſcerẽtur, quod mihi durum, atque incompetens videtur, vt qui vſum continentiæ non inuenit, neque caſtitatem promiſit, cõpellatur à ſua vxore ſeparari, ac per hoc, quod abſit, indeterius cadat. ¶ Vnde in poſterum non ordinari decreuit Gregor. niſi prius caſtitatis legibus ligarẽtur. Idem monere potuit Paphnutium, infirmitas ſcilicet hominum, non enim poſſent omnes tam auſteram diſciplinam ſuſtinere. Pericula pariter ipſarum vxorum, quæ cũ ſe continere non poſſent, maritorum fide fraudatæ, in periculo erant vrendi, neque magis ſecuri mariti, qui ſæpè iuuenes erant, & in ſacerdotes eligi Eccleſiæ neceſsitas propter exiguum fidelium numerum poſtulabat.

Neque Nicæna Synodus can. 3. contrariam diſciplinam in Orientis Eccleſia decreuit, ſicut exiſtimauit Baronius. Ibi enim ſubintroductã fęminam habere prohibetur præsbiteris, nõ quidem vxor propria vetatur, ſubintroductas namque mulieres, neque vxores, neque concubinas, ſed tertij cuiuſdam generis fęminas eſſe eruditus vir D. Emmanuel Gonçalez Iuris Canonici Veſpertini anteceſſor & in Maiori Salmanticenſi Conchenſi Collegio amiciſsimus mihi ſodalis in notis ad Illiberitanum cap. 27. tradit, quam ſecum prætextu pietatis ducebant, vt alerent & inuiolatas ſeruare calide ſimulabant, verum à Dœmone acriter infeſtati periculo ſuccumbentes, in luxuriæ crimina labi intuebantur fideles,

vel ſuſpicandi non poterat interdici licentia. Sic explicat auctor ſuperius laudatus, Illiberitanum Concilium, quod apud clericum manere mulierē ſub introductam, atque extraneā prohibuit can. 27. ijſdē penè verbis, quibus Nicænum. Idem decernunt II. & IIII. Gerundenſe, Ilerdenſe, & cuncta fere Gallicana Concilia, quæ vt preſbiteros à culpa non ſolum liberos; ſed etiam à ſuſpicione quauis longi⁹ abeſſe deſiderantia, fęminam à contubernio clericorum relegandam determinarunt, vt ſic vtriuſque ſexus pudicitiæ, ſublata illecebrarum occaſione, conſuleretur. Quamvis autem vxoris expreſſa in Nicæno non ſit exceptio, vt tunc apud omnes conſtans ſupponitur, A relatēſe II. can. 3. vbi eadem, atque in Nicæno ſit mulierum prohibitio, excipit vxorem clerici expreſsè. ¶ Si quis (inquit) de clericis à gradu diaconatus inſolatio ſuo mulierem præter auiam, matrem, ſororem, filiam, neptem, vel conuerſam ſecum vxorem habere præſumpſerit, à communione alienus habeatur. ¶

Ex his ergo Synodus Gangreſis lucem recipiet, Euſtachius namque adeo monachiſmo fauens, vt cęteros Eccleſiæ ordines peſſundaret, maledico dente in nuptias irruit, & inter alia, precationes in ædibus coniugatorum fieri prohibuit, & benedictionem præsbiteri habentis vxorem, tāquam ſcelus declinandam decreuit. Contra hunc ergo & illius ſectarios Synodus Gangreſis eſt congregata, & anathemate dogmata eius damnauit. Sic inquit Concilium in Epiſt. ad Epiſc. Armeniæ. Non enim voluit cōcilium omnes præsbiteros vxorum vinculis eſſe ligandos, ſed vt damnaret Euſtachij errorem, qui odio Sacramenti matrimonij, præsbiteros in Græcia maritatos, vt impios & execrabiles damnabat. Cum enim ſerperet in fideles Euſtachij error multæ ſeductæ mulieres à ſuis diſceſſerunt maritis, & à proprijs vxoribus viri, & dum continere non poterant, adulterium committebant, vt ipſi Patres Concilij in præfatione ad Epiſcop. Armeniæ referunt. Vt ergo nuptias Synodus honoraret, ſub anathemate definiuit, communicandum eſſe fideli præsbitero coniugato ſacrificante, neq; aliquid derogari oblationi, per hoc quod offerens ſit matrimonij Sacramento ſignatus.

§. V.

Conciliatur antilogia.

PLVRES hæc verba Geneſ. 9. ſicut & Geneſ. 2. præceptum eſſe hominibus, impoſitum non ſingulos obligans, ſed ſolum communitatē dicunt. Videndus eſt D. Thom. 2. 2. q. 152. ar. 2. ad 2. Vel dicunt ſolum vſque ad promulgationem legis euangelicæ duraſſe, tunc enim ſolutū fuit, cū Chriſtus Dominus ad caſtrationem propter Regnum Cœlorum hortatus eſt. Verum hæc expoſitio ſubſtineri non poteſt. Chriſtus enim non venit ſoluere legem, ſed adimplere, vnde virginitatem nō ſic coluiſſet, nuptias que contraheret, ſi ſingulos tunc præceptum illud: *Creſcite & multiplicamini* obligaret. Quamvis autem verba illa præcepti forent, procul omni dubio eſt (vt inquit Bibarius) quod temporis non ita arctabat articulos, vt more pecudum, quam primum homines generare aptiēſſent prolē, coire impelleret, ſeruanda quoque erat pulchritudini caſtitatis reuerentia, ſemper enim Deo in hominibus placuiſſe liquet, vt cuius longo licet temporis ductu, amore tenerentur. Vnde Chryſ. hom. 12. in Matth. ¶ Deus (inquit) quamvis maſculum & fęminam creauit propter neceſsitatem filiorū generandorū, tamē ſemper caſtitatis fuit amator, & continentiæ auctor. ¶

Vnde

Vnde prole ſemel obtenta, præceptũ vires ſuas, ſi quas habuerat, amiſiſſe videretur. Vti Noe terra ſuſcepta, vniuerſo hominum genere diluuij innundatione deleto, quo ſane ex paucitate hominũ vrgentius aliquos cogere, multis videretur, continenter ad mortem vixit, neque vlterioris prolis memoria habetur. Adamus tanta præcelluit caſtitate, vt binæ prolis cumulatus honore, fere 100. annis continens vixiſſe videatur. Vixit Adam 130. annis inquit Moſes c. 5. Gen, & genuit filium ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam vocauit que nomen eius Seth, hunc autem Abeli ordine natiuitatis ſucceſsiſſe conſtat ex illo, quod dixit Eua: *Poſuit mihi Deꝰ ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain*, Geneſ. 4. minime hæc dictura, ſi aliorum partubus fuiſſet iam conſolata. Vide Cyprian. tract. 2. de habitu Virg. & Mag. ſentent. in 4. diſtinct. 26.

Verius autem & Sacræ Scripturæ magis conforme iudico, illis verbis: *Creſcite, & multiplicamini*, nullum contineri præceptum. Cõſtat ex quinto die, quo piſces, & volatilia fuerunt creata, quibꝰ Dominus eadem verba dixit: *Creſcite & multiplicamini*. Quis autem dicat datum præceptum piſcibus, & auibus generandi? Replete terram, ſimiliter Dominus dixit, & ſubijcite eam; dominamini piſcibus maris, & volatilibus cęli, & vniuerſis ànimantibus, quæ mouẽtur ſuper terram, quis autem dicat præceptum eſſe homini ſubijcere terrã? cum apertum ſit illis verbis non aliud ſignificari, quam homini datum imperium in animalia, iuſque ea capiẽdi, & ad vſus ſuos, prout libuerit, conferendi. Si autem præceptum præſeferrent verba ſuperius relata, quando fuit abrogatum prolis genetationi vacandi? Credibile eſt tàm antiquum præceptum, ſine publica Eccleſię authoritate, aut ſynagogæ abrogatum eſſe? Sicut legimus plura in vetuſtiſsimis Eccleſiæ concilijs de abrogatione circũciſionis, & aliorum cęremonialium legis Moſaicæ decreta. Illis ergo verbis: *Creſcite & multiplicamini*, propterea maſculum & fęminam creaſſe, vt per legitimam eorũ coniunctionẽ humana proles generaretur, & ſic genus humanum omni tempore propagatum perpetuo conſeruari poſſet, voluit declarare, maximamque vtri que ſexui reddidiſſe generandi fęcunditatẽ ſua benedictione ſignificauit.

Quod igitur illis verbis non præceperit Deus Adam & Noe matrimonium contrahere, cõſtat ex ipſo textu. Dominus namque ſemel hæc Adamo & Euæ dixit in paradiſo, Noe & filijs eius egreſsis ex arca vtriuſque poſt matrimonium iam contractum. Non ergo illis præcepit nuptias, quæ iam erant contractæ, ſed impertiuit benedictionem vt copioſam ſobolem procrearent ad multiplicandũ genus humanum, quod valde tũc erat exiguũ. Geneſ. namque 7. dicitur Noe, & filios eius vxores duxiſſe: *Ingreſſus eſt* (inquit) *Noe, & filij eius, vxor eius, & vxores filiorum eius*. Qui omnes ſimul cum ſuis vxoribus egreſsi ſunt etiam ex arca: *Egreſsi ſunt ergo Noe, & filij eius, vxor illius, & vxores filiorũ eius cum eo*. Poſtquam autem egreſsi ſunt, dixit Dominus, creſcite & multiplicamini. Ex quibus liquido conſtat præceptum non eſſe de matrimonio in eundo, quod initum iam erat, ſed benedictionẽ in propaganda poſteritate, quod ſignificat Moſes, cum ait: *Benedixit Deus Noe & filijs eius, & dixit ad eos, Creſcite & multiplicamini*. Idem de primis parentibus eſt dicendum, quoniam ſtatim ac Deus Euam produxit ex coſta, contractum eſt matrimonium inter vtrũque; tunc enim euigilans dixit: *Hoc nunc os ex oſsibus meis, & caro de carne mea, Hæc vocabitur virago, quoniam de viro ſumpta eſt.*

Quam obrem relinquet homo patrẽ, & matrem, & adhærebit vxori suæ. Quibus tria indicasse, videtur Euam esse eius vxorem, arctius deinde vinculum esse inter virum & vxorem, quam inter parentes & filios, ac tandem coniunctionem hanc coniugalem figuram esse coniunctionis Christi in Ecclesia. Sic enim verba Apostolus interpretatur ad Ephes. 5. Sacramentum hoc (inquit) magnum est. Ego autem dico in Christo & Ecclesia. His verba textus alterius in antilogiam adducti nullatenus contradicunt. Quoniam ex verbis Pauli hæc omnia constant, ante quam, scilicet, homo delegerit vitæ certum statum, non teneri lege naturali, aut diuina ducere vxorem, neque continentiam seruare perpetuam. Vnde si sponte eligit nuptias non peccat, neque si elegerit continentiam. Melius autem faciet, si elegerit continentiam, quia excellẽtior est matrimonio. Postquã autem quis eligit matrimonium, alterique coniugi fidem coniugalem promittit, tenetur illam seruare, sicut & qui continentiam Domino consecrauit, & vouit.

§. VI.

Explicantur Deut. 7. & Exod. 23. Iudic. 11. sacrificium Iepte, vnde in veteri testimonio sterilitas habita opprobrium, à quo liberari viri sanctissimi exorabant, & vehementissime desiderabant.

COntra hucusque dicta plura veteris fœderis leguntur testimonia. Pluribus enim in locis gloriosum significatur longam recensere filiorum seriem, sicut & in fœlicitatis nota decedere sine liberis. Rachel enim cum suscepisset filios, Genes. 30. Abstulit Deus à me opprobrium meum. Tob. 3. Sara Raguelis filia, vt ab sterilitatis improperio Deus liberaret deprecabatur. Plures etiam viri sancti anxie filios desiderabant, ac Dominum exorabant, sicut Zacharias, & Elisabeth sic enim inquit Angelus Dei illi apparens, Luc. cap. 1. *Exaudita est deprecatio tua, & vxor tua Elisabeth pariet tibi filium.* Confirmat hoc Iepthe imprudens sacrificium, cõscia enim quod pater occidere mactare que vellet, duorum mensium petit inducias, vt deploraret suam virginitatem, & floridam suam ætatem & steriliter vitam actam. Opprobriũ ergo, & infœlicitas erat apud homines, tunc virginitas. Denique in virginitatis arcem irruit expresse Exod. 23. & Deuter. 7. ¶ *Non erit in fecunda, nec sterilis in terra tua.*

Hæc autem imbecillia sunt, vt sanctam, & immaculatam lacerare nec leuiter possint virginitatem. Nil enim detrahit virginitati quod vulgus opprobrium existimauerit sterilitatem, nullus enim locus, quo virgitas reprobetur est inuenire. Neque pro eodem est accipiendum, infœlicem sterilitatem haberi quando comitatur coniugia, & conseruare intactum & virginalem statum. Illa infœlix connubium reddere posset, cum proles finis coniugij sit, & nuptiæ propter filios inuentæ, vnde infœlices forẽt suo priuatæ fine. Virginitas autẽ quo est fuerit magis illæsa, fœliciorem reddit qui consecratus est Deo. neque reprehensibile veteri fœdere prolis filiorum que desiderium, quilibet enim de suis posteris nasci Messiam desiderabat semini Abrahæ promissum, vnde dolebant sine liberis mori, spe alte concepta frustrata. Sic exponit Augustinus lib. 2. de mirab. Sac. Scriptur. lachrimas Ezechiæ apud Isaiam 38. quibus mortis suæ immaculatæ dolebat. ¶ *Non videbo* (aiebat) *Dominum Deum in terra viuentium.* Septuaginta vertunt, *non videbo salutare Dei*, quod intelligitur in scriptura Verbum incarnatmu

tum, vt Lucæ 2. *Quia viderunt oculi mei salutare tuum*, vt sentiunt Euseb. lib. 5. Demonst. Euang. cap. 35. Irinæus lib. 3. cap. 11. Dolebat ergo participem non fore promissionis factæ Dauid, de cuius semine nasciturus erat Messias. Sic habent Ioseph lib. 10. Antiq. cap. 3. Cyrillus super Isa. 38. & D. Hieronymus lib. 11. super Isai. cap. 38. D. Thomas in 4. distinct. 30. q. 2. art. 1. Lyponanus in Cat. in Genes. cap. 30.

Idem ergo dici posset ad orationes quibus Elisabeth, & Zacharias vehementer, & desiderabant, & liberos postulabant, nisi promissiones Messiæ semini Abrahæ factæ, semini Dauid non essent determinatæ, quarũ participes esse Patriarchas de tribu Leui contra prudentem spem expectassent. Vnde dicendum est, tempore quo templum ingressus est Zacharias, liberos non exorasse. Quod verosimile est, cum sacerdotio publico fungeretur, cui annexum est pro totius populi salute, bonoque communi, relictis bonis priuatis deprecari. Quando ergo Angelus apparens exauditam suam orationem reuelauit, non orationẽ, qua liberos; sed tãtum qua Messiam deprecaretur, intelligit, munus enim sacerdotis aduentũ erat Messiæ efflagitare, & in signum Christi venturi, addidit Angelus, senem iam suam vxorem filium esse pariturum, vt ex illo impossibili naturæ superato, Deum claustrum Virginis comprehensurum in naturæ remediũ cognoscceret. Vnde quasi de filijs non cogitasset Angelo non credidit promittenti. Sic August. tom. 4. lib. 2. Quæst. Euang. cap. 1. Verum etsi desiderassent, & liberos exorarent, nulla promissionis Messiæ consideratione præuenti, nil eorum derogat sanctitati, vt statim dicemus.

Votum Iepthe non vniformiter omnes exponunt, ille enim morem belli, deuouendi siuè hostes, siuè ciues, qui iura militaria anathemate præstituta violarent, secutus, imprudenter tàm animal deuouit, quàm hominem, ac proinde filiam infeliciter præter spem occurrentem sacrauit, & iuxta promissum similiter immolauit, vt habetur in nostra Vulgata: *Et fecit ei sicut vouerat*. Vnde Iosephus, Phil. Iud. lib. 5. cap. 9. ¶ Filiam (inquit) immolauit, neque legitimum, neque Deo gratum sacrificium soluens. ¶ In Vaicra Rabba Parash. 37. circa illa verba: *Dimitte me vt circumeam montes*, ideſt, qui modo offerat voti relaxationem. ¶ Potuit quidem (sic ibi dicitur) voto suo solui, si ad Phineesum accessisset. At vero dixit (Iepthe) ego cum rex sim adibo Phineesum? Phineesus etiam: ego cum sim Pontifex Pontificis etiam filius, adibo plebeium? atque ita hisce inuicem altercantibus, perijt ipsa. ¶ Sed quidquid sit de Rabbinicis figmentis, derelicta similiter inquisitione, vtrum hoc Iepthe tempore superstes esse potuerit Phineesus? Certum est filiã occisam, & sacrilege consecratam Domino necem eius, vt expressè nostra Vulgata, etiam si Lyra, & Vatablus reclamen, cum pro nobis sint August. quæst. 49. super Iud. Ambros. lib. 1. de officijs cap. 50. Gregor. Nazianz. Orat. de Machab. Athanas. in Sypn. 7. D. Hieron. & penè omnes patres. Imò Toletana Synod. 8. cap. 2. id supponit vt probet iuramenta illicita non implenda, D. Thom. 2. 2. q. 88. ar. 2. ad 2.

Si autem aliorum Rabbinorum vera expositio foret, non esset infirmum pro virginitatis venerabili antiquitate testimonium, inquit enim Dauid Kimhi. ¶ Fecit ei domum & introduxit in eam, atque ibi remãsit secluſa a filijs hominum, & à rebus sæcularibus, atque statutum, seù mos inualuit in Israel, vt quotannis eam inuiserent Israelitides. Oportebat

bat autem eam à viri consortio segregare. Nam si coniugem haberet, non potuit Domino solum inseruire, sed coniugi etiam inseruiret more vxorum. ¶ Inde infert Gersomides in signum doloris vestes Iepthe laceraſſe, eo quod vnica sua prole ab hominũ cõsortio segregrata, spes posteritatis euanescebat, sicut propter similem causam, suã ipsa deplorabat virginitatem.

Nos autem & reuera filiam fuisse mactatam a patre, &, vt inquit Abulensis, igne consumptam, & sic incineres redactam Domino fuisse oblatã, temere fuisse votum conceptum, sed inniquius impletum, dicimus: Virginitatem ergo suam lachrimis lamentabatur, non quod virum non cognouisset; sed quod fleret se tam tenerã, & in florida immatura que ætate morti sine spe indulgentiæ esse ob noxiam.

Superest vt Exod. 23. & Deut. 7. exponamus vt vires omnino contrariorum fragantur. Ibi enim præcipitur neminem esse sterilem, sed fęcunditas promittitur benè operantibus tamquam naturæ fęlicitas. Non autem dicit non erit in te virgo, aut cælebs, sed, non erit in te sterilis, benedictio est, non præceptum. Vnde Exod. 23. *Numerum dierum tuorum implebo*, quibus quis præceptum inueniet? cum expresse indicet benedictionem, & beneficam voluntatem, sic fęcunditas tamquam misericordia diuina promittitur Israelitis, cũ hæc in hominum arbitrio non sit, ac proinde incapax omnino præcepti, si autem impositum esset hominibus, foret pariter animantibus, atque brutis cum Deuter. 7. Non erit in te sterilis (dicatur) tàm in hominibus, quàm in gregibus. Constans ergo debet esse Dominum fęcunditatem pollicitum fuisse hominibus, non quidem coniugia omnibus præcepisse. Illud maximum beneficium, cum sterilitas error & defectus putetur naturæ, & fęcunditas fabor, & gratia à cœlo procedens. Vnde tres claues in manu Domini specialiter esse non sine fundamento existimabant Hebræi, clauem videlicet cęli, vitæ & mortis, & clauẽ vuluæ, iuxta illud concluſit Dominus vuluam eius, vel aperuit, quorum nõ vnum reperietur testimoniũ in Scriptura.

Scrupulus vnus restat, quoniam si virginitatem anteponendam connubijs Dominus iudicasset, non fęcũditatem, sed illam pollicitus fuisset tamquam prę stantiorem, sibi dilectis hominibus: huiusmodi autem promissiones difficile reperiri possunt, cum aliæ obuiæ sint & frequentes. Verum facilis adest exitus difficultatis. In veteri namque testamento Dominus nõ semper melius promittit, sed quod pro suo imperfecto captu optabilius illis esset. Quis hæsitet bona cœlestia perfectiora temporalibus esse? & nihilominus sola temporalia promittit Dominus, terræ Chanaam possessionem, & inimicorum debellationem & ruinam. Paupertas Euangelicam perfectionem summam statumque continet altum, quia tamen hæc est innata hominis obliqua inclinatio diuitias solicite quærere, & appetere tẽporalia, bona terræ, & diuitias passim promittit, Isai. 1. *Si audieritis me, bona terræ comedetis*, & Psal. 64. *Parasti cibum illorum quoniam ita est præparatio eius*. Quoniam igitur homines naturaliter appetunt in posteris expressam perpetuare, si possent, suam imaginem, hanc si transfundant in aliquos, existimant se esse fęlices, vt 2. Reg. cap. 7. manifestauit Dauid à Deo posteritatem exorans, & dicẽs: *Hæc est enim lex, Adam, Domine Deus*, hæc est naturalis hominũ inclinatio. Hinc benedictionẽ, & fęlicitatem ducebant fęcunditatem, vt Psal. 127. *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ, filij tui sicut tui*

ficuę

ſicut nouellæ oliuarum in circuitu mẽſæ tuæ. Ecce ſic benedicetur homo, qui timet Dominum. Expreſsius teſtimonium inueniri quidem non poteſt, vt fęcundiras, & liberorum poſteritas ſub præcepto non cadat, ſed materia ſit tantum benedictionis.

Verum in lege Euangelica & in ſtatu hominis perfectiori, præſtantiorem eſſe virginitatem, illique Dominum benedictionem, bona, & fęlicitates maiores, quam ſit coniugibus liberorum poſteritas, promiſiſſe, tradidit expreſsè Iſai. cap. 56. *Hæc dicit Dominus* (inquit) *Eunuchis, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filijs, & filiabus.* Locum iſtum in ſuam obſcænitatem conuertit Vermelius, cętęrique Lutheri ſectarij, dicentes pręmiũ, quod Deus Eunuchis, ideſt, nomen melius, quam quod à poſteris ſuis poſſent habere. pollicitus eſt, virginibus non eſſe promiſſum, ſed eunuchis à natura dumtaxat, ijs enim hoc pręmio compenſat fęlicitatem, qua eos priuauit natura, à delicijs faciens extorres, veneriſque incapaces. Vocãt in ſui faborem gentilium antiquitatem, qui lumine rationis vigebant, quo ducti, & Plato Dialog. 6. de legib. eos qui annis triginta coniugem non haberent, pecunijs & honoribus voluere mulctari. Lycurgus (teſte Plutarcho) cęlibibus grauiſsimam ignominiam inuſit, arcens in gymnicis ludis à pectaculo, per hyemem vero nudos in forum ignominioſe circumire præcipiebat. Romanorum lex ſimiliter cęlibes in ciuitate cenſores eſſe prohibebat. Vnde ſi aliquibus eunuchis promittitur præmium, non voluntarijs, qui pœna potius ſunt digni, ſed à natura ſterilibus.

Teſtimonium Iſai. deprauatum, quis non videt? cum loquatur de eunuchis, qui merito & propter Regnũ Cœlorum ſe caſtrauerunt, voluntariam ſeruantes virginitatem, ſic Auguſtin. lib. 1. S. Virg. cap. 23. & 24. Ambroſ. D. Gregor. 3. part. paſtor, cap. 29. Orig. Hilar. Hieronym. Chry. Theoph. Eunuchi enim à natura plerumque ignominioſi ſunt. ¶ Ignominioſum illud, ac pernitioſum (inquit Baſilius epiſt. 87. ad Simpliciam) eunuchorum genus; genus in quam, nẽ fęmineum, nec maſculum, inſaniens in mulieres, inuidioſum, vilis pretij, animo feroci effæminatum, ventri deditũ, fractum, illiberale, furioſum, & zelotypum. ¶ Idẽ & ipſe Baſilius lib. de vera virg. Nazianz. in Monod. in vitam Baſ. Videatur Forer. in hunc locum Iſai. Non minus impudenter loquuntur contra virginitatem, quæ commendabilis fuit, vt ſuperius diximus, ipſi antiquitati. Auguſtus Romanus Imperator Romanorum numero recenſito, cum reperiſſet cælibum maritatis ſuperiorem extare, pœnis cælibatum notauit, earum tamen immunes eſſe voluit, qui perpetuam ſeruaſſent virginitatem, & vt inquit Dio. hiſt. Rom. lib. 56. Eiſdem (virginibus) eadem, quæ matribus pręmia largitus eſt. Apud ipſos Romanos maximè Veſtales virgines habitas, quæ falſis dijs virginitatem ſacrabant, referunt Alexander ab Alexandro, & Lypſius de Veſta, & Veſt. quod ſi inſeruirent libidini cædebantur ac viuæ defodiebantur. De quo Iuvenal ſatyr. 4.

(.·.)

Geneſ. 9. Non erit deinceps diluuium.

Pſalm. 28. Dominus diluuium inhabitare facit.

Hanc

HANC proponit antilogiam Feltrenſis. Ad quam ſic Lyranus, Dominus diluuium inhabitare facit, ideſt terram diluuio deſtructam, inhabitare facit, per multiplicationē hominum, & animalium, quæ fuerunt in arca ſalva. Feltrenſis diluuium accipit methaphorice pro perſecutionibus, quibus Pſaltes propheta Eccleſiam, tamquam aurum in fornace, præuiderat eſſe probandam, ſicut generali diluuio vniuerſa terra à ſordibus fuit purgata.

Geneſ.9. Prohibetur homicidium ſub pœna mortis.

Exod.21, Homicidium pretio redimi poterat.

Vide antilogiam Exod.21.

Geneſ.9. Carnem cum ſanguine non comedendam, Leuit. cap.17. & Act.15. à ſanguine & ſuffocato abſtinendum præcipitur.

Omnia cæremonialia iam abrogata paſsim repetit Paulus, neque Chriſtiani à ſanguine & ſuffocato ſe continent.

§. I.

Quid de lege Noaco intimata, & ſcripta dicendum exponitur.

IMprimis Ioſephus, & Philo repellendi ſunt. Ille enim lib.3. Antiq.cap.10. ſanguinem animam, & ſpitum Moſem intellexiſſe putauit. Idem apud Ariſtotelem ſenſit Philoſophus Critias. Fūdarique poſſet in Hebræo textu, vbi legitur : *Carnem in anima ſua, ſanguine ſuo non comeditis*, vbi, *in anima ſua, in ſanguine ſuo*, per appoſitionem dicitur. Leuit.27. Habetur, *anima carnis in ſanguine eius eſt*, in Hebræo : *Anima carnis ſanguis eſt*, & Deuter.12. Quo reſpicit illud Virgilij.

Purpuream vomit ille animam.

Verum id in ſenſu formali, vt cum methaphiſicis loquar, nequit verum eſſe, cum tàm in homine, quàm in beſtijs manente ſanguine, mori, & occidi poſſunt. Errauit ſimiliter Philo, qui, nixus Scripturæ teſtimonijs prædictis, animam hominis aliam cognouit cum beſtijs communem, alteram, quę homini eſſe dat, & ſpiraculum vitæ appellatur, quod Dominus ſpirauit in Adami faciem, illa in eſſe animalis conſtituit, & ſanguis eſt, iſta in eſſe hominis rationem habentis. Quæ diſtinctio erronea quidem eſt. Sanguis igitur dicitur anima, tum quod ſit alimentum proximum, quo anima ſeu vita fouetur, vt inquit Bōfrerius, tum vel maximè, quod ſit inſtrumentum animæ ad functiones vitales, propterea quod ſpiritus vitales, ſine quibus actio vitalis conſiſtere nequit, defert per totum corpus, quibus ſimiliter interceptis, ſtatim anima iners, & ad omnes ſuas functiones inepta eſt. Vnde cum Scriptura in ſanguine inquit animam eſſe, in ſanguine ſedem habere intelligenda eſt, vel quod vbicumque ſanguis eſt, ibi anima operatur, & eſt, iloquę

loque ablato desinit operari.

His positis extra chorum, Eugubinus præceptum de non comedendo sanguine Noe impositum esse negaut, existimans Scripturam, relatis superius verbis figuratè locutam, illisque prohiberi dumtaxat humani sanguinis effusionem, siue homicidium, comedere enim cum sanguine animam, aliud nihil est, quam hominem, cuius vita consistit in sanguine, occidere. In Scriptura autem non insolēs est modus iste loquendi. Dauid Psal. 26. *Dum appropriant super me nocentes, vt edant carnes meas.* Iob cap. 31. *Dixerunt viri tabernaculi mei: Quis det de carnibus eius vt saturemur?* Hanc expositionem confirmant verba sequentia textus, quæ ad homicidium spectant. Hanc reddit, cur nolit edi cum sanguine carnes, rationem: *Quia ego requiram sanguinem vestrum de manu bestiarum, & hominum.* Hæc autem ratio inepta foret, si pro homicidio, sanguinis que effusione, *comedere carnē cum sanguine*, non sumatur. secundo, nouo que mundo illo, de esu sanguinis, qui ad immunditiam hominis non spectabat, parum Deus curasse credendus est, sed totus fuisse in absterrendo hominem ab homicidio, ne tunc, quod sub mūdi initio Abeli, hominum pusillo gregi forte accidisset.

Verum hæc expositio repellitur ex verbis Sacræ Scripturæ. Quoniam Deus postquam esum animalium homini permisisset, addit: *Excepto quod carnem cum sanguine non comedetis.* Nulla autem hæc foret exceptio, si comedere carnem cum sanguine, non de vera carne, vero que sanguine, sed per methaphoram de homidio intelligendum fuisset. Hic ergo Dominus expressè prohibuit, quod per legem Mosis, aliquando vetandum erat. Leuit. autem 17. & alibi pluries, caro cum vero sanguine animalium sine metaphora debet intelligi. Vnde Noe impositum fuit de nō edendo sanguine, & posteris eius præceptum, & per Mosis legem iterum Israelitis fuit intimatum. Neque comedere carnem cum sanguine, acceptum pro occidere reperietur in Scriptura, quamvis fateamur, alicuius edere carnes non insolentem modum esse loquendi, vt aliquem capite plecti, vita que priuari significet.

Neque fundamentum Eugubini, quid roboris habet, desumptum ex verbis illis: *Sanguinem enim de animabus vestris requiram*, ibi. *Enim* significationem casualem non habet, sed dumtaxat aduersatiuam idem ergo est, ac *porro, verumtamen*, vel *tantummodo*. Quibus significationibus omnibus gaudet in Hebræo particula *ach*. Determinato enim esu permisso homini cum sanguinis exceptione, verum sanguinem hominis, quasi diceret, ita sacrosanctum manere volo, vt neque homo, neque bestia effundere audeat impune.

Dicendum ergo putat Pererius hoc præcepto, Noe, & posteris eius impositō, prohiberi animal suffocatum intra se sanguinem habens. Quod tradit D. Chrys. hom. 27. in Gen. prohibetur sanguinis esus in eius sententia siue intra animal sit viuum, vel suffocatum, siue extra ipsum animal, sanguinem bibendo, vel commedendo. Quæ omnia verbis Genes. 9. interdicta sunt. Ideo autem imposita est Noe, & posteris eius prohibitio, vt hominem, obedientiam post diluuiū Dominus faceret exercere, vel vt alij sentiunt, quia sanguinis esus maximē frequens sit homini noxius, benignitate Dei medici munus erga naturam humanam gerente.

Verum contra hanc expositionē difficilis locus est Deut. 14. ibi: *Quid quid autem morticinum est, ne vescamini ex eo. Peregrino, qui intra portas tuas est, da vt comedat, aut vende ei, quia tu populus sanctus Domini*

Dei

Dei tu es. Vbi vox *Ger*, quæ in Hebræo, peregrino reſpondet, non pro proſelyto iuſtitiæ ad Iudaiſmum cõuerſo, qui æque, ac ſi Iudæus origine foret, Moſis legibus tenebatur, accipi poteſt, ſed pro proſelyto domicilij, quem obligabant ſeptem Noachidis data præcepta, ſicut Noe poſteros omnes, inter quæ, præcipuum, de non edendo ſanguinem prohibitionem, recognoſcunt præceptum. Morticini autem nomine, non ſolum quæ ſenectutis, ſeù validitudinis vitio, animalia, ſponte moriuntur, ſed etiam quæ caſu aliquo, præcipitio, vel lapſu, vel ſuffocatione, aut aliter necabantur, intelligi comprehendi que debent. Ex quibus apparet iam difficultas. Etenim prohibitio de ſanguine non edendo, ſi Noe à Numine impoſita fuiſſet, & in illo poſteris eius, æque cuncti à Noe per Cham, & Iaphet deſcendentes illo tenerentur præcepto, ac Hebræi, qui deſcendunt per Sem, cum hæc prohibitio antiquiſſima non ideo ſit derogata, quia populo Domini ſit iterum repetita. Videmus autem Deut.14. animal morticinum, intra cuius viſcera ſanguis manebat, edere fas peregrino fuiſſe. Non ergo Noe poſt diluuium de ſanguine non edẽdo impoſitum eſt præceptum.

Ex dictis refutatum extat, quod plures Rabbini tradunt, nempè, quid quid nomine membri viuentis vetitum eſt Iſraelitæ, id pariter Noachidi ſiuè Gentili illicitum eſſe, ſed non è contra. Sic Maimonides Hal Melakim cap.9. Moſes Mikol Præcept. affirmat.122. Iſte ſic inquit loco citato. ¶ At vero ſunt nonnulla quibus violat hoc interdictum Noachides, non item Iſraelita, veluti in membro animalis viuentis, quod immundum eſt, & vbi pecoris iugulati, ſed adhuc motitantis, caro ſeù membrum aliquod ſeparatum comeditur. Nam Noachidi illud illicitum, non item Iſraeliti. Quoniam ſcilicet indultus ex ritu mactationis, ſeù iugulationis ad Noachidas non attinet quemadmodum ad Iſraelitas. ¶ Extat, inquam, refutatum ex verbis Deuter. & Leuit.17. vtrobique enim ſimilima forma ſanguinis eſus intra animal viuum veritus eſt, & Iſraelitis frequentius reperitur apud Moſem prohibitus, verum intra animal ſuffocatum exiſtens, ſeù morticinum, Gentili permiſſus habetur Deuter. 14.

Dicendum exiſtimo cum Caieno verba Geneſ.9. intelligenda de carne animalium cum ſanguine non edenda. Caro enim in anima eius, nõ aliud quam caro viua eſt. Ibi ergo Dominus permiſit homini animalibus veſci, & modum edendi carnes ipſi obſeruandum inſtituit, longe diuerſum ab illo, quo beſtiæ veſci carnibus ſolent. Præuidit Dominus quidem tempora, quibus homines tam barbari eſſent futuri, vt viſcera induti ferina non horrerent veſci animalibus viuis. Audi Maimonidem ¶ Ita, inquit, eo ſæculo facere ſolebant reges gentium, etiam idolatriæ cauſa, ita faciebant, ſcilicet, animali abſcindebant membrum aliquod, atque illud comedebant. ¶ In Europæorum Omophagijs, ſeù feſtis crudiuoris hoc adhibitum eſſe memoratur ab Arnobio aduerſus Gentiles lib. 5. ¶ Bacchanalia, inquit, prætermittamus immania, quibus vox, & nomen Omophagij Græcum eſt, in quibus furore mentito, & ſequeſtrata pectoris ſanitate, circumplicatis vos anguibus, atque vt vos plenos Dei Numinis ac Maieſtatis doceatis, caprorum reclamantium viſcera cruentatis oribus diſsipatis. ¶ De quo Clemens Alexandrinus in Protreptico, & Sixtus Empiricus in Pyrrhonijs hypotypoſibus lib.3.cap.25.

Tempore autem Moſis Dominus expreſsè ſuffocatum & morticinum pro-

prohibuit, ratione immunditiæ qua populum ſibi ſacratum contaminari cauebat, quam in gente à Deo religione remota non poſtulauit, vt habetur, Deuter. cap. 14. Sanguinis ſimiliter eſum, idololatriæ fugiendæ gratia, ad quam proni fuerant Iudæi, Deus prohibuit, de ſanguine enim idolorum cultores ſolebant libare, vt docuit D. Thomas 1. p. quæſt. 102. art. 3. & Moſes Maimonides prius tradidit in More Neboch. part. 3. cap. 48. Idem prohibuit Mahumedes, interprete Mahumede Ben. Achmed Paraphraſte Alcor. Azoar. 2. 5. & 6. Lat. Cod. 6. 12. & 16. Abugiafar Hiſt. Sarac. lib. 1. cap. 1. ¶ Moriſchi huius Regni, (inquit Iacobus Bleda de Mahumedanis qui olim in Hiſpania) & reliqui Hiſpaniæ non comedunt ſanguinem, carnes ſuffocatas, morticinas, nec morſas ab aliquo animali, putantes id peccatum eſſe ob reuerentiam luæ ſectæ peſsimæ, quæ id vetat in Alcorano, & vocant eas carnes Arabice *Halpharam*, id-eſt, maledictas, & prohibitas. Ex omnibus ergo dictis hucuſque conſtat lege Moſis prohibitum ſanguinem, animal que tàm viuum, quàm ſuffocatum, Iſraelitis, ante Moſem autem Geneſ. cap. 9. ſolum animal viuum non edi licere, fas autem morticinum, aut ſuffocatum, vt patet Deuter. cap. 14.

§. II.

Quid de ſanguine, & ſuffocato legè Euangelica ſit ſtatutum.

LOCVS expreſſus, quo ſub Chriſtianæ Eccleſiæ initijs præceptum de ſanguine, & ſuffocato non edendis eſſet renouatum, & quo, aliqui ius inuiolabiliter omnibus gentibus inſitum, nemini que non fore ſeruandum, temere affirmant, habetur in Epiſt. Synodica Apoſtolorum ad eos, qui fuere tunc in Antiochia, Syria, & Cilicia, fratres ex Gentibus, dubitantes, vtrum qui nomina dederant Chriſtianiſmo, ſeruare tenerentur leges Moſaicas, adeo que circumcidi, an ex libertate Chriſtiana eis forent ſoluti? Quibus ſic reſponſum dederunt Apoſtoli. *Viſum eſt* (dicunt Act. Apoſtol. cap. 15.) *Spiritui Sancto, & nobis, nihil vltra imponere vobis oneris, quam hæc neceſſaria: vt abſtineatis vos ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, & fornicatione, à quibus cuſtodientes vos, bene agetis.*

Hæc verba Græcis tàm tenaciter ſunt impreſſa, vt veluti ex inſtitutione Apoſtolica, retineatur ab illis abſtinentia à ſanguine, & ſuffocato. Illa autem omnia, quæ ſub præcepto obſeruari Synodus Apoſtolica voluit, tamquam omnibus Gentibus à temporibus diluuij inſita, & non ſolum Iſraelitis, Græci firmiter aſſeruerunt. Adducunt in ſui obſeruantiam Canonem Apoſtolicum ſexageſimum ſecundum apud Theod. Balſam. tom. 1. conc. can. 63. Concilio ſimiliter Gangrenſi prohibitus ſupponitur eſus ſanguinis, & ſuffocati. Leo Imperator Nouel. conſt. 58. ad Stilianum reſcripſit. ¶ Simul olim legiſlatori Moſi, ſanguine veſcendum non eſſe, mandauit Deus: ſimul ab iſtiusmodi cibo abſtineri debere, à præconibus gratiæ eſt conſtitutum. Et quamquam tum veteris, tum nouæ gratiæ tempore illa res vilis habita ſit, ac nefaria; eò tamen contumaciæ, imò vecordiæ homines proceſſere: vt neutri legi aurem morigeram præſtent. Paucis interpoſitis concludit. At ſciat quicumque dehinc diuinum mandatum contemnere, ſanguinemque in cibum conuertere, (ſiuè vendat, ſiuè emat) deprehenſus fuerit, ſe bonorum publicationi ſubijciendum, & vbi

acerbum in modum flagris cæſus ac cute tenus fœde detonſus fuerit, perpetuo patriæ exilio mulctandum eſſe. ¶

Alij per oppoſitum tradidere, verba de ſuffocatis non comedendis, fuiſſe poſtmodum ſuperaddita, neque ab Apoſtolis poſita. Vnde Iræneus Act. locum bis citans, *ſuffocatum* prætermiſit, lib. 3. cap. 12. ſicut, & Tertulianus de pudic. cap. 12. quamvis iſte nomine ſanguinis ſuffocati prohibitionem intellexerit in Apolog. lib. 32. cap. 13. Cyprianus ad Quirin. lib. 3. & Paciarius de Pœnit. & Confeſ. locum Act. legerunt reijcientes ſimiliter *ſuffocatum*. Vnde Ambr. in Epiſt. ad Galat. cap. 2. à Græcis adulteratam eſſe Scripturam, & additum *ſuffocatum* monuit. Idem de ſuppoſitione verbi prædicti tradidit contra Fauſtum lib. 32. cap. 13. Auguſt.

Duo ergo dicenda ſunt, vt medium inter extrema ita diſtãtia eligatur. Primum eſt, in Apoſtolica Synodo nõ agi de ſeptem iuris capitibus, quibus Noachidæ, gentesque cęteræ tenerentur, vtpotè, naturalibus omnibus fere, vt voluit Guilielmus Schikardus, qui in primitiua Eccleſia loco Moſaicæ legis rigidiſsimæ ex decreto Apoſtolorum, & Synodi Hieroſolymitanæ impoſita fuiſſe, tradit, quæ ſi vera eſſent, & tamquam iure naturali inſita cunctis Apoſtoli præcipiſſent, non malè Græci vſque adeo eorum obſeruantiam duraſſe contra Latinos arguerent, ſed de iure Moſaico, quod præſcriptum erat Iudæis quæſtionem eſſe agitatam. Pro cuius declaratione, dignum notatu eſt, quemlibet, qui ex Gentiliſmo, Iudaiſmo dare nomen volebat, & legis obſeruantiam amplecti, Iuſtitiæque Proſelytum appellari, præcedere debuiſſe baptiſmum, circumciſionem, & oblationem; his autem ſolemnitatibus poſitis, in Synagogam nomine Proſelyti Iuſtitiæ poſſe cooptari. Qui autem in ſocietatem, fœdus, & Iudæorum amicitiam admitteretur, prius in ſe recipere tenebatur ſeptem Noachidarum præcepta, & hos Domicilij Proſelytus appellabant. Cum igitur ſub initio Chriſtianiſmi, Iudæi aliquot ex ſecta Phariſæorum, qui nomen dederant Chriſto, aduerterent Gentes ad Chriſtianiſmum conuerti non ſine baptiſmo, circumciſione, & oblatione, quemadmodum Proſelyti Iuſtitiæ, qui ad Iudaiſmum conuerſi, in Synanogam admittebantur, ritus huiuſmodi qui in Proſelytorum Iuſtitiæ admiſsione in Iudaiſmo fieri ſolebant, perpetuo in regeneratione hominis, conuerſione que Gentilis ad Chriſtianiſmum ſeruandos iudicabant. In Synodo autem Apoſtolica, ab omnibus his abſolutos eſſe, qui Chriſto nomen dediſſent, ritus que veteris legis in Proſelytiſmo Iuſtitiæ, definitum eſt pro Chriſtiana libertate ceſſaſſe. Ex quibus conſtat non de ſeptem Noachidarum præceptis, ſed de iure Moſaico, agitatã eſſe quæſtionem, cum de eo, quod non parum Proſelytorum Iuſtitiæ admiſsionem imitaretur, actum eſſet, Neque in canone, verbum occurrit, quod ad illa capita ſpectet, cum *ſanguis* non homicidium, neque *immolatum idolis* cultum extraneum idololatriæ ſignificent.

Nec de ijs ibi moneri opus erat, cum omnibus tàm ex Gentiliſmo, quàm ex Iudaiſmo ad fidem conuerſis cuncta eſſent nota, non ſolum prædicato Euangelio, ſed etiam Matthæi iam conſcripto. Synodus enim illa celebrata eſt ab Apoſtolis anno 50. vel vt Baronius, anno 51. Chriſti, & Claudij Cæſaris 9. vel 10. Matth. autem tertio Caij Cæſaris anno, vt placuit Euſebio in Chron. Euangelium ſcripſit, vel, vt ex Euangelio

lio

lio eius Arabico Erpenianæ editionis habetur, anno primo Regni Claudij Cæsaris Imperatoris Romani scripsit suum Euangelium Matthæus, quod non repugnauit Saidus Batricides. Vnde Irinæu. lib. 3. cap. 1. Baron. Ann. an. 41. Christi. D. Marcus similiter anno quarto Caij Cæsaris, vt in vitis Euangelistarum à Petro Kirstenio editis, expresse legitur, circa quadriennium, aut quinquenium ante Synodi celebrationem. Non ergo ab Apostolis septem Noachidarum præcepta proponuntur obseruanda, neque suffotum est impositum illis, sed Israelitis dumtaxat, vt Deut. 14.

Aliud extremum fugiendum est eorum, qui suffocatum prohibitum ab Apostolis suo concilio, negant, cum communis Latinorum editio cum verbis *& suffocato* legat, sicut & Græci. Quin etiam vsum receptum fuisse videtur olim in Ecclesia, vt fideles ab esu sanguinis, & suffocati abstinerent. Eorum prohibitio in Concilio Aurel. II. can. 20. Concilio Cartaginensi, & Vormatiensi c. 65. habetur expressa, sicut in antiquo Theodori Pœnitentiario, vbi iniuncta inuenitur pœna, qui suffocatis vesci ausi fuissent.

Quibus iam declaratis cum Binio dicendum est, quod Apostoli tempore Euangelicæ legis, harum rerum abstinentiam noua, & positiua Ecclesiastica lege huiusmodi, quæ conscientias fidelium, etiam extra periculũ scandali, obligaret, præceperunt non propter obseruantiam legis Mosaicæ, sed quo facilius Christianorum, Iudæorum, & Gentium, simul habitantium animi conglutinati, in vnum popolum coalescerent, sublatis rebus hisce, quæ vehementius eos dissociare, atque alienare possent. Iudæi propter antiquam consuetudinem, esum sanguinis & suffocatorum incredibiliter auersabantur, & horrescebant. Esus eorum, quæ simulachris immolata erant, magnum illis scandalum adferebat, suspicantibus id esse argumentum Gentium ad idololatriam redeuntium. Postea vero, quum Ecclesia excreuisset, & Iudæi, & Gentes in vnum coaluissent, illi que duo parieres, vnus ex circumcisione, alter ex præputio, venientes, in angulari lapide Christo Domino, compaginati essent, cessante causa, cessauit effectus etiam. ¶ Quis iam hoc Christianus obseruet (inquit Augustin. lib. 32. cap. 13. contra Faustum) vt tardos, vel minutiores auiculas, non attingat, nisi quarum sanguis effusus est? aut leporem non edat, si manu à ceruice percussus, nullo cruento vulnere occisus est? ¶ Manifesta est omnibus veritas Christianæ doctrinæ non coinquinare hominem, quod per os intrat Lucæ cap. 7. nihilque reijciendum, quod cum gratiarum actione sumitur, 1. Timoth. cap. 4. Quare cum hæ rationes, & pericula scandali, apud omnes Christianos cessent, ipsa quoque lex, totius Orientalis Ecclesiæ consensu, laudabiliter est antiquata.

Geneſ.cap.9. Quicumque effuderit ſanguinem hominis, fundetur ſanguis illius.	*Num.35. Vindex ſanguinis impune occidit, qui interfecit proximum ſibi.*

Vide pro conciliatione antilogiæ, Exod.cap.21.

Geneſ.9. Prohibetur poſteris omnibus Noe ſuffocatum.	*Deut.14. Permittit Dominus ſuffocatum & morticinum Gentibus.*

Vide pro conciliatione, primam antilogiam ſuperius in concordiam redactã Geneſ.cap.9.

Geneſ.9. Ad imaginem Dei dicitur homo factus.	*Pſalm.70. Domine quis ſimilis tibi.*

Vide conciliatam, cap.5.

Geneſ.9. Maledictionis afficitur pœna paternæ innocens nepos Chanaam.	*Ezech.18. Filius non portabit iniquitatem patris, neque pater filij, ſed anima quæ peccauerit ipſa punietur. Idem conſtat Exod.20. & Deut.24.*

CVM vinea, plantata induſtria Noe, fructus vberes attuliſſet; eiusque expreſſo licore, & ſuauitate inuitante, paulo laxius primus bibiſſet ſenex, vino victus, in tabernaculo ſuo, vt dormientibus accidit, inhoneſte nudus iacebat. Quod cum cognouiſſet Cham pater Chanaam, contra honeſtatem parentis cum irriſione fratribus alijs nunciauit. Experge factus autem Noe cognito filij flagitio, maledictionis ſeruitutis viliſsimæ pœna nepotem affecit Chanaam, & ſub illius nomine cæteris Chananeis, non quidem eius parenti, vel quia iam pridem à Deo benedictionem audierat, vt Theodoretus, & Chryſoſtomus volunt, vel quia reliquos Chami filios noluit eadem maledictione implicari, qui potentium regnorum fuerunt progenitores, ſed deſcendentes ſolum à Chamo per filium eius Chanaam.

§. I.

§. I.

Aliquæ leges humanæ damnatur, sicut & duplex Rabbinorum expositio.

IMprimis priusquam audiendi, reijciendi Theologi sunt, quos Hebræi diuinos Cabalistas appellant, Platonicã sectã secuti, inter illius varia deliria, parentis peccata puniri in filio delicti omnino innocẽti, eo quod anima patris transmigrauerit in corpus illius, ipsa in filio pro culpa pœnam ferente propria, quæ in parentis corpore fæcata fuerat, tradunt. Hanc summis commendat elogijs Manasses, Ben. Israel in suo Conciliat. in Exod. 20. quam ab Orpheo Mercurio Trimegistro, Pithagora, & Platone ad diuinos Cabalistas dimanasse gloriatur, quam decantauit olim Virg.

Has omnes vbi mille rotam voluere per annos,
Lethaem ad fluuium Deus euocat agmine magno,
Scilicet immemores supra vt conuexa reuisant,
Rursus incipiant in corpora velle reuerti.

Reijcienda merito est, quia plurium errorum allubione conflata, quos auribus percepisse Catholicis erit fat, vt aborreant; præter quam quod pullulat nouus error, viuente namque parente; ortum, & diu vixisse Chanaam, est omnibus inconfessum; erat ne anima parentis in filio deserens proprium corpus? vel tàm in parente, quàm in eius filio? Si primum dicas, non defendes superstitem esse vtrumque, si secundum asserueris deseris, quam tuendam suscepisti, Platonis sententiam, qui transmigrationem in vicissitudine successiua informandi constituit expressè.

Damnandæ similiter tanquam iniustæ sunt leges humanæ, quæ in propinquorum cunctorum capita propter delictum vnius plectuntur; sic Persæ, & Macedones (Iustino lib. 10. teste) quorum leges diritate exsuperare, omnes scripsit Ammia. Marcelin. Philo morem esse tyrannis dicit cum damnatis vna tollere quinque familias eis proximas, de quo Herodianus lib. 3. Huic accedit aliorum opinio, propter delicta parentum, filios æquali damnari pœna, eo quod parentibus similes putentur futuri, asserentium, de Arcadio Imperatore (nescio quo fundamento) fertur dixisse, patruo perire supplicio, in quibus paterni criminis metuuntur exempla, debuisse; & Ammianus narrat interemptam sobolem etiam paruam, ne ad parentum exempla succresceret; vnde natum Græcum prob erbium.

Desipit occidens, qui patrem pignora seruat.

Sed nihilominus, vt inquit Seneca, nihil est iniquius, quam aliquem hæredem fieri odij paterni; Dion. Chrisostomus, cum sanctione Athenienſium Solonis que legibus posteros deuoueri dixisset, hæc subijcit de Dei lege. ¶ Verum hæc, non vt illa, liberos, & posteros peccantium punit, sed sibi quisque fit infortunij causa. ¶ Et ratio, quã præseferũt Imperatores Christiani, lege *sancimus*, c. de pœnis; ea est, sancimus ibi esse pœnam vbi noxa est, peccata igitur suos teneant auctores, nec vlterius progrediatur metus, quã reperiatur delictum; vbi igitur non fuerit culpa, iniustè infligitur pœna.

Ideo Marcus Antonius in epistola ad Senatum filij Auidij Cassij qui in eum coniurauerat fraude, sic inquit. ¶ Quare filijs Auidij Cassij, & genero, & vxori veniam dabitis, & quid dico veniam, cum illi nihil fecerint. ¶ Est enim iniqua ratio quæ obtenditur, quod parentibus similes futuri putantur, cum id sit incertum, nec incertus metus ad mortem cuiusquam sufficere debet; ostendit namque Iulianus: sæpè ex malis parentibus bonos veniſſe liberos, sicut ex saxis apes euolant, è ligno amaro nascuntur ficus, è spinis prodit pomum punicum; desinit vba acerba, inquit Tertulianus, à patribus manducata dentes filiorum obstupefacere, vnusquisque enim in suo delicto morietur, ideo prægnantem mulierem mortis supplicio afficere nefas apud Romanos *L. Imp. Adrian. D. de statu hom. L. Prægnant. D. de pœnis, ne filius innocens interiret cum matre.* Expresse pugnat paginæ Sacræ Ezech. cap. 18. dicitur: *Si impius genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui, quæ fecit, timuerit Deum, nec fecerit simile eis, hic non morietur iniquitate patris sui, sed vita viuet.* Quid clarius contra alias Barbaras leges? de quibus Concilium Toletanum quartum, & nos cum alias propulsabimus sententias.

In Gemar. Berahot cap. 1. vbi hæc proponitur difficultas; respondent Rabbini, propter parentum delicta filios nullatenus pœnam subire, si omnino comites non forent peccati, si tamen parentum sequuntur vestigia, vsque ad quartam generationem puniendos, vt apparet in filijs Zimri, & Iehu, non solum peccatis proprijs, sed parentum etiam delictis, filijs, imputatis ad pœnam; sequitur huiusmodi explicationem Ionatas Benuziel. Vnde ingemiscit Manasses Ben. Israel in suo conciliatore, quæstione 63. in Genesim ipsos indira, & prolongata captiuitate, non propter peccata propria, quæ sine dubio grauitatis minoris parentum scelcribus sunt æstimanda, sed propter sua, illorum que culpas durasse; vnde si exules iam non steriſſent à patria, conseruarent sine dubio pristinam libertatem; sed nunc lamentatur, id difficilimum esse cum excellentiora exigat Dominus merita noua, suam vt consequi possint de nouo patriam, quam primum exillium vitare. Exemplum in filio constituit, qui lesæ maiestatis cum fuerit criminis innocens, confiscationem patitur omnium bonorum, proditorisque labem, quam est solus pater agressus; simile constat etiam Deuteronomij 23. vbi mancer, seu de scorto natus ingredi Ecclesiam Domini prohibetur, & quidem, non propter scelera propria, sed in pœnam peccati & adulterij parentum. Si rationem ab his authoribus flagitemus, illam innuere sunt visi, quam tetigit Pererius in Genes. hic; pœna namque, qualis est spiritualis, ita respondet peccato proprio, quod personalissimum est, quod in alios culpæ omnino expertes non refundatur, animam rationalem attingit, secundum quam filius aliquid parentis non est, pœna vero corporali, quæ est priuatio sanitatis, & vitæ, posse filium puniri propter delicta parentis, qua pœna plectitur corpus, cuius ratione aliquid parentis est filius; si namque æquum est apud homines, quod ob merita maiorum posteri honores recipiant, ita & propter eorum delicta subire pœnam fas erit.

Duobus præcipue potest ista sententia fulciri ex legibus desumptis humanis rationi consonis. Primum est in vniuersitate seu communitate, quæ deliquisset, in quam vindictam sumere fas erat, & tamen pœnas culpæ plures innocentes luebant hostes excitantis ad bellum;

Co-

Chorinthij namque post tres hominum ætates vlciſci acceptam à Samijs iniuriam moliti ſunt ; quando nullus inueniri poſſet ſuperſtes, qui communicaſſet iniuriæ ; idem pariter conſtare videtur in excidio Branchidarum facto per Alexandrũ. Quæ omnia eo poſſent licita iudicari, quia ciues illi, quamtumvis ſint innocentes, pars totius communitatis ciuilis conſiderantur, quæ licet pridem deliquerit, particulis quidem ſibi ſuccedentibus poteſt puniri : Secundũ exemplum eſt in iure belli quod pure humanum eſt, (ommitto occidiſſe Hebræos Hesbonitarum fœminas, & pueros, idem què imperatum in Chananæos a Deo, & quorum connexa cum Chananæi ſerat cauſa) quem introductum morem communem occidendi pueros innocentes in bello teſtatur, & laudat Pſalm. 136. vbi beatus dicitur fore, qui Babyloniorum infantes petræ allidit; *Beatus qui tenebit, & allidit parbulos ſuos ad petrã*, cui par eſt illud Homericum. *Illeſſa que corpora terræ infantium, ſæpius dum concutit omnia Mauors.* Romani capta Ilurgi vrbe Hiſpaniæ, ſine diſcrimine interemerunt etiam mulieres & pueros, ſic Apianus; idem de Germanico Ceſare memorat Tacitus; ideò Auguſt. Gothos laudauit, quod ſupplicibus & in templa confugientibus peperciſſent, quos belli iure licuiſſet, & permiſſum eſſet occidere. En qualiter belli ius in innocentes transfuſum, quia ciuitatis pars delinquentis ab hoſtibus conſiderantur; ideo Simon Machabæorum dux, vt Triphonis fugeret manus, quos petijt, tradidit pueros, vt illis contentus nullum committeret prælium, damno illorum, qui pars ſola populi erãt, communi vtilitati poſpoſito ; pari ratione licet filius ſit innocens culpæ pati poterit vniuerſas calamitates parentis illius propter delicta.

§ II.

Repellitur expoſitio præcedens.

NIhilominus huiuſmodi opinio non extat Sacræ paginæ concors, quam cum Grotio, ſicut & retuli, pariter etiam refellam : Exodi nãque 20. & Deuter. 24. ſic dicit Dominus: *Non occidentur patres pro filijs, neque filius pro patribus, ſed vnus quiſque pro peccato ſuo morietur*: Ezechielis etiam 18. *Filius non portabit iniquitatem patris, neque pater filij ; ſed anima quæ peccauerit, ipſa morietur.* Quamvis igitur filij ſint peccatores, non propter peccata parentũ (vt placuit Hebræis) dare cogentur pœnas. Hoc autem vniuerſaliter verum eſſe non ſolum reſpectu ad pœnam habito ſpiritualem, ſed ad eam, quæ eſt corporalis, ex illo Platonis conſtat, quod ita Calliſtratus iuriſconſultus expræſſit. ¶ Crimen, vel pœna paterna nullam maculam filio infligere poteſt ; namque vnuſquiſque ex ſuo admiſſo ſorti ſubijcitur, nec alieni criminis ſucceſſor conſtituitur. ¶ Ferret ne (inquit Cicero) vlla ciuitas latorem iſtiuſmodi legis, vt condemnetur filius aut nepos, ſi pater aut ciuis deliquiſſent? ¶

Neque primum exemplum contra nos eſt, cum neque apparenter vero nitatur, extinctis namque illis, per quos ad communitatem culpa deducebatur, ipſa quoque extinguitur culpa, pœnæque debitum ſine illa nunquam conſiſtens ; iniuſtas cenſemus pariter vltiones omnes, quæ ſic apparuerint vitiatæ ; & in primis de excidio Branchidarum facto per Alexãdrum ; hoc fuit Curtij iuditium. ¶ Quæ ſi in ipſos proditionis authores excogitata eſſent, iuſta vltiõ, non crudelitas videretur; nunc culpam maiorum poſteri luere, qui ne viderant quidem Miletum, adeo Xerxi non po-

tue-

tuerant tradere. ¶ Corinthios poſt tres hominum ætates vlciſci non voluiſſe de Samijs, defendit Plutharcus lib. contra Herodotum. Philiſtei hoſtes Iudæorum, non nocebant collegio Prophetarum, quod erat Gauæ, vt videre eſt 1. Reg. cap. 10. & ideo ad aliud huiuſmodi collegium Prophetarum confugit Dauid 1. Reg. 19. eo quod ab omni armorum iniuria ſepoſitos, neque bellici furoris participes, neque Iſraelitis, iudicabant, cooperatos aliquo pacto; Eleos vt poteſt Ioui Sacros, & eorum hoſpites in pace vixiſſe narrat Strabo, cum tota Græcia ferueret armis; ſolum ergo ciues propter vniuerſitatis delicta puniuntur, quando communicant culpæ, ideo propter Agamenonē plectūtur iuſtiſsimè Græci, de quibus dicitur.

Quid quid delirant Reges plectuntur Achiui.

Quia in exercitu Græcorum ipſe, & alij ſuberant communi Concilio; ipſorum namque erat cogere Agamenonem vt ſacerdoti rederet filiam, qui ergo conuenerant in delicto, meritò æqualem paſsi ſunt pœnam, vt explicat Cyrilus contra Iulianum: Pari iure omnes Antiochenos ſtatuarum crimine inuoluit Chryſoſtomus, prima eius argumenti ratione ¶ Ecce facinus, inquit, paucorum fuit, accuſatio in omnes fertur, ecce propter illos nunc in metu omnes ſumus, & eorum quæ illi auſi ſunt, prenam nos ipſi expectamus, quod ſi anteuertiſſemus, iam illos de vrbe pellendo, & partem morbidam ſic, vt oportet, tractaſſemus; abeſſet iam à nobis hic timor ¶ De Regibus, inquit Salbianus, poteſtas magna, & potentiſsima, quæ prohibere ſcelus maximum poteſt, quaſi probat debere fieri, ſi ſciens patitur perpetrari; Ideo qui mancipium, cum poſsit eximere, proſtitutum eſſe patitur, pro proſtituente habetur Romanis legibus, ſi ſeruus, ſciente Domino, occidit, in ſolidum Dominum obligat tanquam reū, & lege Fauia in dominum animaduertitur, quia vt ait Agapetus ad Iuſtinianum, par eſt delinquere, & delinquentes non prohibere, cum poſsit; ſi vero neque ciuitas ſceleris ciuis, neque iſte ciuitatis eſt reus, non apparet ratio quare iuſte in culpæ omnino innocentes pœna ſit infligenda, connexione ciuili partis cum corpore toto præciſe inſpecta.

Ex his quid dicendum apparet ad illud, quod iure belli in innocentes, vt ſe protegant, adducunt ſententiæ patroni. Tantum abeſt, iure gentium occidere innocentes fas fuiſſe, vt etiam ipſos, qui geſerant arma iam captos milites, monuerit Ageſilaus (refert Chryſoſtomus) vt non tanquam ſontes punirent, ſed tanquam homines cuſtodirent. Apud Diodorum Siculum Byzantij, & Calcedonij, quod captiuos interfeciſſent, hac inuruntur nota. *Perpetrarunt crimina eximiæ crudelitatis*; & Seneca, færarum neque generoſarum quidem præmordere, & vrgere abiectos, eſſe, inquit; ſi tanta etiam in actione belli fuit apud veteres condonatio, & clementia, quid dicemus de innocentibus? Nunquid iraſcetur pueris, quorum ætas nondum nouit rerum diſcrimina? Nefas apud Barbaras etiã gentes ſtetit iudicium; arma habemus (inquit apud Libium Camilius) non aduerſus eam ætatem, cui, etiam captis vrbibus parcitur, ſed aduerſus armatos. Plinius ad illa Horatij,

Neſcios fari pueros Achiuum.
Vereret flamis etiam latentes matris in aluo.

Dolenter declamat in ſæuitiam Achilis, qui ſi per Apolinem viuere licuiſſet, adeo ſæuus erat, vt nec infantibus, nec in vtero geſtãtibus peperciſſet. ¶ In Infantibus, ſubdit, qui modo in lucem,

cem, vitam que humanam venere, nec calumnia quidem, quid dicat, habet, vt plane innocentes; ¶ Idem fere in fœminis plerumque obtinet, est enim, vt Statius loquitur sexus rudis, insciusque ferri, Neroni Octauiam hostem vocanti in Tragedia reponit Prætextus. Fœmina hoc nomen capit? Ideo Tucca, & Varus delendos censuere in secũda Æneid. versus, vbi deliberat Æneas an Helenam occidat?

In Sacris litteris conspicitur idem; Iosephus namque inquit de Iuda Machabæo, Bosrá, & Enphrone captis, interfeciſſe quidquid virilis sexus, & pugnæ idoneum erat, quasi puerum ætas excuſet, fœminam sexus. Deus ipse huius clementiæ authorem vult se præbere, præcipit namque Hebræis offerri pacem, & post repudiatam, parci debere fœminis, & infantibus (speciali iure gentibus paucis exceptis, aduersus quas bellum, quod erat, non hominum appellabatur, sed Dei, & cum mulieres Madianitas vellet occidi, proprium ipsarum respexit crimen, & virgines inter alias seruauit immunes, imò cum Niniuitis, ob grauissima peccata internetionem leuerè admodum esset minatus, retrahi se passus est miseratione multorum millium eius ætatis, quæ honesti, & inhonesti adhuc ignorarẽt discrimen; si hæc Deus statuit, vt cum facinoris pœna non æquaret innoxios, quid homines facere æquũ est, quibus nullum ius in homines tribuit, quod non ad hominum salutem aut societatem conseruandam conducat? Nefas ergo censendum est, inflige re innocentibus pœnam propter delicta parentum: Quod si Simon Trypho ni tradidit pueros, vt fugeret obsidionem; plurimi iudicant sine culpa non tradidisse, non enim est sub potestate

Principis aut ciuitatis vita innocentis propter communem salutem abuti.

(.·.)

§ III.

Proponitur Rabbinorum alia expositio, & fundamenta eneruantur.

R. Moses Gerundensis, & Meser Dauid de Leon, filios, propter parentum delicta, quæ ab idololatria maxime distant, iudicibus coram humanis pœnas nunquam subire, fatentur, verũ si parens idololatriæ delicto tabuerit, macula ad filios simul cum pœna descendit. Hanc sententiam refert Manasses Ben Israel, sed sine fulcimento. Potest, ex ijs, quæ apud Rabbinos obseruata tradit Seldenus recipere fulcimen, & robur. Stante ergo temporibus, in Israelitas, tactis prius Sacris Biblijs, qui capita iuris sacri sponte violarent, anathema generale promulgare solebant, cuius execratione, cuncti, qui idololatriæ fuerint inuenti rei, cum posteris eius erant exterminandi. Innuit & roborat ius huiusmodi locus, qui legitur Deut. cap. 13. ibi. *Si audieris in vna vrbium tuarum, quas Dominus Deus tuus dabit tibi ad habitandum, dicentes aliquos, Egressi sunt filij Belial de medio tui, & auerterunt habitatores vrbis suæ atque dixerunt. Eamus, & seruiamus dijs alienis, quos ignoratis, quære solicite, & diligenter rei veritate perspecta, si inueneris certum esse quod dicitur, & abominationem hãc opere perpetratam, statim percuties habitatores vrbis illius in ore gladij, & delebis eam, omnia que, quæ in illa sunt vsque ad pecora, quidquid etiã supellectilis fuerit, congregabis in medio platearum eius, & cum ipsa ciuitate succendes, ita vt vniuersa consumas Domino Deo &c.* Quid clarius? Vt execratione, qua exterminantur idolatræ, posteri, cœteri que innocentes simul excindantur cum peccatoribus,

Se-

Secundum fundamentum desumi potest ex illo Leu. 27. vbi Hebræus us sic legit. *Omne anathema, quod deuouetur ex homine, non redimatur, morte moriatur.* Vulgata. *Omnis consecratio, quæ offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur.* Ex quo testimonio Ludouicus Capellus cum alijs, licuisse apud Hebræos existimat, filios, quos in sua quis retinet potestate, in satisfactionem peccati parentis, finibus que alijs diuersis immolari, Deo que deuouere, & illos vita priuare. ¶ Ad immanitatem, & diritatem (inquit) quod attinet huius legis, dicemus eandem prope huius legis esse rationem, quæ fuit legis de repudio. Non prohibebat Deus repudium, sed si quis tam duro & præfracto erat animo, vt nollet diutius conuiuere vxori, Deus tamquam populi Iudaici rex & politicus, ciuilis que legislator, non prohibebat, quominus illam à se amandaret dato repudij bello. Sic etiam Deus non probabat, vt quis personam humanam sibi per *Cherem* deuoueret, sed si quis adeo temerarius erat, vt votum eiusmodi nuncuparet, non de bestia, aut agro tantum, sed de persona etiam, quæ ipsius esset iuris, volebat que morte affici, non quod illi probarentur aut illi gratæ forent humanæ hostiæ, sed alijs de causis legitimis, quas lex quidem non aperit, (neque enim Deus legum, & præceptorum suorum rationem reddit) sed aliquatenus nobis suspicari, & eas subolfacere licet, ac primo quidem videtur, Deus sic tacite voluisse innuere, se potestatem vitæ & necis concedere parentibus in filios, & inseruos heris, nõ quidem ipsis pro arbitrio exercendã quum liberet, quomodo etiam ethnici Græci, & Romani exercuerunt sine magistratus conscientia, sed quam, hac dumtaxat ratione, exercerent, sacra nempe capitis eorum deuotione, ad cuius executionem interuenire oportebat sacerdotum opera, & ministerium, ad quos votorum cognitio spectabat, rerum que Deo per *Cherem* sacratarum ius, & proprietas, siuè dominium, Nu. 18. *Omne anathema in Israel tuum erit*, qua sanctione sacerdotes iudices erant à Deo constituti, qui despicerent, ac iudicarent, an vota illa essent legitime, nec ne, concepta & nuncupata? Atque ita mors liberorum, at que seruorum apa rentibus, heris que deuotorum, non simpliciter nutu & libidine pẽdebat, ita abusus cauebatur, & simul parentes à liberis, & heri a seruis tanto maiore in honore habebantur, vtpote, quos tantum viderent in se habere vitæ & necis potestatem, vt si libuisset, ab vno oris ipsorum verbulo vita, & mors sua penderet. ¶ Ex cuius lege Iephte filiam suam tradidit immolasse.

Comprobant plura Sacræ Scripturæ testimonia, Daniel enim iustus in captiuitatem ducitur Babylonicam propter idololatriam parentum. Filij Acham propter illius delictum capite plexi sunt. Iosue capite 7. Dauid propter delictum, populus affligitur pestilentia. Quod confirmari videtur ex eo quod tradidit D. Cyprianus lib. de tapsi. cap. 3. agens de quorundam impietate, & insania parentum, qui filios suos infantes immolabant idolis, hæc ait. ¶ Ac ne quid deesset ad criminis cumulum; infantes quoque parentum manibus, vel impositi, vel attracti, amiserunt paruuli quod in primo statim natiuitatis exordio fuerant consecuti. Non ne illi cum iudicij dies venerit, dicent? Nos nihil fecimus, nec derelicto cibo & poculo Domini ad profana contagia sponte properauimus, perdidit nos aliena perfidia, parentes sensimus parricidas: illi nobis Ecclesiam matrem, illi patrem Deum negauerunt, vt dum parui & improuidi & tanti facinoris ignari per alios ad consortium crimi-

nũ

num iungimur, aliena fraude capiemur. En propter peccatum alienum parentum amisisse paruulos, tradit Cyprianus, quod exordio natiuitatis receperant. Puniri ergo sentit, idololatriæ peccatum in liberis innocentibus.

Verum contra istam expositionem sunt testimonia Scripturæ superius relata. Anima enim, quæ peccauerit, ipsa punietur, neque macula, quæ propria parentum voluntate contrahitur, ad liberos potest transfundi. Neque loca Scripturæ ipsam iubare possunt. Non Deut. cap. 13. cuius expositionem ad propriam remittimus sedē, vbi latius lex illa à difficultatibus liberabitur. Locus autem Leuit. procul à veritate intelligitur à Capello, longe que distat ita à recepta Talmudicorum doctrina, vt non nisi infœlix valeat esse patrocinium Rabbinis. Pro cuius maiori luce, vt Rabbinis aditum præcludamus, quid ipsi de *anathemate*, seu deuotamento (vt Tertuliano nominatur) vel *Cherem*, vt vertitur Hebraice seu *Shammata*, (non Maranatha, vt Drusius lib. 4. ad D. Ioan. cap. 9. inquit; nisi abusiue pro anathemate accipi possit, vt notauit Simanc. de Cathol. Inst. tit. 27. §. 8. ¶ *Maranatha* anathematis significationem induit, (verba sunt illius) ex illo euentu, quia Iudæi gloriantes de venturo Messia, dicere solebant *Maran*, hoc est, *Dominus noster*, contra quos Christiani dicebant *Maran-atha*, ideſt, *Dominus noster venit*. Hinc inimicitia orta est inter Christianos, & Iudæos, horum in ore erat *Maran*, quos per cõtemptum Christiani Maranithas vocabant, & illis obtrudebant *Maranatha*, ideſt, Dominus noster venit, vel inuitis vobis, irridentes eos, & illis male precantes. Vnde apud nostrates vulgo *Marranos* appellant eos, qui à Iudæis descendentes apostatæ facti sunt, Messiam suum expectantes. ¶

Quadruplex igitur apud Rabbinos recognoscitur anathematis acceptio. Significat imprimis quid quid Deo siue in sacros vsus destinatur, quæ vota æstimationis vocantur, quia non tã ipsa, quam eorum valor, & pretium Domino consecrabatur ideo redimere in proprios vsus fas erat. Significat deinde quod internecioni, & deuastationi propter capitales inimicitias omnino destinabatur, vt habetur de Iericho, *Sitque ciuitas hæc anathema & omnia quæ in ea sunt Domino* Iosue cap. 6. Vrbs igitur ista anathema ita fuit in hostium vindictam & pœnam, vt tàm personæ, Raab excepta, quàm res siuè incendio, siuè nece dispenderentur, præter metalla, quæ in sacros vsus fuere seruata. Huc pertinet publicum siuè regis, siuè populi, siuè Synedrij supremi anathema, quo gesturi bellum, inituri que prælium, milites alios ve, si militari obedientiæ non fuissent addicti, morti sacrabant, & deuouebant, sicut illud Saul 1. Reg. cap 14. de his, qui ante noctem quid comederint, cuius pœnam incurrit Ionatas filius eius, paululum messis gustans. Tertium anathematis genus est, quod in commissum iam cadit, quale in illo Esdræ cap. 10. *Quicumque non adfuerit intra tridum iuxta decretũ principum & seniorũ. Anathematizabitur* legunt septuaginta, Vulgata, *auferetur vniuersa substantia eius, & ipse disterminabitur ab Ecclesia transmigrationis.* Quartum anathematis genus est, quod iure pacis diris fit, cuius species sunt binæ, altera, vbi diris quis deuouebatur, si quid imposterum siuè committeret, siuè omitteret, altera, vbi quis ob iam commissum deuouebatur, primi generis fuit illud Iosue ca. 6. *Maledictus sit coram Domino, qui surgens ædificauerit vrbem istam, in primogenito suo fundabit eam, & in minori* (scilicet filio) *collocabit portas eius*, hoc est, proles, & posteritas eius vniuersa destruatur. Ad hanc speciem spectat illud Pauli.

Ana-

Anathematizauerunt ſe ipſos, dicentes, neque manducaturos, neque bibituros donec occiderẽt Paulum. Quarti generis ſecunda ſpecies eſt, qua, ex ſententia forenſi, qui ex communicatus, ſeu à cœtu Iſraelitico ſemotus, intra tempus ſibi præſtitutum non reſipiſceret, ſed ex contumacia ſua aut contemptu, ſibi in cauſa eſſet, vt ex communicatione non ſolueretur, deuouebatur.

Verum nunquam propter parentum ſcelera, filium anathemate, quo expoſita foret vita, fuiſſe execratũ, habetur apud Rabbinos expreſſum. ¶ Decreuerunt Gaonim (ſic inquit Moſes Kotzenſis Præcep. negat. 119.) ſeu prudentes, vbi pater quis adiurandus eſt in rem filij, non adiurandum eſſe iuramento execrationis, quemadmodũ fieri ſolet, vbi deuouentur adiurati per anathema. Adiurant igitur eum iuramento, in quo execratio nulla exprimitur. Quando ergo quis iuramento, cuius vinculis ipſe ligatur, ſimul comprehendit filium, non exprimit execrationem, cuius gratia pati necis periculum poſſet filius. Hanc quidem, in anathemate, quod ſtatutis temporibus in Iſraelitas promulgare ſolebant Hebræi, non contineri, conſtat ex formula, quæ in rituali illo libro, quẽ Colbo, ideſt, Pandecten nuncupant, habetur, Sepher Colbo fol. 144. Qui iurisiurandi fidem violabant, anathematis tertij generis, & quarti ſecunda ſpecie ligabantur, vnde cum dicitur, tranſgreſſores funditus exterminandos & poſteros eius. Ideſt à cœtu, & cõſuetudine populorũ ſemouẽdos eſſe, intelligitur, quales à Synagoga repellẽdos plurimi timebant Iudæi Chriſtũ ſectati, apud Ioã. ca. 12. ibi. *Ex principibus multi crediderunt in eum, ſed propter Phariſæos non cenſitebantur.* Septuaginta, *vt Synagoga non ejicerentur*, ſiue ſumatur pro domo qua conueniebant Iudæi, vt Lucæ 7. ſiuè nomine Synagogæ, totius populi, ſiuè partis conuentus denotetur, vt pluries in Pentath. & Prophet. ſiuè conuenticula, quæ fieri ſolent in plateis, ac foro, & in triuijs, extra quorũ communicationem & ſocietatem relegatus, manebat excommunicatus, ſignificentur, vt voluit Eraſmus ad Matth. cap. 6. Quæ excommunicatio (vt dicitur in vtraque Gemara) non fit intra tempus minus quam dies triginta, intra quod, vt reſipiſceret forum expectabat, quod ſi adhuc contumax fieret, totidem iterabatur tempus, quod ſi intra id ſpatij impœnitens abſolutionem deſpiceret, cherem, ſeu anathemate feriebatur, ideſt diris multo grauioribus, cuiuſmodi carmen eſt illud ſolemne, ac horrendum anathema, deuotus & execrãdus habeabtur, vnde hominum conſuetudine omnino priũatus, nullum cum eo licebat commertium, facto dumtaxat exiguo tugurio, vt ne inedia deficeret, alipoſſet, nunquam tamen, & ſi talibus anguſtijs artatus, exponebatur neci, (quidquid dixerit Buxtorfius) Hac ergo excommunicatione; vbi vita nuſquam periclitatur, invruntur, qui ſponte amplectuntur idololatriam, & qui iurisiurandi religionem violabant.

Legem autem Leuit. 27. ſic ipſi exponunt Rabbini. *Omne anathema, quod deuouetur ſiue ſit homo*, vel, vt vertit Vulgata, *Omne quod Domino conſecratur, ſiuè homo fuerit, non redimatur ſed morte moriatur*, de hoſtibus aut ciuibus omnibus iura militaria violantibus morti deuotis, & conſecratis, qui non redimendi, ſed ad vltimum necis ſupplicium ſunt perducendi, intelligendum putant. Exemplum eſt Num 21. ibi. *Et vouit Iſrael* (ſic vertit Hebræus) *votum Domino, dicens: Si tradendo tradideris populum iſtum in manum meam, deuouebo vrbes eorum.* Vnde quilibet ex ijs, qui captus & ſeruus eſſet Iſraelitis, morte neceſſario Deo conſecrari de-

debebat, de Chananæis quodnis, in eorum enim vitam, Deus, noſtræ qui dominus eſt, Iſraelitis iam pridem dederat poteſtatem. Sic tradit Iſaac Abrauanel in Piruſch Tora fol. 275. col. 2. Hoc anathemate conſtat Iericho fuiſſe execratam, cuiuſcumque enim capti, in Iſraelitæ poteſtatem vita incidiſſet, non poterat pretio redimi, ſed neceſſario morti tradendus erat.

Facilius Leuit. lex poteſt interpretari, ſi dicatur: omne conſecratum, licet ſit homo, non redimatur, ſed totum ius, quod antea in conſecrantis eſſet poteſtate, cederet iam ſacerdotibus, & vſibus ſacris veluti ſeruis imperandi poteſtas, & operis eorum vtendi. De cuius anathematis, ac rerum conſecratarum poſſeſsione, ac redemptione quotannis ſolemnis erat cognitio in foro, 15. die Adar, qui fere Februario noſtro reſpondet. Seruorum autem liberorum que necis nulla erat in parentibus, & heris poteſtas, ſi Chananæos ſeruos excipias. ¶ Si quis (ſic dicitur in Miſna titul. Eracim capit. 8. de ſeruis & filijs) anathemate deuoueret ſiuè filium ſuum, ſiuè filiam, ſiuè ſeruum, ſiuè ancillam ex Hebræis, ſiuè agrum ad tempus conductum, anathema non ſunt, quia nemo poteſt anathemate deuouere, id quod plane ſuum non eſt, ſeu cuius corpus ſuum omnino non eſt. ¶ Ex oppoſito autem non parum minueretur lex interdicens necē, nec vlla, ita prolis ac ſeruorum vitam poſſet tueri innocentia, ſed homicidium extra pœnæ, fori que ſententiam, in republica illa admiteretur vltroneum. A quibus non longe diſtat R. Dauid kimhi explicans votum Iephte, vitaque ciuili dumtaxat defendit, fuiſſe priuatam. De cuius ſacrificio egimus, cum capit. 9. patrocinium ſumeremus virginitatis.

§ IV.

Exponuntur Scripturæ cætera teſtimonia.

NEque alia exempla patrocinantur relatæ ſuperius ſententiæ. Non primum, quoniam pœna dupliciter accipi valet, vt proprie ſcilicet pœna eſt, qualis ſpiritualis eſt ſola, peccato perſonali proprio reſpondens, qua abeo iuſtitiæ violatæ æqualitas compenſatur. Alia eſt pœna improprie, propius que rationem obtinet medicinæ, locum in bonis corporalibus habens dumtaxat, qua viri iuſti ſolent affligi, vt Iob, Thobias, Daniel, & alij captiuitatem ſimul cum populo paſsi, quibus afflictio in bonū profecit ſpirituale, ſicut animaduerſio populo in pœnam. Pœna in prima acceptione, nullus qui expers fuerit peccati, punitur, de qua intelligendus eſt Ezech. capit. 18. & Deuter. locus.

Ad illud de Acham, Talmudici non pauci ſceleris conſcios fuiſſe, & criminis non expertes parentis, meritoque ideo pœnas luiſſe liberos, tradunt. Alia Hebræorū, & quidem pars non inferior, raptos ad parentis cauſa terroris ſpectandum ſupplitium, credunt. Sic R. Iſaias, R. Leui Ben Gerſon, eo ducti, quod verſu proximo ſcriptum eſt. *Et lapidabant illum omnis Iſrael*, non dicit illos. Quamvis enim *lapidabant illos*, addiderit poſtea, ad animalia, ſupellectilēq; plurium numerum iudicant pertinere. Verum ſimilem magis primam expoſitionem exitimo

fuiſſe vero, ſecundam autem textus litteræ repugnantem. Quin dicere non ſine fundamento poſſemus, vna cum Acham liberos citra peccatum fuiſſe occiſos, vt ſic parentis accreſceret magis pœna.

Quod ſi dicas, ſimili poſſe iudices duci ratione, tribunali coram humano, ſi propter delictum parentis, illi que vt accreſceret pœna, iudices, liberos capite plecterentur, Dominum in puniendo imitati. Verum longe diſtans eſt ratio. Deus enim ius dominij in vitam pleniſsimum habet, potens prout & quando voluerit homines illa ſine querella priuare, cum quidquid oritur ea conditione ortum habeat, vt intercidat rurſus, vita que quantulacumque illa ſit Domini donum gratuitum ſit. Quando ergo propter parentum ſcelera morte immatura liberos rapit, iure dominij vtitur, & nõ pœnæ, & tunc maximo punit etiã parentes, grauius quidem illis eſt ſpectaculum tale, quam pati eaſdem calamitates. ¶ Nullum durius, inquit Plutarchus, ſupplicium, quam eos, qui exſe ſunt, obſe miſeros ſpectare. ¶ Vt inquit enim Tertulianus, duritia populi ad talia remedia compulerat, vt vel poſteritatibus ſuis proſpicientes legi diuinæ obedirent. Qno reſpicit Exod. 20. locus vltra quartam generationem nõ protrahens minas, quod ad eorum conſpectum pertingere poſſet humana ætas, vix tamen progredi vlterius. Dei autem factum hominibus imitari non licet, quibus vt perſonis priuatis deficit ius in vitam, ideo Dominus in Deut. lege ſua cauit, ne pro parentibus morte liberi afficerentur, quam laudibus maxime extollunt Iudæi Philo. & Ioſephus, ſicut Ægyptiam ſimilem Iſocrates, & Dioniſ. Alicarn. Romanã. Idem de Iſraelitico populo dici poſſet, acerbiſsimum enim delinquentibus regibus eſt ſupplicium, quæ obſe populis infligitur pœna, perinde enim eſt, ac ſi quis manu peccans tergo feriatur vt inquit ſcriptor Chriſt. quæſt. ad Orth 138. Niſi dicere malis populum propter alia grauiora crimina perſonalia eſſe punitum. Vel quia tacito quodam conſenſu eſſet Dauidis ſceleri cooperatus.

Verba, quæ opponuntur D. Cypriani optime D. Auguſtinus Epiſt. 13. ad Bonifac. Epiſc. exponit, ¶ Quando autem in paruulum, inquit, maiores peccant, offerentes eum, atque obligare conantes dæmonum ſacrilegis vinculis, non eſt anima vtrorumque communis, vt etiam culpam poſsint habere cõmunem. Non enim ſic communicatur culpa per alterius voluntatem, quemadmodum communicatur gratia per ſancti Spiritus vnitatem. Poteſt enim & in hoc & illo homine eſſe vnus ſpiritus, etiam ſi inuicem neſciant, perquem ſit vtriuſque gratia communis. Non autem poteſt ſpiritus hominis eſſe, & huius & illius perquem peccante altero, & altero non peccante, ſit tamen culpa communis. At per hoc poteſt paruulus ſemel ex parentum carne generatus Dei ſpiritu regeneratus ex parentum carne regenerari, vt obligatio, quæ ſoluta eſt, iterum contrahatur. Et ideo ſemel perceptam paruulus Chriſti gratiam, non amittit, niſi propria impietate, ſi ætatis acceſſu tam malus euaſerit. Tunc enim etiam propria incipiet habere peccata, quæ non regeneratione auferantur, ſed alia curatione ſanentur. Verum tamen recte dicuntur parentes, vel quicumque maiores, filios ſeu quoſlibet paruulos baptizatos dæmoniorum ſacrilegijs obligare conantes, ſpiritaliter homicidæ. Non illis quidem interfectionem; non facinus, ſed quantum in ipſis eſt, interfecto-

fectores fiunt. Recte que illis dicitur, quando ab hoc scelere prohibentur, nolite occidere paruulos vestros, dicit enim Apostolus: Spiritum nolite extingere: non quia ille extingui potest, sed quantum in ipsis est, extincto res eius merito dicuntur, qui sic agunt, vt extinctum velint. Isto sensu recte intelligi potest, quod scripsit B. Cyprianus, qui tempore persecutionis idolis immolauerant, arguens. ¶ Ac ne quid deesset, inquit, ad criminis cumulum, infantes quoque parentum manibus impositi vel attracti, amiserunt paruuli, quod in primo natiuitatis exordio fuerant consecuti. Amiserunt in eorum mente, ac voluntate, qui in illos tantum facinus commiserunt. Nam si in se ipsis amisissent, remansissent vtique diuina iustitia sine vlla defensione damnati. Quod si S. Cypri. aliud arbitraretur, non eorũ defensionem continuo subijceret, dicẽs: Non ne illi, cum dies iuditij venerit, dicent? Nos nihil fecimus, nec derelicto cibo, & potu Domini ad profana contagia sponte properauimus. Perdidit nos aliena perfidia, parentes sensimus parricidas. Hanc defensionẽ non subnecteret, nisi iustissimam crederet & in Dei iuditio paruulis profuturã: si enim vere dicitur. Nos nihil fecimus, anima quæ non peccauerit, ipsa cur morietur? Nec illi peribunt sub Dei iusto iuditio, quos parentes suo scelere, quantum ad se ipsos attinet, perdiderunt. ¶

§ V.

Conciliatur antilogia.

PRo solido veræ sententiæ iuditio, præ oculis est habendum, quod inferius differere opus erit, Noe nempe, sicut iam Adamo pridem, super omnia creata creditum fuisse dominium post diluuij communem cladem. Omnium ergo Noe dominus constitutus in tres filios vniuersam terram diuisit, non tamen post diluuium ita immediate, quod Cham non præcelsisset in parentem irreuerentia, vnde non tàm ius in partem terræ est præstitum Cham & posteris eius, quam partis orbis vsusfructus ad tempus concessus, in quam vt filij Sem, & Iaphet, possent restitui, nefas non erat bellis & armis inuadere Chananæos, ex quo oritur seruitus necessario. Origo enim vocabuli seruorum (vt inquit August. lib. 19. de Ciuit. Dei cap. 15.) in Latina lingua inde creditur ducta, quod hi, qui iure belli iuste possent occidi à victoribus, cum seruabantur, serui fiebant, aseruando appellati. Vnde Noe Cham pœna seruitutis condemnãs, ex consequenti posteris eius pœnam seruitutis infligit, quam non sine iustitia patiuntur, sicut cum læsæ maiestatis criminis reus bonis omnibus in pœnam priuatur, & honorificis etiam officijs, eius pœna in liberos immunes transfunditur, quod optime notatum est ab Alpheno, cum ait, patris pœna amittere liberos id, quod peruenturum esset ad eos. Cicero Themistoclis liberos scribit eguisse, neque putat iniquum, eandem calamitatem vt ferant Lepidi filij. Posse autem huiusmodi seruitutem pati iuste sine proprio crimine liberos, præterquã quod, præsefert natiuitas sola fari nescientis, & iam à materno vtero compedes seruitutis miseræ baiulantis, apparet, exemplo ciuitatis liquebit, quæ ex delicto maioris partis, qualiter personam sustinet vniuersitatis, amittit libertatem ciuilem, muros, & commoda alia, tunc autem minor pars, singuli que innocentes eadem damna sentiunt & ferunt. Secundo, vt Grotius notauit, apparet idem in ciuitate, ad quam confugit mortis reus, hæc enim alterum facere debet,

aut, vt ipsa nocentē puniat, aut quod dederit ciuitati, quæ actoris personā, & munus exercet, sicut Israelitæ alij postularunt à Beniaminitis, vt dedāt facinorosos Iudic. cap. 20. Philistei ab Israelitis, vt Sanſonem quasi maleficum restituerent Iud. cap. 15. Lacedæmonij bellum intulerunt Messenis, quod interfectorem quendam Lacedæmoniorum non dederint. Quod si neque punire neque restituere statuissent, lex Attica fuit promulgata. ¶ Si quis morte per vim illata obierit, pro eo proximis, ac necessarijs ius esto homines prehendendi, donec aut pœna sumatur de cœde, aut homicidæ dedantur, liceat autem tres tantum homines prehendere non vltra. ¶ Ex quibus constat pro delicto ciuitatis, quæ vel punire, vel tradere nocentem tenetur, libertatem subditorum obligari, ita vt interim redigantur in seruitutem, donec ciuitas, quod tenebatur agere, adimpleat. Quo spectat illud Ioseph fratrem in carcerem detrudentis, donec Beniamin in Ægyptum migrasset. Quid ergo mirum, quod licet posteri Cham tunc innocentes forent, inseruitutem, qua ipsorum pater iustissime laborare debebat, incidant inuito non iure. Illa namque pœna, cunctis inspectis, non tàm pœna, quam naturalis infœlicitatis euentus, ortus ex restrictione dominij in orbem procedentis à Noe suo parente Cham refractorio collati, dicenda est. Illustrat huculque dicta tertium exemplum, qui fideiusſit pro deliquente, innocens pœnas luere potest, sicut Romani, qui vades capitali iuditio crediderint obligari, vt ex notissima Damonis, & Pithiæ apparet historia, & obsides sepæ capite plexerint. Vel si istam sententiam repellamus, & factum Romanorum iniustum, quia in vitam nullus ius habet, vt eam sibi adimere possit, aut ad adimendā ex fidei iussione obligari, idem conseruat robur, si libertatem promisserit, vel exilium, si alterius fuerit impleta conditio, seruitutis damnum feret nullo fine dubio fideiussor, quod omnia si arcte inspiciantur, non pœna, sed promissionis est exequtio. Licuit ergo Noe, impium & irreuerentem priuatione veri in terram dominij filium punire, seruitutem que ex illa pœna inferendam posteris eorum prædicere. Quare vero seruitute, non vitæ priuatione, in pœnam Cham posteros affecerit Noe? Hoc ideo est, quia hæres refert defuncti personam, non in meritis, quæ mere sunt personalia, sed in bonis, vnde cum in Cham eorum quasi ruptum foret dominium, in hæredes etiam posteros Cham simili transfusum est cum læsione.

Aliter exponi posset & conciliari antilogia, si vera esset Caietani sententia. Chanaā criminis patris existimat fuisse participem, illi, Noe nuniditatē cum irrisione nunciando. (Aliud fingunt Chanaam scelus Rabbini, quod alibi referemus). Illi tamen quieuisse non possumus, cum, vt plures iudicāt, natus non esset tempore maledictionis Chanaam, vel vt alij, infans esset, sex nactus dumtaxat annos, nedum malitiæ capax. Neque in Sacra pagina, pater Chanaam cum dicitur, puer ipse, sed gens Chananæa significatur. De quib⁹ Lactātius inquit. ¶ Hæc fuit prima gens, quæ Deum ignorauit, quoniam Princeps eius, & conditor cultū Dei à patre non accepit, maledictus abeo, atque ignorantiam diuinitatis minoribus suis reliquit.

(..)

Genes. cap. Chanaam seruus seruorum erit fratribus suis.

Exod. à cap. 1. vsque ad 10. posteris Sem Ægyptijs seruierunt à Cham posteris originem ducentibus.

IN præsenti non tam Noe imprecatur diras, quam spiritu prophetico præsagit, Chami posteros vilissimo seruitutis genere Semi, Iapheti que nepotibus mancipatum iri. Verum non omnibus Chami nepotibus seruitutem vaticinatur, sed per Chanaam dumtaxat descendentibus illam prædixit. Ægiptij autem non à Chanaam, sed à Mesraim originem ducunt, non ergo veritati vaticinij repugnat, quod filijs Sem nunquam seruierint Ægiptij.

Hæc quamvis omnino sint vera, certum tamen est, tàm Ægyptios à Mesraim, quàm Æthiopes à Chus, Afros à Phut descendentes Chami que nepotes, Semi, Iaphetique posterorum sub seruitute fuisse. Imprimis Ægyptij, à Iosephi posteri Sem præfectura, seruilis facti sunt conditionis. Sic enim Iosepho compromiserunt Genes. 47. Ægyptij. *Et nos & terra nostra tui erimus, eme nos in seruitutem regiam*, ver. 21. *Subiecit que eam Pharaoni, & cunctos populos eius à nouissimis terminis Ægypti, vsque ad nouissimos fines eius*, ver. 23. *Dixit ergo Ioseph ad populos, en vt cernitis, & vos & terram vestram Pharao possidet.* Neque manumissos vnquam legimus, licet enim agros Iosephus dederit postea, ea tamen conditione donauit, vt quintam frugum partem soluerent regi.

Deinde Nabuchodonosor Magnus, postea Cambyses eos seruituti subiecerunt acerbæ. Posthæc ab Alexandro Magno subacti in Græcorum concesserunt imperium, à quibus trecentesimo post anno ad Romanum, Ægypto translata, iniquiorem passæ sunt seruitutem, vt videre est apud Dionem Cassium lib. 51. Cornelium Tacitum 2. Annalium, cum ex Augusti Cæsaris instituto, nemini eorum senatorem agere Romæ permissum esset, neque ex ipsis vrbibus suis decuriones eligere, cum vtrumque cæteris prouincijs esset concessum. Vere quidem impletum est Ierem. capit. 44. vaticinium *Ecce ego ad te Pharao rex Ægypti, draco magne qui cubas in medio fluminũ tuorum, & dicis: meus est, ego feci me metipsum. Et ponam frenum*, addit propheta, *in maxillis tuis; & agglutinabo pisces fluminum tuorum squamis tuis, & extraham te de medio fluminum tuorum, & pisces tui squamis tuis adhærebunt*, & v. 19. *Ecce ego dabo Nabuchodosor regem Babylonis in terra Ægypti, & accipiet multitudinem eius, & deprædabitur manubias eius, & diripiet spolia eius.*

Verum supereſt difficultas difficilis conciliationis eorum, quæ referunt Herodotus lib. 2. & Diodorus Siculus lib. 1. cum ijs, quæ Ieremias vaticinatur. Illi enim reuellionem Ægyptiorũ contra Apriẽ seu Ephree sic narrant. ¶ Quũ aduersus Cyrenæos enim Apries exercitu misso magnam cladem accepisset, id ei imputantes Ægyptij, reuel lauerunt, opinati se ab illo in apertam perniciem fuisse dimissos, vt his internecione deletis, ipse cæteris Ægyptijs imperitaret securius. ¶ Ex quibus constat Apriem non à Nabuchodonosore, sed ab ipsis Ægyptijs fuisse interemptum, contra quod in Ieremia simul, & Ezech. traditur clare.

Sic cum prophetis Nicolaus Abrahamus conciliat hiſtoriam. Nabuchodonoſor anno poſt tranſmigrationem Ioachimi 27. qui poſt deportationis initium Babylonicæ ſeruitutis annis ſeptuaginta circunſcriptæ trigeſimus quintus illuxit, cum ſtatuiſſet impreſsionem in Ægyptum facere; videret que omnes aditus ad Orientem contra Babyloniorum graſſationem partim Nili deductionibus intetcluſos, partim vrbibus munitiſsimis ita vallatos, vt Apries tamquam crocodilus in medio fluminum ſuorum cubaret, & ne Deum quidem vllum poſſe ſibi regnum adimere gloriaretur, Ægyptum ab occaſu & velut atergo per Cyrenen & Barcen voluit adoriri, Apries retentis ad ſui cuſtodiam Caribus & Ionibus auxiliarijs in Cirenē, mittit Ægyptios, qui extra regni fines Chaldæis occurrant. Signa conferunt, manus conſerunt, vincuntur Ægyptij, Babylonij fuſos inſequuntur, in Ægyptum irrumpunt, de prædantur manubias eius, eius que ſpolia diripiunt, agros populantur, alios occidunt, alios ducunt inſeruitutem, reliqui Babylonio ſe dedunt, quibus Amaſis impoſita tributi annui penſione, vel regis, vel Satrapæ nomine præficitur, ei que belli reliquiæ aduerſus Aprië demandantur. Apries viuus venit in hoſtium poteſtatem, quem Amaſis initio cum honore tractauit, & obſeruauit, ſed Ægyptij paulo poſt ad necem expetitum ſuffocauerunt, & deinde maiorum ſuorum ſepulchris intulerunt.

Verum contra hoc pugnat aperte Ezech. cap. 29. v. 10. vbi ſubdit. *Daboque terram Ægypti inſolitudine, gladio diſsipatam, a turre Syenes vſque ad terminos Æthyopiæ, non pertranſibit eam pes hominis, neque pes iumenti gradietur in ea, & non habitabitur quadraginta annis.* Quæ nequeunt cohærere ſuperius cum dictis, neque cum Herodoto, in cuius ſententia ſub Amaſi, qui Apriæ regnum inuaſit, Ægyptus non ſolum Nili beneficijs, terræ que frugibus exvberabat, ſed multitudine incolarū affluebat, & vrbes habitatas ad viginti millia numerabat. Nihilominus habita ratione temporis ſub Amaſi, quo vicies millenas obtinebat ciuitates, vt refert Herodotus, ad regnum Ptolomæi Philadelphij, recte potuit ſolitudo vocari, floruerant enim, Ptolomæo regnante, tria & triginta millia, & inſuper trecenta & triginta nouē, quas Theocritus numerauit Eidyllio 17. Vnde credendum eſt prophetam hyperbolice fuiſſe locutum, vt ipſis eſt familiare. Quamvis hæc omnia veriſimilius tempore Cābyſes iudico conuenire, qui omnib⁹ ſimulachris Apis, Vulcani, Deorumque cæterorum omnibus omnino dirutis, vt inquit Iuſtinus lib. 1. Ægyptum exhauſtam mercatores & aduenas fecit ita exulare, vt dici vere poſsit, quod non pertrāſiret pes hominis, neque pes iumenti gradetur in ea, vt propheta iam diu exaggerauerat. Tandē Olimpiados centeſimæ ſeptimæ anno ſecundo ab Artaxerxe, cui Oco cognomen, funditus euerſum eſt.

Currere ceſſo Chami poſteros alios, quiſe met Iapheti vili ſeruitute nepotibus ſunt ſubiugati, Æthyopes, nempe, à Chus propagati (ſi Euſebio credimus in Chronico) ab Indis à Sem deſcendentibus ſunt occupati. Libyes ſeu Afri à Phut ducentes originem, Græcos Iapheti poſteros (Hieronymo de locis Hebraicis teſte) dominos cognouerunt & reges, cuius inditium eſt Cyrenaicum regnum ab Argonautarum poſteris, alijs que Græcis conditum, cuius coloniæ deductio à Strabone lib. 17. tum à Solino cap. 40. tum à Iuſtino lib. 13. & ab Herodoto in Melpomene fuſe deſcribitur, vt notauit Nicol. Abram. Tyrij ſimiliter antiquiores Chanaanum auctorem

rem habentes (vt ille refert) ſeruorum ſunt conſpiratione deleti. Hos differo ab alijs Tyris, ſi fabuloſa non ſunt, quæ tradit Iuſtinus, vel potius Trogus Pompeius. Fuerunt enim qui dãm, qui fœmina duce, Cartaginem condiderunt, alij qui cæſis Carthaginenſium progenitoribus, eorũdem Carthaginenſium fiducia regi potẽtiſsimo reſtiterunt. Vnde intelligitur illud Silij lib. 1. Punic. v. 73.

Cum fugeret Dido famulam Tyron,

Famulam appellat, quamvis Dido regina Tyriorum non erat.

Sed Regna Tyri germanus habebat
Pygmalion.

Non igitur Didonis ipſius famula fuit: famula tamen dicitur: quia cum fugeret, Dido iam, ſerui trucidatis dominis, & antiquis Tyri ciuibus, vrbẽ tenebant, ac proinde clades illa dominorum contigit antequam Carthago in Africa conderetur. Serui ergo ſeruorum facti ſunt fratribus ſuis Chananæi, vt Gabaonitæ miniſterij vilibus deputati, vel ab Hebræis internecione ſine indulgentia fuerunt deleti.

Geneſ. cap. 9. Maledictus ſit Chanaam.

Geneſ. 10. Chanaam nondum natus erat, v. enim 2. dicitur, natique ſunt eis filij poſt diluuium.

PRo huiuſmodi conciliatione, ſuperiori antilogia ſenſum maledictionis expoſuimus, & non tàm filium Chanaam, quàm poſteritatem Chananæorũ obnoxium maledictioni, ſiue præſagio vaticinantis fuiſſe, oſtendimus.

Geneſ. cap. & ex cap. 7. Conſtat Mathuſala non fuiſſe receptum in arcam, cum ſoli filij Noe referantur. Quo ergo confugit?

Geneſ. cap. 5. v. 26. Mathuſala poſtquam genuit Lamech vixit 782. annis, Lamech cum eſſet 180. annorum genuit Noe, ex quibus conſtat poſt diluuium vixiſſe, quod 600. anno vitæ Noe incepit.

QVinto à Lamechi filij ſui morte anno, mortuus longæuus Mathuſalem anno ætatis ſuæ 969. inchoante, nam cum vixerit 182. annis antequam generaret Lamechum, qui vixit 182. annis ante ortum Noe: con-

tin-

tingerit autem diluuium ſubinitium anni 600. Noe v. 7. Gen. oportet vltimũ annum Mathuſalem non fuiſſe completum, ſed dumtaxat inchoantẽ. Annos Patriarcharum ſingulis generationibus præfixos, puto Chronologicos atque integros, anni vero vltimi vitæ pro inceptis haberi poſſunt, vt oſtendat Scriptura, ad quorum vitæ ſuæ annum peruenerint ſinguli patriarchæ, vnde diluuium incepit anno 600 vitæ Noe inchoante, & Mathuſalem mortuus eſt anno 969. incipiente, ex quibus deducitur ante initium diluuij iam ad ſuperos euolaſſe. Sic affirmare videtur D. Auguſtinus lib. 15. de ciuit. Dei c. 24. Nullum eorum (inquit) diluuio mortuum eſſe, quos de ſemine Seth propagatos Scriptura commemorat. Et in eodem libro, opinionem, quam de Mathuſalem poſt diluuium ſuperſtite tradiderat, non approbat, Hanc opinionem (inquit) vel ſuſpicionem accipiat quiſque, vt putauerit: certum eſt tamen non vixiſſe Mathuſalem poſt diluuium, ſed eodem anno fniſſe defunctum, ſi verum eſt quod de numero annorum in Hebræis codicibus reperitur. Hæc Auguſtinus, Ex quo conciliata manet antilogia. Addit Genebrardus ex R. Salomone, ipſo anno diluuij mortuum, ſeptem diebus ante aquarum innundationem, vt pie ſe peliri, & lugeri à Noe, & filijs eius potuiſſet.

Geneſ. 10. Nomen vni Phaleg. eo quod diebus ſuis diuiſa ſit terra.

Geneſ. Tredecim generationes Iectam fratris Phaleg. natu minoris intererant confuſioni linguarũ, non ergo diebus Phaleg, terra diuiſſa eſt.

DVm hominum ſuperba, ac inconſulta temeritas vanitatis ſuæ immortale in terra cogitat relinquere monimentum, linguarum caſtigata multiplicatione infœlici, damnata eſt, vel nouas colonias deducere, ſi volentes abibant, aut varia exilia, ſi inuiti. Inducta namque in omnibus familijs diuinitus natiuæ linguæ obliuione præterquam in Heber, & Phaleg. in quibus inuiolata permanſit, nouam linguam, prout olim Adamo, Deus cunctis infuſit; quam non aliter habebant in promptu; ac ſi cum nutricis lacte bibiſſent, ſiuè miniſterio Angelorum id patratum, ad quos diri gebantur verba illa; *venite confundamus*, ſicut Origini placuit, ſiuè diuinæ inſpirationi vnice talis diuiſio tribuatur, vt volebat Epiphanius. Per familias igitur diſtinctæ ſunt linguæ; factum namque eſt, vt vnuſquiſque non intelligeret omnes, vt prius ſolebat, ſed ſolum illos qui erant ſuæ familiæ; in quo apparet Dei conditoris bonitas, qui diuerſita te linguarum parentes à filijs non plene diſtraxerit, vt inter illos maneret ſocietas, inter quos vnius eiuſdem que linguæ commertium ſeruatum foret.

§. I.

Reijcitur Caramuelis ſententia de aduentu Iaphet in Hiſpaniam ante conſtructionem turris.

IN aſsignando autem tempore, quo acciderit iſta confuſio; reperio inter authores iuditia, non minus atque inter architectos illius turris diuiſa. Quidam magis ſubtilis nouitatis ſtudio, quam veritatis quærendæ cauſa, Iaphet filium Noe ante ſuperbi

ædi-

ædificij fabricam in Hiſpaniam patriam eius veniſſe, non ſine temeritate cenſuit. Sic Caramuel in Miſ. Arm. pro Hiſpania, de quo merito dicere potuit Diod. Sicul. lib. 12. hiſt. ¶ Qui data opera exactam inquiſitionem negligunt hoc merito accuſandum arbitror, quando nimirum nonnullis adulando, vel per odium virolentius alios impugnando, à veritate aberrant. ¶ Quoniam qui varia fingit, vt Hiſpaniam decoret gloria, non minus odiſſe creditur, quam adulationis molle blandiri, noſtra quoque gloria cum ſit ex ſolido; plus tamen habet operis, quam nominis,

Igitur duobus præcipue errat iſtius ſententiæ patronus; & quod ante turris conſtructionem, venerit Iaphet in Hiſpaniam, & quod hæc fuerit illius patria, illam que habitauerit ante diluuium Noe, tot namque errorum capita protulit iſta Hydra. Imprimis Noe in Hiſpaniam ante diluuium profectum, nec inuitum reperiet, qui affirmet, patronum. ¶ Obſtupeſcenda namque (inquit Chryſ.) eſt ineffabilis longanimitas Dei, & prodigioſa, hominum ingratitudo; ecce enim quingentis annis vixerat iuſtus ille Noe clamans, & teſtificans ſuo nomine, futurum per vniuerſum orbem diluuium ob nimias hominum malitias, & nec ſic à malitia abſtineri voluerunt; ¶ Si ergo in Hiſpaniam profectus credatur; quomodo, quæſo, quotidie illuminabat improbos operibus ſuis, ſi ab illis in aliam regionem abſceſſerat? Qua vſus eſt ratione contra Ioſephum lib. 1. cap. 3 Salianus. Dicebat namque Ioſephus; quod Noe facta eorum moleſte, & indigne ferens, ſuadebat, vt in melius voluntates, & opera ſua tranſmutarent, verum cum videret illos ſibi nõ parere, totos que vitiorum dulcedini ſuccumbere, veritus ne & ſe, & familiam ſuam interimerent, ſecedens cũ ſuis in aliam regionem migrauit; fugam veretur Salianus ne commentus ſit Ioſephus, nam præter quam quod (inquit) nullum vſquam, quod ſciam, hac de re veſtigium in ſacris profanis ve libris extat, quomodo Noe peccatores à ſceleribus prædicatione reuocabat, à quibus aufugerat?

Alioque nec leuiori fundamento conuincitur talis ſententia, volebat namque Deus, vt inquit hom. 24. Chryſoſ. illos, qui grauiſsimè peccauerant per fabricam arcæ admoneri ſuorum ſcelerum, veriſimile enim eſt, cum videbant Noe tantæ arcæ fabricationi inſiſtentem, eos cauſam extructionis ex ipſo ſuſcitatos, cognouiſſe indignationem, in cuius fabrica centum conſumpſiſſe annos, referunt Origenes, Aug. S. Greg. atque Rupertus. Quando ergo incolere potuit Hiſpaniam, inibi que generare filios? Siquidem, cum quingentorum eſſet annorum genuit Sem, Cham, & Iapheth, & diluuium ſexcentiſsimo anno illius accidit, ſequitur Iaphet natum eſſe poſt inceptam illius machinæ fabricam: Ex quibus infalibili ſequitur conſequentia, vel arcam fabricatam eſſe in Hiſpania quod nullus vſquam audiuit; vel Iaphet in Hiſpania natum non eſſe; Noe enim pie credendum eſt contra Dei præceptum *fac tibi arcam* ante talis fabricæ initium in longinquam regionem non eſſe profectum immemorem arcæ, quam ipſi, & familiæ ſuæ, ſemini que totius naturæ ſperabat futurum aſylum; illum enim non ſemel commendat Moyſes; & ſic concludit, *fecit igitur Noe omnia, quæ præceperat illi Deus.*

Sed fœlix error, ſi ſolus eſſet. Vt talem ſingularitatem author prædictus omnino non orbaret probabilitate, iudicans decens eſſe ſuorum populorum dignitatem, honeſto mendatio tueri; ante diluuium prouinciam innumeris incolis Hiſpaniam noſtram exiſtimat diu habitatam ex

ver-

verbis namque quibus Dominus hominem benedixit, dicens: *Creſcite & multiplicamini, & replete terram*, inferunt aliqui totius orbis extenſionem illis præparatum a Domino habitaculum fuiſſe, quaſi præciperet cunctis hominibus Deus, non ſolum propagationem ſuæ naturæ, verum etiam omnem terram poſsidere, & calcare, fuit ita infallibilis inter Hæbræos, vt ex Miſna, & Gamara vtroque Babil. & Hieroſolym. in ibi cuncti eius expoſitores, Ben. Baruka, Moſſes Maimonides, Salomon Iarchi, ſolus Abraham Ben Ezra deſijt in præſenti ſomniare, & illis verbis, benedictionem, nõ præceptum intelligit. Inter gentiles propenſionem propagandi quaſi naturale præceptum exiſtimarunt, vt dixerit Hermes Trimegiſtus, lib. 9. qui inſcribitur *ſermo vniuerſalis*, maxime in vita, & pijſsima cura eſt parentibus filiorum procreatio, & maximum infortunium, & impietas ſine filijs aliquem ex hominibus excedere, & pœnas iſte dat poſt mortem Dæmonibus. Quis pœnas ignorat, quibus ſteriles in republica Romana legibus ſuis aflixit Auguſtus? Errorem iſtum à fundamentis Eccleſiæ non ſine lacrymabili damno fidelium à Nicolao Antiocheno plantatum, ex cineribus nondum extinctum, hæretici recentiores, qui peſtifero ſucceſerũt Luthero, infæliciter ſuſcitarunt, vt ſupra tradidimus. Ex iſtis igitur verbis, nefas eſt ſolidare ſuam ſententiam, vt inquit namque Abulenſis, talia verba non ſine inconuenienti in riguroſo ſenſu, vt ſonant, accipi poſſent; ſed ea proprietate ſola, qua ciuitatem aliquam populoſam replere dicimus terram, ſi namque in rigore quis locum iſtum intelligere vellet; plura ſcaturire abſurda ſpectaſſet, quo namque modo requieſcere, vel quibus vti ad ſuſtentationem valerent, ſi locus ſeminibus, fructibus & plantis negaretur, ſolum ergo illis, benedicere homines Deus decreuit, deſiderium multiplicationis indicans in ſpecie, indibidua à præcepto ſimili & onere releuans; ſed de hoc cap. 9. Geneſ. vbi ſupra.

Alia ratione vtitur Scolanus vt omnem terram, Hiſpaniam que fuiſſe habitatam ſuadeat. A noſtro namque primo parente vſque ad diluuij miſerabilem cladem 1650. anni prolapſi fuerunt, copioſiſsime namque ab eius exordio generatio Adami, & propagata, & varios in filios, quos Scriptura non refert, extenſa fuit, conſequens ergo exiſtimauit numerum ſatis copioſum, vt omnes, noſtram que Hiſpaniam inhabitauerit terras: Fateor præter tres in Sacra Scriptura filios relatos Adamum plures habuiſſe filios; ſed quot fuiſſent ſine temeritatis nota, quis aſsignabit? Vnde 12. filij, duæ que filiæ, quos Rabbini aſsignarunt? vnde 33. viri, & fœminæ 26. vt placuit Cedreno ducto traditione Orientalium? Sed ſine dubio certiſsimum tenent aliqui, (licet nos aliter cum D. Auguſt. ſuperius iudicemus) Adamum annis 130. ſuæ prioribus vitæ ſolos illos habuiſſe tres filios. Siquidem iſtius erat ætatis, cum natus fuiſſet Seth *peperit filium vocauit que nomen eius Seth, dicens poſuit mihi Deus ſemen aliud pro Abel, quem occidit Cain*; Nec obſtat ſi dicat Iacobus Cappellus, ex ſigno, quo Deus muniuit Cain, vt nullus, qui occurreret illi, vita priuaret, oppoſitum colligi expreſſe; non inquam id obſtat quia hoc Domini ſignum vitæ præſeruatiuum ad filios Adami alios futuros referebatur, qui iuſtiſsime horrorem fratricidij odiſſent & vindictam ſumerent tanti criminis, vel ad cœtera animantia, quibus pœnas daturum iuſtiſsime timere quiuiſſet. Saltem ex diuinis litteris conſtare nequit copioſa fuerit nec ne hominum propagatio.

Nec firmum, quod addit temporis argumentum; quoniam ab Adam vſque

que ad Noe decem ſolum generationes (vtroque incluſo) prolapſæ ſunt, & poſt plures ætatis annos ſucceſsiuã propaginem recognouerunt non nulli. Iared namque 162. erat annorum, cum genuiſſet Lamech & hic cum genuit Noe 182, erat ætatis ſuæ. Noe vero 500. annorum genuit filios; propagatio igitur naturæ non ab annis, ſed à generationibus regulari neceſſe eſt; ex quibus non ſolum iudicant improbabile plures, totum orbem eſſe incolatum, verum difficile ſaluari poſſe cunctos homines numero ſufficienti vigere, vt prouinciam vnicam quiuiſſent replere; reddit hoc valde opinabile exemplum Lamech, qui licet duas duxiſſet vxores, & ex vtraque filios vidiſſet, quatuor generationib°, quæ ab illo vſque ad diluuij cladem præceſſerunt, ſolum 77. inter filios nepotes, & pronepotes innundauit abyſſus, vt refert, Hieronymus à quodam Hebræo accepiſſe, ſic in hiſtorijs non canocicis obſeruatum. Si ergo ab hoc tã exiguo numero omnes alias generationes propagatas regules, impoſsibile erit totum genus humanum non ſolum orbem repleſſe, verum difficile incoluiſſe prouinciam. Quibus ſi malueris in confirmationem recolere, quod tradunt Rabbini ex pluralitate mulierum; nihil quidem propagationis generi humano accreuiſſet, Rabbini que Vriah. Rab. Iuda Bar Simon, & Salomon Iarki cenſent ex duabus vnam elegiſſe in propagationem, aliã in libidinis, & appetitus immoderati pabulum, quam ſterilem redderent filiorum generationi, vt ex nominibus vxorum Lamech præiacti Rabbini non ſine irriſione prudentium vanè obſeruarunt.

Hæc quamvis ita certa ſint, vt dedecoris ſit firmitatem augere; nihilominus, vt omnino, his qui nihil ſcire iudicant, ſi non quæſierint ſingularibus rimis, omnino viam occludamus errandi, recolendum eſt principium non tàm vulgare quàm certum, ſacros ſcilicet libros à ſuo exordio ſine diſtinctione capitum fuiſſe ſcriptos, ſic que vſque ad tempora Antiochi Epiphanes indiſtinctos manſiſſe; poſtea cum Hebræi nequiuiſſent inuiolatam ſeruare legem, plures in partes, quas Paraſchas appellant vt in Synagogis legerent, & referrent diuiſere. Sic tradit Elias Leuita de quibus intelligitur Act. 15. *Cum in Synagogis per ſingula Sabbata legatur*; Chriſtiani igitur in primordio libros ſacros etiam ſine diſtinctione acceperunt; non Hebræa ſed verſione 70. facta ante introductam capitum diuiſionem. Sed cum recognouiſſent quantum vtilitatis; vt melius perciperetur intelligentia illius, talis ſectio & diuiſio adduceret, paulatim fuit introducta ſiuè tempore Muſci epiſcopi Marſelæ, ſiuè fuerit tempore purpurati Hugonis; certiſsimum ergo eſt diuiſionem recentem fuiſſe, nullo que iure Canonico, vt Salmeron, & Serarius iam tradiderũt. Ex quibus liquido apparet ſine aliqua repugnantia Eccleſiæ illata licere clauſulam antecedentis capitis cum ſequentis vnire, ſi id opus ſit, vt loci intelligentia facilius clarius que percipiatur. Hoc ergo ſuppoſitũ eſt ferme omnibus tàm Hebræis, & Græcis, quàm vulgaribus etiam Latinis vltimam clauſulam, quà deſinit caput 5. in noſtra Biblia prout communiter diuiſſa, primam eſſe quà incipit caput 6. vnde vt ſonat in Hebræo, legitur ita, *Cum quingentorum annorum eſſet Noe, genuit Sem, Cham, & Iaphet*; (id que accidiſſe) *cum inciperent omnes multiplicari ſuper terram*. Vnio iſtius duplicis clauſulæ receptiſsima eſt in omnibus linguis inter Hebræos, obſeruant illam Ioannes Buxtorfius in illa, quam publicauit in Baſilea collata cum quatuor impreſis Veneto; eandem ſequutus Xantes Pagninus ſua verſione, ſic notatur in Biblia impreſa in Amberes, quam ſequutus eſt

Olea-

Oleaſter, eamdem ſeruat Græca 70. impreſa Romæ anno 1587. authore Sixto quinto, in Paſiſeana, cura Ioannis Morini anno 1628. elaborata, & veteres Latinos veriſimile eſt illam ſeruaſſe, quia ſic reperitur in commentarijs, quæ edidit frater Antonius Senenſis traſlatis ex Biblioteca Minoritarum de Meddelburg. ſequitur que Petrus. Comeſtor, Ioſephus Voyſin aſſerit ſic ſeruari in veteri Hiſpana Ferrariæ impreſa, & ab Hebræis Hiſpanis traducta. Ex quibus infertur copioſam generis humani propagationem ad tempora vſque Noe dicta, non incepiſſe, proinde que ſolum centum annis ante diluuij cladem. Quo pacto ergo in tam brebiſsi moſpatio propagatio homines tributare potuiſſet incolatui totius orbis, noſtræ que Hiſpaniæ, quæ Occidentalis, & remotiſsima eſt à Palæſtina, ſiuè Chanaam, vbi communiter ſedes collocatur noſtrorum parentum.

§ II.

Ante conſtructionem turris non venit Iaphet in Hiſpaniam.

SEcunda præiactæ ſententiæ periodus, nempe quod Iaphet ante conſtructionem turris venerit in Hiſpaniam, omnes litteras Sacri textus in ſe reclamantes audit; licet ſectariũ habeat Beroaldum lib. 3. Chron. cap. 2. Sic falſitatis conuincitur. ¶ Filij namque Noe (inquit Ioſephus) primi relictis montibus planiciem habitare cæperunt, & alijs recenti etiam tum cladis memoria pauidis nec audentibus celſiori loco deſcendere, idem faciendi authores, & exemplum fuere; Addit Ioſephus: Cæterum Deo iubente vt propagandi, multiplicandi que generis gratia Colonias deducerent, homines rudes non paruerunt, & quod peius erat, conſilium de Conijs, non fauorem numinis, ſed inſidias interpretabantur, videlicet quo facilius diſperſi poſſent opprimi. ¶ Si ergo tanta ſolicitudine, tam axiè que appetierunt mutuam vnionem, vt Salomon IarKi, conferens primam ætatem ante diluuium cum generatione ſequenti, dicat: quod prima fuerit latronibus dedita, diſcordijs & contentionibus nutrita; ſecunda vero amicitia vnione que ſociata, quo pacto intelligi valet Iaphet ante conſtructionem diuiſum? Aliter id comprobatur ex Geneſ. 11. illis verbis *erat autem terra labij vnius & ſermonum eorumdem*; Ex quibus liquidum eſt, vt inquit Caietanus, quod non ſolum omnes homines conueniebant vnitate verborum; ſed etiam vnitate labij, hoc eſt modo proferendi; vnde Aben Ezra vllam variationem in litteris & prolatione negat; Id ſine miraculo nõ accidiſſe, ſi ſe paratæ ad inuicem fuiſſent, quis non videt?

Altera ratio non contemnenda conuincit falſitatis iſtam ſententiam, ſic namque refert Moſes: *Venite faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat Cœlum, & celebremus nomen noſtrum, ne forte diſpergamur in ſuperficiem vniuerſæ terræ*; ex quibus Caietanus, Toſtatus, Oleaſter & Pererius aſſerunt illic eſſe omnes apperijſſe, vnãque velut rempublicam, & ſocietatem conſtituere; Vnde ex Epiphanio, Chryſoſtomo, atque Ioſepho, non nimis obſcure infertur, eos qui cõuenerãt in campum Senaar ad ædificandam turrim, fuiſſe omnes homines, qui id temporis in terris erant, iratus eſt ergo Dominus temere homines velle contra eius præceptum ſocietatis vnionem; Hoc explicat illum mouiſſe ad confundendas gentes in vniuerſis terris, ſic inquit *Ecce vnus eſt populus*; ſi igitur propter vnitatem, quam inuiolatam ſeruauerant homines, illos

diui-

diuiſit Deus quo pacto ſalua veritate textus ſtabiliri poteſt a cæteris omnibus ſeparatio Iapheth, Explicatur vis huius rationis ex Deuteronomio, referens namque Moſes in ſuo Cantico beneficia in Iſrael tam liberali manu elargita. Sic inquit, *quando diuidebat altiſſimus gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Iſrael*; Si igitur terminos prouinciarum iuxta numerum principum, & familiarum, quæ confuſioni linguarum intererant, conſtituit Dominus, quo ergo pacto recognoſci poteſt incolatus alicuius? Sicut qua ratione habitatio terræ ante diſperſionem, ſanciri poteſt? A qua primæuam habitationis originem de cerpſiſſe orbem manifeſte ex Sacra pagina conſtat.

Minus delirat, quamvis Rabbinica, Hebræorum ſententia, habetur namque ita in Seder Olam, ¶ Heber, vt ſcriptum reliquit R. Ioſe, magnus fuit Propheta, quoniam afflatu Spiritus Sancti filium ſuum Phaleg nominauit, à futura ſcilicet diuiſione terræ diebus eius. ¶ Vaticinium etiam agnoſcit Hieron. Vocabulo Prophetico ſiuè prouidentiæ dictus eſt Phaleg, ait Genebrardus, vt innoteſceret in hac diuiſione orbis terrarum plus fuiſſe diuinæ prouidentiæ, quam humani conſilij, & induſtriæ. Sed hãc ſententiã nondum veritatem attigiſſe, demonſtratur fere euidenti ratione. Nam illa verba *eo quod in diebus eius diuiſa eſt terra* non ſunt referenda, ad primos vel ad medios, aut extremos vitæ dies Phaleg; ſed in nullo ſenſu verificari poſſunt; Imprimis non poteſt dici terra diuiſa initio dierum illius, vt ipſi fatentur, quia Iectam frater natu minor erat illo, & tamen tredecim illius generationes ſeu ſtirpes illius vemiſſe in hanc diuiſionem conſtat ex textu. Non igitur initio ætatis illius accidit terræ diuiſio; neque referri poteſt ad medios illius dies; quia vt ex 11. Geneſ. conſtat, neque Heber pater Phalegi, neque Sale auus; neque Arphaxad proauus, neque Sem abauus, imò neque ipſe Noe ante Phaleg humanæ neceſsitati conceſſit; Non igitur magis diebus Phaleg, quam iſtorum Patriarcharum annis dicebatur terra diuiſa, Neque referenda ſunt ad diem extremum vitæ Phaleg; quia vnus & idem annus à diluuio trecenteſimus quadrageſimus, quo volunt Hebræi terræ partitionem obtigiſſe, non ſolum Phalego, ſed etiam Aphaxado fuit extremus, quod omnes fermè fatentur; ſed Scriptura in hac circunſtantia denotat quid ſingulare in Phalego, quod alijs Patriarchis conuenire non poteſt, plane ergo dicendum eſt huiuſmodi diuiſionem terræ non accidiſſe tempore, quo deſcribunt Hebræi. Ex quo impugnantur, expulſa que manent quæ vertit Genebrardus ex Seder Olam; nam ſcribitur (ſic vertit Genebrardus) quia diebus eius diuiſa eſt terra, non quidem dierum vitæ eius initio, nam certe Iectam frater eius natu erat minor, qui tamen tredecim cognationes, ſeu ſtirpes, & familiarum capita quæ in hanc venerunt diuiſionem, procreauit: vnde extremis vitæ diebus Phaleg conſtitutum debemus aſſerere, quando dicitur à Sacro, textu terra diuiſa, homines que in Babylonica turri qui fuerant antea adunati, in pœnam ſceleris in cœlum que ſuperbæ elationis fuerunt diſperſi. Non in medijs vitæ Phaleg diebus valet ſimiliter verificari fuiſſe diuiſam terram, homines

que diſperſos, quoniam quidem id minime occultaſſet Moſaica Gen. hiſtoria, ſed indicaſſet. Quod ergo ait *diebus eius diuiſam fuiſſe terram* ad finem dierum; & vitæ ipſius pertinet; quæ videntur etiam ſenſiſſe Lipoma. in Cat. ac Lyranus.

§ III.

Proponitur duplex diuiſio terræ & impugnantur ſententiæ iſtius patroni.

LIceat nobis iam deponendo mendatio accedere ad veritatem, aliorum ergo ſententia geminam diſtinguit diuiſionem orbis terrarum, alteram verbo, quaſi Noetico teſtimonio factam, alteram re ipſa in conſtructione Babilonicæ turris, inquit ergo cum Epiphanio, quod Noe à diluuio cum vxore tribus que filijs ac totidem nuribus ſeruatus, vniuerſum orbem terratum ſolus in tres filios Sem, Cam, & Iaphet eſt partitus; hucuſque hæc opinio incedit ſecuro pede; ſed vlterius dicit contra opinandi communem vſum, quod hæc diuiſio fuerit à Patriarcha Noe celebrata, poſtquam religionis munus impleuit, & in gratitudinis memoriam obtulit Deo holocauſtum. ¶ Non verbis modo, addit Epiphanius, hanc illis religionem propoſuit, ſed & iuramento fraternæ beneuolentiæ cautionem à ſingulis extorſit; tum velut hæres mundi totius inſtitutus à Deo, totum orbem terrarum in tres filios ſortitũ diſtribuit. ¶ Vt hanc ſuam ſententiam firmis propugnaculis muniant, ſupponunt, ſicut Adamo, dominium ſuper omnia creata Noe traditum fuiſſe à Deo *conſtituiſti eum ſuper opera manuum tuarum*; in Hebræo legitur *dominari feciſti eum*; Ex quo Genebrardus colligit etiam Cœlum illi fuiſſe ſubiectum: ibi. ¶ Omnes poteſtates in cœleſtibus, ita v. nihil excipiatur, quod ipſi non ſit ſubiectum, niſi ille qui ſubiecit ipſi omnia; ¶ Hoc ergo dominium tranſlatum fuiſſe poſt diluuium parenti Noe aſſerit Eccleſ. cap. 44. *Noe inuentus eſt perfectus, iuſtus & in tempore iracundiæ factus eſt reconciliatio*, ideo diuiſum eſt reliquum terræ, cum factum eſt diluuium; Iuſtum, dicit Chriſoſtomus hom. 27. Noe eandem benedictionem conſequi, quam olim Adam, & ereptum recuperare principatum virtute ſua, quare cum dominus totius orbis fuiſſet, licuiſſe partiri in tres ſuos filios nullus poterit hæſitare; cecinit que Sybilla lib. 3. oratione Sybil. tres terræ partes, vt ſors cuiuſque ferebat, quiſque ſuam, regnabat, habens, certamine nullo obteſtatus erat pater, & diuiſerat æquas partes.

Quod autem hæc diuiſio teſtimonio prolata, fuerit immediate poſt publicam hominis cladem, comprobant verbis Filiſti, quæ talia ſunt. ¶ Sunt quidem hæretici, qui de diuiſione orbis terræ, & partitione habitationis non recte ſentiunt; diſputantes quod Græci cæperint, aut Ægyptij, aut Perſæ deſcribere orbem vniuerſum, non beatus Noe ſuis filijs tribus poſt diluuium diuiſerit, dederit & definierit; Ex quibus immediate poſt diluuium partitam terram innuit illud verbum, *poſt diluuium*, ſi enim ſignificaret ſolum poſt diluuium, ideſt non ante factam fuiſſe ſectionem, ſupereſt omnino in periodo, nullus nam que hæſitauerit vnquam

ante

ante diluuium parentem Noe neque dominum terræ fuisse, nec ius possessionis quiuisse filijs eius tribuere. Secundo id ipsum probant vulgari loco, sed singulariter explicato. Cum namque inebriatus Noe se se inhoneste discooperuisset; inquit Theodoretus ex sententia Rabbini. ¶(Sic Hebræus quidam aiebat) primum omnium Chanaam verenda aui sui vidisse, suo que narrasse patri, non sine Noe irrisione, atque illusione; huic interpretationi (prosequitur Theodoretus) fidem facit quod proxime subiecit Moses suscitatus à somno suo *Noe cognouit quæcumque fecerat ei filius suus iunior.* Quis erat iste filius iunior? Non Cham, quippe generationis ordine inter Sem, & Iaphet medius erat: verum quoniam aui, non tantum nepotes, sed omnes etiam, qui longa serie ex his nascuntur, filios appellare solent, ideo Scriptura significat Chanaam nepotem Noe minimum cognitum à Noe sceleris eius authorem fuisse. Quod autem fuisset eius delictum; R. Leui Ben Gerson, (licet Salomon Iarchi tanquam aliorum cogitationem retulerit,) asserit: cum vidisset verenda, eum castrasse; rationem huius sceleris assignat, dixit fratribus suis: Adam primus Pater, cum duos tantum filios habuisset, vnus alterum occidit, hæreditatis nempe mundi causa, pater vero noster tres filios habet & adhuc quartum quærit; Ecce qualiter de diuisione mundi immediate post diluuium Noe cogitauit; Nec obstat quod dicit Salianus; si id accidisset ita, non euigilasset è vino consumptis scilicet vaporibus, sed ingenti dolore somnus excussus fuisset; Non inquam obstat; præuidit namque hanc instantiam Ioannes Annius, asserit que cum Abbate Seuero in Casianum collat. Patrum 8. capit. 21. Petr. Comestor Historia scolast. capit 39. Cham fuisse Zorastem celebrem illum Magum apud Scriptores profanos: vnde sic omnia componit, cum Noe tumulentus iaceret, eius virilia manibus comprehendens, tacite que submurmurans carmine magico illuxit patri, eum que sterilem, non secus ac si esset castratus, effecit.

Hæc sententia licet magis ad veritatem accesserit, non tam fœlix, vt illam meruerit attingere, licet namque geminam illam orbis terrarum non audebiums diffiteri; primam tamen fuisse tam immediatam post diluuium negamus; & tamquam ridicula somnia eius fundamenta contemnimus, fabellam existimantes illud Chanaam, quam (ni fallor) à Gentilibns sumpsisse Rabbinos non temere iudicauerit, qui horum scripta legerit & si semel: Apud gentiles id vsitatum fuisse ait Machrobius. ¶ Hunc aiunt, inquit, abscidisse patris pudenda, Hesid. retulit, ex insidijs autem filius petijt manu sinistra, dextra vero immanem cepit falcem longam asperos dentes habentem, chari que genitalia patris festinanter demessuit. Valde facete, vt solet, Ouidius.

Sic aliquis tua membra secet Saturnus, vt illas.
Subsecuit partes, vnde creatus erat.

Quod autem illa diuisio non tam immediata fuerit, patet ex eo quod celebrata fuerit animo vitandi inter fratres litigia, illa autem in hominum parua copia vereri prudenter, neque timeri debebat, sed post plures annos, quando exuberãte multitudine, nec se in Armenicis, & Babylonicis finibus contineri possent, Colono

rũ examina, tamquam apes ex albearibus emissa in secernenda que cuilibet orbis habitationisq; sede varijs desiderent litigijs. Secundo difficilimum est in ista sententia illud Gen. *Nomen vnius Phaleg eo quod in diebus eius diuisa sit terra*; isti namque authores intelligunt locùm de diuisione secunda in constructione turris suborta, quod improbatum relinquimus.

§ IV.

Proponitur vera sententia.

IGitur vt nostrum iuditium aperire possimus, fatemur libenter duplicem illam diuisionem terrarum, quam iam pridem distinxit Iosephus lib. 1. capit. 4. alteram scilicet iuris, quam vocat habitationis distributionem; aliam facti, idest occupationem, & possessionem, prior nullam habuit confusionem coniunctam, posterior autem maximam, illa quieta fuit, ista turbulenta; quoniam (vt inquit Epiphanius) orbe terrarum tribus liberis trifariam distributo, iuramentum exegit pater, ne quis fratris sui sortem occuparet, & quoniam, vt ait Sapiens prob. 18. traditiones comprimit sors, & inter potentes quoque diiudicat; sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur; vnde Semo partes Orientis, Chamo partes ad polum Australem vergentes, Iapheto natu minimo potissimùm Mediterranei maris insulæ venerunt in sortem; Hinc sumpsisse suam fabellam gentiles certò crediderim, aiunt enim Ioui cœlum obtigisse, Neptuno mare, inferna Plutoni; cuius sortitio non incongrue ad Sem, Cam, & Iaphet debet referri; Dicimus ergo primam obis terrarum sectionem accidisse primo vel secundo die, vel octauo (secundum antiquorum consuetudinem variam) quo natus est Phaleg, à cuius præsenti euentu nomen sortiri potuit, quidquid sit de prophetia Heber, quam de secunda diuisione, & confusione linguarum, si stetit, intelligi debere, asserimus. Secundam vero terræ diuisionem accidisse anno trigesimo Phaleg, & post diluuium 131. sentio. Ex quibus sic explico Genes. testimonium, nomen Phaleg fuisse sortitum, quia diebus eius diuisa fuit terra, primo anno accidit prima diuisio, & extremo illius Chronologico anno nempe trigesimo, secunda terræ diuisio, & linguarum confusio euenerunt; illos voco Chronologicos annos, qui soli in texenda temporum descriptione numerantur, quorum dumtaxat rationem haberi voluit Sacer textus, vt nos perduceret ad Chronologiæ certissimam cognitionem, exempli gratia vixit Arphaxad annos duo de quadraginta supra tercentesimum, non omnes in Patriarcharum Chronologia putantur, sed hi dumtaxat triginta quinque, quos vixerat ante natalem Salei filij sui diem, vixit Sale 433. non omnes Chronologici vocantur, sed ex eo solum triginta numeramus ante natiuitatem sui filij; Non ergo omnes dies Phaleg Chronologicos appellat Moses, sed solum triginta, quos vixerat ante Reu filij eius natiuitatem, vixit quoque Phaleg triginta annis, & genuit Reu: hi sunt Phalegi, dies cœteri vero non ipsi Phalego sed filio tribuuntur, alias bis numerarẽtur cœteri Phalegi anni, ipsi nempe Phalego, & suo filio. Vnde anni quadrigenti facile putarentur; Ecce qualiter cũ omnimoda proprietate dicit,

tex-

textus diuiſionem terræ in diebus vitæ Phaleg occurriſſe, quia nempe prima diuiſio teſtimonio Noe celebrata accidit diebus natalibus Phaleg, ab iſto autem tempore uſque ad trigeſimum turrim conſtruxerunt; ac tandem ipſo trigeſimo anno, qui vltimus eſt Chronologicus, confuſio linguarum accidit.

§ V.

Proponuntur difficultates, quæ contra veritatem occurrunt.

SEd contra noſtram ſententiam ſupereſt iudirio plurium inſuperabilis difficultas. Quia Iectam frater natu minor Phaleg, cum accidit confuſio linguarum, ſtirpes duodecim procreauerat, quorum ſinguli in illa diſperſione gentium à ſe propagatarum extiterunt parentes; ſed hoc intra triginta annos accidiſſe incredibile eſt; non igitur anno trigeſimo, ſed prouecta ſenectute Phalegi accidit iſta linguarum confuſio, gentium que diuiſio. Imprimis faciliter iſte ſolueretur difficultatis nodus, ſi dicamus tempore, quo illata eſt confuſio linguarum, non fuiſſe natum Iectam, ac per conſequens nec liberos eius, quia non omnes qui capit. 10. referuntur, nati erant ante diuiſionem gentium, & confuſionem linguarum, ſed ideo filios Iectam ibi numerari, quia ſequentibus temporibus gentium parentes fuerant; hic namque occaſione benedictionis Noe, quæ in omnes liberorum poſteros redundabat, multorum gentium contexuit ſeriem, de quibus nullum fore poſtea dicendi locum viderat, cæteras prætermiſit ab Abraham, Lot, & Naone ſuo tempore condendas, non quia nati nondum fuerant tempore quo facta eſt linguarum confuſio, ſed quia Scriptura de Abraham rebus actura, gentium illarum originem in aliud tempus commodius differebat. Quod namque Iectam eius que liberorum Scriptura prius mentionem faciat, quam Babylonicæ confuſionis, non extorquet vt tempore diuiſionis terrarum, linguarum que confuſionis natos Iectam, & liberos eius fateamur; prius namque refertur Noe vltimus dies, nempe capit. 9. quam linguarum confuſio, de qua capit. 11. & tamen non dicemus Noe prius vita defunctum, quam gentes orto linguarum deſidio diſpergerentur in terras; Pariter capit. 9. mors ipſius Noe narratur; capit. vero ſequenti ortus Arphaxad eius nepotis refertur, dicenſus non ne ideo primum mortuum Noe, quam eius nepos Arphaxad naſceretur?

Nec obſtat quod poſtquam retulit Sacer textus familias Noe eorumque liberorum, ſubdit. *Ab his diuiſæ ſunt gentes in terra poſt diluuium*, fuerunt igitur omnes iſti ex quibus gentes diuiſæ fuerunt, in confuſione, conſtructione que turris. Non, inquam, obſtat; non enim inde infertur immediate poſt diluuium eſſe exortos, Amonitæ namque Moabitæ, Idumei, & Amalecitæ, multis annis poſt diluuium conditi fuerunt, & tamen vere poſt diluuium conditi eſſe dicentur; Neque piaculum eſſet, ſi eaquæ de linguis duabus, & ſeptuaginta vulgò dicuntur, quas cæterarum matres, primo que diuerſas appellant, non ex fontibus Scripturarum, ſed ex Hebraicarum traditionum lacunis eſſe deriuata dicamus, deliria que Rabbinorum.

Ceterum facilius nos ab hac difficultate expediemus, ſi cum D. Au-

guſt. lib. 16. de Ciuitate Dei cap. 11. dicamus: prius quidem Phaleg nominatum, ſed longe poſt fratrem ſuũ Iectam fuiſſe natum, cũ Iectam duodecim filij, tam grandes iam familias haberent, vt linguas in proprias diuidi poſsint. Idem ſentit expreſſe Ioſephus, quod pluries reperitur in Scriptura, & patet in filijs Noe, in quibus Sem, qui minor erat Iapher, ratione dignitatis prius nominatur a Sacro vate, nihil autem prohibet ab eo dẽ Hebero genitum Iectam anno 17. ac proinde præceſſerit fratrem ſuum Phaleg. 17. annis, vnde tempore quo diuiſæ ſunt gentes, confuſæ que linguæ, quod accidit anno trigeſimo Phalegi, ipſe Iectam peruenisſet ad ſeptimum ſupra quadrageſimum annum, quo tempore liberos habere facile potuit, ex pluribus ſcilicet vxoribus, prout tunc licebat, non ſolum adultos, ſed etiam patres familias liberorum que parentes; ex quibus cõſtat Noe poſt diluuium, confuſionem que linguarum ducentis, & viginti annis fuiſſe ſuperſtitem, non decem, vt volunt Rabbini, quibus videre potuit diuerſarum gentium à ſe propagaturum imperia varia, non ſine grauibus bellis, & generis humani cladibus inſtituta; iſti namque anni ſuperſunt trecentis, quibus vixerat poſt diluuium, ſi centum, & triginta tollas, quos à diluuio vſque ad linguarum confuſionem prolapſi ſunt.

Geneſ. 11. Cum que proficiſcerentur de Oriente.

Geneſ. 8. requieuit arca ſuper montes Armeniæ, quæ ſeptentrionalis eſt Babyloni.

IMprimis certum eſt Armeniam Septentrionalem Babyloni fuiſſe, vt ſuadet omnium Geographorum auctoritas, hinc oritur difficultas, quomodo profectos eſſe ab Oriente, dixerit a veritate non diſtans Sacer ſcriptor.

Quidam, librariorum incuria irrepſiſſe vocem *Armeniæ* noſtræ verſioni, credunt, pro Ariæ modico litterarum acceſſu, montes enim Ararat, Tauri partem eam eſſe, quæ Indis & Orienti vicina, Bactrianam & Ariam claudit, a Meridie à feracitate & contiguitate regionum cum Diodoro Siculo & Dionyſio Periegete ſunt ſuſpicati. Facile ergo irrepere poteſt pro Ariæ, æquiuocatio Armeniæ. Sic Temporarius apud Salianum non requieuiſſe ſuper montem Armeniæ, ſed ſuper montem Ararat, affirmans, qui à Geographis Paropamiſus, Parnaſus ab Ariſtotele nominatur, & à Septuaginta, vbi noſtra Vulgata. *Armeniæ*, vertitur *Ararat*. Verum Septuaginta vocem Ararat *Armeniæ* vertunt 4. Reg. ſicut & Chaldæus Ieremiæ 51. ver. 17. Vnde veriſimilius conciliatur, ſi Taurum, qui longe lateque à Pamphylia ad Indiæ fines per Armeniam regiones que vicinas extenditur, montium Armeniæ nomine contineri, aſſeramus. Cui fundamentum non leue præſtat Aithomi Armeni cap. 9 teſtimonium. ¶ In Armenia, inquit, eſt altior mons, quam ſit in toto orbe terrarum qui Arat vulgariter nuncupatur, & in cacumine illius montis Noe arca primo ſedit. ¶ Idem Veroſus antiquus (non ille ab Annio Viterbienſi confictus) apud Ioſephum affirmat. Homi-

mines ergo dicuntur ex Oriente profecti, quia Larnax illa Noemitica in aliqua Tauri parte magis ad ortum vergente, in Paropamiſo conſederat.

Poteſt aliter conciliari, ſi aſſeramus Orientem dici Armeniam, non habita Campi Sennaar ratione, ſed Arabicæ ſolitudinis, vbi Moſes iſta ſcribebat, vel melius habita ipſius montium Armeniæ ratione, qui ad Orientalem Armeniæ plagam verſus Mediam porriguntur, quem montem Ararat plures deſcribunt.

Alij ſic conciliant, his dictionibus de *Oriente*, vel vt Hebræus *MiK Kedem*, non ipſam Solis Orientis oram, ſed temporis principium intelligi, quaſi diceret, *Cumque proficiſcerentur* ab initio, id eſt ab ipſo mundi poſt diluuium renaſcentis exortu. Hæc enim dictio *Kedem* tàm principio temporis, quàm ortui Solis communis eſt, vt Gen. 2. *Plantauerat autem Dominus hortum voluptatis MiKKedem*. Hieronymus *ab initio* Septuaginta ad *Orientem*. Has expoſitiones Nicolaus Abrahamus, refert ſed amplectitur nobis ſelectam.

Dicendum ergo eſt, arcam in montibus Armeniæ requieuiſſe, ſed Noemum cum ſuis verſus Orientem, & Meridem, in Mediam primo ſe contuliſſe, inde que in Babylonem cum tota familia migraſſe. Quoniam Armeniam huic monti verſus Occaſum & Aquilonem ſubiectam, vt refert Abrahamus, paludes plurimæ, fluuiorum ingentium ſcatebræ, Araxis potiſsimum reſtagnatio ſic occupabat, vt longe poſt cæteras regiones ſiccari potuerit, & habitari, niuium ingruentium metu, primo, quo tempore deſcendere debuerunt, ad Ortum & Meridiem, qui Media ſitus eſt, ad Armeniam comparatione facta, ſe cõuerterunt. Sola enim pars terræ, quæ ad Mediam inclinat, in Aithomi ſententia, vbi ſupra, aſpera montuoſa que deſinit eſſe. Inde ergo venit in Babylonem Tigri tranſacto, quoniã Tigris antequam Babylonem alluat ſubterraneis cuniculis abſoruetur, vt probat Theophraſt. agens de paradiſi fluuijs.

Geneſ. 11. Inuerunt campum in terra Sennaar.	*Conſtat ex eodem capite nullum ibi fuiſſe hominem, à quo poſſet nomen imponi.*

Campus ille ab euentu appellatus eſt poſtea Sennaar, excuſio enim interpretatur dentium, ideſt verborum, quæ ſine dentibus vix poſſunt proferri. Sic Rupertus in Comment. in Geneſ.

Geneſ. 11. Dominus deſcendit vt videret.	*Ad Hebræ 4. Nulla creatura inuiſibilis in conſpectu Domini.*

Vide conciliatam antilogiam in cap. 11. Gen.

Geneſ. 11. Cœperunt que hoc facere, nempe turrim, cuius culmen pertingeret cœlum, nec deſiſtent acogitationibus ſuis donec opere compleant.	*Impoſsibile eſt ædificium conſtruere, cuius culmen cœlum pertingat. Non ergo vnquam opere compleuiſſent.*

PRopter hanc antilogiam, noſtrã verſionem reputat deprauatam Venetus Problem. 106. Nam ſtultum fuiſſet ædificium Chaldæorum, niſi debito ſenſu intelligeretur, cum impoſsibile ſit ædificare turrim, quæ ad cœlum vſque pertingat. Merito quidem ab Indice Expurgatorio expungitur illud problema, quo vt Chaldæos impios & barbaros nõ faceret ſtultos, ſe effecit ſacrilegum, neque piaculum duxit noſtram verſionem ferire.

Dicunt alij, vt diluuium aliud, quod timebant, vitarent, ad modum altam turrim eleuare intendiſſe, in latitudine ab angulo ad angulum 16. milliaria habuiſſe, & inquadro in Babylone poſitam fuiſſe, vt ſentit D. Hierony. lib. 5. in Iſaiam, in altitudine autem quatuor milliaria. Quæ innuunt vel turrim iam ædificatam, vel ad miram altitudinem perductam, vbi enim Hebræus *Nabu*, Septuaginta *ædificarunt* vertunt, quod etiam Paraphraſis Chaldaica Complutenſis habet, licet Fagius *ædificabant*, verterit. Hanc etiam turrim adhuc tempore ſuo duraſſe tradidit Herodotus lib. 1. qui circa reditum Xerxis in Græciam viuebat.

Quidquid autem ſit de hoc, certum eſt poſſe ab illis turris impoſsibilẽ conſtructionem, poſsibilem iudicari, ad illam que ferri deſiderio potuiſſe. Scriptura autem Sacra hyperbolice turrim cœlum contingentem tradere viſa eſt, vt altitudinem turris, quam intendebant conſtruere, ſignificaret, quod inſolens in Sacro textu non eſt.

Geneſ.

Geneſ. 11. Arphaxad vixit triginta & quinque annis & genuit Sale.

Lucas cap. 3. inter Arphaxad & Sale ponit Chanaam. Arphaxad ergo cum eſſet 35. annis, genuit Sale, & ſimul eodem anno Chanaam eius parentem, quod impoſsibile eſt.

TAm difficilis viſus eſt expoſitoribus locus iſte, vt quidã erraſſe Septuaginta dicere non erubuerint, contra eximiam eorum auctoritatem longo vſu Eccleſiæ comprobatam. Alij binomiũ iudicent fuiſſe, Sale, Chainaam que pariter appellatũ, vnde vbi, *qui fuit Chainaam*, legunt, *Chainaam*. Alij alia, quibus difficile animus quieſcit.

Morinus ait lib. 1. Exercit. Biblic. c. 1. ¶ Fieri enim potuit, vt hoc loco, tum cum ſcriberet S. Euangeliſta, variæ fuerint in textu Hebræo lectiones, eam que elegerit, quæ Septuaginta interpretum tranſlationi conformis eſſet, vt pote ſolam ab Spiritu Sancto dictatam. Fieri quoque potuit, vt tum temporis eo loco textus Hebræus abſolute degener fuerit, quem tamen Septuaginta interpretum codices Hebræi repræſentabant, ideo S. Lucas Hebræos deſerens, Græcis adhæſit, cuius textus mutilationem accidiſſe poſt Apoſtolorum tempora, vrbium que excidium, eſt credibile. Sic de textu Hebræo & Græco ſentiunt Cardinales Toletus in cap. 3. Lucæ adnot. 61. & Caietanus hic, Tornielus in 2. ætate ann. 38. Quomodo autẽ conſiſtere poſsit, quod Arphaxad cum eſſet 35. annorum, genuerit Sale, ſi interpoſitus eſſet Chainaam, deberet enim eodem anno generari abillo Chainam, quo genitus traditur eſſe Sale. Reſpondetur apud Pererium, quod cum dicitur, Arphaxad 35. annorum genuiſſe Sale, non actu ſed virtute procreaſſe Sale intelligendus eſt, ſicut in genealogia, quam Chriſti texuit Matthæus, Ioram genuit Oziam non actu ſed virtute, quia Ioram genuit proxime Ochoziam proauum Oziæ. Qui ijs non acquieſcat, expoſitionem quærat, verum in hac ſicut alijs difficultatibus expectandus eſt Elias, qui ſoluerit nodos, vt fert prouerbium.

Geneſ. 11. Vixit que Thare 70. annis, & genuit Abraham, & Nachor & Aram. & ver. 31. facti ſunt dies Thare 205. annorum. Abraham 75. annorum erat cum egreſſus eſt de Aram, & 145. Thare, & 60. ante illius mortem.

Actor. cap. 5. conſtat Abraham egreſſum eſſe de Charam ſeu Aram poſtquam parens mortuus eſt.

§ I.

Proponitur antilogia, & aliquæ expoſitiones repelluntur.

Geneſ. 11. Dicitur quod vixit Thare 60. annis, & genuit Abraham, Nachor, & Aram. Et ver. 31. facti ſunt dies Thare 205. annorum, & mortuus eſt in Aram. Cap. autem 12. ſic loquitur de Abraham. Septuaginta annorum

rum erat Abraham, cum egressus est de Aram, ex quibus expresse colligitur Abraham egressum esse de Aram 155. anno parentis sui Thare, quoniam si 70. annis, quos ante ortum Abrahami exegerat pater eius Thare, addimus alios 75. quos iam vixerat Abraham, cum exijt de Arã, numerus 145. resultabit annorum, cum ergo vixerit Thare 205. annis, sexagesimo ante mortem Thare, & ætatis 145. egressus est Abraham de Arã. Ex Genes. ergo cap. 11. & 12. constat Abraham egressum esse de Aram sexaginta annis, antequam pater eius Thare è vita migraret. Oppositum ex diametro traditur Act. Apost. cap. 7. vbi Stephanus coram cunctis sapientibus, ijs que inimicis, Hebræis, inquit Abraham egressum esse de Charan, siuè Aran, postquam mortuus est pater eius, in Chanaam que se transtulisse. Nequit maior oppositio textuum intelligi.

Pro huiusmodi antilogiæ concordia, nil intentatum reliquerunt expositores. Imprimis autem non est audiendus eximius magister Cano de Theolog. locis, lib. 2. cap. 18. inquit enim, Stephano, id quod vulgo solet, accidisse, vt in longa, scilicet, narratione ea que subita, confunderit non nulla & miscuerit, in quibusdam etiam memoria lapsus, in his scilicet, quæ ad rem non attinebant, causæ, quam agebat, solum intentus. Lucas vero historiæ veritatem cupiens retinere, ne iota quidem mutauit, sed rẽ, vt à Stephano narrata fuerat, exposuit. Nos autem, inquit, non Stephanum ab omni lapsu, sed Euangeli stã vindicare debemus. Non inquam, audiendus est. Durum enim est, in Stephano, qui Spiritu Sancto dicitur plenus, & de quo Lucas cap. 6. asserit Iudæos, sapientiæ, & Spiritui Sancto, qui loquebatur in illo, non posse resistere, vel tenuem memoriæ lapsum agnoscere, impietatis que argui videretur, qui vel modicum, eius narrationi, diceret falsitatis subesse, imò non tàm ipsum Stephanum, quàm ipsum Spiritum veritatis in eo loquentem, arguere diceretur mendatij.

Rabbinorum est secunda expositio, Abraham, cum mortuo parente in terram venit Chanaam, fuisse 130. annorum, asserentium, appellari tamen 75. annorum à Mose computante quidem annos non ab ortu ipsius, sed eo tempore, quo à Chaldæis in ignem deiectus, quòd Deus suos colere renuit, per Dei omnipotentiam saluus euasit, & quia tum quod animo do fuit regeneratus Abraham, ideo Moses inde annos connumerauit, quam licet tamquam fabellam respuerit D. Hieronymus, oppressus difficultate, libero animo postea confessus est. Huic autem videtur reclamare Scriptura. Esto namque annos Abrami, non ab initio vitæ, sed à professionis fidei principio, qno Deo viuere cæpit, Moses texuisset, cum cap. 17. Angelo dixit, *putas ne centenario nascetur filius, & Sara nonagenaria pariet?* Non de annis exitus ex Chaldæa, sed de annis cogitabat ætatis. Si enim affirmare vere potuisset, computatione quam admittit preiacta expositio, putas ne seni annorum centum & sexaginta nascetur filius? efficacior esset eius oratio, recurrit ergo, vt admirationem exprimeret prolis, ad annos natiuitatis, qui centum erant dumtaxat. Non ergo computandi sunt dies illius à tempore, quo de flamma ignis euasit incolumis, sed ab ortu & eius natiuitate.

Aliam expositionem tradidit eruditus Andreas Masius capit. vlt. Iosue. Mosem intelligit in riguroso sensu, eo quod historiam Chronologicam contexerit ex professo, vitium autem esset obscuritatis, quod maximum reputatur in eo qui historiæ scribit, si ad tropos Moses recurreret, & aliter ac iacent intelligerentur ver-

ba,

ba. Stephano vero apud virorum doctorum cõcionem, loquenti, ad tropos & figuras à propria significatione licuisse deflectere, in concionibus enim, prophetijs, sermone què familiari, lex est interpretandi Scripturã certissima, licere à propria verborũ significatione discedere. Ex quibus sic conciliantur Sacræ Scripturæ textus. Cum dicit Stephanus Abrahamum venisse in Chanaam, cum mortuus est pater eius, de morte spirituali intelligendus est, ideſt cum Deo per peccatũ spiritu mortuus est, fuit enim primus, si credimus Epiphanio, & Philoni, qui fabricauit, & cultu publico adorauit idola. Quo conciliari textus antilogiæ videntur, Thare enim ætatis suæ 145. Deo spiritualiter mortuus est, 60. annis ante naturalem mortem illius. Quæ expositio vt lenis omnino fiat, aliquibus Sacræ Scripturæ exemplis poterit comprobari. Cũ enim inquit Christus Dominº, *dimitte mortuos sepelire mortuos suos*, quid aliud quam peccatores, & rebus caducis adictos intelligit? Quid, illud Patris de filio prodigo adolescente, *filius meus mortuus est, & reuixit* quid, illud Pauli, cum Colossenses compellat cap. 2. *Et vos cum mortui essetis indelitijs & præputio carnis vestræ*, quid aliud intelligi voluit, quam ipsam idololatriæ mortem, & cæcas illas auitæ gentilitatis tenebras, quibus Colossenses antequam Deus eos vocaret in suum admirabile lumen, fuerant inuoluti. Pariter ergo de morte spirituali Stephanum intelligere cuiuis licebit, præsertim cum ipsa concione quam plura sint, quæ nisi figurate intellecta, difficiliter possunt conciliari cum Mose. Hic frequenter Aram, siuè Charram cum omnibus Geographijs in Mesopotamia cõstituit, ille eã videtur aliter collocare. Negat Stephanus Deum illi dedisse vel pasum pedis, quod nisi hyperbolicè dictum, difficiliter exponetur. Nullus tam en audebit in Mosis historia de nariua significatione, vel modicum verborum libare. Explicandus ergo est sensu translationis, Stephanus non indecoro, ne Mosem obtorto collo rapere in Stephani sententiam teneamur. Non video quid contra huiusmodi expositionem possit opponi, nisi quod in exponenda concione Stephani ab historico natiuo que sensu verborum discedit.

§ II.

Proponitur D. Augustini prima expositio.

VArias tradidit antilogiæ huiusmodi D. Augustinus expositiones, sicque prout postulabat materia proponit, vt nullam refellat, tã in Genes. q. 25. quam lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 15. Præcipua ea est, illis verbis non intelligi posse: quod hoc eodem anno ætatis suæ omnes tres genuerit, sed ex quo anno generare cœpit, eum annum Scriptura commemorauit, fieri autem potuit, vt posterior sit generatio Abraham, sed merito excellentiæ, quia in scriptis valde cõmendatur, prior fuerit nominatus. Quam Maximi Augustini sententiam sequuti Salianus, atque Torniellius, Barrad tom. 1. Concord. Euang. lib. 8. cap. 9. Pontacus in Chron. Eusebij Lyra, Caietanus, Naclantus lib. arcã. Christi, Theodor. Procopius Gazæus in cap. 12. Gen. sic explicant illud, *vixit que Thare 70. annis, & genuit Abraham, Nachor, & Aram*; non quod Abraham anno circiter 70. genuerit, sed quod neminem extribus ante genuerit, quam annum vitæ septuagesimum attigisset. Confirmant exemplo. Genes. enim 5. dicitur. Noe cum quingentorum annorum esset; genuit Sem, Cham, & Iaphet, sensus non est, eos genitos anno sui parentis

tis quingentisimo, constat enim Sem biennio serius lumen vidisse, quia ca. 7. dicitur. Noe sexcentorum annorum erat, quando diluuij aquæ innundauerunt terram, & Gen. 10. Sem erat centum annorum, quando genuit Arphaxad biennio post diluuium. Ex quibus constat, Sem centesimum annum cum parentis sexcentesimo anno concurrere, ac proinde genitum esse, cum Noe duos supra quingentesimum attigisset annos. Cum ergo Moses dicit; Noe genuisse Sem cum quingentorum esset annorum, sensus est, non genitos illos esse, prius quam pater ad quingentesimum annum attigisset. Pari ratiocinio se protegunt illi auctores, vt asserant vixisse Thare septuaginta annis, Abraham que genuisse, sed non indicare Abraham genitum esse anno circiter 70. sed dumtaxat nullum genuisse filium, prius quam annum 70. attigisset, ad summũ que tunc anno 70. generare incepisse, probari, alios vero deinceps post temporum varia discrimina. Tres enim illi non fuerunt geniti ante Thare septuagesimum annum, nec per se credibile est, omnes eodem partu simul vidisse lucem, aliqui ergo post Thare 70. annum sunt geniti, Abrahamum autem dignitatis attento solum honore prius alijs fratribus esse nominatum, dicendum est, sed omnibus natu fuisse minorem. Probabilissimum imo certum reputant hoc opinionis huius patroni, Abraham namque duxit vxorem filiam fratris sui Aram, vt plures etiam, qui ab hac distant explicatione, eamdem esse Saram cum Iescha sentiunt. Quod verificari nequit, nisi Aram senior fuerit Abrahã, iste enim Saram decẽ solum excedebat annis, quia illa erat nonageneria, cum Abraham centum esset annorũ, vt cap. 17. Debuit ergo Abraham esse octo solum annorum, cum genuit Lot, & nouem cum Saram, quod licet Rabbinos Genebrardus sequutus concedat, cuiuis ridiculum apparebit, cum illo tempore vix quemquam genuisse ante trigesimum annum legamus.

Hæc expositio visa est aliquibus dura, neque leniorem exemplum feciſſe reputat Nicolaus Abrahamus, quam impugnat. Quoniam, quamvis impune vnum vel alterum annum vel detrahere, vel admetiri possimus, istas que soleat numerorum, qui vel desunt, vel supersunt, præterire Scriptura minutias, quæ millibus exemplis posset suaderi, si ad numerum rotundum fiat recursus, nil inde similitudinis ad nostrum textum potest referri. Neque vllam hæc continent paritatem. Noe cum quingentorum esset annorum genuit Sem, Cham, & Iaphet, & nihilominus diem Semi natalem biennio protrahimus, quamvis ergo eadem Scriptura Thare, cum esset septuaginta annorum, genuisse Abraham asseruerit, Abrahami diem natalem annis 60. ad patris 130. poterimus pari ratione protrahere. Hæc inquam paritatem vllam nõ habent. Eadem ne ratio duarum ad quingentos, quæ sexaginta ad 70? An si Moses vsurpat quingentesimum pro duobus supra 500. vsurpabit similiter septuaginta pro centum & simul triginta?

Secundo, quoniam si sic licet explicare Scripturam, vniuersæ Chronologiæ vacillabit auctoritas. Si enim cum Moses inquit, quem tot, vel tot annis vixisse, & filios genuisse, sensus non est, filium eo definite patris anno genitum fuisse, sed genitum non fuisse prius quam pater ad id ætatis peruenerit; similiter cum Moses Seth inquit 106. annis vixisse, Enos que genuisse, sensus non erit, quod Enos genitus sit anno 105. parentis sui, sed quod ante illud signatum tempus nõ genitus fuisset, & sic de Enos, cum genuit Chanaam, vnde centum annos admetiri & addere pro suo libito cuiuis

uis licebit. Si dixerit aliquis in annis Thare ſufficientem adeſſe cauſam, Stephani, ſcilicet, verba ex quibus facile exprimi poteſt Abrahami natalis dies obſcure à Moſe aſsignatus, non ſic generationibus alijs, quarum ſeries longa Geneſ. 5. contexitur. Si hæc inquam dicantur, difficultas occurrit. Diſputationis gratia, concionem hanc vel habitam à Stephano vel à Luca litteris mandatam non fuiſſe, faciamus, an omnes in temporum ignorantia iacuiſſent? an omnis retro antiquitas nil habuit ante Stephanum certi quo poſſet Iſraelitici populi Chronologiam ſtabilire? Vlterius. Hanc Chronologiam certam, quo pacto reſciuit Stephanus? reuelatione diuina, an traditione maiorum? noua reuelatione quid opus fuit, qua Spiritus Sanctus Sanctus populo, quem recens in perpetuum abiecerat, Chronologiam omnibus ante ſæculis illuſtraret obſcuram? ſi traditione maiorum, illam Hebræi omnino ignorarunt, cum multa circa illa Geneſ. 15. verba *Ego Dominus qui eduxi te de Vr Chaldæorum* pro ſuo libito confingentes, nemo tamen vnus repertus eſt, qui Abrahamum anno patris centeſimo triceſimo natum eſſe ſomniaret.

Neque alia, quibus ſtabilitur hæc expoſitio, maiori robore gaudent. Imprimis imbecilliter pugnant, cum dicunt: tres illos nec ſimul vnico partu, nec ante parentis ſeptuageſimum annum genitos eſſe. Moſis namque mentem illam intelligunt eſſe, vt vnius Abrahæ diem natalem anno notaret certo, de cæteris autem, quorum ortus impertinens erat ad Chronologiam Iſraelitici populi deſignandam, nil definire, quaſi diceret. Fixit Thare annos 70. & genuit anno ſeptuageſimo Abrahamum, idem Thare genuit Nachor, & Aram, verum quia quoto ætatis anno illos genuerit, nil ad Iſraeliticam Chronologiam ſpectat, ideo de diebus eorum natalibus ſermonem omiſit. Neque quod vrgent de Sara, vllius ponderis eſt. Demus Saram eamdem fuiſſe cum Ieſcha, & filiam Aram ſimiliter fuiſſe, quid tunc? ſi Aram prouectiorem fratre ſuo Abrahamo ſolidis viginti annis fuiſſe dicamus, vnde filiam triceſimo circiter anno ſuſcepiſſe 10. annis Abrahamo iuniorem, cuius auctoritate nos conuincent? Si dicant hoc gratis dictum, etiam ipſos gratis dicere Abraham fratre Aram fuiſſe iuniorem nobis affirmare licebit, cum videamus Abraham natum fuiſſe anno 70. parentis ſui Thare.

Verum, vt defendatur hæc expoſitio, ſatis eſſe ab Aug. non improbari. Neque ex illa, (vt retundatur præcipuum aduerſariorum telum) ſequitur Chronologiam turbari, hæc enim, vt aduertit Henricus Philippus, ab Arphaxad non deducitur ad Abraham per annum 70. Thare, ſed per annum 205. de quo Gen. 11. & Gen. 12. cum enim ibi Moſes, Thare, cum eſſet 205. annis, ad ſuperos euolaſſe, dixiſſet, mox Abrahamum fuiſſe 75. annorum ſubdit, quando Thare vita functo in Chanaam concedebat, vt explicat S. Stephanus act. 7. Non ergo Moſes incertam hoc loco Chronologiam reliquit, tantum abeſt, vt falſam tradat, quamtumvis ab anno 70. Thare Abrahami natalē ſeparemus. Imò ſicut Moſes explicuit annorum ſeriem, ſignando natalem Arphaxad biennio poſt diluuium, quam intricatam reliquerat, ortum Sem, Cham & Iaphet ad annum 500. Noe referendo, ita ex eo quod annum 75. Abrahæ adiungat ad 205. Thare, ſatis declaraſſe videtur, quod obſcure dixerat, narrando Thare vixiſſe 70. annos, tum Abraham, Nachor, & Aram genuiſſe.

(..)

§ III.

Alia expositio proponitur & defensatur.

VLtimam, quia Augustini tàm Genes. quàm lib. de Ciuitat. Dei, amplectimur expositionem. Sic ergo Stephanum cum Mose conciliat. Non ait Stephanus; postquam mortuus est Thare exijt Abraham de Charra, sed inde postquam mortuus est pater eius, transtulit in terram istam, in qua nunc vos habitatis. Intelligendum est igitur locutum Deum fuisse cum Abraham in Mesopotamia existente, priusquam habitaret in Chanaam, sed eum in Charram peruenisse Dei apud se retento præcepto, & inde exisse 75. sui anno, Thare vero 145. anno. Collocationem eius in terram Chanaam, non profectionem de Charram post mortem parentis factam esse, quia parens iam mortuus erat, quando emit terram, cuius ibi iam suæ rei cæpit possessor esse, intelligendum est. Exquibus sic constat expositio. Deus apparuit Abrahæ, cum in Chaldæa esset, quam Mesopotamiæ nomine credunt significari expositores Act. capit. 7. & fuisse quondam Mesopotamiæ attributum ex Plinio annotauit Petauuius. Deus igitur apparuit Abrahæ, cum esset in Chaldæa, quam Latinus interpres Haram appellat inueteri testamento. (Authores profani Charram dixerunt vrbem M. Crasi morte memorabilem) Exiuit ergo de Chaldea & habitauit Abraham (Deo sic præcipiente) in Charram, non tamquam stabilem in ea sedem fixurus, sed præstolaturus ibi reuelationem diuinam, qua Deus illi terram possidendam manifestaturum promiserat. Ei se Thareus pater, & Loth fratris Aram iam defuncti filius comitres addiderunt, cum eo aliquantisper in Haram habitantes, paucis diebus, vt placuit Augustino, vel quinquenio, vt Hebræis. Ibi iterato diuinæ vocis oraculo, monstrata quæ sibi terra Chanaam, in eam profectus est, inibique mansit, non tamquam inquilinus, quasi rerum suarum domicilium eo transtulisset, sed potius tamquam hospes & peregrinus, & vt dicitur ad Hebræos, capit. 11. fide demoratus est in terra promissionis tamquam in aliena in casulis, vnde patrem grandæuum identidem officij causa reuisebat, donec tandem iam patre mortuo sexagesimo post primam profectionem anno, Deus illum, vt ait Stephanus, transtulit, ibi que collocauit, vel si licet sic loqui, transdomauit, duobus enim annis post mortem Thare, Sara quoque communi necessitati concesit, & Abraham agrum 400. siclis ab Ephron Æthæo sibi comparauit. Vnde optime dici potest, tunc primum in Chanaanitide fortunarum suarum domicilium. Sic Nicolaus Abraham. Quæ constant ex Diui Aug. locis iam citatis.

Sed varie ab expositoribus expugnatur ista profectio. Bonfrerius sic impugnat primo. Diuus Stephanus namque loquitur de illa profectione, quæ contigit anno 75. Abrahæ, & hanc post mortem Thare dicit Abraham fecisse. Et ratio est, quia dicit Stephanus, quod postquam eum ex Charram Deus transtulit in Chanaam, terram istam ei & semini eius promisit in possessionem, eamque promissionem factam ipsi, cum nullum haberet filium dicit Stephanus, sed anno Abrahæ 135.

quo factum egressum censent exitum que Abrahæ de Charram, de quo Stephanus loquitur, iam Isaacum susceperat filium Abrahamus centenarius dumtaxat, eiusque ortum repromissiones omnes præcesserant, vt ex S. Stephano, & totius serie Mosis narrationis constat aperte. Non ergo intelligi potest de profectione facta sub annum 135. Abrahæ.

Hanc obiectionem maxime extollunt contrarij, verum si attente legatur Stephanus, nil roboris confert in sui faborem. Duo enim & quidem apud omnes comperta dicit Stephanus, & quod Thareus mortuus erat, priusquam Abraham suarum rerum domicilium in terra promissa, certo non reuertendi consilio, collocasset, & quod repromiserit illam in possessionem, & semini eius cum non haberet filium. Hoc libenter concedimus. Sed quis inficiari potest hanc promissionem factam Habrahæ anno 75. prius quam liberi nascerentur, contrarijs autem, si aliquid authoritate Stephani suadendum, hanc promissionem factam esse, postquam Thareus pater diem obierat extremum, quo tempore filios Abraham habere non inficiabor, probandum erat, sed hoc neque apparenter suadere facile erit.

Propulsat vlterius hanc expositionem Bonfrerius. In prima enim, quam nos concedimus, profectione, fuit profectus solus Abraham, an cum omnibus? quærit, si solus relicta Sara, & familia tota apud patrem per annos 60. quomodo ex Sara in terra Chanaam genuit Isaac? Si cum Sara, Lot. & tota familia [illegible]uit in terram Chanaam, quando reuisebat parentem, vbi familiam deserebat? Cui cõmittebat vxorem? Verum hæ percunctationes nimis curiosæ sunt, vt inquit Nicolaus Abram. Quibus respondet, solum teneri nos scire, quæ constant ex textu, ex quo habetur, quod septuaginta quinque annorum erat Abraham, cum egredetur de Haram, tulit que Saram vxorem suam, & Lot filium fratris sui, & vniuersam substantiam, quam possederant. An autem reuiseret parentem, solus an cum vxore? Non erit ignorantia, nescire, sicut an Euphratem ponte, nau, natatione, equo traiecerit, aut asino? Omnes enim quæstiunculæ istæ impertinentes omnino sunt.

Adhuc impugnat Bonfrerius, quia Genes. capit. 22. dicitur nunciatum esse Abrahæ, quod Melcha quoque genuisset filios Nachor fratri suo. Ad quid ergo nuncius; si Abraham eos reuiseret, & præsens hæc spectare potuisset. Verum hoc non vrget, potuit enim frater Nachor occasione alicuius filij recens nati, seriem omnium contexere, licet non ignorauerit illos, siue vt eum certiorem faceret omnes superstites esse; siue vt fratri familiariter exprobaret, quod ille Deo cœli mancipatus, dumtaxat susceperit filium vnum vel alterum, cum ipse seruiens idolis duodecim liberos obtinuisset, vel quia non scripsit, (multis enim post Abraham sæculis vsum epistolarum repertum Clemens Alexandrinus memoriæ prodidit.) sed nuncium misserit, qui iussus vnius vel alterius ortum nunciare, reliquos adiecit de suo, licet non incognitos Abrahæ. Aliam tradit Augustinus expositionem. Potuit enim Abraham ignorare, quid cum fratre Nachore ageretur in Chaldæa, licet patrem residentem in Mesopotamia reuiseret, desciuerat enim Nachor, teste August. à paterna pietate & fraterna, & ad

hæſerat Chaldæorum ſuperſtitioni,& poſtea inde ipſe pœnitendo emigrauit.

Non abſimilis roboris eſt argumentum à coniecturis, quo iſtam expoſitionem repellũt alij. Seruus enim ad quærendam coniugem Iſaaco miſſus in Meſopotamiam, multa de domini ſui diuitijs, tamquam Bathueli & Labano incognita retulit. Si ergo ad illos profectus erat Abraham, ex ipſo reſcire potuiſſent. Secunda coniectura eſt. Si namque profectus eſſet ad ſuum parentem Abraham, quomodo Moſes, qui omnia Abrahæ aſſectat⁹ eſt veſtigia, nullam huius rei fecit in ſua hiſtoria mentionem? Vt quid de tot profectionibus tam altum ſilentium? Denique, quoniam ſi attente legamus Apoſtolum, reperietur docere, Abrahamum cum ſuis in terra Chanaam habitaſſe vt peregrinum, & cum haberet tempus reuertendi ad ſuos, numquam reuerſum eſſe, imò ne de patria quidem cogitaſſe.

Sed hæc omnia leuis eſſe armaturæ apparebit. Et imprimis licet Abrahamus parentem pluries reuiſerit, potuit de diuitijs ſerius plura narrare, vel quia non fuerit facultatum ſuarum magnus iactator Abraham, vel quia in nuptijs, cum quærũntur conditiones, plenis buccis etiam apud gnaros procantum opes & diuitiæ prædicentur. Ad ſecundum pariter reſpõdet Nicol. Abrah. Hebræis enim ſcribebat Moſes, quibus promiſerat Deus terram Chanaam, vt hiſtoriæ Sacræ monimentis eruditi legerent Patriarchæ Abrahæ veſtigia, ea que loca viſerent religioſe, quæ ipſe ſua conſecraſſet præſentia. Plinius ſic ſuum imperatorem affatur. ¶ Venit ergo tempus, quo poſteri viſere, viſendum que tradere minoribus ſuis geſtient, quis ſudores tuos hauſerit campus, quæ refectiones tuas arbores, quæ ſomnium ſaxa protexerint, quod denique tectũ magnus hoſpes impleuerit ¶ Si Romani caſam Romuli ſtramineam, gemmis auro que opertam tanta religione coluerunt, quid putas animi Iudæos habuiſſe, cum longo poſt tempore viderent, & recognoſcerent, indicante Moſe, loca patriarchæ non tàm pedum qàm virtutum impreſſa veſtigijs? hic tabernaculum fixit, hic altare erexit, & ſacrificauit. Hoc videns Moſes, voluit ſuorum fouere pietatẽ, hiſtoriamque ſcribens, omnia Patriarchæ in Chanaã veſtigia aſſectatus eſt. Cur autem in deſcribendis profectionibus ad patrem, & Meſopotamiæ locis eius illuſtratis præſentia, nõeãdẽ diligentiam haberet, cauſæ nihil habebat, tum quod ſciret, Meſopotamiã non eſſe promiſſam Hebræis, tum quod ipſo tacente res poſſet facile intelligi: Non enim videtur credibile, vt Tornielli verbis vtar, quod Abraham vir pijſsimus ad inuiſendum parentem tandiu proficiſci neglexerit. Hoc autem ſilentij argumentum debile eſſe in Scriptura probauimus, cum Præadamitam repelleremus, vt inquit enim Auguſt. de Ciuit. Dei cap. 2. ſi omnia commemorentur, nimis longum foret, & hoc eſſet magis hiſtorica diligentia, quam prophetica, prouidentia. Quot bella gigantes illi potẽtes à ſæculo viri famoſi geſerũt? quot vrbes condiderunt & regna? De his apud Moſem quæ mentio? Nulla quidem ſicut in noſtro argumento! Neque teſtimonium Apoſtoli quid roboris habet. Sic loquitur ad Hebræos 11. *Fide, qui vocatur Abraham, obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem, & exijt, neſciens quo iret*: Exquibus colligunt, eũ, cum haberet tempus reuertendi, ad ſuos nũquã reuerſum fuiſſe. Addit Apoſtolus. *Fide demoratus eſt in terra promiſsionis, tãquam in aliena in caſulis*. Hæc ſumma verborum. Quod hic indicat verbum, quo dicere velle probetur, eum ne de patria,

qua

qua exierat, cogitaſſe, imò niſi grauiora ſuppeterent argumenta, hinc poſſemus etiam concludere, de patria cogitaſſe, quorſum enim in Chananitide morabatur tamquam in aliena, niſi quia ſe peregrinum & hoſpitem eſſe ſentiebant ſi peregrinus & hoſpes, citra controuerſiam de patria cogitabat. Non ergo ipſis vllum patrocinium adducit Apoſtoli teſtimonium.

Sed contra geminam profectionem ſtatutam à nobis noua ſupereſt difficultas, tranſlatum enim Abrahamum & collocatum diximus cum Auguſtino Stephanum explicantes, cum ſecundo ab obitu Thare anno emit agellum & ſpeluncam duplicem in terra Chanaam, cuius ibi tunc ſuæ rei cœpit poſſeſſor eſſe. Sed ſi legatur Stephanus, negare videmus expreſſe eum in terra Chanaam, etiampedis paſſum habuiſſe. Auguſtinus q. 57. in Gen. ab hac difficultate nos expedit duplici via. Cum dicit Stephanus, *non dedit illi hæreditatem*, ea eſt intelligenda hæreditas, quam Deus munere ſuo fuerat daturus, non empta pretio, quare dici poteſt Abraham tranſlatum, collocatum que fuiſſe in Chanaam, cum illius agelli tamquam ſui rei cœpit eſſe poſſeſſor, quamvis eum non hæreditatis nomine, ſed emptionis pretio poſſideret. Vel tandem collocatum Abrahamum fuiſſe, cum longo poſt obitum patris temporis interuallo natus eſt Iacob, ad cuius vnius ſemen terræ illius hæreditas pertinebat.

Exquibus omnibus facile conciliatus Stephanus manet cum Moſe, ſtatutis duabus profectionibus illis, altera, cuius meminit Moſes, nuda ac ſimplici ſine certo manendi conſilio, altera, qua ſtabilem fixamque in Chananitide ſedem collocauit, quam Stephanus refert, hanc poſt obitum patris anno Abrahæ 125. alteram anno 60. ante Thare mortem, & 75. Abrahæ conſtat contigiſſe.

Geneſ. cap. 11. Semerat centum annorum, quando genuit Arphaxad biennio poſt diluuium, quæ innundatio integro durauit anno. Ex quibus infertur Sem non fuiſſe centum annorum tempore diluuij.

Gen. cap. 5. v. vltimo. Noe vero dicidicitur, cum quingentorum eſſet annorum, genuiſſe Sem, Cham, & Iapheth, Gen. 7. Noe dicitur fuiſſe ſexcentorum annorum, quando diluuij aquæ innundauerant terram. Exquibus deducitur: Sem cum incepit diluuium, fuiſſe centum annorum.

---

§. L.

Conciliatur antilogia.

EX texibus noſtræ antilogiæ certum eſt Sem genitum fuiſſe cum Noe eſſet quingentorum annorum, quare Moſes in fine huius quinti capitis recenſuit filios Noe, non quod omnes illo anno quingenteſimo nati fuerint, ſed quod ante illum annum quingenteſimum vitæ Noe, nullus eorum ſit progenitus, quia cum iterum eos genitos memoraret Moſes, nullam temporis mentionem fecit, ſolum que retulit eorum natiuitatem intra hoc ſæculum contigiſſe. Merito autem inter antiquos

patriarchas recenſentur Sem, Cham, & Iapheth, quia per hos vniuerſum genus humanum, à generali diluuio ſeruatum, reſtauratum, & propagatum eſt. Iure etiam additur *Noe cum quingentorum eſſet annorum* quia cum nullus ex præcedentibus patriarchis fuerit poſt ducenteſimum ſui parentis natus: hi tamen tres filij Noe non prius ſunt procreati, quam eius genitor quingenteſimum attingeret annum, differentia notabilis eſt, vt in laudem Noe continentia merito Sacrarum litterarum monimentis ſignanda fuerit.

§ II.

Difficultates huius expoſitionis eneruantur.

DIfficilis redditur ſimilis textuũ concordia, primò, quia eodem modo intelligi poſſent, quæ de alijs patriarchis habentur. Adamum nempe non genuiſſe Sethum ante quã eſſet centum & triginta annorum, ſed poſtea, & ſic tota Chronologiæ machina rueret. Verum maxima eſt differentia, quia in alijs mox adiungitur, quot annos prole genitâ parens vitam produxerit, quot denique totius vitæ periodum abſoluerit: quod non fit in noſtro textu; verbi gratia Adam dicitur vixiſſe 130. annos prius quam Seth naſceretur, inde octingentos totius que vitæ ſpatium 930. annis comprehenditur. Ordo vero temporis Noe ad diluuium deducitur, tum à diluuio ad Arphaxad, nam imprimis ponuntur anni 600. vitæ Noe, finiente diluuio Gen. 7. ver. 10. adiuncto cap. 8. ver. 13. deinde numerandi anni 350. quos Noe poſt diluuium tranſegit Geneſ. 9. v. 28. ac tandem ſumma totius vitæ colligitur 950. annorum, ibidem verſu 29.

Secunda difficultas eſt quia colligitur ex concordia textuum, aut Sẽ non eſſe trium, nempe Cham, & Iapheth natu maximum, aut nullum ex illis eſſe anno 500. Noë genitum; quorum vtrumquè videtur abſurdum.

Rab. Eliezer Aſquenazi, vno & eodem partu natos fuiſſe Sem, Chã, & Iapheth, ſed prius in lucem editum Sem, expreſe tradidit. Cũ ergo quingentorum eſſet annorum Noe completorum, & plures haberet menſes genuit filios, ſed nondum natos vſque ad annum 501. diluuium incepit cum iam haberet 600. annos Noe, vnde Sem poſt duos annos initij diluuij genuit Arphaxad, & habuit centum annos initio anni primi diluuij, poſt vnum enim completum, & alĩ inceptum habuit centum annos Sem, vel ad minus tetigit centeſimum annum.

Abulenſis, Lyranus, & Rabbi Salomon Iapheth putauerunt natu maximum, Cham medium, minimum autem Sem, vnde Noe anno 500. genuit Iaphet, Chamum 501. ac denique Semum 502. qui ſic centenarius biennio poſt diluuium inuenietur. Quod prius Scriptura memoret Sem, quam fratres ſuos, non arguit (inquiunt) quod maior ætate ſit, ſed quod primus dignitate, meruit enim eſſe Rex Ieruſalem, & vocari Melchiſedec, ideſt Rex iuſtitiæ, cui primus obtulit decimas Abraham. Vnde illud Geneſ. 25. *Iacob autem vir ſimplex habitabat in in tabernaculis Sem*, explicant Rabbini, ideſt in ſcolis Sem, Cham vero vocabitur minor propter vilipendium, quo vſus eſt in parentem, quod lucem accipit ex Gen. c. 10. vbi primo loco referuntur filij Iaphet, & Cham, quam liberi Sem, Aben Ezra ait: vidit verẽda patris, ſed filius eius Chanaam aliud peius patratus fuit ſcelus, quod ſilentio committit Scriptura. Vnde illud, *cum didiciſſet, quæ fecerat filius eius minor*. Non ad Chã ſed ad filium eius minorem referri debet, & ſic maledictio, non Cham, ſed fi-

filium eius Chanaam comprehendit. Vnde Cham Sem minor natu non fuit.

Tenendum autem eſt cum Vulgata, Sem maiorem natu fuiſſe Cham, & Iaphet. Ad difficultatem ergo dicendum, vel Noe non cœpiſſe generare anno ſui 500. preciſſe, ſed 502. eoque ipſo anno Sem eſſe genitum, obidque biennio poſt diluuium fuiſſe centum annorum; vel Sem illo anno poſt diluuium, quo genuit Arphaxad, non fuiſſe centum annorum preciſſe, ſed centum & duorum, cum Sacra Scriptura minutis numeris prætermiſsis rotundum numerum dumtaxat ſoleat commemorare, ſic Petauius lib. 9. c. 17. Exquibus certum eſt anno quingenteſimo Noe nullum filium natum eſſe, ſed velle ſolum Scripturam hos tres filios natos fuiſſe poſt quingentesimum annum Noe. Neque Sem maiorem eſſe natu fratribus ſuis, ea ſola cõiectura, quod Sem prius nominauerit Scriptura, cenſeo, licet ſuadeat noſtram ſententiam, quod Noe in benedicendis filijs Semum Iaphet prætulerit, vt primogenitum, aut natu maiorem. Sic enim Iacob in benedicendis filijs à Ruben inchoauit primogenito, quamvis is peccatis ſuis primogenituræ amiſerit iura. Iacobum imitatus eſt Moſes, quod conuincit illa cum patre Ioſephi diſputatio. *Non ita conuenit pater, quia hic eſt primogenitus.* Sed ea potius ratione, quod cum de Iapheto dumtaxat poſsit eſſe dubitatio, expreſſe Scriptura vocat Semum Iapheto maiorem, ſicut vertit Tigurina, & vtraque Chaldæa Paraphraſis.

Geneſ. cap. 11. Dominus deſcendit vt videret.

Deus omnia videt, & loco non mouetur.

Chryſoſ. ¶ Vide, inquit, quomodo more humano Scriptura loquitur, non vt humano more intelligamus, ſed vt per hoc erudiamur, numquam temere fratres condemnandos, neque auditu ſolo iudicandum. ¶

Geneſ. 12. à promiſsione Abrahæ vſque ad legem Moſi datam fuiſſe videtur 645. annos, Abraham enim 75. erat annorum cum hæc facta fuit illi promiſsio, vnde vſque ad deſcenſum in Ægyptum 215. fuere anni, ab ingreſſu vſque ad exitum 430. Exod. c. 12. adde dies ab exitu vſque ad legem datam.

Paul. ad Gal. 3. Hoc autem dico, teſtamentum confirmatum à Deo, quæ poſt quadringentos annos facta eſt lex, non irritum facit ad euacuandam promiſsionem.

PLura de hac antilogia Exodi 12. Pro nunc autem dicere ſatis eſt, quod vis argumentandi D. Pauli neceſſario exigit vt illud, *Poſt quadringentos triginta annos* ad promiſsionem Abrahæ referatur. Vnde incongrue ad annos habitationis Hebræorum in Ægypto referretur, cum benedictio gentium, nõ per legem, ſed per ſemen Abrahæ expectanda eſſet. Vnde

de ab exordio mundi vſque ad diluuij hominum generalem cladem anni ſunt 1656.vt patet ex cap.5.Geneſ. A diluuio vſque ad Abrahæ ortum, anni 202.Geneſ.11.à natiuitate Abrahæ vſque ad egreſſum Hebræorum, ſiuè vſque ad legem Moſis 430. Non niſi 215 annis fuit populus ſub Ægyptiaca afflictione, de quo Exod. 12. Ab exitu vſque ad templi fabricam 480. 3.Reg.6.A quarto anno regni Salomonis vſque ad captiuitatem Babylonicam, Sedechia guberbante, 430. ex 3.& 4.Reg. Hinc vſque ad eorum libertatem, ſub initium regni Cyri, 70. anni, 2.Par.c. vlt. 1.1 Eſdræ 1. Ierem. 25.

Initium 430.annorum de quibus Paul.à prima promiſsione Abrahæ, cum dominus dicit, *Inte benedicentur omnes cognationes tterræ*, (præter iſtam enim, alias duas terræ Chanaam refert Moſes c.12.& 13.& Gen.22) ſumi debere conſpicuum eſt. Quamvis autem in ea promiſsione expreſſe nõ fiat mentio ſeminis Abrahæ, de qua maxime loquitur Paulus, implicite tamen, cum dicit, *Inte benedicentur*, ſemen eius ſignificatur, aliter enim, ſi ad perſonam Abrahæ, & non ad ſemen eius, qui eſt Chriſtus referrentur verificari nequirent. Vide Exod. cap. 12.

Ex Geneſ.12. Septuaginta quinque annorum erat Abraham cum egrederetur de Haram. Egreſſus autem eſt poſt mortem patris ſui Thare.

Geneſ.11. Abraham natus eſt anno 70. patris ſui, qui vixit 205. annis.

Vide antilogiam conciliatam in cap. Geneſ. 11.

Geneſ.12. Vocauit que Pharao Abrahæ.

Quomodo ſuperſtes ad tempora Moſis 430. ſcilicet annos, vt præcedenti antilogia Pharao.

AD hæc audi B. Hier. ſuper illa verba Ezech. cap.19, *Pone faciem tuam contra Pharaonẽ*. ¶ Cæterum illud (inquit) vel maxime requirendum eſt, vtrum ipſe ſit Pharao, qui in Exod, Iſaia, & Ieremia, & Ezechiele, & in Canticis Cãticorũ nominatur: an alius, atque alius? Videtur mihi non eſſe vnus, ſed apud Ægyptios hoc vocabulo demonſtrari regiam dignitatem: ſicut apud Romanos Cæſares & Auguſti appellantur eorum imperatores à primo Caio Cæſare, & à filio eius ad optiuo Octauiano, qui poſtea Auguſtus eſt nominatus: quemadmodum etiam apud Syrios Antiochi: apud Parthos Arſacidæ, apud Philiſtijm Abimelech, & poſt Alexandrum, in Ægypto reges dicebantur Ptolomæi vſque ad Cleopatram, qua victa apud Actium, Ægyptus Romana eſt facta prouincia. Ergo in præſentiarum aduerſus vnumquemlibet regem Ægypti ſermo fit Domini. ¶ Hæc Hieron. Ex quibus ad noſtram antilogiam. Vide Ioſephum lib. 8. antiq. Herodotum in Euter.

Ex geneſ. 13. Omnem terram, quam conſpicis, dabo tibi.

Non poterat conſpicere omnem terram, quam ipſi ab Aquilone ad Meridiem, ab Oriente ad Occidentem conceſit.

FAcilis eſt ſolutio. Diſtincte namque non vidit omnem terram Chanaam ab eius poſteris poſſidendam, ſed confuſe omnes illas ſpectauit ſecundum quatuor poſitiones cœli. Auſtralem, verſus Ægyptum, Aquilonarem verſus Syriam, Orientalem, verſus terram, quam poſtea poſſederunt Moabitæ, & Madianitæ, Occidentalem, verſus mare Mediterraneum. Vide D. Aug. quæſt. 28. ſup. Geneſ.

Ex geneſ. 13. Omnem terram, quam conſpicis, tibi dabo.

Actum c. 7. dicitur quod non dedit hæreditatem in ea, nec paſſum pedis.

PAſsim, ea quæ aliquibus promittuntur, in poſteris eorum adimplentur Iſac benedicens Iacob, inquit: *Incuruentur ante teſilij matris tuæ* Gen. 26. Quod impletum eſt in Idumæis poſteris Eſau, & ſeruis Hebræorum poſteris Iacob, non autem in ipſo qui ſepties incuruatus adorauit Eſau Geneſ. 33. Diuidam eos (inquit ſcriptura de Simeone & Leui Gen. 49) in Iacob, & diſpergam eos in Iſrael, quod non in ipſis, ſed eorum poſteris verificatum eſt. Eris ſeruus fratrum tuorum dicitur Geneſ. 9. de Chanam, quod ſolum in Gauaonitis, qui de eius ſtirpe procedebant, impletum eſt.

Ex geneſ. 13. Omnem terram dabo tibi in ſempiternum.

A Meſia occiſſo illam amiſſerunt, vt conſtat.

VArie ſumitur vocula hebræa (*holam*) quæ correſpondet voci in æternum. Quandoque ſignificat veram æternitatem, durationem ſcilicet ſine termino atque principio. Vt Pſal 89. A ſæculo, & vſque in ſæculum tu es, Hebraice eſt *holam* Aliqnando longiſsimum tempus, vt Genſ. 6. & Pſal. 76. Aliquando tempus vniuerſæ vitæ hominis ſignificat, vt Pſal. 88. miſericordias Domini in æternum cãtabo. Aliquando ponitur ad exprimendum tempus iubilæi, quinquageſimo anno celebrati, vt Exod. 21. Deut. 15.

Exquibus colligo *holam* non sẽper ſignificare veram in rigore æternitatem, vnde frequenter apponi ſolet poſt vocem holam particula vltra, vt Exod. 15. Dominus regnauit in æternum, & vltra. De quo D. Thomas, 1. p. quæſt. 10. artic. 2. ad 1. & Ianſenius in Cantic. Moſis. Dicimus ergo impræſentiarum, quod terra Chanaam in definite promiſſa Hebræis ab illis poſſeſſa eſt per 1600 anos, & amplius, ideo

in

in æternũ poſſeſſa dicitur, ſumpta voce holam prout longiſsimum tempus ſignificat. Vide antilogiam primam in capit.15.Geneſ. Lyranum ca. 51. Exod. Thomam Anglicum, D. Aug.lib. contra Priſcillian cap. 5. & lib.16.de ciuit·Dei ca. 21.& 1. quæſt. in Geneſ.quæſt.31.Caiet. & Abul.c. 13.in Gen.& cap. 17.in Gen. vbi nos de legis Moſis æternitate.

Ex Geneſ.14.Percuſſerunt omnem regionem Amalecitarum.

Gen.26. Non erat, Amalec, qui fuit auctor gentium illarum, fuit nepos Eſau.Geneſ.26.

Amalecitas appellat per anticipationem, qui habitabant in Meridiana parte terræ promiſsionis, vt Num.13.in Arabia non procul deſerto Pharan.

Ex Geneſ.14.v.10.Rex Sodomæ in bello cecidit.

Eodem capite Sodomorum rex obuiam occurrit Abrahæ victori.

NVgæ ſunt, Hebræorum ea quæ hic referunt Rabbini, explicantes de lapſu in puteos bituminis, illud *cecidit*, inde tamen incolumem egreſſum. Vnde illud *cecidit* non ad reges Sodomæ, & Gomorrhæ referendum eſt, ſed ad eorum exercitum, cuius magna & maior pars illic ceſa eſt, vnde non interijſſe duos illos reges explicat Scriptura, cum inquit *ceciderũt*, ſed caſum exercitus quinque regum.

Geneſ. 14. Perſequutus eſt eos vſque Dam.

D.Paulus Act.22.Principibus inquit non maledicendum.

§ I.

Proponitur prima expoſitio, Dauid, Machabæorum, & Pauli Act. 22. facta expenduntur.

ADmodum credibile eſſe. ¶ Inquit Thomas Anglicus, Regẽ Elamitarum, & eius auxiliares Pentapolitas per vim, & tyranice tributarios feciſſe eos, quibus eſt auxiliatus Abrahamus Principem autem, qui innocentem inſultat, Principem ipſa actione eſſe ceſſare, defendit Vaz.lib.1. contra illu.18. Tyranum autem Principem interficere quemquam poſſe Buſchanus, Iunius Brutus ſentiunt, D. Thomas in 2.diſt.44. quæſt.2.art.2.ſententiã Ciceronis, deijs, qui coniurati Iulium Cæſarem occiderunt, approbat, id que decere fortiſsimos viros, & nota nobilitatis inſignes. Cum autem vicinus eſſet Pentapoli ciuitati Abrahamus, non tàm Lothi ſanguine iuncti, quam Pentapolitarum vindicauit iniurias, tanto enim honeſtius eſt alienas, quam ſuas vindicare iniurias, quanto in ſuis magis metuendum, ne quis doloris ſui ſenſu, aut modum excedat, aut animum quidem inficiat. Ideo Hercules prædicatus eſt ab antiquis, quod Antæo Buſyride, Diome-

de,

de,& similibus tyranis liberauit terras,quas,vt Seneca loquitur, transijt non concupiscendo, sed vindicando, & iniustos puniendo. Sic loquitur de eo Diodorus Siculus, homines iniustos,& reges insolentes tollendo beatas reddebat ciuitates, laudatur similiter Thæseus,quod latrones insignes substulerit. Sicut ergo de Persis, quia deterioribus, dixir Arist. naturale in eos esse bellum, sic de quolibet viro insigni virtute que & robore illustri, qualis erat Abraham, in exitium Regum illorũ qui Pentapolitarũ regionẽ inuaserant,in tendere iure potuisse dicẽdũ. Auctores,qui ita discurrũt eo tendunt, vt in populo contra Principem & potestatem supremam,aliquid iuris constituant,quo,in aliquem reipublicæ virum insignem,refuso,ab illo Princeps mulctari possit, si rempublicam,& leges inuadat.

Mouet ipsos, quia vt Diodorus, & Genophon iam notarunt, reges apud Persas,secundum leges imperaturos iurabant, & idem de regibus Ægyptiorum tradidit Diodorus lib. 17.quod si contra feciſſent post obitum Regum,eorum accusabatur memoria & damnatis solemnis sepultura priuabatur. Quo tendit illud Traiani, cum Præfecto Prætorio pugionem tradidisset,dicentis.Hoc,prome vtere,si recte impero,si male, contra me,ideo Pausaniam Lacedæmoniorum regem,quia in rempublicam, leges que deliquisset, non solum à regno repellere,sed morte puniri, liberrime arbitrati sunt. Apud Hebræos idem accidisse, neque apud populum omnimodam independentiam reges habuisse,constat,cum plura iudicia penes 72. virorum Synedrium, quod ad Herodis vsque tempora perpetua coaptatione durauit,qualia de Pontifice & de Propheta,fuerint, vt patet ex Ieremia,quem cum proceres ad mortem deposcerent, respondit rex,ecce in potestate vestra est, nam contrà vos rex nil potest. Ierem. 38. Imò & qui alia quauis causa apud Synedrium reus factus est,rex eorum iuditio eximere non poterat. Ideo Hyrcanus iuditium de Herode,cum impedire non posset arte elusit apud Iosephum antiq. 14. Dauid etiam,qui testimonium gerit(aliqua si excipias à Deo expræsse exprobata) vitæ secundum leges exactæ, armatos circumse quadringentos, ad vim arcendam, damnum que Sauli inferendum præparauit. Eodem respicit Machabæorum notissimum factum,qui arma aduersus Antiochum sumpsere. D. Paulus Acto. 22. Summo sacerdoti, à quo vexabatur,*Percutiat te Deus paries de albate*,sic maledixit. Si ergo verbis ferire summam dignitatem nõ dedecet Paulum,armis licebit etiam percutere regem in populum grassante tyranide.

§ II

Impugnatur huiusmodi expositio, & expenditur quid populus in Regem, iure Gentium, Mosis, & euangelico inspectis possit.

SEd quid periculosius, ista expositione doceri non video, dominia namque sicut & imperia delinquendo non amittuntur, nisi lex id statuat,quæ neque reperitur, neque credo repertum iri, summam namque confusionem induceret,si priuata præsumptione,aliqui Summæ potestati attentarent necem, multis namque, inquit D. Thomas de reg. Princip. solet esse graue dominium non minus regum, quam tyranorum, quia secundum sententiam Salomonis disipat impios rex sapiens. Magis igitur ex eiusmodi præsumptione reipublicæ toti deamissione iusti regis periculum immineret, quam remedium de substractione tyrani. Bene Horatius, ¶ Regum timendorum in proprios greges, reges in ipsos imperium est Iouis. ¶

Quid

Quid de iure gentium.

In regem etiam tyranice gubernantem, nil iuris accesisse populo, ipsa politica ratio conuincit, quia fieri potest vt respublica malit inuasorem in possessione relinqui, quã occasionem præbere periculosis & cruentis motibus, plerumque ex tyranis interfectis sequutis, & grauioribus quidem ipsa tyranide Flor. de Sullæ actis ¶ Expediebat ægræ quasi saucie que reipublicæ requiescere quomodocumque, ne vulnera curatione ipsa rescinderetur. ¶ Vnde tot oppressæ reipublicæ calamitatibus recurrendum est ad regem supremum, & Dominum regum, qui adiutor est in tribulatione, in cuius manu cor regum est, ipse enim misertus clamorem populi, Pharaonem cum exercitu suo proiecit in mare, qui promittit per Isaiam se requiem daturum populo suo. Synodus Constant. sess. 15. articulum istum damnat, licere nempe cuilibet vasallo propria auctoritate tyranum interficere regem.

Id autem, quo se protegunt, apud populum supra Principem dominium manere, eo quod secundum leges promiserit gubernare, a simili patris familias conuincitur falsitatis, qui si quid familiæ promisserit, quod ad familiæ regimen pertineret, non eo in suam familiam ius summum amittet, licet promissis non steterit (illicitum fateor actum) Neque aliquid dominij in regem inducit, quod acta quædam regis ipse noluerit fore rata, nisi a senatu, aut alio cœtu probentur. Rex erat, qui dicebat proceribus Persarum. ¶ Ne viderer meo tantummodo vsus auxilio, vos contraxi, cæterum memontote, parendum vobis magis esse quam suadendum. ¶ Sic apud Iust. lib. 10. inter Persas autem rex prius iurabat, cum regnum adiret, & leges quadam forma latas mutare illi erat nefas. Ad illud de Traiano, vt ex Plinij Panegirico apparet. Id vnice curauit rex, nequid regiũ ostentaret, sed principem verum gereret, qui proinde subesset senatus, populi que iuditio, quorum sententias exequi præfectus deberet etiam in Principem ipsum. Simile de Marco Antonio, qui publicam pecuniam attingere noluit nisi consulto senatu, sed inde sancta, & honesta principis, non absoluta potestas in populo licebit inferri. Neque iubat à Lacedæmonum populo suum interfectum regem, apud Lacedæmones namque tota considerabatur potestas, nulla apud regem fere, solo tamen nomine reges erant, sicut in republica Athænienſi post Lycurgum præcipue, Polybio & Plutarcho auctoribus. Qvale olim Vandalorum regnum in Africa, & in Hispania Gothorum, cum pro libito populi deponi, & si displicerent, puniri possent. De his autem, qui potius auctoritate suadendi, quam summo imperio rempublicam regunt, lis controuerteretur otiose.

Quid de iure Hebræorum scripto.

Quod autem populus supra regem nil habuerit dominij iure Hebræorum scripto, extat in dictis Rabbinorum titulo de *iudicibus*, hæc sententia. Nulla creatura iudicat regem, sed Deus benedictus. Samuel etiam lib. 1. Reg. ius regium exponens, satis ostẽdit aduersus regis illatas iniurias, nullam in populo relictam potestarem. Sic explicat illud Psal. Hier. lib. 6. *Tibi soli peccaui.* Quod rex erat, & alium non timebat. Licet namque regi in eas leges, quæ de officio regis scriptæ extabant, peccanti, inflicta verbera essent secundum Hebræos, sed illa apud reges infamia carebant, à rege que in signum pœnitentiæ sponte suscipiebantur, ideoque nõ a lictore, sed ab illo quem ipse elegisset, cæde-

batur libitu suo & arbitrio verberibus statuens modum. A pœnis vero coactinis adeo liberi reges erant, vt etiam excalceationis lex, quippe cum ignominia coniuncta, cessaret in ipsis. Regiam etiam immunitatem comprobat, quod in populo Hebræo, vbi tot fuerunt diuini nominis contemptores reges, numquam magistratus inquibus plures pij, fortes que viri fuerunt, id sibi iuris apropriarunt, vt regibus vim vllam opponerent, nisi à Deo, cuius in reges summum ius est, mandatũ speciale accepissent. Propheras etiam Ieremiam, & Ezechielem, Israelitas Babylonia captiuitate afflictos, tyranice dominantem Nabuchodonosorem occidere, nunquam vidimus consuluisse, sed potius orasse pro illo. Id denique Samuel ostendit, docens namque proceres quid facere deberent, illis, populo que spectante, Saulem peruerse regnantẽ est solita prosequtus veneratione. Religionis status à rege, Synedrij que potestate ita pependit, vt ne simulacra quidem falsa Deorum, quæ publice extabant, deiecta vnquam legamus nisi iussu aut populi in libera republica, aut regum, cum hi gubernabant. Quod, si quid aliquando factum est contra reges in testimonium diuinæ prouidentiæ id permittentis, nõ in facti humani approbationẽ narratur.

Neque exempla superius allata possunt vllatenus oppositum roborare. Quãvis enim Dauid, aduersus Saulem ad vim arcendam sumpserit arma, sed hoc non aliter nisi postquam Ionatanis inditio Saulem vitæ suæ imminere comperijsset, neque vrbes inuasit, nec pugnandi occasionem captauit, sed latebras modo in locis denijs, modo apud populos exteros, hac religione, vt popularibus suis nunquã noceret, quæsiuit. Machabæi etiam non eo titulo, vt oppugnarent Antiochum, vsi sunt armis, quia non Rex, sed inuasor ab illis sit iudicatus, tota enim historia, Machabæi & eius sequaces regis nomine compellabant. Et merito sane, cum iam pridem Macedonum agnouissent imperia Iudæi, inquorum ius succesérat Antiochus. Iudæi namque primo à Nabuchodonosore deuicti iure belli succesoribus Chaldæorum Medis, & Persis paruerant, quorum totum imperium ad Macædones deuenit, sub quorum dictione, sicut ante sub Darij, fuerunt. Non inquam titulo inuadendi Antiochum arma sumpsere, sed exemplo Dauid, vt summum certissimumque vitarent periculum, quandiu scilicet intra sui defendendi terminos ita se continuerunt, vt in loca deuia secederent, quæ rendæ securitatis causa, nec arma expedirent nisi oppugnanti. Licet autem hi qui se in societatem ciuilem vniuntur summe plene que regi subditi sint, ius habent se tuendi aduersus immanem sæuitiam. Hoc ipse Barclaius lib. 3. regij imperij fortissimus assertor, populo insigni que eius parti concesit. Neque licet lege teneremur nõ resistere principi, ingrauissimo certissimo que vitæ periculo obligare, alicui erit dubium. Leges nãque etiam Dei, quanquã generaliter prolatæ, summæ necessitatis habent tacitam exceptionẽ. Quod de lege Sabbati Assamonæorum temporibus, suis à sapiẽtibus definitum, inde celebre dictum, periculum animæ impellit sabbatum. Et Iudæus apud Synesium legis neglectæ de sabbato hãc reddit causam. In certissimum vitæ periculum adducti sumus. Quæ exceptio etiam ab ipso Christo probata est, vt & in lege altera de non edendis panibus propositionis, eo quod non credibile est leges ex tam rigida voluntate esse latas. Hæc namque lex de non resistendo, à voluntate eorum, qui se primum in societatem ciuilem consociauerunt, à quibus quidem ius ad imperantes transcendit, pendere videtur, hi vero si interrogarentur, an velint omnibus hoc onus

imponere, vt mori præoptent, quam vll casu vim superiorum armis arcere, credibile non est, velle se responsuros, nisi forte cum hoc addimento, si resisti nequeat nisi cum maxima rei publicæ perturbatione, aut plurium innocentum exitio, quod & charitas commendat & in lege deduci posse cum tali circunstantia non dubito, sed non aliter, cum leges ferri ab hominibus soleant & debeant cum sensu humanæ imbecilitatis, vnde personæ, quæ principalissima, & vtilissima in republica esset, & maiori populi parti in extremo vitæ discrimine constitutis, ius resistendi seu se defendi insuperiorem inesse non ibo inficias, dummodo cautio talis tenenda sit, etiam in ipso periculo personæ regis parcendum.

Imò suo se iugulari exoptat ista sententia, dum sub vmbra facti Dauid recumbere cogitat. Quoniam Dauidem pœnitentia legimus tactum, eo quod vestem Saulis violauerit. ¶ Sed statim pœnitudine ductus (inquit Iosephus) iniustum facinus esse dixit, dominum occidere suum, horrendum, regem quamvis malum interficere, pœnam enim id facienti imminere abeo, qui regem dedit, nec immerito, nam cum summum imperium, non possit non multis odijs patere, securitas fungentis peculiariter fuit munienda, quod etiam Romani in Tribunis plebis constituerunt, vt inuiolabiles essent. Inter Esenorum dicta erat: reges sanctos esse habendos.

De iure euangelico.

Imprimis autem illud Pauli pro nobis videtur quam in nos potius adductũ, quia Apostolus cum de maledictione fuerit à circunstantibus increpatus, sic respondit. *Nesciebam fratres quia princeps est sacerdotum, scriptum est enim, principi populi tui non* maledices. Hoc contigit, quando per æternum, summumque sacerdotẽ Christũ abolitum est Aaronicũ sacerdotiũ, vt ad Hebr. 5. Illam autem nomine tenus dignitatem Paulus respiciens, maledicta suspendit, potiori ergo iure reuereri debet Princeps quamvis iniustus post Euangelicam legem, quod pluribus alijs locis expræsit Paulus ad Ro. 14. Qui obsistit (inquit) Dei ordinationi obsistit, tum vero qui obsistunt, sibi ipsis condemnationem accipient, Eadem pluries prædicauerat Petrus.

Nec ab hac lege Domini discedit Christianorum veterum consuetudo, optima legis interpres. Quamquã enim pessimi homines imperiũ Romanum sæpè tenuerint, nec, qui liberandæ reipublicæ prætextu seditiose se opponerent illis, defuerint, nunquã eorũ conatibus se immiscuere Christiani. Vnde illud Tert. ad Scapulã. ¶ Circa maiestatem (inquit) imperatoris insamamur, tamen nunquam Albiniani, vel Nigriani, vel Casiani, inueniri potuerunt Christiani. ¶ Casiani illi erant, qui Auidium Casium fuerant sequti, qui in Syria sumptis armis iactabat rẽ publicam se ire restitutum, quam M. Antonij negligentia perdiderat. Et vt alia ommittamus, Thebæa legio militibus constabat sex mille sexcentis sexaginta sex Christianis, quibus cum Maximianus Cæsar sacris Dijs falsis offerre compelleret renuentibus, & interfici iusis, sic Mauritius eius legionis primicerius est alloqutus. ¶ Comilitones, quã timui, ne quisquam, quod armatis facile est, specie defensionis beatissimis funeribus manus obuiam offerre tentaret? Iam mihi ad huius rei interdictum Christi nostri parabatur exemplum, qui exemplum vagina Apostoli gladiũ propriæ vocis iusione recondidit, docens, maiorẽ armis omnibus Christianæ confidentiæ esse virtutẽ, ne quisquam mortali operi mortalibus dextris obsisteret. ¶ Exuperius legionis signifer legitur etiam sic alloqutus. ¶ Tenere me (comilitones optimi) sæcularium quidem bellorum signa perspicitis, sed non ad

hæc

hæc arma prouoco, non ad hæc bella animos veſtros, virtutem que compello, aliud vobis genus eligendum eſt præliorum, non per hos gladios poteſtis ad regna cęleſtia properare. Deinde imperatori hæc nunciari iubet, Non nos aduerſum te (imperator) armauit ipſa, quæ fortiſsima eſt in periculis, deſperatio, tenemus, ecce, arma, & non reſiſtimus, quia mori magis, quam vincere volumus, & innocentes interire, quam noxij viuere, præoptamus, & poſtea tela proijcimus, exarmatas quidem dexteras ſatelles tuus, ſed armatum fide catholica pectus inueniet. ¶ Ecce, quāvis maxima multitudo, armis nunquam tutata eſt, à quibus adductum audiuimus Chriſti exemplum nobis imitandum, cuius pacientia ad mortem etiam ſe extendit.

§ I.

Reducitur antilogia ad veram concordiam.

LAta apparet, non autem ideo periculo obnoxia, præſenti difficultati via. Erant tres illi principes ſumme pleni, ideſt alter alteri non ſubiectus, terræ totius, quæ pertinebat ad Iudæ montana, abſoluti domini, cuius ciuitas Hebron erat poſita in monte, Mambre autem, iuſta cuius conuallem habitabat Abraham, vrbi vicina erat, quam dominabatur Mambre, ex tribus illis principibus vnus. In montanis regionibus valles eſſe incluſſas, nullus eſt qui neſciat, nec minus propterea totam regionem appellari Montanam, vt ex Ioſue 14. conſtat, ibi enim cum Caleb peteret ciuitatem Hebrō, *Da mihi montem iſtum*, (dixit), *quem policitus eſt Dominus, &c. in quo Enanim ſunt*, id eſt gigantes & vrbes magnæ. Videntes ergo Principes iſti Hebron, nō multum diſtare à Pentapoli, quam ſibi Codorlahomor ſubiugauerat vi & contra fas, veriti ergo ſummā illis imminere ruinam, Abrahamum virum, virtute & ſapientia celebrem, & bello fortem, ſibi tamquam propugnaculum aggregarunt, & ideo ab hac iſtorum quatuor ſocietate nomen ciuitati datum, indicat nomen Hebron. Ioſue 14. dicitur antea dictam Cariatarbe, ideſt ciuitas quatuor virorum ab Abrahamo ſcilicet & tribus illis principibus, quidquid ſit de commento, in Bereſith Rabba Hebræorum apud Maſium. Si rex ille Elamitarum regibus Pentapolitanis iuſtum intulliſſet bellum, & Pentapolitæ, & Abraham iniuſte aduerſus illum bellarent, credibile nimis eſt tyranice ingentem Pentapolitanam dominatum vendicaſſe, vnde ſicut quilibet princeps ſe, populum & amicos, ab iniuria laceſitus, defendere & vindicare poteſt, principes illi & Abrahamus bello vniformi, victores perſequti ſunt Elamitas, & ſimul Lothum & eius familiam redimere ſunt conati. Abraham autem, ſi iure potuit, circa Lothum ſic ſe gerere debuit, quoniam qui non repellit (inquit Tullius) iniuriam à ſocio ſi poteſt, tàm eſt in vitio, quàm ille qui facit. Quod iuri naturali, Moſis, & Euangelico non repugnat.

Ex Geneſ. 15. Dicit Dominus Abrahæ ſuſpice cœlum, & numera ſtellas.

Iob ſi 4. adſpexi Solem, cum ſplenderet. Quaſi delictum eſſet, aſpicere Solem.

VIdiſſe Solem, eo cultu, quo tūc adorari ſolebat, negat, cum ſe purgatum à culpis videri contendit, ſic refert Hieron. in Ezech. cap. 8. locum illum, ad ritum quo gentiles in adorando dexteram ori admouebant, & Oſeæ cap. 13. Quo ſpectat illud 4. Reg. ca. 19. *Genua quæ non ſunt*

incurbata ante Baal, & omne os quod non adorauit eum, osculans manum. Apud veteres scriptores frequens fit huius cultus mentio. Minutius Felix in Octau. ¶ Cœcilius (inquit) simulacro Serapidis denotato, vt vulgus superstitiosus solet, manum ori admouens osculum labijs impossuit. ¶ Ex quo originem sumpsit, vt eodem cultu prosequerentur hominum illos, qui honore potentia ve antecellerent alios, pares, ac tandem glisscente adulatione inferiores, hoc manu venerari dixit Tacitus. Manu salutare Martialis, apud nostros hinc illud aulicissimi *Osculor tibi manus, & pedes.*

Osculandi verbum *NasaK*, idem quod *adoratio* significat, & sic vbi Hieron. Psal. 2. *Apprehendite disciplinam*, legunt 70. *adorate* & alij *osculamini*. Oseæ 13. *Vitulos adorant* Pagninus, Regia Tygurina *Osculantur vitulos*. Aquila sic etiam vertit. Et Gen. 45. *Ad tui oris imperium cunctus populus obediet*, legit Regia, *Super os tuum osculabitur omnis populus*. Vatablus *Os tuum osculabitur omnis populus*, hoc nempe signo te illorum esse dominum ostendentes. Sed vnde osculandi manum orta sit cæremonia, Hortibonus in Laertij notis, ad quandam silentij venerationem pertinere, vt labijs manum admouerent, quasi digito compescentes labellum, inquit Paræmiacum enim illud est, Deum coli silentio. Sed illud multo verius, quod adorantes sæpè manus, genua, pedes, & ora, oculos aliorum fuamarentur, cum verebantur ore profano Deos, vel principes tangere, eminus id facerent porrecta manu, statimque ad os relata. Cicero act. 5. in Verrem meminit simulachri Herculis, cuius mentum adorantium osculis attrictum fuerat.

Alius erat ritus, quo solem adorare solebant, erectum scilicet ori pollicem admouebant, vt ex illo Appuleij in 4. Met. ¶ Et admouētes oribus suis dexteram primore digito in erectum pollicem residente, vt ipsam prorsus Deam Venerem religiosis adorationib⁹ venerarētur. ¶ Alius erat quo colentes si circumagebant Plaut. Curcul. act. 5. *Si Deos salutas, dextrouersum censeo* sic Romani. Galli vero sinistrorsum. Vnde Plinius lib. 28. ca. 2. In adorando dextram ad osculum referimus, totū corpus circumagimus, quod in læuam fecisse Galliæ religiosius tradunt. Vide Lipsium lib. c. 6. Ex quibus constat non prohibitum videre pulchritudinem cœli, sed videre, vt cultu religioso Sol & stellæ adorentur, nefas erat. à quo immunem se iactat pacientissimus Iob, cum dicit: *Si osculatus sum manum*

Geneſ. 15. Scito prænoſcens quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum, ita & affligent quadringentis annis.

Exod. 12. Habitatio filiorum Iſrael fuit quadringentorum & triginta annorum.

De Hac antilogia vide cap. 12. Exodi, vbi propria eſt eius ſedes.

Ex Geneſ. 15. Generatione autem quarta reuertentur huc, vbi 400. annos denotant iſtæ generationes.

Baruc cap. 5. Eritis Babylone vſque ad generationem ſeptimam vbi fuerunt 70. anni vt ex Iere. cap. 25.

PRo huiuſmodi antilogiæ concordia, triplex acceptio huius vocis *generatio* eſt recolenda memoriæ. Pro quoddam genere hominum ſumitur primo, vt Num. 12. Deum circunduixiſſe populum per deſertum 40. annis, donec conſummaretur generatio vniuerſa, refertur, ideſt genus hominis, quod murmurauerat per deſertũ, reuerſis exploratoribus Num. 14. & Pſal. 94. & Prouer. 30. Pro procreatione vnius perſonæ ex alia ſecũdo ſumitur, ſic accipitur in genealogia Chriſti ſecundum Matthæum. Apud Græcos generatio, idem eſt quod ætas, & progenies. Et quod Sacræ litteræ vocant generationem apud Euſebium lib. 10. de Præp. Euang. cap. vlt. ponitur pro ſpatio 20. annorum. Erodotus 23. ei aſsignat, & lib. 2. eam definit. 33. Diodorus libro 3. cap. 13. Dioniſius Alicarnaſius lib. 1. Rom. ant. ad 100. extendit. Extetiſſe enim Medorum imperiũ ait prope quatuor generationes, ideſt ad 400. annos, iuxta quod facilis eſſet antilogiæ concordia, idem enim eſt quarta generatione reuertetur, ac poſt 400. annos peregrinabitur. Pro vniuerſa ætate & vita hominis ſumitur generatio, ſic apud Iſaiam 38. *Generatio mea ablata eſt, & conuoluta eſt ame, quaſi tabernaculum paſtorum.* Ætas porro hominis definitur in Scriptura 100. annis ſic Eccl. 18. legitur Numerus dierum hominum vt multum 100. anni. Cui conſonat Pſal. 89. *Dies annorum noſtrorum in ipſis 70. anni*, ad tempora Moſis menſura relata. Iuxta quod facilis eſt etiam concordia noſtræ antilogiæ idem enim eſt quarta generatione reuerti ac quarto ſæculo, vel centenario exacto redire, Quintam addit generationis acceptionem pro ſpatio ſcilicet decem annorum, Petetius probat ex capit. 5. Baruc *Eritis Babylone annis plurimis vſque ad generationes ſeptem*, Ex Ieremia autem ſolum 70. annis captiuitatem duraſſe conſtat.

Ex his conſtat ad antilogiam Geneſ. namque 15. pro ſpatio 100. annorum ſumitur generatio. Vnde poſt quartam generationem, id eſt poſt 400. annos reuerſi ſunt. Generatio vero in Baruc (teſte Cartuſiano) eo ſenſu quo Auguſtin. eam expreſsit, pro ætate ſcilicet capaci prolis generationis quam eſſe 14. annorum hæſitabit nullus. Tribuamus ergo ſingulis generationibus 14. annos, dummodo generationes intermedias integras, & completas intelligamus, reliquas au-

tem duas primam & vltimam inchoatas cogitemus, & à temporis computatione excluſas, habebimus 70, annos. Apud Mathæum & Lucam reperitur exemplum. Primus de transfiguratione Chriſti ſcribit poſt ſex dies eſſe factam, ſecundus poſt octo dies, quia hic vſus eſt computatione primum, & vltimum excludente, vel dicendum ſeptem idem eſſe ac plura vt Leuit. ſeptem plagis ideſt multis corripiam vos, dicitur. In Prouer. Septies indie, ideſt, ſæpè cadit iuſtus.

Geneſ. 17. Circumciſio data fuit Abrahæ in fœdere ſempiterno.

Paul. ad Gal. 5. Circumciſio nil prodeſt.

§ I.

Proponitur Superbia Hebræorum in fœdere circumciſionis poſita, & odium contra Chriſtum, & Chriſtianos, quia illam abolere conantur.

PRimum, quod populum Sanctũ, & benedictum eſſe inter gentes præſumere fecit Iudæos, fœdus eſt circumciſionis, quam à Deo pro ſigno acceperunt, quo à cœteris nationibus diſcernerentur (inquit Buxtorfius in Synagoga) & impreſſo quaſi ſigillo, pro peculiari Dei populo obſignarentur. Hoc fuit ſcutum, quo ſe perpetuò contra propheticarum concionum & obiurgationum ictus ſunt tutati. Quotieſcumque ab illis impietatis, infidelitatis & pertinatiæ redarguebantur, continuo illi ſuam circumciſionem obiecerunt, ac ſi impoſsibile eſſet, vt populus ille, qui hoc diuini fœderis ſigno eſt ſignatus, vllis peccatis contaminari, aut iterum ex Dei fœdere excidere & excindi poſſet. Incredibile dictu eſt, quantopere circumciſionem hanc extollant, quam arroganter paſsim eam iactent, & nos omnes incircumciſos contemnant & condemnent. Inter infinita alia dicunt, circumciſionem cauſam eſſe, cur Deus preces ipſorum exaudiat, noſtras verò tanquam incircumciſorum, ſurda aure prætereat, & negligat. De hoc legitur in lib., *Menoras Hammor.* ¶ Tantum eſt meritum, tanta dignitas circũciſionis, vt propter eam Deus exaudiat præcationes omnis oris. Nequaquam verò exaudit os gentiliũ (Chriſtianorum intelligunt) ſed Iſraelitarum, propter meritũ circumciſionis. ¶ Qui ſcire auet, quomodo hoc, circumciſioni conueniat, notet voculam Hebræam *Pehos*, in Cabaliſtica ipſorum ariſmetica in numeris continere 85. ac tantundem valet, *Milah* circumciſio 85. Deum ergo dicunt: quia exaudis orationem omnis *Pehoris*, per inde eſt ac dicere, omnis *Mahul circumciſi*. Quis non rideat, quam veriſsime, & appoſitiſsime? nam quam prompte preces eorum exaudierit Deus, dum per 1600. annos redemptionem ex captiuitate hac accelerari, quotidianis precibus anxie petierunt, experientia teſtatur. In *Cad Ha KKemach* legitur. ¶ Tanta eſt virtus circumciſionis, vt nullus circumciſus in gehennam, vel purgatorium deſcendat e contrario omnes præputiati deſcendunt ingehennam. ¶ In Rabbi Bechai legitur. ¶ Perſignum hoc innoteſcit palam dignitas Iſraelitarum, qua ratione diſcernantur à cœteris nationibus incircunciſis corde & carne. Hæ enim ſunt dotatæ dumtaxat ſigno *Schedim* Dœmonum vel diabolorũ, ſed Iſraelitæ ſigno *Schaddai* Dei omnipotentis. ¶ Hinc in precibus ſuis ma-

matutinis quotidie adhuc orant. Benedictus Deus, quod me non crearit Iſraelitam. Benedictus Deus, quod me non crearit Goj hoc eſt ethnicum, Gentilem, vel Chriſtianum.

Quia tamen Chriſtiani circumciſionem vel (vt proprius cum Diuo Paulo loquar,) conciſionem euellere conantur, ſuperbe ab illis deſpiciuntur, noſtramque religionem pluſquam Vatiniano odio, blaſphemijs, diris, & exſecrationibus proſequuntur. Hoc autem odio ab ipſo Chriſto, imò ab eius præcurſore Ioanne cœperunt, quia Moſaicam legem, & religionem non nil immutare, & loco circumciſionis carnalis baptiſmum introducere, Iudæos redarguere, & ad pœnitentiã quæ vera circũciſio cordis & ſpiritualis eſt, reducere videretur. Miſeri & obcæcati Iudæi! an non Eſau æque ac Iacob Iſaacum circumciſum habuit patrem? æque ac Iacob ipſe circumciſus eſt? ſed quid hoc illi profuit, eo non obſtante dixit Deus per Malachiam *Iacob diexi, Eſau autem odio habui.* Circumciſio carnis ſine circumciſione cordis nil prodeſt, nam hanc potiſsimũ vbique Deus vrget Deut. 10. Ierem. 4. & 9. Act. 7. ad Rom. 225.

§ II.

Conciliatur antilogia.

EX his facile poteſt colligi, ſolum ignorantia, & cœcitate Iudæos ductos, vmbras amplecti veritatis, & illius radijs opponere tenebras. D. Thomas in comm. ſuper epiſt. ad Gala. lect. 1. ¶ nociuũ quidem eſt (inquit) iugum legis, quia aufert Dominicæ paſionis effectum, & ideo dicit nolite contineri iugo ſeruitutis, quia ecce ego Paulus, qui, ſupple, voce authoritatis dico, & bene, quoniam ſi circũcidimini, Chriſtus vobis nil proderit, ideſt fides Chriſti. Sed contra Act. 16. dicitur, quod Paulus circuncidit, Timotheum ergo fecit, quod Chriſtus nihil prodeſſet ei, ergo decepit eum. Reſpondeo, dicendum eſt ſecundum Hieron. quod Paulus non circumcidit eum, quaſi legem ſeruare intenderit, ſed ſimulauit ſe circumcidere faciendo opus circumciſionis, nam ſecundũ ipſum, Apoſtoli ſimulatorie ſeruabãt legalia ad vitandum ſcandalum fidelium, ex Iudæis, faciebant autem actus legalium, non cum intentione ſeruandi legalia, & ſic non exibant à fide. Vnde non decepit Timotheum. Secundum vero Auguſtinum, dicendum eſt, quod Apoſtoli ſecundum veritatem ſeruabant legalia, & cum intentione eam ſeruabant, quia ſecundum Apoſtolorum ſententiam licebat fidelibus ex Iudæis, illo tempore, ſcilicet ante gratiam diuulgatam, ipſa ſeruare. Et ideo quia Timotheus fuit ex matre Iudæus circumcidit eum Apoſtolus cum intentione ſeruandi legalia, quia vero Galatæ ponebant ſpem in legalibus poſt gratiam diuulgatam, quaſi ſine eis gratia non ſufficeret ad ſalutem, & ideo ea ſeruare volebant, Ideo dicit eis Apoſtolus, *ſi circumcidimini* ſequebatur enim ex hoc, quod non reputarent Chriſtum, in cuius ſignum data fuit circumciſio Geneſ. 17. vt ſit in ſignum fœderis inter me, & vos. Qui ergo circumcidebantur, credebant adhuc ſignum durare, & tunc ſignatum non dum veniſſe, & ſic excidebant à Chriſto, ſic ergo patet fini legis eſſe nociuum. ¶ Vide ſuper hoc epiſt. Hieron. ad Aug. & Aug. ad Hier. Chryſ. hom. 39. ſuper hunc locum.

Reſpondet ſimiliter. ¶ Dominus omnium, ſciens ipſorum animi inconſtantiam, hoc ab eis ſignum petere voluit, non vt ſemper maneat ſignum hoc, ſed poſtquam ſignata finem acceperint, & ſigni vſus auferatur, ſicut qui ſignum repetunt, & pignus accipere volunt, cum negotium perfectum fuerit, tunc & ſignum tollunt. ¶

Vi-

Videatur Diuus Thomas 1.2. q.103. art.3.& q.102.art.5.Originef. hom.3. in Genef. Ioannes Ferus fup. Epift. Pauli ad Galat. Videamus ergo an ceffaffe legem probari poffit?

§ III.

Impugnatur ex Rabbinorum principijs æternitas legis Mofis.

ANte quam rationes, quibus æternitas legis Mofis infringitur, recolamus, Rabbinis & Abarbaneli opponamus, quæ apud fuos maximæ funt auctoritatis. Sic de noua lege per Meſiam ferenda aiunt Rabbini (inquit Guilielmus Vorſtius) in Ial Kuth ad Eſai 2. ¶ Sanctus Benedictus conſidet, atque expendit nouam legem, quã daturus eſt per manum Meſsiæ. ¶ Idem ad Pſal 2. vbi de Meſia ſermo. ¶ Dicturus eſt Deus aſcende, vt nouum fœdus cum eo percutiam. ¶ Quibus indicant, aliud fœdus, aliamque legẽ Deum laturum tempore Meſiæ. Diſtinguit namque Deus hoc fœdus ab illo, quod Deus pepigerat cum Iſraelitis ex Ægypto eductis, vti, v. 32. liquido indicat. Quod expræſe vaticinatus eſt Ierem. cap. 31. *Ecce dies venturi ſunt, quibus pangam cum domo Iſrael, & cum domo Iuda fœdus nouum.*

Rabbi Manaſſes, quæſt. 7. in Leuit. ſic reſpondet ad locum Ierem. 31. ¶ Dauid Kimhi, & auctorum alij aiunt, nequaquam hic promittere nouum fœdus, aut legem nouam: ſed illud velle, temporibus Meſsiæ, eos non amplius irritam facturos legem. Eamque mentem eſſe verborum, illis diebus percutiam cum domo Iſraelis, & cum domo Iehuda (futurum eſt id, quando ex vniuerſali captiuitate duodecim ſimul tribus colligentur, quod adhuc non accidit) fœdus nouum. Nec neceſſario ex mente fœderis noui ſequi, nouam legem Dominum daturum, ſed priorem in animis eorum renouaturum, nam quidquid in principio non ſatis manifeſtum eſt, cum declaratur in S. Scriptura, nouum dicitur, ſic Samuel, 2. cap. 14. ad Sal. *Agite eamus Gilgalem, vt ibi renouemus regnum hoc*, non tunc dedit regnum nouum, ſed tantum confirmauit. Sic hic nouũ regnum denotat religioſam legis obſeruationem, idque ſatis oſtendunt ſequentia, non quemadmodum illud fœdus, quod percuſsi cum patribus eorum, quando eduxi eos ex Ægypto: nam illi irritum fecerunt fœdns. Quibus deſignat Iſraelitas non ita irritũ facturos fœdus, quemadmodum patres eorum fecerant, & ideo ſubijcit. Nam hoc illud fœdus, quod pangam cum domo Iſraelis, indam legem meam menti eorum, & cordibus illorum ſcribam eam, ero que ipſis Deus, & ipſi erunt populus meus. Sed & alia ratione hæc loca conciliare poteris, nam fœdus non modo legem, ſed & ſæpè in S. Scriptura reciprocum pactum, & ſocietatem à duobus initam denotat.

Licet concedamus Manaſſe, nouam legem non promiſsiſſe Deum, ſed gratiæ nouum fœdus, quo per Spiritum Sanctum hominum cordibus obſeruantia legis moralis eſſet inſculpta, ſicut ipſe defendit Deum diebus illis non nouam legem laturum, ſed priorem renouandam in animis eorũ, non ideo fœdus legale priſtinum duraturum comitantibus vmbris cæremoniarum, quæ de primaria legiſlatoris voluntate non dimanarunt, teſte Maimonide More Neuoc. part. 3. cap. 32. ſed fœdus gratiæ, quod in priori præcepta naturalia continente, comprehenditur, cenſemus, Neque Propheta intelligi poteſt de lege cæremoniali. Tum, quia id Iudæi roborant ſua praxi, dum quia extra Iudæam nunc agunt, præcipuam legum ſuarũ partem tuto ſe ommittere poſſe, defendunt. Meſsiæ autem aduentu ad

quaſ-

quaſcumque gentes terminos ſuos extendere, fatentur Iudæi Eccleſiam debere, in eiuſque communionem vocandi gentiles, ab ijs ergo lex cæremonialis obſeruari non poſſet, ex India enim, Europa, noſtris, vel alijs longe recedentibus regionibus, quo pacto, toties Ieroſolymam aſcendere poſſent, prout ſancitur à lege? quo vel modo, ad longiquas horas forte lepræ inſpiciendæ, ædium ve purgandarum gratia, poſſent progredi ſacerdotes? Meſsiæ ergo aduentu, inquo vocati ſunt gentes, quoad cæremonias mutatio eſt legis recognoſcenda. Tum, quia hoc indicat non obſcure Ieremias 3. *Indiebus illis, inquit Dominus, non dicent vltra, arca teſtamenti Domini, nec aſcendet ſuper eos, neque recordabuntur illius, nec requirent, nec ſacrificabitur vltra.* Iſaias 29. *Tempore illo erit Domini altare in media terra Ægypti, & monumentum iuxta terminum eius Domini.*

Explicat Manaſſes in Leuit. 7. Prophetas, quaſi verbis illis promittat Deus, quantuncumque in dies creſcat Iſrael, reliquas gentes non excitandas inuidia, neq; bella moturas, ita vt opus futurum non ſit ad arcam confugere, neque illam eos in exercitu comitari, vt diebus Eliæ, quoties bellum ingruiſſet, ſolebant. Verum futilis eſſet oratio Prophetæ, ſi diceret, non fore memores arcæ ad bellum gerendum, vbi non erit bellum. Deinde, quoniam verus non eſſet propheta, ſi ſenſu prædicto deberet intelligi, arca enim alios in fines fuit inſtituta, imò non primario, vt exercitum bello comitaretur. Nam quamvis primis temporibus, antequam certum quietis locum nanciſceretur, vt bellatrix à populo circumduceretur, tempore tamen templi fieri non potuit, cum ad alios fines fixa oporteret eſſe. Si ergo tempore Meſsiæ non extitura dicitur, abrogandas cæremonias fore, quarum arca erat centrum, non eſt leue quidem inditium.

Addit Manaſſes, antea arcam receptaculum eſſe diuinitatis, temporibus autem Meſsiæ non vnum aliquem templi locum fore, diuinitate repletũ, ſed hanc gloriam toti vrbi Hieroſolymæ datum iri, vt quicumque in ea ſint, Propheticum ſpiritum habeant, Adducit pro hac expoſitione illud Prophetæ Iſaiæ 11. *implebitur terra cognitione Domini.* Vnde non nominabunt arcam, quia ſolium Domini appellabunt ciuitatem. Sed hoc ruit ipſo telo, quod paſsim iaciunt in nos, cum addere legi prohibitum cenſeãt, & nunc tempore Meſsiæ extra templum fas fore ſacrificare, concedant, quod lex reputauit nefas. Deinde, implebitur (dicit) cognitione Domini terra. Vaticinium quis non videt temporibus noſtris impletum? cum ab aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti, per totum orbem ſit eius cognitio diffuſa, & ſanctitas, quæ antea templo erat coartata, & decem præcepta arcæ olim incluſa ab omnibus regionibus admiſa, hodie obſeruentur, & Deus, ſummuſque legiſlator cognoſcatur, adoretur & colatur.

§ IV.

Ex principijs Rabbinorum ſpecialia præceptorum defenditur abrogatio tempore venturi Meſsiæ, iamque abolita eſſe, ex quo noſter Meſsias venit.

QVoad ſpecialium præceptorum attinet obrogationem, de ſacrificijs ipſi Rabbini ſtatuunt ea penitus eſſe abolenda, excepto Euchariſtico tempore Meſsiæ, in hunc ſenſum aiunt in Sehebabot cap. 2. & Ialcuth ad finem Ezræ. ¶ Omnes oblationes ceſſabunt in futuro ſæculo, confeſſio vero aut gratiarum actio, *vel Euchariſticum ſacrificium* non ceſſabit. ¶ Quod manifeſtis iſtis opponi poſsit verbis non video? niſi quod ge-

generalis non ſit Rabbinorum ſententia. Huic alia poſſunt adiungi, quæ inter gregē ducit hoc ex Vaicra Rab. ¶ Omnia feſta ceſſabunt, præter feſtum purim, & diem expationum. ¶

Reſpondet Abarbenel, lib. de capite fidei ca. 13. quod non eſt ceſſatio hæc euerſio feſtorum, ab ſit hoc, ſed ceſſatio memoriæ iſtorum, quia omnia iſta ſunt recordatio exitus ex Ægypto. Senſus autem iſtius dicti eſt. Iſraelitæ tempore liberationis ſuæ non applicabunt animum ad recordationem prodigiorum, ac miraculorum, quæ pro illis patrauit Deus Benedictus, cum educeret eos ex Ægypto, quia videndo eximia miracula, quæ corā illis Deꝰ faciebat diebus Meſsiæ, priora tradent obliuioni. Verum exceptio hæc (inquit Vorſtius) nimis frigida ac diluta eſt. Quid eſt aliud feſtum, quam ſolemnitas & celebratio memoriæ de re aliqua grata vel triſti? Ceſſante igitur memoria rei, cuius gratia feſtus dies inſtitutus eſt, etiam feſtum abolitum merito cenſetur, cum præcipua ac eſſentialis pars feſti ipſa ſit recordatio, prout ipſi quoque inter requiſita rite celebrandi feſtum primo loco ponant recordationem, atque recenſionem factorum miraculorum, atque rerum, ob quas fuerunt ordinata. Videatur Maimonides Chamat. 2. Ve mazach. cap. 7. p. 1. & recte: Nam ita in diuulſe hæc ſe comitantur, vt vnum abſque altero aut eſſe vel ſubſiſtere nequeat. Obliuio itaque miraculorum, iſtis diebus editorum ſatis arguit etiam feſtorum nullam habitum iri rationem.

Secundo præcluditur Rabbinus iſte. Cur potius feſtum Eſtheræ, atque Cipurim vigebit, quam alia? in ijs nō minus ocurrunt miracula (ipſo Abarbanele fatente) quam in alijs. Neque hæc fuerunt illuſtriora, quam in deſerto aut Ægypto facta vel viſa, imo minus auguſta, vt potius inde colligendum eſſet, hac obliuione ſepultum iri, atque penitus offuſcata ſplendore miraculorum diebus Meſsiæ edendorum. Et ſi memoria triſtitiæ aut mœroris delenda eſt ex animis Iudæorum, cur non etiam calamitatis atque afflictionis ab Hamano perpeſſæ Forſam dicet cum Auctore Thipheret Iſrael, 53. ideo non abolitum iri vtriuſque feſti celebritatem, quia ſunt (vt loquitur) propter ordinem mundi reſurrectionis, eiuſque veluti Typum gerunt. Vti enim reſuſcitatio homines in vitam reuocabit, ſic & infeſto expiatorio peccator, antea factus quaſi piacularis hoſtia, & mortis mancipium vitæ reſtituitur. Sic quoque infeſto Purim, prius nil niſi paribulum, & gladium expectantes, præter, & contra omnem opinionem libertate ac vita donantur. Sed cur idem non obtinebit in Ægyptiaca liberatione? Sane hic multo illuſtrius argumentum ſe offert receptæ vitæ, quam in vtroque iſtorum. Duriſsima enim, & diuturna ſeruitus non tàm vita quàm mors appellanda eſt, imò deterior ipſa morte cenſeri debet. Tum etiam reuera ex ipſa morte non ſemel (vt factum in Hamanis excidio) ſed ſæpius erepti fuerunt, vt ab exercitu Pharaonis inhærente ipſorum tergis, ab Amalecitis, alijs que gentibus. At vero Abarb. cum ſuis Rabbinis, non commemoratum iri Meſsiæ tempore, ne ſcilicet miſeriæ atque afflictionis iſtius recordatio obnubilet ſolidam lætitiā iſtius ſæculi, ait.

Quis vero (vt eadem opera hoc dictum expendatur) hic non vidit manifeſtam præcepti abrogationem? Verba iubentis (ipſorum iuditio) ſunt, vt recorderis, vel commemores diem exitus tui ex Ægypto omnibus diebus vitæ, Deut. 16. Inſulſe autem hæc, *omnibus diebus vitæ tuæ*, extendunt, non niſi ad tempus vſque Meſſiam.

Ineptior eſt a R. Bitleel. in Tipheret Iſrael, producta huius ſilen-

tij

ris ratio, quia non opus erit multiplicatione beneficiorum, aut recensione fœlicitatis alterius tempore Messiæ. Hac ratione omnia miracula, & beneficia Israelitico populo præstita, æternæ obliuioni dabuntur Messiæ diebus. Adde, hac recensione, aut recordatione sublata etiam simul tolli præcepta huic annexa, vti demactatione agni Paschalis, de fermenti expurgatione, atque azymi esu, hæc enim cum recordatione connectuntur, ita vt hæc plene ac rite fieri nequeant, vno eorum suablato. Si ergo hæc omnia iure diuino introducta cessabunt, festum Estheræ instituto solo nixum humano, cur hoc æternitatis priuilegio præ alijs gaudebit? Certe nihil occurrit cœlebritatis huius diuinitus institutæ in historia Estheris. Autor enim huius, & primus institutor traditur fuisse Mardochæus, vide Esth. cap. 9. imò tantum est ex ipsorum historia institutũ scribarum. De quo Maim Megilah. c. 1. & hoc pacto plus auctoritatis meretur hominis institutum, quã Dei præceptum. Tum quid opus erit festo Cippurim, ieiunijs, atque mæroris signis, vbi cuncta gaudijs, & iubilationibus resonabunt? Denique quorsum peccatorum expiatio, diuinæ iræ placatio, cum iam Deus se amicissimum Iudaicæ genti exhibebit? Vbi nil impuri in Israeli amplius habitabit, Deus insculpet legem suam ipsorum cordibus. Quorsum hic anniuersaria expiatio? quæ cuncta satis arguunt quam futilis, atque fictitia sit hæc auctoris nostri responsio, vt pote nulla vel rationis specie suffulta.

Ea sunt contra æternitatem legis quæ passim tradit Abarb. ¶ domus iudicij (inquit) habet potestatem illicitam faciendi rem licitam, vt enim faciat sepimentum ad legem, illicitum faciunt, quod non fuisset vetitum ex lege. ¶ Rab Meir in Auodat Kodesch p. 3. c. 34. ad locum Leuit *obseruate obseruationem meam*. ¶ Vnde apparet (inquit) Deum dedisse ipsis (scilicet sapientibus) facultatem concedendi alia decreta, præpter quam istud, quod constituit nobis verus iudex. ¶ Vnde quæso vel leuissime deprehenditur, verba hæc tantum Senatui Iudaico esse dicta, non vero cunctis Israelitis? si interdicta videantur de incestu, adulterio, vagaque liuidine isto pertractata ca. nil insulsi° erit, quam ad Israeliticam curiam hæc restringere. Tum quo pacto extundetur ex his verbis, obseruate obseruationem meam, facite obseruationem ad meam obseruationem? ac si hic plena facultas concedatur senatui præcepta diuina mutandi, augendi, derogandi, vel abrogandi. Hoc pacto licebit idẽ commentum sequi in eadem phrasi, vt Leu. 8. *Obseruate obseruationem Domini*. Vbi sicut agitur de custodia templi à Leuitis peragenda sic & illic de obseruatione casta, pudica que vita. Vnde manifesto liquet, quã rata sit hæc senatus potestas habenda, quæ adeo peregrinis, & absonis suffulta est interpretamentis.

Aliter respondet, ¶ cum dicimus quod senatus possit aliquid extirpare è lege, nõ esse scopum sapientium, quod illorum sit eradicare aliquid ex lege, sed solum explanare, quia præter legem scriptam, extant alia in traditione præcepta. Vnde æternitas legis intelligenda est de generalitate eius, hoc est de lege scripta cum expositione, prout etiam accepit Moses in Sinai, quam vocant legem scriptam, & oralem iunctim sumptam, omnia prout comprehendit augmenta, determinationes, & glossemata supra, vel contra quã in lege extãt. ¶ Sed quot verba tot ferme absurda hic profert, & vbique impingit incrassum paralogismum. Vnde enim constat hanc perpetuitatem legi orali tribui? num ex lege scripta? at nil certius, quam altũ vbique ea de re esse silentium, nec aliter fieri potest, cum nil de hac Moses

in

in Sinai ſomniauerit, nec Iſraelitæ tã nugax abeo hauxerint figmentum, vt paſsim ex cultu eorum obſeruare licet. Quorſum enim ex Vrim, & Thummim, & cui vſui repetita eſsẽt oracula, ſi iam omnes caſus definitos, enumeratos, atque deciſos Moſes ex ipſius Dei percepiſſet inſtituti one? Deinde, vndẽ innotuit ipſis, omnes expoſitiones interpretamenta, atque annotationes dictorum in legem ſcriptam, Moſi fuiſſe in Sinai propoſitas atque expoſitas? Ad has anguſtias redacti, perpetuo ad Thalmudicum confugiunt ſubſidium. Miſera ſane reſponſandi eſt oratio, vbi circulatorum more, ad priores recurrendum eſt ineptias.

Tandem omnibus fruſtra conquiſitis, in eo proram, & puppim ſolutionis ponit, quod additiones, & turpius, diminutiones etiam ex ipſa legis deſumptæ ſint ſubſtantia. At nil hoc effato turpius. Nam (vt iam non examinem ad ditamenta.) ſi legem ſcriptam hic intelligit, vbi vel apex huius indulti, vt poſtulante rei aut temporis neceſitate ſapiens præceptum mutilet, vel deroget? Nec enim hoc indicat locus Deut. 17. ab ipſo productus. Nam ibi non eſt ſermo de expoſitionibus doctorum præter & contra legem factis, ſed de ſententia ex ipſa lege petita, vti proxime antecedentia aperte euincunt, ex præſcripto legis quando *querunt te*. Si vero non ſcriptã, nil pro ipſo, quia de imminutione legis ſcriptæ, quæritur, an deſũpta ſit ex eiuſdẽ ſubſtantia? Abarbanel autẽ ad traditiones refert, atque vltro etiam agnoſcimus omnes doctorum imminutiones ex hac cœnoſa exhauſtas eſſe lacuna, & de eo nulla ipſi lis mouetur, ſed tantum de priore. Etiam ipſi largimur de legis ſcriptæ deſumptas eſſe ſubſtantia, nam iſtud propie eſt diminuere, cum mutilatur, ac truncatur integrum, & iſtud reuera etiam de corpore legis hic arrogantes, & ſupercilioſi machinantur Rabbini. Nec quid quam ponderis apud cordatiores obtinet, quod oralis traditio iſtam poteſtatem deferat magiſtris. Prius demonſtrandum fuiſſet, iure, & recte hoc fieri, ſed iſtud, nec in hoc, nec in futuro ſuo præſtabunt ſæculo.

§ V.

Probatur ex inductione variabilem eſſe legem.

SEd vt paulo præſsius agamus, nil vetare dicimus, quominus Deus totam etiam legem pro beneplacito immutare poſsit. Nam actus iſte legiſlationis, vt pote à libera eius voluntate procedens, nil derogat ſapientiſsimæ eius prouidentiæ, poſt modum effectui dandæ; ſed mutatis rebus, hanc ita immutat, vt iſtam attemperet earum rationi, prout ipſe Albo, Adamo, Noacho, &c. datis illuſtrat. Eiuſmodi itaque variatio actionum nullam arguit voluntatis diuinæ vel inconſtantiam, vel leuitatem, aut naturæ aliquam imperfectionem. Conſtantis eſt perſiſtere in animi propoſito, niſi quid interuenerit, cuius ratio non immerito haberi poſſit, quodve in aliam ſententiam flectere voluntatem iure queat. Itaque cum mutat aliqua ratione ſententiam, non mutat tamen eatenus, quatenus eam voluit eſſe mutabilem. Atque idem in legiſlatione nouæ legis vſu veniſſe, non tantum prophetarum ſuggeſtu ſignificauit, ſed, & propijs, teſtatum fecit, vel mandatis, vel indultis. Vnum alterum ve ex rituum, & iuditiorum (de moribus enim nullã ijs mouemus litem) cumulo prodeat indicium.

Interdictum erat Exod. 29. 33. Leu. 24. 9. Leu. 8. 31. &c. Num. 18. 9. ne quiſquam veſceretur panibus Propoſitionis, niſi qui ex tribu Leui eſſet, aut Sacerdotali fungeretur munere, & nihilominus Dauidi permiſſum fuit eos comedere; neque conſtat à Deo, vel à propheta factum hoc reprehenſum

fuiſſe

fuisse. Noui quidem eos hic ad fictiones confugere; sed eas nullius ponderis esse illico manifestum fiet. Inter istas iure etiam recensetur, cum volunt, facti huius pœnas dedisse sacerdotes, à Saule in excidio Nobi trucidatos, atque hac ratione neglectum diuinũ præceptũ iusto Dei iuditio in ijs vindicatum fuisse. At vero hoc est, culpam Dauidis (si ita appellanda sit) in sacerdotes innoxios transferre; non horum, sed illius fuit hæc petitio. Deinde etiam posito Achimelechum saltem officij sui memorem non fuisse, quid hoc tum ad reliquos sacerdotes? Iniquum est culpa vnius hominis innoxios omnes implicari. Sed & nullum hic Achimelechi crimen interuenisse, satis propria Dauidis indicat confessio, dicentis Eleathari: ego in causa fui in omnem animam familiæ patris tui. Vbi omnem excidij huius culpam sibi adscribit.

Nec quicquam causæ ipsorum proderit commentum de panibus confessionis, vel Eucharisticis, de quibus agi volunt, Leuit. 7. 13. quorum esum extraneo etiam permissum volunt, si quidem inter sancta leuiora reputantur. Sed ne iam examinem discrimen de Sanctis Sanctorum, & leuioribus, quod licet admitti possit, tamen nihil cogit, vt panes hi inter leuiora sancta recenseantur, cum in loco Numer. 18. 9. Omnis *Korban* vocetur Sanctum Sanctorum, cui etiam in Siphre annumerant panes facierum. Et vnde, quæso, norunt hosce panes fuisse Eucharisticos, non propositionis? Contra potius versic. 7 diserte vocatur panis facierum. Imò quis liquido monstrabit eiusmodi Eucharisticos panes vnquam fuisse? Constat quidem, in sacrificio Eucharistico panem fermentatum cum collyridis fuisse adhibitum. ¶ Sed tunc non nisi respectu potioris partis vocabitur Eucharisticus panis. Et dato etiam, in Samuelis loco sermonem esse de panibus Eucharisticis, nihilominus Dauidi illicitum fuisset ijs vesci ex vi legis Leuit. 7. 14. vbi manifeste iubetur, vt panis iste sacerdotis sit. Quod vero alij tradunt, eos cessante thuris suffito (de quo Leuit. 24. 6.) communis vsus esusque factos fuisse, atque, vel consecrationem tunc desijsse, & Dauidem ijs vesci potuisse, cum post factam suffumigationem postulasset, eadem facilitate reijcitur, quà asseritur; nec fidem merentur, nisi assertionis suæ proferant documentum. Tantum abest, vt hoc faciant, vt sole clarius contrarium Leuit. 24. 9 doceatur. Exquibus omnibus manifestum fit, nil feciſſe, dum conantur opere distinctiunculæ elabi. Hisce etiam addi potest de Sabbathi violatione in expugnatione Hierochuntina prout communis fert magistrorum sententia. Vide R. Chaijam in Iosu. capit. 1. fol. 48. Idem vsu venisse aiunt in nouiluniorum nuntiatione, si legati longius vrbe abessent, licebat iter ingredi, quo curiæ inditium fieret. Vide Roschasana cap. 2. 34. 5. & 9. Sic quoque vbicumque vitæ periculum euitari potest neglectu Sabbathi, permissum est eius obseruationem seponere; vt ex Ioma, cap. 8. 96. alijsque infinitis constat locis 39.

Hac adstructa cæremonialis statuti violatione de iuditiorum transgressione, expendendum venit factum ab eodem Dauide profectum, 2. Sam. 21. 9. vbi Gibeonitis concessit, vt septem viri mensibus suspensi manerent, siuè autem a 16. Nisam vsque ad 17. Marchesvan contra disertam legem Deuteron. 21. 13. Hic ex ipsorum confessione legis violatio fuit: & tanquam confessum à R. Iesaia & Raschi admittitur. Quorum ille ad locum Deut. 31. respondet hoc factũ fuisse ex mandato oraculi: ille consul-

tum fuisse, vt eradicaretur. Littera ex lege, nomen que Dei publice sanctificaretur. Cum itaque ipsi agnoscant diuino vel iussu, vel permissu legem hanc iudiciariam pro tempore derogatam fuisse, nostram firmant de legis mutabilitate sententiam.

§ VI.

Proponũtur Rabbinorum argumenta.

AD duo genera argumenta sua reducunt Hebræi. Primum est ex varijs S. Scripturæ locis Exod. 31. & Deut. 29. vbi lex Mosaica dicitur duratura, quod sic exponit Maimon de fund. legis c. 9. §. 1. Sic dictũ est, Deut. 29. *Reuelata sunt nobis, & filijs nostris, vt semper faciamus verba legis huius.* Hinc etiam intelligis omnia verba legis præcepta nobis esse, vt semper ea faciamus, Et sic ipse ait: *Statutum æternum manebit apud vestras generationes.* Leuit. 23. 14. & dicitur: *non est in cœlis.* Deuteron. 30. 1. Commune hoc est & vulgare omnium Iudæorum argumentum. Menasse, Cõcil. in Leuit. quæst. 7. ¶ Supereſt nunc (inquit) post quam ratione id satis probauimus, vt etiam auctoritatem proferamus; quia nihil Scripturæ Sacræ præcellit: quippe quæ errare nullo modo possit. Ait autem ea de agno Paschali. Exod. 12. 17. *statutum perpetuum tibi, ac filijs tuis, vsque in æternum.* De circumcisione dixit Dominus Abrahamo. Gen. 17. 9. *tibi & semini tuo post te, omnis mas per vestras generationes,* Sabbathum præcipiens ait, Exod. 31. 16. *Et seruabunt filij Israelis Sabbathũ, per generationes suas fœdere perpetuo.* Ideoque mandatum de Sabbatho colendo decem præceptis insertum est, quæ perpetua adque æterna sunt. Ex his tribus mandatis satis liquet, nunquam eorum obseruationem perituram; & profecto nullus adhuc se Prophetam esse iactauit, qui quidquam contra illa præciperet. Idem & de tota lege statuendũ esse docent verba Deut. *Nobis & filijs nostris in perpetuum, vt faciamus omnia verba legis huius.* Et alibi, Ibid. 31, 21. *Et testificatur canticum hoc in faciem eius, loco testis; neque enim obliuioni tradendum est ex ore seminis eius.* Rursũ in benedictione tribuum, Ibid. 33. 4. *Legem præcipit nobis Mosche hæreditariam congregationi Iacobi.* Quemadmodum hæreditas, nunquam interrupta serie, aparentibus ad liberos transmittitur, ita & legẽ nõ trãsmissum iri ait. Sed omnibus his multo clariora sunt verba Deut. 29. 14. *Neque vobiscum solis ego pango fœdus meum hoc, cum adjuratione hac; sed cum eo, qui adstat hic nobiscum hodie, coram Domino Deo nostro; & cum eo qui non est hic nobiscum hodie.* Manifeste videmus non modo cum præsentibus tunc Israelitis, verũ & posteris eorum hoc fœdus percussum. Qua de causa veterum sapientum illi, qui credebant, omnes simul animas principio mundi creatas esse, dicunt in eo pacto præsentes fuisse omnes animas Israelis, quæ in mundum nunquam venturæ essent. Idem quoque ex Prophetis colligere est. Dauid ait. Psalm. 19. 10. *Timor Domini mundus, consistens in sempiternum.* Item Psalm. 119. 152. *Pridem noui de præceptis tuis, te in perpetuum fundasse ea.* Asaph. Psalm. 78. 5. *Nam statuit testimonium in Iacobo, & legem posuit in Israele, quam præcepit maioribꝰ nostris, vt sciret generatio postrema.* Ergo ad vltimã vsq; generationẽ obseruanda est lex. Isai. inquit 59. 21. *Et verba mea, quæ posui in ore tuo non recedent ex ore tuo, aut ex ore seminis tui, ab hoc tempore vsque in perpetuum.* Idem (teste R. Mose in Directore, & Gaon R. Secidiah Emunot) colligere est ex Iesaiæ cap. 45. 14. ac Ieremiæ cap. 31. 36. locis queis dicitur, *Si statuta, cœli, & terræ cessent, etiam Israelem cessaturum esse populum in cõspectu Domini omnibus diebus suis.*

Ref-

Respond. 1. *Holam* non semper significare æternitatẽ ipsi satis Iudæi norunt (sic inquit Hornbeck) his quoque locis non ita sumendam vocem æternum, sed tãtummodo pro longa duratione R. Ioseph Albo, I K Karim. Ser. 3. cap. 16. ¶ Non illa docent legis æternitatem sed definitum tempus. ¶ Quod confirmat ex locis, Prou. 22. 25. Ierem. 2. 20. Mal. 3. 4. Psal. 61. 5. Isa. 45. 17. Eccl. 1. 10. Exod. 21. 4. 1. Sam. 1. 28. Num. 8. Isai. 32. 14. & 13. 6. vbi vox *Holam* æternũ ita sumitur: & sic quoque Psal. 68. 20. Menasse ben Israel Conc. in Leuit. quæst. 7. pag. 194. ¶ Ait quidẽ R. Iosephus Albus in I Karim, ex locis supra allegatis, quibus vox *Holam* olim semper legitur, non posse certo euinci legis æternitatem; quatenus illud vocabulum etiam de certo tempore vsurpatur; vt Exod. 21. 6. *Et seruiet ei in perpetuum*; vbi *perpetuum* denotat tempus ad Iubilæum vsque, & Sam. 1. 22. vbi ait. Hanna de filio suo Samuele, se velle eum adducere incospectum Domini, vt ibi permaneret in perpetuum, ideſt quinquaginta annos quo spatio seruiebant Leuitæ; id que etiam hic dici posse existimat. Sed nequaquam ea, quà par erat, reuerentia, hanc materiam tractauit. Quamvis enim duobus his, quæ citat, locis, alijs que horum similibus, *Holã* non denotet æternam durationem, notare oportet, id solum dici posse, quando non subijcitur vox aliqua æternitatem & secuturam durationem significans; at minimè hoc locũ habet, vbi tale quid subditur, *in generationes vestras*; in mille generationes; vsque ad vltimam generationem; tibi, ac semini tuo, post te; aut, nobis, ac filijs nostris in perpetuum: cuiusmodi phrasis ijs, quæ allegauimus, Scripturæ locis vsurpatur. ¶ Menasse in Gen. q. 30. Quando sapiens ait, terrã sẽper duraturã, negant *Holã* denotare æternam durationẽ, sed tempus limitatũ. Vti cũ de seruo dicitur Exo. 21. 6. *Et seruiet ei perpetuo*, & de Sam. dixit mater Sam. 1. 22. *& manebit ibi in sæculum*. Quibꝰ locis necessario dicendũ est, tẽpus limitatũ denotari nimirũ vsq; ad Iubilæũ, Sam. vsq; ad mortẽ suã mãsurũ, vt recte obseruatur à R. Iosepho Albo in I Karim. Quod verò Dauid ait Psal. 104. 5. *Posuit terrã supra fundamenta sua, nõ mouebitur in sæculũ*, vt supra ostendimus, æternã durationẽ nequaquã significat, sed limitatã: vel, vt R. Bahye. Psal. 104. 5. inquit. ¶ Ostendit, adeò firmam naturã ijs à Deo datã esse, vt naturaliter nunquã ex loco suo moueri, aut finem habere possint, sed sola Dei volũtate. ¶ Eodẽ modo intelligenda hæc verba. Psal. 143. 5. *Et stare fecit ea à sæculo in sæculũ*. Neq; aduertatur, quod Sapiens Eccl. 3. 14. dicit: quidquid Deus fecit, semper mansurũ, quando *Holã* quemadmodũ iã probatum nobis, non significat æternitatem. Quare satis ipse concedit *Holam* sæpè non denotare æternam durationem.

Deinde, quod ais, locis a te pro æternitate legis allegatis ita tamen sumendã, propter additã æternitatis notã, in generationes vestras, lõgè secus se habet, quia hæc non est nota æternitatis, sed finiti temporis, nẽpè quousq; duratura est vesta Resp. & politia, quandiu distinctæ, notæ que erũt vestræ generationes, & vos eritis singularis Dei populus: quæ iã à mille & sexcentis annis non fuerunt. Præterea formã illã non designare æternitatẽ, disces ex Isai. 61 4. vbi dicuntur ædificaturi desolationes antiquas, desolationes geneartionis & generationis, id est diuturnas, quidem non vero æternas, nam eas reædificarent.

Tert. varia loca à Menasse adducta, quasi pro æternitate legis cæremonialis, nõ de hac loquũtur; sed de lege morali; aut legis Mosaicæ Scriptura, de quibus non est quæstio. At que ista passim in hac disputatione confundit. Vnde hæc eius ibidẽ verba: ¶ Neque Decalogus aliam ob causam tabulis e la-

pide inscriptus fuit, quam vt ostendere tur, legē lapidis instar, in æternum man furam. At que idem est quod cæteri Prophetæ semper Mosis lege nituntur : nam, vt recte annotauit R. Iosephus de Trana in bet Eloim capitul. 54. ab omnibus citatæ fuerunt Mosaicæ Prophetiæ, & Prophetarum vltimus Malac. 32. his verbis vaticinia sua claudit: *Recordamini legis Mosis serui mei, cui præcepi in Horeb ad totum Israelem, statuta & iura.* Quo loco de iudicio extremo agens, suadet Israelitis, vt legem Mosis obseruent, donec ille dies veniat; sed prius venturum Eliam, qui corda patrum in filios, filiorum in patres conuertat, vt omnes perfecto corde ad Dominum reuertantur. Atque hinc probatur; legem æternam esse. Augustinus quoque confitetur, leges quæcunque ab hominibus sanctæ acvtiles latæ sint, ex Mosaica desumptas esse, idea, ac velut exēplo omnium. Quod si huic soli omnes innituntur, sequitur perfectam esse, omnia que continere, quia data à Domino est ad consummandam hominum perfectionem, etiam sempiternam. Quæ omnia & in confesso sunt de lege morum, & Decalogi, atque à nobis æque agnoscuntur vti patet quoque ex citato ab eo Augustino; ac Iudæis. Sic & postea ibidem dicit: quid quod decem præcepta arcæ olim inclusa, omnes hodie que nationes æterna habent, & colunt? Verum est. Sed his cæremonialia comparari in sua vi acdurationè non posse, vel inde vides, quod nec in illam summam contracta, nec in arca olim reposita, nec ab alijs nationibus seruata, vti illa decem, vnquam fuerunt, pro quorum proinde pari firmitate ac perpetuitate, vel æquali cum moralibus iure, non nisi imprudenter & iniquè disputaueris.

Instantia 1. R. Manasse, quam refert & impugnat Hornbeek, quod si nō ita se res habent, vt dixi, nescio cur Moses, ac reliqui Prophetæ, talibus verbis vsi sunt: nisi forte eorum, ac Dei consilium fuerit, ponere offendiculum hominibus. Quanto satius fuisset, clare eos dicere, venturum aliquando tempus, quo lex non obseruaretur? Nam in re tanti momenti multo præstitisset clarè atque apertè loqui, quam verba proferre, quæ contrarium habere sensum viderentur, & si illud verum, profecto non multum illi culpandi sunt, qui ipsis sacræ Scripturæ verbis adhærent.

Resp. Illud nobis multo iustius dicere licebit, quādo vobis proferimus S. Scripturæ loca, quæ adeo aperte ostendunt pluralitatem personarum in Deo, vbi non vnā vocem, sed integras phrases vrgemus & locutiones. Verbum aliquod vnū ex alijs pluribus, & integris locis exponi debet, præsertim vbi sæpius non eo sensu ponitur, in quē id trahere aliquibus locis conātur aduersarij. Clare & aperte satis Scriptura vbiq; testata est, non esse parē ratio nem legū cæremonialium vel iudicialiū, quæ moraliū, nec in ra tione obseruantiæ, neq; durationis: vt nec verbis, nec sensui Scripturæ vlla ratione adhæreant, qui contrariū sectantur. Deniq; nec doctrina, nec praxis vestra probāt perpetuā legis cæremonialis obseruāti ā intelligendā esse de æternitate omnimoda ad finē vsq; mundi, quia, ne dicam sæpesimè, tēporibus etiam pristinis, cæremonialia nec iudicialia obseruata. Vide. 1. Sam. 21. 6. & 2. Sam. 21. 9. 10. Iam multis sæculis ea neglecta à Iudæis fuerunt; quin & multa, docent, non obseruanda fore temporibus Messiæ: ergo non præcise *Holam* in æternū hic significat.

Instantia 2. Iudæus in Amica Disp. quæst. 6. obijcit aliqua Scripturæ loca pro obseruantia totius legis Mosaicæ in perpetuum, etiam diebus Messiæ. Deut. 30. 1. Fietque cum super vos venerint omnia hæc verba, benedictio & maledictio quas de-

dedi vobis & reuersi fueritis ad Dominum Deum vestrum & audieritis vocē eius, sicut omnia, quæ vobis hodie præcipio, vos, & liberi vestri ex toto corde vestro, totaque anima: & Dominus Deus vester conuertet se ad captiuitatem vestram, & miserebitur vestri, & reuertetur & congregabit vos ex omnibus gentibus, quo dispersit vos, &c. quando audieritis vocem Domini Dei vestri, & præcepta, ac ritus eius, custodieris quæ præcipio vobis & in libro legis huius scripta sunt, & quando ad Dominum Deum vestrum reuertimini toto corde, tota que anima. Malach. ait. *Recordamini legis Mosis serui mei, quam illi præcepi in Horeb ad totum Israelem, cū ritibus & iudicijs.* Denique Scriptura dicit: *Dilige Dominum Deum tuum, & serua præcepta eius ac ritus & iudicia eius omnibus diebus.*

Respond. intelligenda illa loca de obseruantia legis moralis, saltem eius præcipuè. Atque vbi adduntur leges etiā aliæ, intelligitur, seruandas illas, quatenus in ijs Deo obtēperarent, & auscultarent voci eius, quod est legis moralis præceptum principale: ideoque illas non seruarent aliter, quam quousque ipse Deus vellet eas seruari, id est ad tempora Messiæ.

Obij. 3. sed Deus non mutatur, ergo neque eius lex. Maimonides de fundamentis legis cap. 9. §. 2. Deus enim benedictus mandauit Mosi. vt ista lex nobis filijs que nostris esset sempiterna: non autem est homo Deus, vt mentiatur. Abrauanel de cap. Fid. ca. 13. ¶ Atque ex hoc toto colligitur non posse legē mutari vel quoad totā, vel quoad partes, propter sapientiam dantis, atque potentiam Dei excelsi. Hoc intendit Propheta, cū ait: *Ego Dominus non mutor, & vos filij Israel non consumemini* Mal. 3. 4. 6. quod sit æterna sine variatione, ac populus æternus Iudæus, in Amica disput. pag. 28. ¶ Quomodo Christiani demonstrant legem Mosis ad certum tantummodo tempus datā esse, cum Deus non sit sicut homo, qui mutatur, & pœnitentia ducitur, cumque tam multis Scripturæ locis expræsse dicatur legem esse æternam? ¶

§ VII.

Respondetur argumento, & conciliantur textus contra veritatem adducti.

RESp. Non ideo mutatur Deus, quod aliquid mutatur extra Deum. Mutatio hæc rerum, nō Dei est. Imò immutabili Deus decreto voluit, vt lex ita mutaretur, & modus colendi Deum. Rerum extra Deum mutatio infert mutationem in Deo? ergo quotiescunque Deus modum religionis, iam aliter quam tum instituit voluit, & statum populi variauit, dicetur mutatus? quando volet temporibus Messiæ extingui memoriam seruitutis & liberationis Ægyptiacæ, secundum Iudæos, quam tanta cum religione, & iam & semper celebrari voluit, mutabitur? Quando legem tulit certo tempore, loco, statu que duraturam: quibus decursis cesset, non interpretari debemus mutatam legislatoris voluntatem, desinente lege, qui non alio animo, fine que eam tulit, quam, vt ne diutius vigeret: Medicus, qui viro ratione valetudinis (similitudine vtitur ista R. Ioseph. Albo) parcam præscripsit diætam, postea firmiorem, non mutari consilio dicendus est, quando homo missa priori, fortiorem sequitur, meliorem que viuendi methodum. Sic Deus non præscripsit legum cæremonialium, ac iuditialium obseruantiam diutius, quam ad Messiæ tempora, quo veniente, abrogata sunt illa, haud cogitare debemus ideo mutatum Deum, cuius quidē immutabilitatem doctrina nostra præ Iudaica, certius adstruit, & probat. Neutiquam enim hinc extundetur

Deum ſibi ipſi ius ademiſſe mutandi, aut nouam ferendi legem. Neque hoc repugnat ſapientiæ Dei, aut eius immutabilitati, ſola enim opponeretur diuinæ conſtantiæ mutatio legis, ſi illi diuina voluntate decretum abſolutum de non mutanda lege conuinceret, aut Scriptura indicaret. Neque abſurdum haberi debet Deum non dediſſe vniuerſalem pro omnibus hominibus, pro omnique ſæculo, regulam. Hoc enim per inde eſt, ac ſiquis interrogaſſet, cur Deus non creauerit homines æque iuſtos ad illi ſeruiendum cunctos, aut omnia viuentia intellectu prædita. Cap. 14. probat R. Ioſephus Albo lib. Art. tract. 13. cap. 14. diuerſorum inductione rituũ legis, inquit ſubinde circa liciti, atque illiciti rationem variaſſe, & quæ alijs fuerunt indulta, alijs rurſus vetita fuiſſe, ſic Adamo dicit interdictum fuiſſe eſum carnium, ſeu animalium. Noacho vero donatum, Abrahamo datum circumciſionis præceptum, Moſi alia multa ſtatuta, quæ nullum habuerant in primo ſæculo locum. Noachida ſimiliter, ſi minutiſsimum numulum, ſeu teruncium furto abſtuliſſet, pœnam capitis incurrebat, non ſic Iſraelita, illi etiam permiſſum erat patris ſororem in vxorem aſſumere, minime autem huic. Vnde infert legem diuinam fuiſſe mutatam ex licito in vetitum, & è contra iuxta temporum viciſſitudines. Si ergo lex tempore Noachidarum, quæ erat, variabilis fuit, & alia ab illa, quæ à Numine in Sinai monte fuit promulgata Iſraelitis, quare vetitum dicere nobis erit legem Moſis cæremonialem derogaſſe Euangelium, nouam ve datam fuiſſe à Meſſia?

Dices Deut. 12. dicitur non licere legi aliquid addere, vel ſubtrahere. Et dicitur *non eſt in cœlis*, quaſi neque à cœlo minuenda, vel augenda, aut varianda ſit lex. R. Albo, (quem ipſi Diuinum appellant Iudæi) locum Deut. 12. interpretatur de idololatria, ne videlicet aliquid addatur, vel dematur modo vel formæ colendi Deũ, atque id recte colligi, ait, ex ipſo orationis nexu, ſi quidem in duobus præcedentibus verſiculis, populum ſuum a nefando gentium cultu, & à liberorum oblatione dehortatur, quibus mox dictam ſubijcit monitionem Eandem R. Moſis Nachmam facit expoſitionem, & ſub finem capit. 14. in lib. Art. tract. 3. ait, & recte aduerſus Maimonidem vrget, quod ſi vel maxime ſenſus locorum iſtorum eſſet, quem vult Maimonides, non tamen in de colligi in æternum non mutatum iri, quia inquit. ¶ Scriptura non niſi nos admonet, ne addamus, aut detrahamus aliquid præceptis pro noſtro libito, vel arbitrio. Sed quid prohibet, quominus ipſe Benedictus addat, aut demat, prout ſapientia eius ſtatuerit. ¶ Verba illa *neque e cœlis*, non ſunt, ſicut intelligit Maimonides, accipienda. Cum enim in ſuperioribus Moſes hortaretur populum ad legis obſeruationem, ſimul ingerit obſequij iſtius facilitatem, videlicet in ore, ac animo Iſraelitarum legis notitiam, ac memoriam circumferri, vt non opus ſit eam è cœlo, vel vltra mare, aut aliunde petere, quod merito à præſcripta poſſet obedientia abſterrere.

Ex

Ex Genes. 17. In sanctio dierum circumcidatur.

Iosue 5. Per quadraginta annos populus non est circuncisus.

§ I.

Rabbinorum expositiones repelluntur.

RAbbini, Boream ventum esse obseruandum, aiũt, qui plagis medeatur, vt circumcisio celebretur, hoc enim spirante salubris valde est omnis sanguinis missio, & illo non spirante valde periculosa, hinc medicum illud axioma ipsorum Talm. Iou. folio. 72. diebus nubilosis, & qui Euro flantur non circumcidimus. Eiusmodi autem non spirasse per 40. illos annos ventum constat, quippe cum nubibus sit inimicus, illa Sanctuario familiaris nubes dissiparetur, ideo Israelitas à circumcisione abstinuisse.

Quod si dicat quis, cum continuo circumcidi nunc teneantur, qui Aquilonem expectare possunt? Respondent in Talmud. in Gitt. cap. 5. quatuor ventos singulis diebus flare, singulisque immixtum esse Aquilonem, aliquando etiam reliquos omnes superare, ac proinde singulis diebus sine discrimine circumcisionem celebrari posse. Ventum autem Septentrionalem tum temporis non spirasse dicunt, quia serenitatem inducat, vt apud Iob. 37. Ventus transiens fugat nubes, ab Aquilone venit aurum, ideſt suda, & serena tempestas instar auri radians, & refulgens, itaque si tum ventus iste increbuisset, nubem gloriæ, quæ populum Israeliticum comitabatur, dissiparet, vnde magna accepissent incõmoda populus, de quo plura in Talm. trac. Iebbamos, ideſt, de fratrijs, seu fratris absque liberis defuncti vxore ducenda. cap. 8.

Alij ex Talmudicis aliter Iosuæ locum exponunt, asserentes: indeserto Iudæos celebrasse circumcisionem, sed quia licet a suis parentibus antea fuissent circumcisi, iterum repetere tenebantur circumcisionem, si sacrorum communione cæteris Iudæis consociari vellent, qui immanitate seruitutis Ægyptiæ oppressi, arte quadã medica subductâ, atque distenta pellicula, nouum sibi præputium comparauerant, glandemque eo iterum contexerant, scelera mutati Ægyptiorum, de quibus Ierem. *Ecce prope ad sunt dies, cum animaduertam in omnes qui circumcisi sunt cum præputio*, & addit; *In Ægyptios, & in Iudæos, in Edomitas, & in Ammonitas, Moabitasque*, tales autem erant Ægyptij, qui post quam circumcisi essent, præputium attraxere, & à Ierem. appellantur circumcisi cum præputio, arte scilicet quæ abscissam antea reparet. Qualia facere plures Hebræi, Romanorum, qui vero iam potiebantur in Iudæa, iniurijs exagitati, & postea Barchuzibæ iussu iterum sunt circũcisi, qui occupata Bitter. apud eas gentes dominabatur, & vnus habetur de filijs iniquis Israel. Et ferunt (inquit) sibi præputia, & recesserunt à testamento sancto. Licet D. Hieron. libro 4. Isai, c. 52. censeat eos de quibus hoc loco sermo est, feciſſe sibi præputia non in suis corporibus, sed in nascentium filiorum, propter impossibilitatem præputij nouiter adducendi. Quem sequtus est Rupertus lib. 9. de Victc. ap. 18. Posse autem fieri, vt præputia attractione quadam, & medicamentis reducantur, tenuit Celsus lib. 7. Epiphanius. At hoc (inquit) adhuc grauius est, quod etiam à circumcisione præputiati fiunt, arte quadam medi-

dica per instrumentum attractorium, spathisterem appellatum, infirmam membrorum cuticulam attrahi sinentes, futuramque admittentes, & glutinatorijs circumdatis, præputium rursus superinducunt. Et paulo inferius, Hanc traditionem vero diabolici inventi Esau fratrem Iacobi reperisse aiunt ad ab negationem Dei, & ad deletionem characteris patrum ipsius. Qua propter aiũt, Deum dixisse: odio habeo ipsũ Esau, Iacob vero dilexi ¶ hæc Epiphanius. Inde interpres apud Martial. lib. 7. epig in Celiam explicans illud. *Nec recutitorum fugis inguina Iudæorum*, Iudæos recutitos putauit, quoniam Iudæis infantibus (inquit) cutis inguinis rescindebatur, postea cum cutis succresceret, dicebãtur recutiti, quasi noua cute tecti. Persius Satyr 5. recutita Sabbata, hoc est Iudaica facta, dicit, vbi interpres: Iudæos (inquit) recutitos, quibus noua cutis restituta est, licet alias apellet recutitos, hoc est, circumcisos.

Verum hæc expositio Rabbinorum quamtumvis sic roborata subsistere nequit. Quoniam hic epitasmus, seu peliculæ attractio, sicut circumcisio symbolum religionis, & illius professio, erat apostasiæ signum, ita vt qui hoc crimen perpetrassent, apostatæ habendi essent, non ergo credibile est impune tam grauiter deliquisse populum indeserto, & hoc crimen invltum relinqui, cum leuiora tradiderint peccatores in ruinam.

Rabbi Eliezer cap. 29. & R. Salomon, ex his quæ in ritu circumcisionis celebrant, explicant secundam Iosue circumcisionem. Primo enim, (vt inquit Buxtorfius in sua synagoga) particulam præputij, & quidem eo vsque vt glãs denudata appareat, abscindit. Secũdo, vbi manans ex vulnere cruor paululum cohibitus est, vnguibus resectã, seu obtusam penem intergentis cutis partem, induo discerpens, retrorsum veluti decorticans conuoluit, ita vt glans omnimode retegatur, & denudetur. Postremam hanc retectionem Priah appellant Iudæi. Inquiunt ergo Israelitas omnes, quoad sectionem præputij indeserto semper circumcisos fuisse, sed non quoad denudationem, & secundum istam à Iosue circumcisos fuisse. Sed hoc difficile redditur creditu, quia Priah. seu denudatio illa, non circumcisio, sed actio est circumcisionem sequuta, non ergo ideo appellari debet secunda, nisi velint tertiam fateri ab alijs actionibus circumcisionem necessario & indispensabili lege comitantibus.

Minister namque, (vt inquit Buxtor vbi supra) circumcisionis peractæ scypho accepto, vino, quantum ore contineri potest, ex parte puerulum aspergit, & sanguinem aliquatenus remouet, partem etiam in faciem expuit, si præsertim aliquid debilitatis agnouerit, postea vero ex mentula pueri, ore sanguinem, vt eo citius sistatur, probe sugit, & sanguine exucto, alterum e cyathis, vel etiam arenæ scutellam, irrorat. Hoc ter ad minimũ facit, & Hebraicæ *Mezizah* appellant. Quod sane non Mosis, sed Iudæorum Rabbinorum est præceptum. Quare ergo ab ijs actionibus tertiam, & quartam etiam non diceremus, si a denudatione liberum esset circumcisionem Iosue appellare secundam. Neque denudatio negari deberet, cum primo facta fuit circumcisio, si substantialis esset in sacro circumcisionis ritu.

§ II.

Conciliatur antilogia ex Hieronymo.

DIuus Hieron. super Epist. ad Galat. Paul. cap. 3. (idem sentit Theodoretus) ¶ Quia enim (inquit) ex semine erat Christus oriundus, in quo vniuersarum gentium fuerat benedictio repromissa, & ab Abraham vs-

vsque ad Christum multa erant sæcula transitura, prouidens: Deus ne sobo les dilecta Abrahæ cæteris nationibus misceretur, & paulatim familia eius fieret incerta, gregem Israeliticum quodam circumcisionis cauterio denotauit, vt viuentes inter Ægyptios, inter Assyrios, Babylonios, atque Chaldæos, hoc signaculo distinguerentur. Denique per quadraginta annos in eremo nullus est circũcisus, soli quippe sine gentis alterius admixtione viuebant, statim vt Iordanis ripam trasgressus est populus, & in Palestinæ terram, Iudæum se examen infudit circumcisio necessaria futuro ex commixtione gentium prouidit errori. Solida quidem ratio; si circumcisio distinguere, & discernere selectũ populum ab alijs gentibus tantum institueretur, verum simul naturæ ab originali culpa corruptæ fuit expiatio, sicut sacramentum Baptismi apud Christianos. Hæc prima illius fuit institutio, ex consequenti, vt illo sacro cauterio populum denotaret. Antilogia sic cõcordari potest. Circumcisionem sine crimine differri vltra diem octauum potuisse, si infirmitatis, itineris ve necessitas impediret. Pascha namque & Phase seueriori lege mandatum celebrari quotanis, inter proficiscendum ab Ægypto per desertum a die vigesimo mensis secundi anno, qui illis fuit à libertate secundus cessauit, quia in stationibus ad montem Sinai, in quibus diu immorandum erat, & Pascha & circũcisionẽ nõ celebrasse Iudæos, in illis qui per 47. dies fuerunt editi in lucem, iudico esse verisimilius. Cum autem inter proficiscendum semper mouenda essent castra, & ægrorum imbecilitas ex recenti vulnere moram deberet inijcere profectioni, quæ à Dei nutu, nube que mota pendebat, ideo non ex contemptu vel negligentia, sed necessitate, à circumcisione excludebantur celebranda, cum primo oportune potuerint.

Neque contrarium euincit, quod Dominus Mosi necem minatus fuerit, eo quod filium non circumciderit per iter Dei ipsius iussu institutum. Quia Moses ante quam se cum vxore, & liberis inviam daret, poterat, & decebat circumcidere filium, maxime cum illi recens natus non esset, neque à Domino compelleretur, vt ante valetudinem consequutam arriperet iter, qui totius populi dux exempla religionis, & obseruantiæ, vulgaribus alijs hominibus, tenebatur præstare.

Sed, quare, dices, nullo modo præueniri poterat dies octauus circumcisionis? cum possit differri, cũ æque opponatur præcepto præfixi temporis anticipatus, quam prorrogat⁹ dies, Omittimus, quæ alij de ætate octaua aiunt, quæ vitæ æternæ reditura mortuos est, quia (inquit Cunæus) non inuentionum acumen, sed rerum pondera amari debent. Rationem dedit prædictus autor. Quia cunctæ animantes, cum recens natæ sunt, quia brebem lucis vsurã habuere, & incertum adhuc est, an vita illis vitalis sit, ante octauũ diem vix incessu animantium destinantur, ad hoc, non dum spurcities diffuxit, quæ vltro illis, atque ex partu credita est ad hæresceré. Ea solida causa est, cur ex hoc genere macta ri victimas sibi vetuerit Deus, cui ingratum est, quidquid semiperfectum aut impurum est Leuit. 22. *Bos, Ouis, & Capra, cum genita fuerint, septem diebus erunt sub vbere matris suæ, die autem octauo, & deinceps offerri poterunt Domino.* Igitur quoniam etiam circumcisio velut quoddam solemne sacrum fuit, per quod puerorum surgentem spem consecrabant numini, plane oportuit hic eandem oportuni temporis legem esse. Placuit autem octauus dies, non ob arcani vim, quæ in numero esset, sed quia nec ante peragi facerille ritus potuit, & vt diutius differretur, haud necesse fuit nisi infirmitatis itineris causa.

Di-

Dicitur autem repetita circumciſio, quia renouatur mos, qui vſurpatur olim in Ægypto, ac idem intermiſſus, poſtremo penitus abierat indeſuetudinem. Plura eruditus Maſius in Ioſue. cap. 5. nec non Seratius. Magni ponderis vere non ſunt, quæ iſte contra illum adducit. Videatur Auguſtin. in quæſt. ſuper Ioſue.

Ex Geneſ. cap. 17. Hoc eſt pactum meũ, quod obſeruabitis inter me & vos, & ſemen tuum poſt te.

Ex eodem Gene. cap. 17. Tàm verna culus quàm emptitius circumcidetur, & quicumque non fuerit de ſtirpe veſtra.

ABulenſis, æqualiter teneri poſteros Abrahæ & ſeruos eorum lege circumciſionis, inde deducit, quod, Ariſtotele teſte, ſerui aliquid domini ſunt, atque eius iure & poteſtate deuicti, ſicut & filius, & ſic quamvis inuiti circumciſioni ſubiecti eſſe debent. Verum licet ſeruus aliquid domini ſit quoad corporalem domini famulatum, in ijs autem quæ ſunt animi, & quæ ſpectant ad virtutes & vitia, & religionis ſubſtantiam imperio domini obnoxius non eſt.

Caietanus aliter exponit. Quæſtionem generat (inquit) an ſeruus inuitus fuerit circumcidendus, & eſt ratio dubij, quia ſi ſerui requiritur, voluntas, pari ratione dicendum erat de mercenario, vt circumcideretur, & ſic comederet paſcha. Solutio eſt, dupliciter nos poſſe loqui de circumciſione, vel vt erat præciſe ſignum diſtinctiuum domus Abrahæ, & ſuccedentium ex mandato Dei, & ſic procul dubio ſeruus hominis Hebræi, poterat inuitus à domino circumcidi, quemadmodum poterat cauterio notari ſtigmate domini ſui in alijs partibus corporis, itaque eo ipſo quod erat emptus ab Hebræo ſubditus erat legi circumciſionis, quam Deus promulgauerat Abrahæ Gen. cap. 17. Sin autem loquamur de circumciſione, vt fuit profeſsio quædam, ac proteſtatio fidei, atq; aliorũ huiuſmodi, ſic non poterat ſeruus inuitus circumcidi, quia credere voluntarium eſſe debet, nec ſeruitus humana ſubijcit homini hominem quoad fidem myſteriorum diuinorum. Sic Caietanus.

Verum, ſicut nefas eſſet conferre homini inuito baptiſmum quoad exteriorem lotionem & diſtinctionem aliquam Chriſtiani nominis à non Chriſtiano, non autem impẽdi quoad fidei profeſsionem ſpiritualem, quia vtrũq; in ſeparabiliter præbet baptiſmus, ſic in circumciſione in qua diſſociari non poſſunt corporale & ſpirituale, quæ continet.

Dicendum ergo eſt: ſeruos non teneri lege circumciſionis, quaſi inuite ad illam fuerint cogendi, ſed quod non ſint excludendi ab, illa ſi accipere vellent, quaſi non ſolum Hebræis datum fuerit circumciſionis ſacramentum. De alienigenis autem conſtat expreſſe Exod. 12. *Quod ſi quis peregrinorum in veſtram voluerit tranſire coloniam, & facere phaſe Domini, circumcidetur prius omne maſculinum eius, & tunc rite celebrabit, erit que ſicut indigena terræ*, id eſt ſi voluerit comedere, prius circumcidatur.

Ex Genes. c. 17. Hoc est pactum meum quod obseruabitis inter me & vos, & semen tuum post te.

Ierem. ca. 9. Ecce dies venient, dicit Dominus, & visitabo super omnem, qui circumcisum habet præputium super Ægyptũ, & super Iudam & super Edom, & super filios Ammon & Moab.

HÆc verba Ieremiæ difficultatem accipiunt ab expositione Hieronymi. Multarum (inquit) gentiũ, maxime vero quæ Iudeæ, Palesti næque confines sunt, vsque hodie populi circũciduntur, & præcipue Ægyptij, & Idumæi, Moabitæ, & Ammonitæ, & omnis gens Saracenorum, quæ habitat in solitudine. Non igitur gloriari debet Iuda, qui mixtus est cum supradictis gentibus, eo quod præputium non habeat, sed ex lege Dei circumcisus sit, cum & alij hoc faciant, qui legis mandata non seruant, Hæc Hieronymus. Exquibus constat circumcisionis fœdus & pactum non inter Deum, & Iudæorum populum fuisse, sed alijs commune gentibus.

Dicendum nihilominus est, circumcisionem, qua sacramentum est, fœdus fuisse Iudaici populi & seminis eius cum Domino, Abraham enim promissionem diuinam accepit ex semine suo nascituri Messiæ Genes. 22. In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ. Gentes autem illæ, de quibus Ieremias, circumcisionem non quasi sacramentum colebant, quod promissionem venturi Messiæ & professionẽ fidei, & peccati originalis expiationẽ claudebat, sed tamquam morem & ritum ad posteros transmissum & à maioribus diu seruatum. Qua ratione Mahometes circumcisionem complexus est, & sectarijs suis obseruandam mandauit.

Sed non possum non aduertere, falso Herodotum tradere lib. 2. Palæstinos, circumcisionem à Colchis, Ægyptijs, & Æthiopibus didicisse, cũ ante circumcisionem Abrahæ datam in fœdus, nullibi fuerit in more ritus circumcisionis, sed ex Hebræis ad Ægyptios transmissus, cum per 200. annos in Ægypto captiuus commoraretur.

Liberum ergo erat non solùm seruis sed alienigenis, relictis patrijs ritibus circumcisionem recipere, & profiteri Iudaismũ, & hi appellabantur Proselyti Iustitiæ. Tria præcedebant initiamenta, vt quis Iustitiæ Proselytus haberetur, circumcisio nempe, baptismus, & tandem oblatio. De quibus sic Maimonides. ¶ Proselytus qui circumciditur, nec tamen baptizatur, aut qui baptizatur, nec tamen circumciditur, Proselytus neutiquam est habendus, ante quam tàm baptizetur quàm circumcidatur, neque legitimus erat baptismus, nisi coram trium viris perageretur, & cum actus sit forensis, ideo nec sabbatho baptismo rite saris adhibebatur, nec die festo nec noctu, quibus temporibus nihilominus si forte adhiberetur, Proselytus quidem is erat, qui sic baptizatus. ¶ Hæc Maimonides. Ante huiusmodi autem solemnitates professio integra & perfecta totius Iudaismi præcedebat, nam si vnicum aliquod seruare & profiteri renueret fœdere sacro arcebatur, & in Proselytum Iustitiæ non ascendebat.

Ex

Ex Genſ. 17. Maſculus, qui circumciſus non fuerit delebitur anima illius de populo ſuo.

Ezech. 18. Anima, quæ non peccauerit, ipſa punietur.

KAreth, ſiuè excidium (idem valet atque delere) cuius hic fit mentio, varie apud Rabbinos intelligitur, ſex refert, & ſimul refellit expoſitiones Abarbanel, & ipſi à Deo (vt vane inquit) veram monſtratam exponit. Quæ cum alijs a Buxtorfio fideliter adducitur & omnes in falſitate & futilitate conueniunt, æque que deficiũt à philoſophiæ & principijs Theologiæ, vt perinde fuerit audire, quam repellere illas. Ad Chriſtianorum ergo expoſitiones, quorum nulla ſic deuiat à veritate, properemus.

§ I.

Chriſtianorum expoſitiones proponuntur.

CAietanus. ¶ Appoſita hoc loco (inquit) pœna ad præſentem vitam ſpectat, nam apud Hebræos anima pro vita vſurpatur, Hebraice vero pluraliter legitur de populis ſuis, quo ſignificatur huiuſmodi pœnam mortis corporalis non fuiſſe promulgatam pro tunc, ſed pro futuro tempore quo ſemen Abrahæ in multos populos diuiſum foret, quod ſane tunc accidit, cum in terra promiſſionis per varias ciuitates ſparſi, conſtituerunt diuerſos populos, vnius tamẽ populi totius partes. Ad illud itaque tempus refertur hæc pœna, præcipiente Deo, ne tunc permittant adultum quempiam eſſe in circumciſum: ſi quis autem non vellit circumcidi, vt exterminetur vita eius. ¶ Hugo de S. Victor. ¶ Delebitur (inquit) anima illa de populo ſuo, ſi veniens ad ætatem diſcretionis neglexerit circumciſionem, deleri autem è populo, eſt vel interfici, vel expelli à populo. ¶ Quod confirmant lectiones Chald, & Septuaginta, qui actiuè legũt: *qui non circumciderit carnem præputij ſui delebitur* vnde ſolos rationis compotes comprehendit pœna, quod tempus regulariter de anno ætatis decimo tertio impleto præter diem inſuper vnicum capiunt. Aben Ezra, quando eſt filius (inquit) maiorenis, ſi non circumciderit carnem præputij ſui, impendet ei exciſsio. Quoniam præceptum quidem de paruulo datur patri, ſed ſi patres eum non circumciderint, ipſe ſe circumcidat. Idem ſentit Lyranus, filium nempe adultum, ſi non circumcidatur, morte plectendum, ob circumciſionem tamen omiſſam pueri, plectẽdum ſiuè parentẽ, ſiuè tutorem quod manifeſtum facit quod legitur de Moſe, cui mors imminatur ob circumciſionem prætermiſſam, ſiuè Gerſoni, ſiuè Eleazari.

Verum reclamat ſchola integra, (vt apud Buxtorf. conſtat) vnde prodijt Lyranus ex Iudæo Chriſtianus, nec in ſacro ſermone quid eiuſmodi repertum, quod fuſius tradidit Burgenſis. Neque quod legitur de Moſe oppoſitum ſuadet, non enim ab omnibus intelligitur comminatio illa velut ob circumciſionem prætermiſſam facta. Vide Abrahamum Hiſpanum, Muſterum; & in Chaldaicam loci Paraphraſim Fagium. Tum etiam quia in Arabica Saadiæ verſione, & quæ in Iaranis Biblijs habetur locus ipſe non de Moſe, ſed de filio eius, vtpote Eleazaro, diſerte capitur. Sic enim ibi: *cumque eſſet in itinere in diuerſorio irruit in filium eius Angelus Dei, voluitque oc-*

occidere illum) Et Iudæus Proſelytus apud Tertulianum adu. Iudæ. cap. 3. Filius Moſis tum ab Angelo præfocatus fuiſſet, ſi non ſephora mater eius calculo præputium infantis circumcidiſſet. Quod ſatis admittit Auguſt. in Exod. lib. 2. q. 11. & R. Simæon Ben Gamaliel Gem Babil ad tit Nidar c. 8. Tũ quia licet vigeat (vt fas eſt) lectio Vulgatæ, res illa plane extraordinaria erat, neque ex circumciſionis lege ante data comminatio eſt intelligenda, ſed ex diuino tunc placito. Sic Seldenus lib. 5. Syned. c. 6.

Paulus Burgenſis etiam ex Iudæo Chriſtianus, moribus Hebræorum & varijs eorũ inſtitutis & traditionibus apprime verſatus, & fabulas, mendacia que, ac illorum varia commenta deſpiciens, ſic textum antilogiæ noſtræ, videlicet, paruulus, cuius præputium circũcisũ non fuerit delebitur anima eius, ideſt nõ ſaluabitur, exponit. ¶ Omittens circũciſionẽ (inquit) nõ erat morte corporali puniendus etiam ſecundũ Hebræos. Non enim dicitur hic morte moriatur ſicut in alijs criminibus, in quibus lex vetus mandabat puniri morte corporali. Sed dicitur hic delebitur anima ipſius, ideſt, non computabitur inter Sanctos ſecundũ gloſſam, cuius ratio eſt: quia talis anima remanebat obligata originali peccato, in cuius remedium circumciſio fuit data. ¶ Vt in 4. diſt. 5.

Vel poſſumus intelligere exciſionem illam de excommunicationis pœna, quaſi idem ſit delebitur anima eius, ex ſcindetur, ideſt ſeparabitur ex cœtu, vniuerſitate, Eccleſia, Synagoga & Republica, cuius pars nequit eſſe, qui circumciſionem præputij, ſignum fœderis, & profeſſionis Iudaimi in ſe non portaret. Adeoque eiuſmodi infamiæ nota laborabat, vſque dum pœnitentia ad bonã mentem rediens, abſolueretur, reſtitueretur que iuri Hebraico. Pœna quidem exciſionis durabat vſque dum pœnitentiam egiſſet reus, & numini ſe reconciliaret, adeoque ſic pœna ſe liberaret. Quod admittendum volunt Hebræi, ſi Seldeno credendum eſt. Superius, cum de fabulis, quas Rabbini ex fœtidis ſuæ obſtinatæ eruditionis lacunis, de ſecunda vxore noſtri parentis Adami nomine cõmenti ſunt, ſermone inſtitueremus, promiſimus pariter, vbicumque poſtularet occaſio, quæ erga ſingula dogmata, verba que tuæ legis ex cerebro, vel, vt ipſi dicunt, ex lege quã vocant orali, originata Sacræ Scripturæ mixcuerũt, tradere. Cõſulto tamẽ promiſſis ſtare recuſo, cũ poſſẽ ſuperſtitioſã circumciſionis religionem prout nunc ãludæis ſeruatam referre, timeo enim, ne quæ cordatis in noſtræ forent religionis confirmationem, inſcijs in ſeductionem deſeruiant, præcipue qui ab Hebræis originem, & ſi remotiſſime ducunt.

Ex Geneſ. 17. Riſit in corde ſuo, dicens Abraham putas ne centenario naſcetur filius? & Sara nonagenaria pariet?

Paul. ad Rom. 14. Et non infirmatus eſt in fide, nec conſiderauit corpus ſuum emortuum, cum iam fere centum eſſet annorum, neque mortuam vuluam Saræ, &c.

CHryſoſtom, & Hieronymus incredulitatis & infidelitatis arguunt Abrahamum, ille hom. 6. de pœnit. hic lib. 3. dialog. aduerſ. Pelag. verum huic opinioni contradicit Paulus expreſſe in ſecundo textu antilo-

giæ: Neque locus Pauli ad fidē Abrahæ, quam Deo promittenti, inſtar ſtellarum ſeminis multitudinem, exhibuit, eſt referendus, ſed intelligi debet de fide promiſsionis diuinæ ex Sara generando filio. Paulus namque fuiſſe centum annorum Abraham, tradidit illo loco cum riſit: at cum credidit Deo multitudinem ſeminis promittenti minor fuit 86. annorum, cum parum poſt temporis id duxerit vxorem Agar, & ex illa generaſſet Iſmaelem cum 86. natus fuiſſet annos Geneſ. 16. Neque credendum eſt Abraham diffidentis riſum non fuiſſe à Deo increpandum, ſicut Saræ increpauit Dominus Geneſ. 18. & Zacharias generationem Ioannis non credens ab Angelo fuit correptione, & reprehenſione correptus.

Ioannes Arboreus, Abrahamum, ſtatim cum Dei promiſsionem audiuit, aliquantisper hæſiſſe, exiſtimauit, at diuinis verbis erectum poſtea firmiſsime credidiſſe, de qua fide Paulus intelligi debet, Verum iuxta iſtam expoſitionem Abraham non vindicatur à culpa, ſed ſolum ab obſtinatione in peccato, cum initio promiſsionis diuinæ hæſitauerit.

Caietanus dubitationem non tamen vitioſam fatetur.¶ Riſus Abrahæ (inquit) non fuit irridentis verba diuina, ſed ea hilariter ſuſcipientis in feſtiuum nuncium, neſciendo tamen quid myſterij continerent. Non enim credidit tunc verba illa dici à Deo ad eum ſenſum, quem ſonabant, ſed ad aliquod myſterium lætum, & propterea hilariter ſuſcipiendo riſit. Et non credens ea dici ſecundum ſenſum, quem præferebant, contulit in corde ſuo rationes mouentes ipſum ad interpretandum diuina verba non ſecundum litteram ſed ſecundum myſterium. Nec ob eas rationes putauit impoſsibile eſſe impleri ad litteram, quod dixerat Deus, ſed difficile eſſe, & non eſſe intentum à Deo. Qua propter non aſſertiue, ſed interrogatiue eas contulit rationes in corde ſuo, & cum maxima reuerentia adorans poſtratus ſuper faciem ſuam. Nec interpretatio hæc aduerſatur verbis Pauli affirmantis: Abraham non eſſe infirmatum fide, non eſt ſiquidem infirmatus in fide, ſed fuit ambiguus de ſenſu verborum diuinorum, an ea ſecundum litteram, an ſecundum myſterium aliquod dicerentur. At vbi Deus manifeſtauit ei ſenſum verborum ſuorum protinus credidit firmiſsime, non obſtantibus naturalibus cauſis ex parte ſui, & Saræ incontrarium. ¶

Proponitur vera expoſitio.

Quamvis in Caietani ſententiam propenſus ſim; Ambroſij & Ruperti non poſſum non referre, qui riſum Abrahæ ſymbolum exultationis, & gaudij, audito promiſſo diuino, arbitrantur. Symbolum eſſe annuentis habetur apud Homerum 118. Indicium ſpei oſtendit riſus Eccleſ. capit. 13. *Et ſubridens* (inquit) *ſpem dabit narrans tibi bona, & dicet, quid opus eſt tibi?* Ecce riſum ſymbolum bonæ ſpei, ſignum eſt etiam affabilitatis, benebolentiæ, & comitatis apud Iob. cap. 29. *Cum ridebam ad eos, non credebant, & lux vultus mei non cadebat in terram.* Virg. Eglo. 4.

Incipe parue puer, cui non riſere parentes.
Nec Deus hūc menſa, Dea nec digna-ta cubili eſt.

Germanus Guellius, qui non riſere parentes, legit, ac ſi diceret, hunc, ex ijs, O parentes, qui non riſere, nec Deo mēſa, nec Dea dignata cubili eſt, licet aliter Scaliger interpretatur, qua

ſi poeta hortetur puerum, vt ad parentum aſpectum rideat. Quidquid de hoc ſit, ſymbolum affabilitatis eſt riſus, vt diximus. Ex quibus conſtat Abrahamum ridentem, bonæ ſpei plenum, lætatum, & promiſſo diuino annuiſſe, & affabili animo audiuiſſe. Audite Chryſ. cui prior illa ſententia diſplicuit. ¶ Cum neſciret quid diceret, ac nec diſcedere poſſet promittenti Deo, vir nempe admodum religioſus, & diuinis tum dictis credere, tum iuſtis ob temperare diu multum que aſuetus, ad ſuam reſpiciens ætatem, ac ſterilitatem Saræ, & tam excellentem Dei promiſsionem obſtupeſcens, *cecidit*, inquit Scriptura, *in faciem ſuam, & riſit*. Simul & voluptate, gaudio que perfuſus tantæ promiſsionis; ſimul que non comprehendens animo, quem admodum illud Dei promiſſum tot tantiſque naturæ obiectis impedimentis, ad exitum effectum que producendum foret. ¶

Sed hinc oritur difficultas. Sara namque riſit, eadem fere ac ipſe Abraham verba dicens, & à Deo reprehenſa, & incredulitatis cenſura notata eſt. Verum ſi Ambroſio (vt par eſt) fides exhibenda eſt, riſus ille Saræ non modo à culpa fuit vacuus, verum etiam prophetiæ fuit plenus. Aliter autem Auguſtinus explicat. ¶ Quæritur (inquit quæſt. 36. in gen.) quare riſum Saræ redarguit Dominus, cum & Abraham riſerit, nec reprehenſus fuerit? Niſi quia riſus Abrahæ fuit admirationis, & lætitiæ, Saræ autem riſus fuit dubitationis, id vero diſcerni, & dijudicari ab eo potuit, qui ſolus nouit corda hominum. ¶ Idem in libr. 16. de ciuitat. Dei capitul. 31. ¶ Riſit (inquit) Abraham admirans in gaudio, riſit Sara dubitans in gaudio, nam ex Angelica ex probatione apparet, quod riſus ille etiam ſi gaudij fuerit, plenæ tamen fidei non fuerit. Sed mox ab eodem Angelo Sara in fide confirmata eſt. ¶ Hæc Auguſtinus.

Ex Geneſ. 18. Quare riſit Sara? vbi diffidentiæ reprehenditur à Deo.

Geneſ. 17. Riſit Abraham, & tamen dicitur quod credidit, & reputatum eſt ad iuſtitiam.

Vide antilogiam iſtam conciliatam in cap. 17. Geneſis.

Ex Geneſ. 18. Deſcendam, & videbo dicit de ſe Deus.

Paul. ad Heb. Omnia nuda, & aperta ſunt oculis Domini.

AVg. tom. 4. l. 1. quæſt. ſuper Gen. q. 39. ¶ More humano (inquit) De⁹ in ſcripturis ad homines loquitur, & eius iram nouerunt ſine perturba-

tione eius intelligere, qui nouerunt. Solemus autem etiam ſic minaciter loqui. Videamus, ſi non illi facio, & ſi non potuero tibi facere, vel ſciam, ideſt hoc ipſum experibor, vtrum non poſsim, quod comminando, non ignorando dicitur. Irati apparet affectus, ſed perturbatio non cadit in Deum, mos autem humanæ loqutionis, & vſitatus eſt vt humanæ infirmitati congruat, cui coaptat loqutionem ſuam. Vide Greg. 5. mor. cap. 7. Lyram Chryſ. hom. 7. tom. 4. hic D. Thom. l. 3. ſuper hoc cap. D. Hier. tom. 5. lib. 2. in cap. 8. Zachar. Seraphinum Cumeranum hic.

Geneſ. 18. Pueros culpæ innoxios perdidit Deus.

Anima quæ peccauerit ipſa punietur.

Vide antilogiam iam conciliatam c. 9.

Ex Gen. 15. Habeo duas filias abutimini eis, dummodo viris iſtis nil mali faciatis.

Paul. ad Rom. 3. Non ſunt facienda mala vt eueniant bona.

AMbroſ. libr. 1. de Abraham capit. 6. ¶ Offerebat Sanctus Loth filiarum pudorem, nam & ſi illa quoque flagitioſa impunitas erat, tamen minus erat ſecundum naturam coire, quam aduerſum naturam delinquere. Præferebat domus ſuæ verecundiæ hoſpitalem gratiam, etiam apud barbaras gentes inuiolabilem. Denique illic quoque offenſa hoſpitalitas eſt, vbi nec germanitas ſatis tuta eſt. ¶ Accedit Diuus Thomas in quæſt. de Malo quæſt. 1. artic. 1. ad obiectionem 14. ſic reſpondet. Loth non præelegit culpam penæ, ſed oſtendit ordinem eſſe ſeruandum in fuga culparum, quia tolerabilius eſt, ſi quis committit minorem culpam quam maiorem.

Chryſoſt. hom. 43. in Geneſ. virturem fuiſſe facinus illud Loth, laudibus que extollit. Auguſtin. approbat factum libr. de mendatio capit. 7. licet capit. 5. propenſior eſt, vt credat peccaſſe Loth. Alij laude dignum cenſent Lothi facinus, laudabile enim eſt volentem aliquod malum facere, ſuadere, vt illo omiſſo eligat minus perpetrandum, ideſt vt leuiter inimicum percutiat, quam illum occidat. Comprobare videntur hanc euaſionem verba D. Gregorij capit. 40. in Iob, & Chryſ. hom. 27. ad populum Antiochenum. Immo & Concilium Toletanum octauũ can. 2. ¶ Vbi periculi (inquit) neceſsitas cõpulerit, id debemꝰ reſoluere, quod minori nexu noſcitur obligari. ¶ Quid autem ex his leuius, quidve ſit grauius, pietatis acumine inueſtigemus? Etenim dum periurare compellimur, creatorem quidem offendimus, ſed nos tantũmodo maculamus.

lamus: cum vero noxia promissa complemus, & Dei iussa superbe contemnimus, & proximis impia crudelitate nocemus. Quamvis huiusmodi verba, non de minori peccato committendo propter grauius vitandum, sed de solutione minoris vinculi, maiori obligatione retenta intelligi debeant.

Facilis esset textuum concordia, si Lothum defensandum suscipere non expediret, & ad id non cogeret D. Petri iustum illum appellantis auctoritas. Excusat illum Caiet. in Genes. ca. 15. Magna oritur quæstio (inquit) vtrum Loth peccauerit offerendo filias suas libidini Sodomitarum ad euitandma iniuriam inferendam hospitibus. Et ratio dubitandi: quia hinc apparet, peccatum esse; flagitio repensare flagitium iuxta doctrinam Pauli. *Non sunt facienda mala vt eueniant bona.* Ex altera parte factum Loth fuisse licitum probare videtur auctoritas B. Petri aientis, Loth iustum oppressum & liberatum à Deo à nefandorum hominũ iniuria: Solutio huius quæstionis est. Loth non obtulisse filias animo repensandi flagitium flagitio, sed animo placandi furentem populum minime accepturum huiusmodi oblationem, sed fore potius, vt populus ille tanta eius placatus submissione, ab incepto desisteret. Idque propterea verisimile erat, quod filiæ Loth primarijs Sodomæ ciuibus iam desponsæ fuerant. Simile igitur est quod de Loth dicimus, vt si placaturus quis alium à se magna læsum, & offensum iniuria, nudum pugionem ei offerat dicens, interfice me, non eo sane animo vt ille occidat ipsum, sed vt tanta eius submissione demitigatus, omnem ei remittat iniuriam, & offensam. Hæc Caietanus.

Genes. 18. v. 2. Angelos adorauit Abraham, Loth Genes. 19. Iosue cap. 5. Manue Iudic. 13. Balam Num. 22.

Matth. 4. & Deut. 6. v. 15. Deum solum adorandum constat, & Paul. 5. ad Thim. 5. v. 17. Apoc. 19. Angelus recusat adorari.

---

§. I.

Defenditur adoratio & Angelorum cultus explicatur.

ANgelos à nobis honorandos & adorandos, negant cum Gnosticis, Eunomio; Vigilantio, Mahometo, nostri temporis hæretici, Iosephus Albus hanc hominibus antiquissimam fuisse idololatriam tradit. Similem errorem sequitur Bosius pater, testimonijs Sacræ Scripturæ in antilogia superius relatis conuictus, è contra catholici omnes vt videre est apud Bellar. tom. 2. contr. Angelos adorandos & colẽdos ab hominibus esse ex Gen 18. & 19. & ex Ios. 15. & Iudic. 13. & Numer. 22. vere & religiose defendunt.

Pro conciliatione antilogiæ in memoriam est reuocandum, quod cum adoratio, cultus seu honoratio sit submissio sui erga alterum ex recognitione excellentiæ illius, pro ratione diuersæ excellentiæ diuersus cultus, & adoratio debetur, pro diuina adoratio suppremi ordinis, quam *latriam* appellamus. Pro naturali seu

politicà, vel ciuili, adoratio ciuilis & naturalis, ſic qui de magiſtratu ſunt, quique nobilitate, fortitudine, ſeu ſapientia præcellunt, principes honoramus & adoramus. Pro ſupernaturali excellentia in gratia, & gloria ſupernaturalis cultus, quem appellamus *duliam*, inter ciuilem & adorationem latriæ, medius, debetur. Adoratione *Latriæ* ſolus Deus eſt adorandus, quæ ſoli ſummo rerum omnium debetur Domino, & de huiuſmodi cultu loquitur Matth. cap. 4. & Deut. 6. Exquibus non licet colligere Angelos cultu duliæ irreligioſe adorari propter excellentiam in gratia, & gloria, hunc cultum non alium, textus pro prima parte antilogiæ conuincunt.

In primis hoc teſtimonium hæreticis fauere non poteſt, quia vel Ioannes, cum eius cultum Angelus recuſauit, cum qui ſibi apparuerat, Deum, aut Angelum iudicauit, ſi Deum, reprehenſus merito eſt, ſi Angelum, & nihilominus adorauit, cur nos reprehendimur Ioannis veſtigia imitati? ſed vt quid recuſauit? forte (vt ſentit Auguſt. quæſt. 65. in Gen.) quia Angelus ſic apparuit, vt Chriſtus potuerit exiſtimari, dixerat enim cap. 5. *Ego ſum primus, & nouiſsimus, & fui mortuus, & ecce ſum viuens*, itaque poterat exiſtimari Chriſtus, cuius perſonā gerebat, niſi ſe manifeſtaret, & ideo corrigendus fuit Ioannes, non propter errorem cultus, ſed propter errorem perſonæ.

Beda, Anſelmus, Ricardus & Rupertus aſſerunt, Ioannem debitum cultum Angelo exhibuiſſe, ſicut Loth & Abraham egerunt, verum Angelus propter reuerentiam humanitatis Chriſti merito recuſauit, quia ante Chriſti aduentum Angeli ab hominibus coli patiebantur, ſed poſtquam humanitatem in Chriſto adorare cœperunt, paſsi non ſunt ab hominibus venerari. Vnde Angelus inſigni modeſtia præditus recuſat à Ioanne adorari, dicens: conſeruus ſum, ideſt non ſum dignitate ſuperior, tu enim ſicut ego, es propheta, es Apoſtolus, es prædicator verbi diuini, es continuus martyr, aſsiduos pro Chriſto dolores ab amore ſuſtinens, ideo ſuperior Angelis merito, & gratia, & brebi eris etiam gloria ſuperior in cœlis, cur ergo me adoras? Ioannes ergo bene fecit adorans, & Angelus optime recuſauit, ſicut Chriſtus Act. 10. explicat adorationem, qua Cornelius veneratus eſt Petrum. Quod Ioannes cultum illum, poſtquam repulſum illicitum non iudicauerit, conſtat ex cap. 22. quia rurſus accedit Angelo ad genua, cum iam audiuiſſet, *vide ne feceris*, ab Angelo ſibi intimatum. Putauit ergo & ſibi licere cultum illum præſtare, niſi vel obliuioſum, vel incorregibilem Ioannem eſſe dicamus.

Genuinus huius loci & veriſſimus ſenſus lucem recipit ex ijs, quæ refert Seuerinus Binius in notis ad Epiſt. primam Pij. Cerinthi, pernicioſiſsimū dogma etiam tempore S. Ioannis graſſari inquit, adeo humiliter ſentiens de Chriſto, vt omnem ab eo diuinitatem auferret, & Angelos ſuper eam extolleret. Vnde ad Cerinthi hæreſim confutandam, non ſolum Paulus, & cæteri Apoſtoli immenſos labores ſubierunt, ſed (ſic Deo agente) & Angeli id ſponte profeſsi ſunt, vnde Ioanni ad pedes eius procidenti, *vide ne feceris*, inquit Angelus, non tantum vt Ioannem in ſui veritate confirmaret, ſed in Ioannem potius vniuerſam Eccleſiam aduerſus eoſdem hæreticos commoneret. Huc ſpectat, quod ipſe Ioannes Eccleſiam Laodicenſem eiuſdem prouinciæ metropolim monens, inquit, *Hæc dicit teſtis fidelis, & verus, qui eſt principium creaturæ Dei*, ideſt per quem omnes creaturæ ſunt factæ, vt ſic confutaret dogma Cerinthi, Angelos mundum creaſſe prædicantis. Et quod idem, eiuſdem prouinciæ præcipuos epiſcopos Angelos appellet, pla-

plane significat instar hominum Angelos hominibus ministrare, nec tantæ esse excellentiæ, vt quæ diuina sunt ijsdem iure attribuantur.

§ II.

Explicatur synodus Laodicensis.

DIfficilem reddidisse veritatem catholicam de adoratione Angelorum synodum Laodicenam visum est Ioanni Gerardo Bosio, qua hæresis tota moles ædificatur. Sic synodus Laodicena can. 35. *Non oportet Christianos derelicta Ecclesia abire, & ad Angelos idolatriæ abominandæ congregationes facere, quæ omnia interdicta sunt, quicunque autem inuentus fuerit occulte huic idolatriæ vacans, anathema sit, quoniam derelinquens Dominum Deum nostrum Iesum Christum accesit ad idola.* In primis, si bene legatur synodi locus, parum proficiet hæreticis, si quidem (vt inquit Barth. Carranza) ex ipsis canonis verbis cõstat non legendum *Angelos*, sed per *angulos*. Genios enim, præ textu Angelorum adorationis, colebant, domi quæ seruabant vnde illud Satyr. Persius.

Funde merum Genio.

Sicut & alia sacra priuata, Lararia quæ sancta, de quibus Plautus in prol. aulular, quæ igne colebant vt Cicero. 4. in Verrem, Festus Põp. Verb. Penetr. Virgil. Eglog. 5. Verum & si mendosa non sit, facilis est, & genuina synodi expositio, non damnat enim quamlibet adorationem, sed quæ incidit in idololatriam, quæ est adoratio latriæ præstita creaturæ, cum solum debeatur Deo. Ibi enim concilium hæreticos Angelicos damnat, sic dictos, quod teste Epiphanio hæres. 60. Angelos cultu latriæ adorandos esse docebant.

Baronius tom. 5. ann. hoc canone interdictam esse Christianis religiosam venerationem falsorum Deorum, quos idolatræ gentiles, & Magi colebant, sentit, sicut præcedenti can. 34. martyris cultus religiosus præcipitur, falsorum vero martyrum superstitiosa veneratio prohibetur. Dum ergo sequenti canone additur decretum ad cultum Angelorum reformandum, constat synodum voluisse, vt veri Angeli, qui æternam salutem adepti sunt, sicut veri Martyres colantur, falsorum autem Angelorum, sicut & Pseudomartyrum cultus vetetur. Si namque veris martyribus sancta synodus cultum decernit, & veneratur, cur Angelicæ creaturæ excellentiori, & sanctiori omnem honorem adimere posset? Falsos autem Angelos, quos gentiles & Magi colebant, Genios fuisse ait Baronius, quorum gratia ipsi (vt ex Cæs. de die natali, & Macrob. in Satur.) diem natalitium celebrabant, & affines, atque amicos conuocabant, vocantur autem occultæ idolatræ cultores eorum, quia ad imposturas suas honesto nomine velandas, profitebantur se Angelos inuocare, cum dæmones ad imagines suas perficiendas occulte vocarent, vt ait Tert. in Apoc. cap. 23.

§ III.

Explicatur Paulus ad Coloss. 2. & exponitur Theodoretus.

APostoli Pauli clypeo se protegunt, vt adorationem Angelorum euellant, hæritici. Ad Coloss. 2. sic inquit, nemo vos seducat volens, in humilitate, & religione Angelorum. Exquibus colligunt seductos haberi apud Paulum, qui Angelorum profitentur falsam religionem, & superstitiosam adorationem. Accedit Theodoretus qui explicans relatum Apostoli locum, sic inquit, qui legem defen-

fendebant, eos etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes legem per eos datam, manſit autem diu hoc vitium in Phrigia, & Piſidia, quo circa ſynodus quoque, quæ conuenit Laodicæ, quæ eſt Phrigiæ metropolis, lege prohibuit, ne precaretur Angelos, & in hodiernum vſque diem videre licet apud iſtos & horum finitimos oratoria S. Michaelis: Illi ergo hoc conſulebant vtique humilitate vtentes, dicentes: vniuerſorum Deum nec cerni nec comprehendi, nec ad eum poſſe peruenirj, & oportere per Angelos diuinam ſibi beneuolentiam concilia re. Hæc Theodoretus, & eadem repetit cap. 3.

Verum neque Paulus pro illis eſt, neque contra nos Theodoretus: Paulus illa epiſtola ad Coloſſenſes hæreſim Simonis Magi condemnat, qui Platonicos ſequutus, quoſdam Angelos adorandos quaſi minores Deos, qui & mundum fabricarunt, nec ſummum Deum, qui inuiſibilis eſt, niſi per hos Angelos, poſſe vllum placare dicebat, de qua hæreſi Tert. lib. de Præſcript. & Irinæus lib. 5. cap. 20. De hac idolatria, ſeu magia, qua adorantur Angeli loco Dei, vel Chriſti exponunt hunc locum Chryſoſt. hom. 7. in epiſt. ad Coloſ. & Theoph. Amb. in hunc locum putat eos notari qui adorant ſtellas, Hieron. quſt. 10. ad Algariam docet reprehendi hic, eos qui ſacrificabant Angelis. Quod Theodoretus tradidit de oratorijs D. Michaelis duobus modis intelligi valet, primo quod hæretici conſecrarent oratoria Michaeli, vt ibi ſecundum hæreſim Simonis ſacrificarent, ſecundo quod templa ab hæreticis erecta vt malis Angelis ſacrificarent, in oratoria à catholicis S. Michaelis ſint conuerſa, ex quorum multitudine colligatur, quantum hæreſis Simonis ſit in graſſata, ſicut templum omnium Deorum Romæ conuerſum eſt in Baſilicã omnium ſanctorum.

Hoc confirmat quod (teſte Seldeno lib. 3. Syned. cap. peneultimo) refert Eutychius Patriarcha Alexandrinus, de Eccleſia Cæſarea, & de eius monimentis admodum ſedulus, & edoctus, ibi inquit ¶ à Gentibus idolum Michaelem nomine cultum, templum que ipſum fuiſſe à Cleopatra Regina extructum nomini Saturni dicatũ. Et Alexandriæ, & Ægypti incolæ die duodecimo menſis Haturi, qui Tiſhrin poſterior eſt, feſtum magnum huic idolo celebrabant, & ſacrificabant ei ſacrificia multa, deinde Alexander proximus Athanaſij deceſſor, ſimul ac Patriarcha illic factus eſt, Chriſtianiſmi, qui aliquatenus ibi vigebat, gratia, voluit confringi idolum, & aboleri ſacrificia, cumque ei obſiſterent Alexandrini, aſtutia ipſos aggreſſus, idolum, inquit, iſtud nulli omnino rei vtile eſt; quod ſi feſtum illud Michaeli Archangelo celebraueritis, & ſacrificia hæc ei feceritis, ipſe pro vobis apud Deum intercedet, maioris quevobis boni cauſa, quã idolum iſtud futurus eſt.

Illis annuentibus Alexander idolum confregit, & crucem ex eo confecit, enuncupauit templum Eccleſiam Michaelis, quæ ipſa Eccleſia eſt, quæ Ceſaria dicta igne perijt, cum Occidentales Alexandriam ingreſsi, eam deuaſtarunt, & cedebant feſtum & ſacrificia Michaeli Archãgelo etiam, & adhuc Coptitæ in Mitzar, & in Alexandria feſta illo die celebrant Michaeli Angelo. ¶ Quæ exornant expoſitionem, qua Theodoretum in verum ſenſum reducimus, qui lib. D. Decr. 5. Angelos non ſolum veneratur, ſed etiam noſtros apud Deum patronos, & interceſſores cõfiretur. Vnde non contra ſed pro veneratione Angelorũ eſt,

(·)

Genes. cap. 20. Cum sciret Abimelech Saram vxorem esse Abraham, expostulans vt quid simularet coniugium? sic respondet: verè soror mea est filia patris mei; & non filia matris meæ.

Ex Leuit. cap. 20. v. 17. Qui acceperit sororem suam filiam patris sui, vel filiam matris suæ, & viderit turpitudinem eius, &c. nefariam rem operati sunt. Quod non solum lege scripta, sed naturali prohibitum censent Patres.

§ I.

Refertur prima expositio, & impugnatur.

SAram fuisse non Aranis, sed Tharæ filiam, ac sororem Abrahæ, non quidem vterinam, censent Clemens Alexandrinus lib. Strom. & Saidus Batricides Patriarcha Alexandrinus ante annos 700. qui à rerum initijs ad sua vsque tempora Annales Ecclesiasticos ex priscis Orientis monumentis contexuit. *Et cepit* (verba sunt illius) *Abraham coniugem suam Saram, quæ soror ei erat ex patre. etenim mortua Iona Abrahæ matre, duxit in vxorem Phara pater eius fœminam aliam: atque inde est quod dixit Abraham, eam fuisse sororem suam, non quidem ex matre, sed ex patre.* Mater autem Abrahæ, seu vxor Tharæ, ex qua suscepit Abrahamum in veteribus Mahumedanorum monimentis *Ibicilne* appellatur. Sic sentit Purpuratus Caietanus: vnde expressè fatetur huiusmodi coniugium tunc temporis licitum fuisse.

Verum prorsus esse detestandum huiusmodi connubium, nisi humani generis propagandi vrserit summa necessitas, vt contingit in primis parentibus, docuit D. August. 15. de Ciuit. 16. *Cum non essent* (inquit) *vlli homines, nisi qui ex illis duobus nati fuissent, viri sorores suas coniuges acceperunt: quod profectò quanto est antiquius compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius religione prohibente.* Sub ipsis adhuc rerum initijs, quando liberè sororibus fratres in matrimonium conuingebantur, apud nostrum primum parentem statutum est ita, vt qui inipsis fratribus, & sororibus magis essent cæteris inuicem natalibus separati, atque distantes, matrimonio copularentur: & quia coniunctiores erant gemelli, quã qui partu nascerentur diuerso, ideo gemellorum nuptias, initio etiàm ipso mundi illicitas fuisse retulit Philo. Apud Saidum Batricidem omnes partus Euæ fuerunt gemelli, & hinc originem duxit peccatum Cain (inquit) eius sunt verba. *Cum verò pueri adolescerent, præcepit Adam Euæ, vt Cainus Aminam Abelis nempe gemellã sibi coniungeret: Abel itidem Azronam, quæ Caini gemella soror erat, in vxorem duceret; sed matri suæ Euæ dixit Cain, se ducturum sororem suam, & Abeli sore coniunctam suam sororem: etenim Azrona venustior erat Amina. Hoc cum audisset Adam valde conturbatus: at* (inquit) *nefas tibi est, vxorem accipere sororem tuam, quæ tibi gemella. Vnde irà commotus est Cainus in Abelem, atque indignatus illum inuidebat. Itaque cum è monte descenderent inuolat in Abelem Cain, & caput eius saxo percutiens occidit eum.* Hæc ille. Quidquid sit de eiusmodi veritate, (sentio quidem cum D. Augusti

Auguſt. & cæteris. PP. Abel virginitatem primum ſeruaſſe) Lucem augent hæc verba adhuc in ipſo mundi primordio prohibitionis antiquitati connubij inter fratres. Id ipſà etiam lege Moſaicà in memoriam adduci volunt Talmudici : vbi namque Vulgata Leuit. 20. legit: *Vir, qui acceperit ſororem ſuam, ſiuè filiam patris ſui, aut filiam matris ſuæ, & viderit turpitudinem eius, & ipſa viderit turpitudinem illius, rem nefariam ſunt operati*: Vertunt ipſi: *Indulgentia erat*. Poſteà verò tanquam quid in poſterum ſeruandum eſſet, ſubdit: *Exterminabuntur*, &c. Audiamus quid Gemara Hieroſolymit. ad titulum Sanhed. c. 16. f. 20. col. 4. §. 1. ¶ Vbi in lege ſcripta vir qui acceperit, &c. Indulgentia erat. Id adijcitur (inquit) ne obijcias, vt Cainus ſororem ſuam in vxorem duxit, ac Abel ſuam etiam in vxorem duxit ſororem : atque intelligendum eſt, ac ſi interfertum fuiſſet: Indulgentia ſeu gratia vſus ſum erga homines primæuos : quoniam ex eis mundus ædificatus eſt, dixit Pſal. 86. Indulgentia ædificauit mundum. ¶

§ II.

Deteſtabile inter fratres connubium etiàm Gentilitatis populi iudicarunt.

MVltiplicato genere humano (inquit Epiphan. Hæreſ. 39.) cura de nuptijs honeſtis ampliata eſt, & vt res tulit inualuit. De cætero non amplius in vxores ſorores ducebant ſuas, ſed iuris vim obtinuit de matrimonio lex etiàm ante conſcriptam à Moſe legem, & ex patruorum filiabus vxores ſibi ducebant. Has fædas inter fratres mutuo mixtiones, primus eſt diabolus, qui ante ipſum Abrahamum inſtituit, & more ſacrauit. A tempore ipſius Nemrod, & ab ipſo ſumere originẽ teſtatur Saidus Batricides. ¶ Dicitur etiàm (inquit) is primus (loquitur de Nemrod) qui ignem coluit, ſcilicèt cum videret flammas à longinquo in Oriente aſcendentes è terra, illàc, vt penitus eas contueretur, deſcendit, atque eas adorauit : illic verò hominem conſtituit, qui ſacra miniſtraret igni, & in eum thura porrigeret: atque ab eo tempore cœperunt Magi ignem colere, atque adorare eum. Nomen autem hominis, quem Nemrod conſtituit ſacrum ignis miniſtratorẽ, erat Andſhan, cui diabolus è medio ignis hiſce vſus eſt verbis. Nemo hominum potens eſt rectè igni miniſtrare, niſi commiſceatur cum matre ſua, & ſorore ſua, & filia ſua, fècit itaque Andſhan iuxta quod dixerat ei diabolus, & ab eo tempore, qui ſacerdotio apud Magos functi ſunt, commiſceri ſolebant cum matribus, & ſororibus ſuis, & filialibus ſuis, & Andſhan hic primus erat, qui hunc morem incæpit. ¶ Hæc ille. Græci pariter exemplo ſuorum Deorũ decepti, ſicut illi, ſuas habuere ſorores. Ouid. Metam. 9.

Vt Saturnus Opim iunctam ſibi ſanguine iunxit.
Occeanus Thetym, Iunonem Rector Olympi.

Atheni s germanas, ſed non vterinas ex inſtituto Solonis, è contra Spartæ vterinas, ſed non germanas ex Lycurgi lege ducebant.

Sed quà ſanctimonia gaudeant huiuſmodi leges? Perſicas diabolus illarum conditor damnat. Cæteræ magnis in Occidenti viris non modò magnopere diſplicuere, ſed etiàm tàm rarò ſolitæ celebrari, vt pro illicitis potius ex ipſis Græciæ moribus à non nullis æſtimarentur, maximè Pythagoricis. Ex illa ſchola Occellus Leucanus tradidit de commoda ſobolis propagatione, & ſic inquit. ¶ Oportet etiam inſtituere huiuſmodi mores, qui

qui in Græcis ciuitatibus legitimi, ac receptiſsimi ſunt: nimirùm neutiquàm cùm matre, filia, aut ſorore concumbere, nec in templis, nec in propatulo. ¶ Eadem in coniugia Athænis Sophocles, Romæ Seneca tanquàm deteſtanda acritèr inuehũtur, & in ipſum etiàm Iouem cum Deùm matre & cum Proſerpina eius filia ex eadem prognata commixtum, ſic Arnob. aduerſus Gentes lib. 15. ¶ Neque illũ ſanctitas, aut reuerentia genitricis, horror etiã pignoris ex ſe ſatis ab imagine potuit tã fædę cogitationis abducere. ¶ Apud Maumedanos deteſtatas ſimiles nuptias exprimit Alcoranº. ¶ Ne matrimonio coniungamini fœminis, quibus parentes veſtri coniuncti ſunt, quod tamèn olim permiſſum eſt, ſed turpitudo eſt, abominatio, atque mos nefarius: piaculum eſto vobis ducere matres veſtras, filias veſtras, aut ſorores, aut amitas veſtras. ¶

Quamvis autèm mixtionum harum turpitudinem ſic natura abhorrere videatur, difficile erit aſsignare certam rationem, cur ſint illicita talia connubia. Hugo Grotius ex Maimonide naturalem verecundiam quandam tradit prohibitionis rationem, quæ non ſinit ortus auctores, aut in ſe ipſis, aut perſonas ſanguine etiam, aut nuptiali ſanguinis commixtione proximè cohærentes miſceri. Maritus namque, qui lege matrimonij eſt ſuperior, nequit cum reuerentia, quam præſtari matri exigit ipſa natura, amoris ſocietatem componere, quam inducit vinculum matrimonij, niſi rubor ingenitus à naturà omninò radatur. ¶ Altera cauſa (inquit Maimonides) meo iuditio eſt, vt pudor, & verecundia commendetur, namque impudentiæ ſummæ eſt opus illud inter radicem, & ramum, hoc eſt, in vxorem ducere matrem, & filiam: id circo prohibitum eſt matrimonium inter radicem, & ramum: neque eſt differentia, ſiuè radix ramum, aut ramus radicem ducat, ſiuè radix, & ramus in corporis tertij connubio conueniant, vt nempe aliquis corpus ſuum radici, & ramo deteget: ideo enim prohibitum eſt ducere mulierem, & filiam eius, item vxorem patris, & vxorem filij: quia iſta ſunt retectio nuditatis corporis vnius nuditati radicis, & rami. Hæc ille. Ideo Paulus Iuriſconſultus Leg. Adoptiui §. Seruilis §. de Ritu Nuptiali: cum dixiſſet in cõtrahendis matrimonijs naturale ius, & pudorem inſpiciendum, addidit: contra pudorem eſſe, filiam ſuam vxorem ducere: quam rationem ſicut in illis, qui recto ſunt limite; ita in ſanguinis gradu tranſuerſorum primo, conuincere ſentit. Grotius lib. 2. de Iure belli. Obrecentem admodum parentum in liberis imaginem. Sumitur quippe huiuſmodi ratio ab eo, quod natura, ſi non præcipit, certè dictat honeſtius, cuius generis multa diuinarum, humanarumque legum materiam faciunt. Ideoque Hebræi in recto limite gradus etiam non nominatos à lege comprehendi cenſent ob notiſsimam paritatis rationem: nempe auiæ, & proauiæ, pronouercæ, proneptis, propriuiginæ, pronurus, proſocrus, quia ſub agnationis nomine comprehenditur ſimilis cognatio.

Hæc autem pudoris ratio, in qua lex naturalis fundatur, vt parentes cũ liberis mutuò miſceri vetuerit, conuincit; non ſic rubor iſte vim habet inter fratres, inter quos facilius ſanguinis rumpitur vinculum: non enim omne, quod vocat ruborem, per legem veritum eſt: cum Iacobi pietas poſt Liam ducere Rachelem non iudicauerit nefas. Hæc reſpexerat ipſe Auguſtinus, cum de patruelium, & conſobrinorũ coniugijs inter Chriſtianos loquutus eſt. ¶ Raro per mores fiebat, (inquit) quod fieri per leges licebat: quia id nec diuina prohibuit, & nondum prohibuerat lex humana: Verum tamen factum etiam licitũ propter vicinitatẽ horrebatur illiciti, qua

ſi

si vltra leges protenderentur ruboris, & verecundiæ fines. ¶ Quamvis ergo pudoris ratio inter parentes cum liberis tam ingens sit, vt legem naturalem fundare possit, quæ similia viget coniugia; non sic inter sorores, & fratres, vbi minor viget naturæ rubor. Spectate illud Phedræ Hippolytum, cui miscebatur, sic alloquentis, quia illam matri nomine, reuerentiæ causâ compellarat.

Matris superbum est nomen, & nimium potens.
Nostros humilius nomen affectus decet.
Me vel sororem Hippolyte, vel famulam voca. Senec. in Hip. Act. 2.

En matris nomen inter impuros amores, non sic sororis abhorret: cum inter fratres eo minus ruboris intercesserit, quo magis fuerit æqualitatis.

§ III.

Proponitur ratio ante legem scriptam inter fratres connubia condemnans.

VEro longe similius videtur, legem inter fratres, & sorores mutua coniugia prohibentem in ipsis rerum initijs à Numine fuisse imperatam primo nostro parenti, sicut & cœtera sex, quæ Noachidarum præcepta appellantur: quia post communem diluuij cladem Noe, & ipsius filijs restituta iterum data sunt. Illa deducit Rabbi Iehuda Ben Samuel ex 1. Gen. commate 16. Vbi textus Hebræus dicit: *Et præcepit Dominus Deus ipsi Adam dicens, de omni ligno horti comedendo comedes.* ¶ Signũ est (verba sunt relati Rabbini) seu indicatio septem præceptorum, quæ Noachidis imperata sunt. *Et præcepit.* Sic denotat judicia, seu præceptum de iudicijs: quoniam in eis præceptum est, atque imperium. *Dominus* præceptum est de non maledicendo nomini, seu Numini Sanctissimo. *Deus* interdictũ cultus extranei, seu idolatriæ: *ipsi Adæ, seu homini*: interdictum homicidij: *dicens* interdictum incestus: quia scilicet, *dicit Dominus* alibi (Ierem. 3.) increpationi de scortatione subiungitur, de omni ligno horti *furtum*: quia bona quædam etiam vocabulis illis denotantur; *comedendo comedes*: membrum animalis viuentis. ¶ Quidquid autem sit de huius autoris diuinatoria illatione, de præceptis relatis sic legitur in Guemmara Bab. ad tit. Sanhed. cap. 7. fol. 56. ¶ traditur à Rabbinis, septem præcepta imperata esse Noachidis, de iudicijs; de maledictione Nnminis: de cultu extraneo: de reuelatione turpitudinum: de sanguinis effusione; de rapina, seu furto: de membro animalis viuentis, etiam ex sententia Rabbi Chamna Ben Gamaliel de sãguine. ¶ Et in Bereshit. Rabba parasch. 34. ¶ De septẽ rebus mandata acceperunt Noachidæ: de cultu extraneo: de reuelatione turpitudinum; de homicidio: de maledictione nominis diuini, de iudicio, de rapina, seu furto: de mẽbro animalis viuẽtis. ¶ Vnde infertur prohibitionẽ reuelationis turpitudinis cadere sub præcepto: quod, si naturale pure non est, à Deo humano generi datum est in prima hominum cõstitutione, vel in eius post diluuium pia reparatione. Quæ præcepta & legi, & à primis illis ante Mosem Prophetis prædicari cunctis gentibus in schola, quæ Domus Iudicij, seu Præfectura iuridica Eberi, Domus iudicij Methusalæ appellabatur, sensit Maimonides. ¶ Licet omnes (inquit) piæ memoriæ prophetæ essent, docebant homines concionatorum, Doctorum, & præceptorum more: nec tamen dixerunt, *Et Dominus Deus dixit ad me, loquere ad N.* Atque ita se res habuit ante Mosem, quasi dicerent non se habuisse sicut Mosem

sem legis alicuius nouæ, ac diuinæ nũ tios, sed vt naturalis, ac diuini iuris an te recepti interpretes, præceptores, & monitores. ¶ Ex quibus constat, turpitudinis reuelationem, quæ tempore Mosis lege scripta prohibita fuit, ante ipsum primis temporibus in obseruantia inuiolabili fuisse.

Ratio autẽ conuincens præceptũ dẽ non releuanda turpitudine ante legem scriptam stetisse, ea quidem est: quotiescumque enim præceptũ legis scriptæ obligat tàm Hebræos, quàm alienigenas, argumentum est infallibile fuisse prius ante Mosem in rigorosa obseruantia: vt de Numinis diuini nomine non blasphemando sentiunt cõmuniter Expositores: lex autem de non releuanda turpitudine gradibus proximioribus tempore Mosis etiam gentes alienigenas comprehendere, probant, & suadent Rabbini, ex eo quod vbi Vulgata legit: Omnis homo ad proximã sanguinis sui non accedet: legit Hebræus codex: Homo homo. In Gemara Hierosolymit. ad titul. Kidoschim cap. 1. fol. 58. sensus est huiusmodi (eius sunt verba) vt homo homo dicatur ad Gentiles etiam comprehendendos: vt vbi deliquerint in leges suas de incestu, iudicandi sint iuxta iudicia Gentilibus propria. Sic plures Rabbini in tract. Sanhed. cap. 7. f. 57. Eadem loquendi formula vsurpatur eodem sensu Leuit. 24. v. 15. Homo homo, qui maledixerit Deo suo portabit peccatum suum. Et Leu. 20. 20. Homo homo, qui dederit ex semine suo Moloch: vnde inferunt, comprehendi Gentiles, qui interdicto quidem tàm de maledictione Numinis, quàm idololatria tenentur.

Accedit alia nec contemnenda ratio ex D. Paulo ad Ephes. 11, desumpta, & 7. ad Corint. 7. vbi Apostolus coniugium priuigni cum nouerca tàm seuerè detestatur: cum tamen de eo nullũ extet Christi præceptum: nec alio vtitur argumento, quam quod talis commixtio impura etiàm à profanis Gentilibus habeatur. Quod verum esse præter alias ostendunt Charondæ leges similem matrimonium inurentes infamiæ. Vnde illud Cicer. pro A. Cluento in causa non dissimili: nam cum socrum genero nupsisse narrasset. *O mulieris*, inquit, *scelus incredibile, & præter hanc vnam in omni vita inauditũ.* Inde etiam ortum, quòd Seleucus Rex, cũ vxorẽ suã Antiocho filio suo daret nuptã, verebatur (sic Plutar) ne ipsa offenderetur vt re illicita. Sic apud Virg.

Thalamos ausum incestare nouercæ.

Communis ergo existimatio, si à necessario dictamine aliquo non ducit originem, quod descendat ex veteri traditione, quæ à Diuino aliquo præcepto emanauerit, est necessarium.

§ IV.

Exponitur locus ex 2. Reg. cap. 13.

DIfficilem omnino reddit nostrã sententiam textus ex 2. Reg. c. 13. vbi Amnon nimis ardore libidinis flagrans, in concubitum sororem suã solicitauit: cui sic illa respondit: *Noli frater mi, noli opprimere me, neque enim hoc fas est in Israel; noli facere stultitia hanc, &c. quin potius loquere ad Regem, & non negabit me tibi.* Ex quibus colligitur, saltẽ ex dispensatione, sororẽ fratri nubere posse; aliàs non id puella speraret à patre.

Sanctius 2. Reg. c. 13. verba illa dicta fuisse à Thamar, eo quod ignoraret, quid lex, & natura præscriberent. Idẽ putat Abul. p. 4. & probat Philippus Henriquez. Verùm hæc nimia foret ignorantia, si staret lex incontrarium, quã modò nullus rationis cõpos etiã puerilib⁹ annis admittet circa impossibilitatẽ connubij inter primis gradibus impeditos. Sapiẽtissimus Andr. de la Madre de Dios ex Carmelitana Discalciatorum familia fausta proles, &

Caſtellæ antiquæ nunc Prouincialis miniſter. Supponit cum D.Th. in 4. diſt.40.Caiet.Palao.Baſ.Hurt.Cor.& pluribus alijs dicta coniugia inter fratres irrita non eſſe iure naturæ,& ideo quamvis illicita,poſſe aliqua vrgentiſſima cauſa in ijs diſpenſari. Verũ quãvis fateamur coniugia inter fratres nõ eſſe prohibita iure naturæ, lege ſcripta illicita habita ſunt,in quibus admitti nequit diſpẽſatio,ſi ex aliquo Scripturæ teſtimonio non conſtet.

Vt aliam expoſitionem præcedenti textui offeramus,pulchra deRabbinica eruditione exhaurienda ſunt,& quidem non de fœtidis eorum lacunis nõ enim deſpiciẽdi ſunt,in ijs,quæ ad mores patrios ſpectant,ipſis percognita, & ſi nuſquam audiẽdi, cum dogmata tractant.Primũ ergo in memoriã reuocandũ eſt ius,quod Deut.21.9.conceſſit Dominus militibus populi Hebræi de ducendavxore ex illis,quã in bello viderint eſſe pulcherrimã.Legẽ ſic explicant:quod Hebræo in bello fæliciter peracto fæminã & ſi Gẽtilẽ,quã caperet,ducere in domũ liceret,& concũbere ſemel cũ illa,ita tamen,vt ſine nuptijs concubitum iterare ſit nefas. Quod ſi poſt concubitũ primũ Iudaiſmũ reſpueret,libera remanebat propter mixtionẽ cũ hominẽ Hebræo, ſed illi nubere non expediebat, eo quòd primo ita amata cõcubituvnico in futuræ ſponſæ ſpẽ dehoneſtaretur; ſi autẽ Iudaiſmº placeret(qua de re vt interim deliberet,tẽpº à captiuitate etiã annũ præſtituebatur) baptiſmo ſtatim ſuſcipiebatur,vt proſelyta iuſtitiæ foret,& tunc ducere domino fas erat; ſed nõ ante binos elapſos mẽſes,quod adiectũ eſt,addiſtingẽdũ ſemen primũ à ſemine ſecũdo:vt ſciretur ex tẽpore trimeſtri,vtrũ ex concubitu primo antequã proſelyta foret, an poſt Iudaiſmi profeſsionem grauida fuerit.

Ex his lucẽ recipit textus relatº: Dauid nãq;bello aduerſº Tholomas Geſſuris Regẽ geſto,Maachã formæ venuſtæ fœminã cepit:ex cuiº primo concubitu dũ adhuc Gẽtilis eſſet,natã fuiſſe Thamarẽ,iudicãt Dauid Kimhi ad 2. Sam.3.& 13.Maimonides halach Melahin c.8.R.Becchai in Biur f.222.col. 4.Gẽmara Rab.ad tit.Sanhed.c.2.f.21 Poſtquã autẽ ea proſelyta iuſtitiæ ſuit facta,ducta fuit in vxorẽ à Dauid, de qua tũc genitus eſt Abſalõ:Amnõ autẽ primogenitus ipſius Dauid de Achinoã Iezraelitide.Proles autẽ,quæ concepta fuit de matre nõ ſancta,ideſt antequã Iudaiſmũ profeſſa,ſic cõſanguinitatis vinculo nõ eſt iuncta iure Hebræorũ ciuili cũ prole cõcepta de matre ſiuè proſelyta iuſtitiæ,ſiuè origine,& profeſsione Iudæa tẽpore, quo cõcepit.Vnde homo natº de muliere, quæ tẽpore cõceptionis erat Gentilis, poteſt ducere ſororẽ ſuã,ſi quãdo hæc cõcepta fuit mater, ſiuè eadem fratris ſui,ſiuè diuerſa iãm erat proſelyta iuſtitiæ, ſiuè Iudaiſmum profitebatur: quia fratres,ſi vnº eſt cõceptus de matre Gentili,& alius de eàdẽ, quando iam eſt proſelyta iuſtitiæ, ſiuè Iudaiſmum profiteretur,iure ciuili Hebræorum conſanguinei non reputantur.Eſt expreſſum in Miſna Iabimoth cap.11. Maimonides halach Iebom Mechalitza cap.1.Aben Raæzer cap. 157.§. 1.ibi: ¶ Vbi frater alter non concipiebatur in ſanctitate,ſed in ſanctitate naſcebatur;alter vero tã concipiebatur, quam naſcebatur in ſanctitate, fuere inuicẽ velut extranei. Quod idẽ dicendum de geminis in ſanctitate natis:nam neque inter eos fraternitas habebatur,niſi tã conciperentur, quàm naſcerentur in ſanctitate.¶ Ex quibº liquido conſtat, inter Thamarem, & Amnon nullam conſanguinitatẽ recognoſci debere iure ciuili Hebræorũ,licet Dauid vtriuſq;parens reputaretur,& eſſet:cum cognatio fratrum ex amborum conceptu pendeat, & illa concepta fuerit,cum mater nondum proſelyta foret, neque Iudaſmum amplexa: vnde licita vtriuſque

mix-

mixtio,& mutuum connubium.

Expenditur,& ſolidatur amplius doctrina,qua tota textus expoſitio fundatur.Maimonides inquit:per regenerationē,quando fœmina proſelyta fit iuſtitiæ,Iudaiſmique amplectitur profeſsionem,cognatio priſtina eius euanuit omnino. Quando Gentilis (ſunt eius verba) proſelytꝰ fiebat,aut ſeruꝰ libertinus,vterq;inſtar infantis recens nati habebatur,& proximitas ſanguinis qualiſcumq;,ſiuè huius dum Gentilis erat,ſiue illius,dum ſeruus erat,iã planè deſiijt eſſe;quin & ſi ſiuè hic,ſiuè ille in Iudaiſmum eſſet coaptatus,ſimul cum proximis ſuis de ſanguine illarum nomine inceſtus nullius tenebatur:nam vbi conſanguinitas,aut cognatio nulla reperta eſt,inceſtus macula nullum coniugiũ vitiari neceſſe eſt: vnde nec matrem,nec ſororem vterinam proſelyto,ſeu liberto recens facto miſceri prohibetrur. Vnde inter filios,quorũ alter in ſanctitate conceptus nõ eſt,ideſt,qui conceptus eſt ante quã iuſtitiæ proſelyta fieret mater,licet in ſanctitate ſit natus,& alter tàm conceptus,quã natus,poſtquã ſancta proſelytaque iuſtitiæ inſignita eſt,nulla interueniebat ſanguinis relatio; licet parentibus attentis non idẽ ſeruetur ius:ſiuè nãque ante,ſiuè poſt ſanctitatẽ concepta ſit proles,dummodò tempore natiuitatis parentes proſelyti ſint,ex ipſo naſcendi tempore ſanguinis vinculo iuncta ſuis parentibus erat:ideo nãque proles nata poſt ſanctitatem matris,licet ante profeſsionem Iudaiſmi concepta,maternæ ſanctitatis particeps miſcebatur,nec baptiſmo indigebat.

Sed adhuc ſcrupulus perſeuerat, quem offerunt illa verba:*Neque enim hoc fas eſt in Iſrael.*Quia & ſi Thamar, & Amnõ nullo vinculo ſanguinis iuncti iure ciuili ſint, fas ſimilis concubitꝰ foret.Verùm facilis exitus eſt, quia licet concubitus ille liceret, ſed ipſa inuità nefas eſſet,vt patet in Dina Iacobi filia à Sichemo Principe violata ideo nãq;Rabbini,de quo Iſaac Abarbanel in Piruſh.f.99.fratres Dinæ Sichemũ interfeciſſe aſſerũt:quia vi violata fuit,& tãquã proſtibulũ haberetur Heuitis:cũ tamen ſe non omnino ſponte Sichemo permiſiſſet:quia ſi ita ſe gereret,nihil contra ius Noachidarũ perpetraſſet Sichemus:cũ innuptæ concubitũ ſpontaneum Noachidis liciſſe,niſi vbi ius aliquod aduerſaretur ciuile,fateantur plures Rabbini. Et conſtat ex noſtra Vulgata:*Dormiuit cum ea vi opprimens virginẽ*: Vbi abſolute Sacra pagina ſimilem concubitum non ſpontaneum condemnat ibi:*Violata filia Iacob rem illicitam perpetrauit.*Similis diſcurſus,& quidem non violente verbis noſtri textus valet adaptari.

Poteſt ergo aliter explicari:*nefas eſt in Iſrael*:quia licet inter Thamar,& Amnõ nuptiæ licerẽt;ſed nefas tunc habebatur,ſine parẽtis cõſenſu celebrare coniugia:ex generatione namque in liberos parentibus ius acquiritur naturale.Vnde ex veteri lege Thebanorum patri filium oppignorare, imò ſi neceſſe eſſet,etiàm vendere licebat:ſimilem autem Thebanorum legem ipſis emanaſſe ab Hebræis docuit Grotius de Iure Belli l.2.Hinc Num. 30.parenti Deus in filium ius dedit vota diſſoluendi,vnde ad Romanos videtur fluxiſſe,à quibus eſt conſtitutum, vt quædam nuptiæ,quia conſenſus patris defecit,irritæ ſint.Maximum ergo reuerentiæ colligi debet officiũ apud ipſos Hebræos filiorũ in proprios parentes.Quò pertinẽt illa,quæ D.Paul. 1.Corint.cap.7.de elocanda virgine tradit:vbi huiuſmodi nuptias auctoritatem parentum expectare debere,innuit clarè,licet matrimonium iam factum irritum non fuiſſet deficiente parentis conſenſu,nec iure ſanguinis attento illicitum.Sicut Eſau coniugium irritũ nõ pronunciatur,neque illegitimi liberi,quòd ſine tali auctoritate

cõtraxerit nuptias. Speciale id erat apud Romanos nõ ex natura, sed ex Iuris conditorum voluntate: eodẽ quippe iure mater, cui naturaliter reuerentiam exhibere liberi debent, suo dissensu non irritat matrimonium: imo si pater sit in patria potestate, tàm ipse, quã auus debent in nuptias filij consensum præbere; in nuptijs verò filiæ sufficit sola auctoritas patris, quæ discrimina naturæ incognita ex Iure Ciuili venere. Quamvis ergo auctoritas parentis, si defecerit, non irritaret celebrata coniugia, nefas erat in Israel contra reuerentiæ simile naturæ vinculum operari.

§.

Explicatur Herodis Antipæ genus, & eius origo: & exponitur Baptista acriter illum reprehendẽs.

ADhuc pullulat difficultas expositionis nostræ: si quidem si proles, quæ in sanctitate non fuit concepta, est incapax cognationis, sequitur Herodẽ Antipã, atque Philippum nullo cognationis nexu futuros vinctos: Herodem namque virũ obscuri generis, & Idumæum vocat Iosephus l. 14. c. 27. idest proselytũ imperfectũ: si ergo nullius cognationis cum Philippo fratre germano vinculo gauisus est, immeritò reprehendit illũ Baptista, quod vxorem fratris eius Philippi sibi raperet: cum nullum aliud delictum recognouerit in Herode Tertulianus, quam vxorem Philippi iam defuncti filiam superstitem relinquentis, duxisse: ducere autem vxorem fratris, cum qua vinculum affinitatis tam maximum est, nefas iudicat; nisi vbi instat lex de semine suscitando fratris sine liberis decedentis. Hæc sunt illius verba. ¶ Ioannes retundens Herodem, quod aduersus legem vxorem fratris sui defuncti duxisset, habentis filiam ex illa, (nõ aliàs hoc permittente, immò & præcipiẽte lege, quàm si frater illiberis decesserit, vt à fratre ipsi°, & ex costa ipsius supputetur semen illi) cõiectus in carcerẽ fuerat ab eodem Herode, post modum & occisus. ¶ Hæc autẽ ratio nil roboris obtineret, neque Baptistæ iusta reprehensio foret, si doctrina superius de cognatione tradita, vera esset: Si enim inter seruos proselytos nulla vi gaudet cognatio, nullũ peccatum esset, Herodi vxorem fratris cũ liberis decedẽtis sibi miscere. Huiusmodi difficultas breuiter euanesceret, si cum Iosepho Scaligero, quẽ acriter in Serarium Casaubonus exerc. in Bar. 1. §. 3. & 4. tuetur, Herodẽ magnum parentem Philippi, & Herodis Antipæ, origine, atque natione Iudæum dicamus, & alienigenam, atque proselytũ fuisse negemus.

Argumenti gratiâ licèt Iudæum concedamus Herodem magnum, de quo, & non de filio Antipa sermonem instituit Iosephus: nihilominus filium reum incestus iustissimè damnauit Baptista. Demus libenter etiam sine liberis defuncto Philippo Herodẽ Herodiadem duxisse in vxorem, vel in concubitum sibi miscuisse (Pseudo Gorionides autem oppositum sensit ibi: Et ille vxorem Philippi fratris sui etiam superstitis cepit in vxorẽ. Quod si verum est, nulli dubium, ex capite illo à Baptista iustissime fuisse reprehensum, cum ex lege interdictum expresse sit, vxorem alienam sibi miscere, ex capite autem cognationis nefas tale coniugium censetur. Etenim Herodes magnus (sic plures discurrunt) Antipæ Herodi, & Philippo communis pater, tempore, quo illos progenuit, licet non esset perfectè iustitia proselyti insignitus, hoc est, plena libertate caruerit, Antipa, & Philippus iure cognationis gaudebant, eo quod Cleopatra Hierosolymitide, seu Israelitide fuerit natus Philippus; Antipas autem ex Malthaca Samaritide, quæ solemniter proselyta facta, & iam in vni-

uer-

uersitatē Hebraicā admissa, Herodē concepit Antipam: & perconsequens tā Herodes Antipa, quā Philippus nati fuerunt perfectè proselyti, plenā libertate gaudentes. Vnde, licet parens vtrique cōmunis imperfectè proselytus foret, ipsi proselytismi perfecto iure fungebantur, inter vtrumq; fraternitatis cognationem, & vinculū refundente. Quippe, vt optimè tradidit Maimonides Isuri Bia c. 15. proles siuè è seruo, siuè è pagano, siuè ex ancilla, siuè è paganà, nata eiusdem est cū matre conditionis, nec patris ratio omnino habetur, adeo vt ab Israelita proles susceptа ex ancilla, seu pagana, esset cōditionis seruilis, & paganicæ æquè, acsi à seruo, & pagano genita fuisset, è cōtra proles à pagano, seu seruo susceptа ex Israelitide vxore, non minus Israelitica erit, ac si fuisset ab Israelita progenita: matris dumtaxàt in huiusmodi mixtionibus habita ratione ex Iure Ciuili Hebræorum.

Nihilominus autèm, nisi Herodem Magnum perfectè proselytum esse dicamus, tempore, quo Philippū, & Herodem Antipam genuit, difficile erit alieni vinculū cognationis inter vtrūque inuenire. Sic enim explicat Maimonides regulam præcedentem, nouā que ex veterum mente in dignoscendis cognationibus statuit. Si Ammonita (inquit) duxerit Ægyptiam, proles eorum est Ammonita; sed si Ægyptius duxerit Ammonitidē, proles est Ægyptiaca. Regula quidem est inter gentiles seu paganos, prolem sequi masculum, seu patrem; at verò inter proselytos sequi partem deteriorem, seu maculā, vitium, seu incōmodum, quod inter eos reperitur deterius: verbi gratia Ægyptij, & Ammonitidis proselytorum proles, si est fœmina, est Ægyptiaca, nam eius conditio est deterior, quam si pro Ammonitica prole haberetur: quia Ammonitis qualiscūque proselyta ritè poterat coniungi Israelitæ, non sic Ægyptia, nisi ante generationem tertiā; at si proles esset masculа, nō Ægyptiaca, sed Ammonitica dici deberet: quia tunc illi; eiusq; posteris perpetuo interdictū esset cū Israelitis coniugiū: Ægyptiacæ verò cum illis solum tēporaneum foret interdictum, ac proinde deterioris tunc esset conditionis Ammonita. Exquibus ad nostrum sermonem, si proles inter proselytos deteriorem sequitur conditionem, cum inter Herodem Magnum, & quamlibet eius vxorem perfectè iustitiæ proselytam, deterioris conditionis esset ipse Herodes, vt pote imperfectè proselytus, seruus nondum plenè in societatē Hebraicam admissus, vt originarij iure potiretur plenissimè: atque adeo proles orta seruilem patris conditionem sequi, & proselytismum imperfectum solùm in natiuitate nanciscì, dicenda est. Vnde Philippus, & Herodes Antipa nati nō sunt perfectè proselyti, nec cō sanguinitatis iure gaudebunt.

Facilis est euasio, si, quod superius diximus percipiatur de proselytis domicilij dumtaxàt, inter quos tenet regula tradita, quod proles sequitur partem deteriorem, & maculam, si tàm vir, quàm vxor proselytismo domicilij potiātur; si verò fœmina sit vel proselyta iustitiæ, vel professione Iudæa, partus sequitur ventrem, & proles vel proselyta iustitiæ, vel Iudæa reputatur. Quo autē differant proselytus domicilij, & iustitiæ proselytus alibi nos dicemus, sicut & de Herode plura tradam Gen. c. 49. vbi proprior est illi sedes.

§.

Conciliatur antilogia.

VT autē antilogia textuū concilietur, dicendū est cū Hie. Aug. Procopio, Lyrā. Abulēs. & alijs, Sarā fuisse filiam Aram, sororem Loth, Abraham ex fratre neptem, ita vt auus Saræ fuerit Thare, parens Abrahæ. Sic habet Iosephus. l. 1. Antiq. ca. 6. Aram (ait) relicto filio Lotho, & filiab⁹ Sa-

rà,& Melchà in regione Chaldæorũ eſt mortuus.Et paulo inferius.Neptes verò ex fratre duxerant cõiuges,Melcham Nachor,Saram Abrahamus.Neque quod Abraham dixerat, conuincit oppoſitum,*ſoror mea eſt*:verè enim Sara fuit ſoror Abrahæ ſine mẽdatio, eo ſenſu, quo conſanguinei Hebræo idiotiſmo fratres,& ſorores nominantur.Audiamus Aug.l. 22. contra Fauſtum c.25.¶Cum Abraham(inquit)eo tempore viueret in humanis, quo tempore iam fratres ex vtroque, aut altero,altera ve parentes natos necti coniugio non licebat;filios autem fratrũ, alioſque longiore gradu generis conſanguineos,nullà lege,nullà poteſtate prohibita conſuetudo iungebat, quid mirum,ſi ſororem ſuã, ideſt ex patris ſui ſanguine procreatã habebat vxorem?nam hoc ipſe reddenti ſibi Regi dixit,de patre eſſe ſororem, non de matre.Vbi certè vt ſororem mentiretur nullo iam timore cogebatur,quãdo ille vxorem eius eſſe didicerat,& eam diuinitus territus cũ honore reddebat.Fratres autem,ſiuè ſorores generali nomine conſanguineos,vel cõſanguineas ſolere apud veteres appellari Scriptura teſtatur. Nam & Tobias(c.8.)iunior, quam accipiebat vxorem,appellauit ſororem, non quidem eiuſdem patris, aut matris ſatu natam,ſed ex eadem ſtirpe cognationis exortam. Loth Abrahæ frater dicitur, cuius tamen patruum fuiſſe Abrahamum Scriptura declarat. Similiter in Euangelio fratres Domini nominantur,non eiuſdẽ matris filij.¶ Hæc ille.Dicebat ergo Abraham Saram ſororem ſuam ex patre,& non ex matre;quia Thare genuit Aranem,& Abrahamum,ſed non ex eadem coniuge; ideo appellabat eam generali nomine,ſororem, hoc eſt conſanguineam ſuam ex patre ſuo,qui erat auus Saræ,cuius auia non erat genetrix Abrahæ.Quo fiebat,vt more Scripturæ Sara diceretur filia Thare, eo ſenſu quo Dauid dicitur pater Abiæ ſui pronepotis,3. Reg.15.& Nabuchodonoſor dicitur Baltaſſaris pater,vt Daniel.5.& ex Matth.1. Ieſu Chriſti filij Dauid,filij Abraham.

Ex Geneſ.21.Dicitur ciuitatem vocari Berſabee: quia Abraham, & Abimelech ibi inierunt fœdus,atque iurarunt.

Geneſ.26.v.33. Et nomen vrbi impoſitum eſt Berſabee, vſque in præſentem diem à puteo inuento.

VOx *Berſabee* conſtat ex *Ber.* quod ſignificat puteum, & ex *Sabe*, quod tàm ſeptem, quàm iuramentum ſignificare poteſt: & vtrumque ſignare poteſt Geneſ.c.21. Etenim Abraham ſeptem agnas electas ex omni grege dedit Abimelech: vt ſint mihi in teſtimoniũ, quoniam ego fodi puteum iſtum,& ideo vocabatur puteus ſeptem:quia vero adhibito iureiurando percuſſerũt fœdus,appellatur puteus iuramenti.

Reſpondet,vt conciliet textus,R. Aben Ezra nomen ciuitati Berſabee appropiari diuerſis principijs:Abraham enim impoſuit nomen à iuramento,quod fecit Abimelec; Iſaac autem nomen hoc impoſuit: quia fuit ſeptimus locus, vbi aquas inuenit.In c. 21. eſt dictio *Saba* cum Kames quod iuramentum denotat,ſed in ſecundo eſt cum Segol *Seba*,quod vtrumque claudit: iuramentum ſcilicet,& ſeptem.

Rabbi Moſes Ben Iſrael aſſerit, quod idem nomen impoſitum eſt ciuitati ab Abraham,& Iſaac;ſed nomen impoſitum ab Abraham,non radicitus perſeuerauit in ciuitate: quando au-

autem iterùm Abimelech fœdus inijt cum Iſaac, inſtauratum eſt nomen Berſabee, & ſtabile ſemper manſit. Quod indicant verba Geneſ. cap. 26. *Vſque in præſentem diem.* Vel dici poteſt, Abraham nomen impoſuiſſe loco, vbi puteum inuenit atque iurauit; Iſaac autem omni ciuitati, quod conſtat ex Hebræo, quia in cap. 11. ponitur, *Macon* id eſt locus: in capit. 26. dicitur *Hair*, ide ſt Ciuita s.

Ex Geneſ. 21. Abraham fœdus inijt cum Abimelech.

Exod. 23. Cum Gentilibus prohibitum eſt.

Vide caput 26 Geneſ.

Geneſ. 21. Dixitque Abraham, ego iurabo.

Matth. 5. Prohibitum eſt iurare.

Vide Caput 26.

Ex Geneſ. 22. Tentauit Dominus Abraham.

Iacobi 1. Deus neminem tentat.

AVguſt. tom. 2. q. 57. ſuper Gen. lib. 1. ait. locutione Scripturæ ſolet dici *tentat*, pro eo quod eſt *probat*. Tentatio vero illa, de qua Iacobus dicit, nõ intelligitur, niſi qua quiſque peccato implicatur. Vnde Apoſt. ad Theſ. 3. dicit. Ne forte tentauerit vos, is qui tentat. Nam & alibi ſcriptũ eſt, tentat vos Dominus Deus veſter, vt ſciat ſi diligitis Deum. Deut. 13. etiam hoc genere locutionis *ſciat*, dictum eſt, ac ſi diceretur, *vt ſcire vos faciat*: quoniam vires dilectionis ſuæ hominem latent, niſi diuino experimento etiam eidem innoteſcant. Idem ex Rabbinis traddidere R. Moſes in ſuo Directorio l. 3. cap. 24. R. Aben Ezra, & Gerundenſis. Sed his omiſsis, vide de Abrahami tentatione D. Aug. lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 32. Ambr. l. 1. de Abraham c. 8. Lyram, Chryſoſt. Hom. 47. in Geneſ. Quid eſt (inquit) tentabat? Non quod ipſe ignoraret, tẽtatione illum probauit; ſed & vt hi, qui tunc erant, & qui ab eo tempore vſque ad præſens iſtud, ipſum Patriarchæ deſiderium, & obedientiam in præceptis Dominicis præferre diſcant. Vide D. Bern. ſer. in c. 19. Matth. Origen. Homil. 8. in cap. 22. Geneſ. D. Thomam 1. p. q. 4. art. 2. D. Greg. tom. 1. l. 28. c. 5. Ferum hic. Exquibus deduces, Deum tentare, & Diabolum etiam tentare, illum, vt hominem coronare poſsit; iſtum, vt ſubruat, euellat, & hominem deleat.

Ex

Ex Geneſ. 22. Poſtquam adorauerimus, reuertemur ad vos.

Ibidem. Tolle filium tuum, &c. Offer eum in holocauſtum.

CAnus l. 2. de locis Theologicis. Sunt alij (inquit) contra, quibus ego vehementer aſſentior, qui admittunt quidem, Abraham eà ratione fuiſſe mentitum, quod contra mentem, diſsimulandi cauſa, locutus eſt; prophetaſſe autem: quia dixit verum, quod tunc, ſcilicet, ignorabat.

Thomas Anglicus cap. 22. iu Gen. ¶ Poteſt (inquit) & illud Abrahæ dictũ verum eſſe ex conditione communiter ſubintelligenda, vel ſubintellecta, ſcilicet, ſi vita comes fuerit, aut ſi Deus voluerit. ¶ Poteſt item dici, Abraham non propriè, ſed figuratè ita eſſe locutum, vtendo, ſcilicet, plurali numero pro ſingulari, quod frequẽs eſt & in Sacrà, & profanà loquendi conſuetudine. Dixit itaque *reuertemur* pro *reuertar*: Vt ea verba ſerui proprie accipientes, nihil de eo, quod facere parabat, ſuſpicari poſſent, et verba iſta dixiſſe captioſe, non mendaciter, quod dixerat. Ambroſ. ſic interpretatur. Vide illum lib. 1. de Abrah. cap. 8. Alias ſimiliter expoſitiones vide apud Diu. Auguſt. ſerm. 1. de imm. Iſaac, qui eſt 72. de Tempore. Caiet. hic. cap: 22.

Ex Geneſ. 23. Et adorauit populum

Deut. 6. Dominum Deum ſolum eſſe adorandum.

Vide Gen. cap. 18.

Ex Geneſ. 23. Abraham emit ab Ephron filio Seor agrum, iuxta vrbem in ſepulturam Saræ.

Act. Apoſt. ca. 7. Deſcendit Iacob in Ægyptũ, & defunctus eſt ipſe, & patres noſtri, & tranſlati ſunt in Sichem, & poſiti ſunt in ſepulchro, quod emit Abraham pretio argenti à filijs Hemor, ſi filij Sichem.

VAriæ ſunt expoſitiones huius difficilis Antilogiæ. Canus l. 2. de locis Theol. c. vlt. ¶ Hoc igitur loco, inquit, mihi Bedæ opinio placet, cui & Rabbanus aſſenſus eſt. Verba illius in hunc modum habent. Beatus Stephanus vulgo loquens vulgi magis in dicendo ſequitur opinionem: duas enim pariter narrationes coniungens non tam ordinem circumſtantis hiſtoriæ, quàm cauſam de quâ agebatur, intendit. Eadem ferè Rabbanus. Quibus verbis verecundè quidem, ac modeſte ſignificarunt, Stephano, id, quod vulgo ferè ſolet, accidiſſe: vt in longa videlicet narratione, eademque præſertim ſubitâ, confuderit non nulla, & miſcuerit, in quibuſdam etiã memoriâ lapſus fuerit, in his dum tagat, quæ ad rem parum, aut nil omni-

no

no attinerent. Nam cauſæ, de qua potiſsimum agebatur, erat intentus. Lucas vero hiſtoriæ veritatem retinere volens, ne iota quidem immutauit, ſed rem vt à Stephano narrata erat, expoſuit. Nos autem non Stephanum ab omni lapſu, ſed Euangeliſtam vindicare debemus: ſolis quippe Apoſtolis, Prophetis, & Euangeliſtis hunc honorem deferre, Catholica fide docente, didicimus, vt nullum eorum vel memoria lapſum credamus, nullum nec in magnis, nec in paruis erraſſe. At Stephanus plenus erat Spiritu Sancto, fateor. At ſpiritus loquebatur in eo: & id equidem fateor; ſed aliter in Chriſto ſpiritus loquitur, aliter in Prophetis, & Apoſtolis, aliter in Stephano, & Ambroſio. At certè per hos omnes loquebatur. Per Concilium generale Deus Eccleſiæ loquitur: per Eccleſiæ paſtores Deus Eccleſiæ loquitur: per veteres ſanctos Deus Eccleſiæ loquitur. Et hi omnes tamen in paruis labi poſſunt, memoria præſertim, vbi lapſus facilior eſt. Scriptorum ergo ſacrorum hoc priuilegium eſt, vt eorum nullus in ſcribendo erret: Apoſtolorum priuilegium eſt, vt nullus eorum in docendo erret: Stephano priuilegium hoc nec ratio concedit, nec auctoritas. Nec vero a ſacris autoribus alienũ eſt, errantium quoque verba referre. Sic enim Iepte Iudic. 11. trecentos annos poſſeſsionis prætendit, cum re verà trecenti non fuiſſent: & ſacer tamen Hiſtoricus trecentos retulit. ¶

Verùm Cani eruditiſsimi expoſitioni arridebit nullus, qui tantum virum angelico ſplendore micantem, Spiritu Sancto afflatum, turpi memoriæ lapſui relictum, irriſioni Iudæorũ non conſtituerit obnoxium.

Quare alij mendoſos reputant eſſe Codices. ¶ Quod ſi mihi (inquit Maſius c. vlt. in Ioſue) coniecturà vti liceat in re tanta, dixerim, Stephanum illic de Ioſephi ſepultura locutum eſſe: atque ad hunc modum emendari debere codices Græcos, vt pro Abraham ſcribatur Iacob, &c. Et cum dicitur Hemor filius Sichem pro *filij* ponendum eſt *patris* inquiunt Lippomanus, & Eugubinus c. 33. in Gen. ¶ Verum huiuſmodi expoſitionem refutat acriter Canus, vbi ſuperius: tum quoniam exemplaria tam Græca, quam Latina iam inde ab Apoſtolorum ætate fuiſſe corrupta, non verosimile quidem eſt: tum, quoniam non eſt probabile, Hieronymum, Rabbanum, Bedam, alios que item Eccleſiæ Auctores, qui in hunc locum, & quæſtionem incidere, huiuſmodi defenſionis præſidium neglecturos, ſi vel tantillum probabilitatis in ea eſſe exiſtimaſſent: nec viri prudentes, & graues difficillimam quæſtionem eſſe dixiſſent, quæ m inimo quidem negotio, vt iunioribus iſtis viſum eſt, explicaretur. Quid? Quod in vocibus adeo diſsimilibus nulla deprauationis occaſio erat: ſi enim librarij pro *euerrit* ſcribãt *euertit*, pro *fortem fontem* vocum ſcilicet magna ſimilitudine fallerẽtur; at pro *Iacob*, *Abraham*, pro *patris* ſcribere *filij*, in tantà nimirum nominum diſcrepantia, nullæ deprauationis cauſæ fingi poſſunt, niſi librariorum aut ebrietas, aut amentia.

Vera autem expoſitio, vel ſaltem veritati proximior, eſt Lyrani, qui aſſerit, Moſem, & Stephanum locutos fuiſſe de ſepulchro empto ab Abrahamo, & non à Iacobo: hic enim agrum emit in vſum prædij, non in ſepulchro, vt Ioann. c. 4. & non pretio argenti, ſed centum agnis, vt Ioſue c. vlt. & Gen. 33. ¶ Poſſet dici (inquit Lyra) quod ille Hemor, de quo hic Lucas loquitur, fuerit idem cum Seor patre Ephronis, vt dicitur Geneſ. 23. fuit enim ille binominis, ſicut in Scriptura multi leguntur binomines. Ergo Abraham emit à filijs Hemor, quia emit à Ephrone, qui vnus erat de filijs Hemor, ſiue Seor. Hic autem Hemor, ſiue

siue Seor habuit patrem nominatum Sichem. Ille porrò Hemor, de quo fit mentio Gen. 33. habuit filium nomine Sichem. Nec est inconueniens, si ponantur eadem nomina diuersorum hominum hic, & illic: quia frequenter homines diuersorum locorum, & temporum conueniunt in nominibus. Et secundum hanc expositionem Littera planior videtur. ¶ Hæc ille. Neque mirum, B. Stephanum commemorasse patrem, seu auum Seoris, dicens, Hemor, seu Seor filium fuisse Sichem, cũ illum tacuerit Moses: quia in rerũ narrationibus solet, quod vnus scriptor omisit, alius illo posterior supplere: sicut B. Paulus nomina Magorum expressit c. 3. vl. epist. ad Timoth. quos Moses sibi obstitisse coram Pharaone refert, eorum nomina tacens.

Ex Genes. 23 Sepulchrum Abrahæ in Hebron collocatum est.

Act. Apost. c. 7. Iacob, & filij eius trasla ti sunt in Sichem, & positi in sepulchro Abrahæ.

NOn approbo, quod inquit Masius in c. vltim. Iosue, funus scilicet Iacob tamquam in proprio loco celebratum esse in Sichem, postea vero in Hebronem ad patrium sepulchrum deductum esse. Gen. namque 50. narratur ad Aream Atad, quæ sita est trans Iordanem, ductum esse funus Iacob, & exequias celebratas: postea in Canaam in sepulchrum Abrahæ translatum.

Cum Stephanus *translati sunt in Sichem* inquit, ad filios Iacob diuinum referri debere, & præcipue ad Ioseph, quem in Sichem sepultum traditur Iosue vlt. iudicamus. Et positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham, solum Iacobum spectat. Sicut Matth. c. 26. discipulos de Magdalenæ vnctione inquit, murmurasse: cum Ioan. 12. solus proditor Iudas in Mariam sit indignatus: solet enim Scriptura plurali numero aliquid de multis, quod vni soli conuenire potest, explicare. Vel dicendum, duodecim Patriarchas in Ægypto defunctos primò, inde translatos in Sichem, postea vero eorum ossa in Hebron, in sepulchro Abrahæ fuisse collocata.

Gen. cap. 23. Abraham in Chanaam speluncam, & agrum constat emisse.

Act. 7. dicitur: quod non dedit hæreditatem in ea, nec passum pedis.

AVgust. q. 56. in Genes. ¶ Quod non dedit Deus illi, sed quòd illam pretio suo comparauerit. ¶ Ita Aug. Secundo dici potest, quod non possedit illam quasi hæreditatem, vt viuus tamquam prædio potiretur; sed vt mortuus quiesceret in sepulchro: hoc enim neque prædium, neque ager viuorum est, de cuius loci genere locutus erat Stephanus, sed subterranea mortuorum. Vide Cornel. & Lorin. in Act. Apost cap. 7.

Ex Geneſ.24. Ad terram, & cognationem meam proficiſcaris, & inde accipias vxorem; ideſt in vrbem Haram.

Geneſ.12. Deus, qui eduxit me de terra natiuitatis meæ, & c.15. Qui eduxi te de Vr Chaldeorum: erat ergo Vr patria Abrahæ.

LYranus natale ſolum Abrahæ fuiſſe vrbem Haram ſentit. Cui contradicunt textus Antilogiæ ex c. Gen.12.& 15.& ex Iudith cap.5. *Populus iſte* (ibi dicitur) *ex progenie Caldæorum eſt. Deſerentes itaque cæremonias patrum ſuorum, quæ erant in multitudine Deorum, vnum Deum Cœli coluerunt: qui & præcepit eis, vt exirent inde, & habitarent in Charan.* Act. Apoſt.c.7. *Tunc exijt* (inquit Stephanus) *de terra Chaldæorum, & habitauit in Charan.* Oppoſitum tradere videtur Lyran. Deut.24. Abulenſis, terram vocare ſuam Haran, eo ſenſu credit, quia longiſsimo tempore ad mortem vſque Thare permanſit. Verum, præter quam quòd ſibi contradicit Toſtatus, qui ſuper cap.11. Geneſ. q.3.& ſuper 12.q.19. aſſerit, peregrinũ vixiſſe in Chanaam per ſexaginta annos Abrahamum, viuente Thare in Haram, opponitur Scripturæ, quæ eius profectum in Chanaam aſsignat cum Septuagintaquinque eſſet annorum: extunc enim exiuit de Haram. Vnde ſuper vixit Thare annis ſexaginta: cum in ſententia Abulenſis ſeptuagenarius genuerit Abrahamum, & obierit anno ducentiſsimo quinto ſuæ ætatis vt Geneſ.11. habetur.

Dicendum ergo eſt, regionem, quæ traſſluuium Euphratem eſt, comprehendens Meſopotamiam, & Chaldæam, appellaſſe Abrahamum terram ſuam. Quare ſub Meſopotamia comprehendit Stephanus Act. Apoſtolorum 7. Chaldæam, cum inquit: Tunc exijt de terra Chaldæorum, Haram autem comprehendebatur ſub Meſopotamia. Niſi dicere velimus ly *tua* non ad terram, ſed ad cognationem referendum. Vide D. Th. ſuper Epiſ. ad Heb. & Auguſt. in q. ad Geneſ. & quæ nos tradidimus in capit. Geneſ. 11.

Ex cap.25. Geneſ. Iacob vir ſimplex.

Ex Gen.27. Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem.

HAc voce *ſimplex* ſignificari idem, quod innocens, patet ex Geneſ.20. Abimelech enim ſe excuſans, *in ſimplicitate cordis recepiſſe Saram*, inquit. Item Matth.c. 20. cum dicit: *Eſtote ſimplices, ſicut columbæ*; innocentiam hortatur Apoſtolis Chriſtus. Et Paul. ad Rom.16. *Volo, vos ſapientes eſſe in bono, & ſimplices in malo.* Simplex ergo tunc erat Iacob; non enim præceſſerat Primogenituræ contractus, neque benedictionis cauteloſa Iacobi acceptio. Verum licet conſideretur fraudulenter benedictionem recipiens à patre, ſimplex erat Iacob. ¶ Dictio *rama* (inquit Lyppomanus) inter cœtera ſignificat interdum decipere, vnde *mirma* deſcēdit, dolum, & fraudem ſignificans. Recte igitur Latinè redditum eſt: *fraudulenter,*

ter, & à Septuaginta: *cum dolo.* Sed diſtinguere oportet triplicem fraudem, vnam eruditionis, quà Ioſephus Scyphum ſuum poni iuſſit in ſacco Beniamin: alteram inſpirationis diuinæ, qua filij Iſrael mutuati ſunt ab Ægyptijs vaſa aurea, ac tali Iacob vſus eſt cum patre ſuo Iſaac: tertiam noxiæ deceptionis, quà Propheta Bethel decepit virum Dei de Iudà, vt ſecum comederet: & hæc vitioſa eſt; non autem priores duæ. ¶ Simulatio autem quæ druplex eſt: altera cautelæ, quà ſimulauit fugam Ioſue; altera doctrinæ, qua Chriſtus coram diſcipulis finxit ſe longius ire: tertia ſignificationis, de qua eſt hic ſermo: quarta calliditatis, qua ſe Satanas in Angelum lucis transfigurat. Plura de hoc cap. 27. Geneſ.

Geneſ. 25. Dedit Abraham omnia, quæ poſſederat Iſaac.

Geneſ. 24. Deditque illi omnia, quæ habuerat.

PEr repetitionem, ſeu recapitulationē hic memorari, quod Abraham dederit omnia, quæ poſſederat, exiſtimat Caietanus in cap. 25. Gen. cum id ante coniugium Iſaac cum Rebeca factum cap. 24. legatur.

Ex Geneſ. 25. Aliam duxit vxorem nomine Cetùram.

Ibidem. Filijs autem concubinarū largitus eſt munera. Quaſi Cetura concubina fuiſſet.

COncubinę non aliæ habebantur à veris vxoribus, eo ſolo adhibito diſcrimine, quòd vxorem ritus, pactaque præcedebant dotalia; nō ſic in concubinatu. Vnde Guemara Babylonica tit. Sāhed. fo. 21. Quid vxores? (inquit) Quid concubinæ? Ait Rab. Iehuda vxores fieri pactis dotalibus, ac ritibus nuptiarum; concubinis neque dos, neque illa adhibita. Cum vero quis eam, cum qua verum coniugium haberi non poterat ob natalium defectum, videlicet ſeruitutem, dotalibus cum pactis in concubinatum acciperet, ea impropriè vxor dicebatur, & concubina. Sic Rabbini in Cetùra, quam eandem cum Agare reputant, diſcurrunt. Vnde vocatur vxor Cetùra: quia non ſine inſtrumentis dotalibus coniuncta eſt. Vide Buxtorfium de ſponſalibus: & quæ nos Deo concedente ad cap. 9. Iudic. dicemus: & Geneſ. 38. de Thamar.

Ex cap. 26. Geneſ. Iurauerunt ſibi mutuo. Et verſ. 23. Ineamus fœdus.

Geneſ. cap. 24. Filium meum tantum ne reducas illuc. Quaſi cum hominibus natiuitatis ſuæ ſolum commorari præciperet.

EX duplici capite oritur Antilogiæ oppoſitio, & ex iuramento mutuo, quod inter diſtinctæ Religionis ſectarios non licet. Sed de hoc ad cap. 31. Geneſ. dicemus: & ex fœdere, quod virum iuſtum, & religioſum decet inire cum Idolatra, cuius amicitiam, ac ſocietatem relegare ſemper de-

desiderauit Abraham in suo dilecto Isaac.

§ I.

Proponitur, benefacere alienigenis semper licuisse: & quantum à Iure naturæ deuiauerint ipsi Iudæi, & à mutua hominum charitate.

IVdæi tã pernicioſam inter ipſos, & alterius Religionis ſectarios iudicant ſocietatẽ, vt mutuæ charitatis leges, & officia naturæ non dubitent oppugnare. Apud Cornelũ nomine omnium quidam Rabbinus aiebat: Optimus, qui inter Gentes eſt, dignus eſt vt caput illi conteratur tamquam ſerpenti. Vnde illud Iuuenalis de illis. *Non monſtrare vias, eadem niſi ſacra colenti.* Eodem pertinet illud Taciti. Apud ipſos fides obſtinata, miſericordia in promptu; aduerſus omnes alios hoſtile odium. Ideo apud ipſos, ſi fides habenda eſt Maimonidi, ſi Iſraelita interficeret proſelytum domicilij, neutiquam erat morte plectendus ex ſententia forenſi: proſelytũ namque proximum eſſe nolunt.

Sed hæc obſeruantia quantum charitatẽ fraternam expugnet, cuiuis cõpertum erit: ſicut & contradicere Domino, qui Leuit. 19. ſpeciali lege imperauit benefacere popularibus. Apud Ioſephum Salomoni templũ dedicanti, & oranti, vt Deus ibi etiam alienigenarum preces exaudiret, hæc tribuitur deprecatio. Non ſumus inhumano ingenio, neq; male affecti erga extraneos. Solum autem cauetur ſic benefacere alijs, vt ſibi non inferrent nocumentum in Religione. Ideo Chriſtus Dominus exẽplo ſuo docuit, ſiniſtrè à Iudæis intellectum diuinum præceptum, & eorum traditionibus depraua-tum, cum à Samaritana aquam petere non recuſauit: & Petrus viris ex circumciſione obijcientibus: Quare introiſti ad homines præputium habentes? reſpondit: ſed mihi oſtendit Deus; neminem immundum dicendum hominem. Neque beneficentiam in homines extraneos à Religione liberam reliquit Dominus; ſed ſub præcepto imperauit Dei exemplo, qui bonis, & malis ſolẽ oriri facit, & pluuiam vtroſque humectare. Quando intra Iſraelem (inquit Tertulianus) erat ſacramentum, merito in ſolos fratres miſericordiam mandabat; at vbi Chriſtus dedit Gentes hæreditatem, & poſſeſſiones terminos terræ, & cœpit expungi, quod dictum eſt Oſee: Non populus meus populus meus: & non miſericordiam conſequuta, & miſericordiã conſequuta: ſcilicet exinde Chriſtus in omnes legem fraternæ benignitatis extendit, neminem excludens in miſeratione, ſicut in vocatione; quæ accipi oportet ſaluà gradus differentia, vt in omnes ſimus benefici, præcipuè tamen in Religionis conſortes. Vnde cum illis quidem, quorum peior cauſa eſt, & qui à diſciplina Eccleſiaſtica deficiunt, non omne interdicitur commercium, ſed familiare extra neceſsitatem, neque quod emendationis ipſorum præbet ſpem.

§ II.

Illicitum eſt fœdus cum alienigenis Religionis extraneæ; quando timetur proprie detrimentum, & infidelitatis contagium.

FŒdus non nocendi cauſa cũ alienis à Religione iniſte, iure veteri diuino fas fuiſſe, patet ex Deut. 23. vbi non abominari Idumæum, & Ægyptios præcipitur. Dauid, & Salomon cũ Hiram Tyriorum Rege pactum inierunt, quod neque in Dauid fuit reprehenſum; imò à Salomone iuxta ſapientiam à Cœlo inditam celebratur, atque laudatur Reg. 3.

In tutelam Iudæorum eſſe videtur loc. Exod. c. 34. Ne ineas pactũ cũ ho-

minib⁹ illarũ regionũ. Septẽ intelligẽ prohibitos populos. Ideo decreuere sapiẽtes (inquit Maimonides) omnimodos Gẽtiles, tã masculos, quã fœminas, proces, qui perpetuo sãguinis profluuio laborãt, siue ea dere cõsset, siuè nõ, habẽdos: quoties de munditia, & immunditia quæstio fit: ideſt ex eorũ contactu contrahi immunditiam, vt facilius sic ab eorum consortio, quantũ fieri posset arcerentur Iudæi. Act. Apost. 11. viri aliquot ex circumcisione Petrum interrogarunt, male ferentes: quare introisti ad viros habentes præputiũ, & manducasti cũ illis? Quæ omnia non leuiter indicant inter Hebræos, & Gẽtiles esse societatẽ prohibitã: Cõprobat idem Samaritides mulier: Quomodo tu, Iudæus cum sis (inquit Christo) bibere à me petis? non enim coutuntur Iudæi Samaritanis. In Guemara Babylonico ad tit. Iamibot. f. 74. habetur: In more positũ nõ erat admittere proselytos Dauidis tẽpore, & Salomon. Si ergo iustissimis Regib⁹ non licebat societas cũ proselytis, qui patrijs dimissis ritibus Iudaismũ profitebantur: potiori iure prohibita erit cum Idolorum cultoribus. Denique firmat Paulus, qui ad Thesal. inquit: Ne iugum ducite cum alienis à fide: quod enim consortium est iustitiæ cum iniquitate, aut quæ cõmixtio lucis cũ tenebris, aut quæ concordia est Christo cum Sathana: aut quæ pars credenti cum non credente?

Hæc autẽ leuis sũt armaturæ. Exod. nãq; 34. solũ præcipitur Israelitis cum septẽ populis nunquã inire fœdus, vt pote diuinà sententià damnatis, cuius executionis Israelitas delegauit ministros. Imò quando expresse Deut. 23. præcipitur populo, non quærere prosperitatẽ, nec bonũ eorũ, apud quosdã Hebræos (Grotio testante) pax ab illis peti vetatur; non tamen præcipitur respui, si ab eis offeratur. Neq; in Ammonitas mouit arma Iepte, nisi post æquæ pacis vias varias tentatas: neq; Dauid, nisi iniurijs atrocibus lacessitus.

Duo alienigenarũ pro luce expositionis sunt distinguenda genera: alterũ eorum, qui in Hebræorum ritib⁹, relictis patrijs, manebãt, & iuris Mosaici corpori nomina palã dabant: quos proselytos iustitiæ nuncupabant: alterũ est eorũ, quibus sedes in ditione Israelitica permissa erat, sed Iudaismum nõ profitentibus: & hos proselytos domicilij vocabãt, aduenas etiã, & inquilinos. De illis nulli dubiũ: licere fœd⁹ inire; de istis (inquit Maimonides) quoties Israelitæ prævalebãt (potissimũ ante Babylonicã captiuitatẽ) gentib⁹, illicitum erat nobis, permittere apud nos Gẽtilẽ Idolatriam, nec quidẽ ex accidẽti illic agẽtẽ, aut mercaturæ gratia ad locũ transeuntẽ, nequid em per terrã nostrã ei transeundũ erat: nisi in se reciperet septẽ præcepta, quæ Noachidis sunt imperata secundum id quod dicitur: *Nec habitabunt, aut manebunt in terra tua*, nequidẽ vllã obrationẽ: si vero præcepta illa septẽ se obseruatum profiteretur, proselytus deinceps domicilij erat. Vt inquit Manasses Ben Israel in suo Conciliatore in Deut. q. 163. septem præcepta sicut & Adæ imposita fuerunt Noe, & posteris eius: quæ, vt inquit Petrus Cunæus de Rep. Hebræor. l. 1. c. 1. iustitiæ regulas quasdam constituebant: quare vis eorum tam latè ad omnes pertinuit, vt qui ea nesciret, hos interficere in bello, atque ex hominum cõmunione tollere iussi sint Israelitæ; & Gentilis, qui ea non reciperet, repertus in ditione Hebræorum vltimo supplicio afficiẽdus erat. Eiusmodi præcepta ea erant iuxta Manassem Ben Israel: Non Idòla colere: Nomen Dei non maledicere: Non occidere hominem: Non adulterare; Non furari: Iudices instituere, quibus curæ sit has leges obseruari; Et carnem cum sanguine non comedere. Cum ijs ergo, qui talia præcepta reciperent societa-

tatem mutuam licebat Iudæis miscere, sicut cum ipsis Hebræis, & proselytis iustitiæ. Cum alijs autem alienigenis septẽ illa præcepta respuentibus, dummodò extra ditionem Hebræam domicilium collocarent, fas erat inire amicitiam, & societatem, vt cũ Ægyptijs. Maius enim periculum debet contingij Idololatriæ timeri, vbi maior est, propinquiorque locorum vicinitas. Vnde Gentibus Dijs suis fictitijs non renuntiantibus non licet mutua cum Hebræis societas, & amicitia, si commorentur intra terminos Israeliticos; fas tamen est cum Gentibus deditis Idololatriæ, si aliqua non breuis sit locorum distantia. Post excidium Templi, & Babylonicam captiuitatẽ, quo tempore cum Gentibus mixti, & per varias dispersi sunt terras, ex contactu Gentium immunditiam contrahendam Hebræis determinarunt, vt sic arctius illorum fugerẽt societatẽ, & Samariticam gentem inuisissimam illis tũc temporis maiori conatu: quo angustius erat vicinitatis periculum, eò efficacius quæreretur remedium. Ex quibus sola non licebat inter Hebræos, & Gentiles societas, quæ periculum pareret in vtrisque Idololatriæ. Hanc autem prudentem cautelam, & sanctam suis traditionibus deprauarunt, omni prorsus erga Gentes charitate extirpata, fugæ temperatæ præseruatiuam medelam conuertentes in odium læthale proximi sui, & ruinam capitis proprij: vt docuit exẽplo suo Christus in Samaritana, & Petrus ab ipso eruditus respondit ijs, qui malè ferebant introire ad homines præputium habentes.

Quod in Guemara Babylonico tẽpore Dauidis, & Salamonis proselytos non admissos legatur, explicatur à Maimonide Halach Isuribia capit. 12. Quod qui è Gentilismo transit ob vanitatem sæculi, inter proselytos iustitiæ non est connumerandus: mutationem vitæ, & Religionis inire debẽt ex amore syncero, & integro corde. Timoris namque causâ, sicut etiam honoris plures ex Gentibus Dauidis tẽpore, quo Regnũ opulentiâ vigebat, ad Iudaismum migrare, non temere præsumebatur. Vnde publicè in proselytismum non erat aditus, nisi ex sententia fori supremi, siue Synedrij constaret, an nomen Iudaismo dedisset vltro, & ob legis purum amorem. Exemplum habetur illustre de tota Idumæorum gente, quæ patriæ retinendæ causâ ex edicto Hircani in Iudaismum ingressa, sub Circumcisionis iugo deinceps vixit. Quia tamen Dauidis tempore aut nullus, aut pauci vitæ instituta deferebant ea puritate, quam necessariam censebant, vt amplecti Iudaismũ permitteretur, ideo publicè in proselytorum censum admissi non sunt, nec Israelitici iuris fas illis fuit prærogatiuis vti. Sic explicant communiter locum istum Hebræi. Neque negare possunt ante Dauidis tempora nullum ascendisse in proselytismum: quia de Iethro socero Mosis in Semoth Rabba parash. 27. sic legitur. ¶ Dum Gentilis, seu Paganus fuit iuxta illud quod in sacro habetur sermone: *& reuersus est ad Iether socerum suum*: simulatione autem factus est proselytus, littera vnica a directa est illi, vti & olim Abrahæ, & vocatus est Iethro. ¶ Illud vero quod adducitur Pauli ad eos refertur, qui in idolijs conuiuabantur: in quo peruertendæ Religionis Christianæ maius erat periculum. In societate ergo Catholicorum cum Gentibus, nulla, quæ ex circumstantijs temporis, & loci non dimanet, prauitas reperitur. Cauendum ergo est, ne familiaritas nimia contagium afferre possit infirmis: quare vtile iudicatum, sedes vtrorumque distare: sicut Israelitas seorsim ab Ægyptijs Idolis deditis habitasse, retulimus.

(..)

§ III.

Fœdus licuisse inter illos, qui distant in Religione, vtrumque Testamentum confirmat. Paralipom. locus exprimitur.

EXpressè habetur in sacro textu mutuum de se iuuando inter illos, qui alienæ sunt Religionis, fœdus, & pactum: quamvis id male audiatur apud Nicolaum Veruuleum. Abraham namque impios Sodomitas in bello adiuit Genes. 14. & ab alijs Regibus reportauit victoriam: cuius factum per Melchisedecum sacerdotem Deus probauit. Secundo D. Paulus monitus de insidijs Iudæorum, Tribuno indicari voluit, & cum Tribunus milites in eius præsidium addidisset, permisit, & ab infideli libenter recepit. Vbi Paulus, qui nullam edocendi officij occasionem aut dimisit ipse, aut ab alijs dimitti voluit, vt contra alios mouerent arma, vsus est infidelibus, alienæque Religionis præsidijs. Denique fœdus prædictum laudabile reddunt Asmonæi legis periti, & admodum reuerentes, qui cum Romanis, & Lacedæmonijs pepigere, approbantibus sacerdotibus, & populo: quin & pro eorum salute sacra fecerunt.

Varia sunt, quæ huic doctrinæ cõtradictionem inferre videntur. Paralip. 2. reprehensus fuit Iosaphat à Propheta, quod impio præberet auxilium, & ijs, qui oderant Deum, amicitiæ vinculo iungeretur. Paral. etiam 2. cap. 16. à Propheta carpitur Asa; quod ad societatem Syri se contulisset. Denique Fulco Rhemensis Archiepiscopus olim Carolum Galliæ Regem alloquebatur. *Quis non expauescat, te inimicorum Dei amicitiam velle, & in eladem, ruinamque Christiani nominis pagana arma, fœderaq; detestanda suscipere: melius fuerat, te non nasci, quã regnare Dæmonis patrocinio velle, & illos iuuare, quos per omnia impugnare debueres.* Pius V. Pontifex Francorum cum Turcis societatem Franciæ labem appellauit. Ex quibus constat, fœdus superius relatum non licere inter professores Religionis extraneæ.

Verùm fœdera in argumento relata non intrinseca ex ratione (vt sic loquar) sunt praua. Iosaphat namque non ex causa fœderis; sed ex personæ qualitate fuit à Propheta correptus, eo quod societatem inijsset cum Ochozia Rege Israel similem ei, quam Dauid, & Salomon iniuerant cum Hiram: quos eo nomine partim non reprehensos partim laudatos superius indicauimus. Nam quod dicitur Ochoziam impiè egisse, ad totam eius vitam est referendum, ob quam Deus ipsi, eius que conatibus fuerat infensus. Asæ fœdus similiter ob animi vitium, vnde procedebat, culpà notatur, eo quod ad societatem Syri se contulisset Deo diffisus; & ei mitteret res sacratas: sicut quod in medicis posuerit spem. Sicut ergo ex hoc loco crassè inferretur, non licere consulere medicos: sic ex se malum non erat cum Syris societatem inire. Multa namque, quæ aliàs licent, vitiat animus prauus, vt censum Dauid 2. Reg. 24. Thesaurorum ostensionem in Ezechia 4. Reg. 20. sic Isaiæ 31. fiducia posita in Ægypto reprehenditur, cum tamen Salomoni societas cum Ægyptijs licuerit: quia licet fiducia reponenda sit in Deum, cuius est adiuuare, & in fugam conuertere, non est intrinsecè malum recurrere ad humana præsidia. Israelitæ enim sub statu Veteris Legis disertas habuerant promissiones victoriæ, si legem obseruarent: nihilominus recurrere nefas illis non fuit ad humana auxilia.

Ad

Ad fæd⁹, quod cũ Turcis Car. inijt fateor, societatem cũ illo, qui distat à Religione, vt mutuo se fœderati iuuẽt non admittendã extra summam necessitatem, licet spes adsit maximi lucri. His qui insidijs (inquit Thucydides) impetuntur, vt nos ab Athenienſibus, inuidia fieri non debet, si salutẽ quærunt non Græcorum modo, sed & Barbarorum auxilijs. Nec enim ius quod libet sufficit ad id cõmittendũ, quod Religioni, si non directe, indirecte tamen nociuũ putetur. Quærendũ enim est primo loco regnum cœleste, id est propagatio Euãgelij, in cuius ruinã auxiliũ conuertit Carolus ille: vt ca. 6. historiæ suæ expresse declaratur. De quibus pactis audi Alexandrũ. grauiter, inquit, delinquere, qui aduersus Græcos Barbaris militarẽt cõtra iura Græcorũ. Et ratio, licet dispar à nostro instituto, ea est: quia omnes Christiani mẽbra vnius corporis sumus, qui iubẽmur alij persentiscere dolores aliorũ: sicut autẽ id ad singulos ex charitate, ita ad populos, quà populi, & ad Reges, quà Reges sũt, arctissime spectat: neq; enim pro se quisq; tantum, sed & pro mãdata sibi potestate seruire Christo debet; hoc autem populi, & Reges nõ possunt grassantibus infidelibus armis: neque bellũ ex fœdere aliquo iusto dimanans vnquã potuit licere contra Principẽ vnitũ in Religione. Fuit enim Mosi cũ Obab eius cognato: fuit etiã Dauidi cum Rege infideli; sed nullus in alios suæ Religionis consortes arma mouit. Idẽ iudiciũ fieri potest de Machabæis, seu Asmonæis cũ Romanis. Quod si id tantũ desiderauerit Nicolaus Vernuleus, inficias non ibimus.

Contra hoc stare videtur Illiberitanum Concilium can. 50. vbi sic dicitur. ¶ Si vero aliquis clericus, siuè fidelis fuerit, qui cũ Iudæis cibũ sũpserit, placuit eum à cõmunione abstinere, vt debeat emendari. Idem decreuere Nicænũ can. 50. Epaunense cã. 15. Aurelianense 3. ca. 13. Agath. ca. 40. Metense ca. 4. Meldense c. 23. Matisconense ca. Verum huiusmodi Concilia veritatem nostram confirmãt: omnium enim prohibitionis ratio præcipua fuit, ne ex Iudæorum communione varias præcipuè in delectu ciborum superstitiones transfuderint in Christianos: cũ apud illos ciborum communium vsus non vigeat. Vbi autẽ subuersionis periculum non timetur, non sic prohibetur mutua familiaritas, & societas, vt cũ Paganis, quibus cũ licet cõmunio: cum in cibis delectũ non habeant ep. ad mensam 11. q. 3. ep. in fid. 23. quæst. 4.

§ IV.

Fidem promissam cuius esse seruandam ex iure tam naturali Gentium, quam Mosis scripto, & Christi Euangelico oriri.

PLures dum politici volunt haberi, Machiabellum, & eius fallaces artes sequuti, omnem Religionem oppugnant. Sola innocentia hodie viuere nimis esse periculosum, ideo cum Vulpibus Vulpinandum, neque decipere pro moribus temporum turpe; sed prudentiæ tantum experimentum esse, inquit Plinius. Nec satius decere verbis Principes alligare, quorum in manibus sunt arma. Ideo Mahometes secundus Turcarum Imperator fertur dixisse, præstare fidem, mercatorum esse, non Principum, quod illi à fide, ij ab armis pendeant.

Quid de iure veteri Gentium?

Verum hæc fœdissima, pestilensque doctrina communem humanæ vitæ societatem euellit, neque vllum sine fide stabile imperium ipse confessus est Machiabellus, probans, Numam

Pompilium magis proficuum populo Romano, quam Romulum: quia ius iurandum infallibiliter docuit seruare. Vt inquit namque Valerius Maximus tria dominari Romanos fecerunt: saluum consilium secreta tacendo, dictis suis pertinaciter inhærendo, non frangendo fidem. Dedecorat eiusmodi Politica virum alias honestum: Ideo Pausanias de Philippo Macedone: Eum bonum Imperatorem, inquit, nemo recte vocauerit, vt qui pro more habuerit ius iurandum contemnere, fidem quauis occasione violare, ita vt nulli homini vilior fides fuerit. Et quidem quamquam fides toto exularet orbe, Nobilibus autem, & Regibus præcipuè semper est retinenda, quorum verbis maior deberet haberi fides, quam iuramentis aliorum.

Neque, quamvis à Religione distantes publicè sint hostes habendi, ideo fœdus cum illis initum irritum debet esse, & violandum. Ex iure enim naturali oritur, quod pacta violari nõ possint, cuius iuris capaces sunt cuncti homines, & si hostes. Augustus Cæsar cum publicà præconis voce decies sex tertium millia nummorum pollicitus esset ei, qui sibi Crocotam traderet latrocinijs insignem, ipsemet à se traditus Crocota pretium ab Augusto recepit, (refert Dio) Et ratio est: quia si cum hoste tamquam cum malefico actum est, & ipse fidem non violat, licet aliàs inuisus omnino sit, eo ipso simul de remittenda pœna, quoad hanc rem attinet, actum censeri debet. Optimè apud Liuium. Nauis cum tyrannidem ipsi obijceret Quintus Flamineus: de nomine hoc respõdere possũ, ait, me, qualiscumque sum, eundem esse, qui fui, cum te ipse mecum societatem pepigisti. Appianus de Lusitanis, quos noua pactione deceptos trucidauerat Seruius Galua, sic inquit: perfidia perfidiam vltus contra Romanam dignitatem Barbaros imitabatur. Fidem ergo seruare omnes natura docuit.

Idem ostendit ius Mosis scriptum, & Euangelicum.

Fœdus teneri homines erga Religionis etiam extraneos nunquam violare, vtrumque indicat Testamentum. Vetus quidem, vbi Israeliticos Reges, qui cum Babylonijs pepigerant societatem, sic Dominus est minatus: *Viuo ego, quoniam iuramentum, quod spreuit, & fœdus, quod præuaricatus est, ponam in caput eius.* Nouum quidem idem confirmat. Certissimum namque est, Iudæos tum Alexandri Magni successoribus variatim, tum Romanis, ex fœdere pependisse tributa, interea non de fuisse, qui gentem suam iniusto tributo, & armis oppressam decere redimere libertatem, acclamarent, quorum Iudæus Gallilæus fuit dux: de quo in Act. Apost. 5. Hinc suborta fuit controuersia, in qua audierunt à Christo Domino: *Date quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Idest sic iudicasse, inquit Fteherius apud Seldenum, Cæsarem petere, quod omnes Principes petunt, quod ante Ægyptij, quod Seleucus, quod Pompeius ab eis petierant, quod ipsi Cæsari debetur ex lege fœderis tanquam victori. Vbi Cæsari, à quo in Religione longe distabant, tributum, quod ex fœdere soluere tenebantur, videmus non posse sine iniustitia negari. Expressius id totum habetur in Act. Ap. Quia Gamaliel celeberrimus Iurisconsultus sermonem de Iuda Galilæo nectens, qui libertatem hortabatur Iudæis, & Cæsari negare tributum, eo quod scriptum esset: *Dominum Deum adorabis, & illi soli seruies*: Deum solum, & non Cæsarem Dominum esse dicendum, aiebat. De Iuda ergo istò sic inquit Gamaliel. *Post hunc extitit Iudas Galilæus in diebus descriptionis, seu professionis* (vt Vulgata) idest census, *& auertit populũ post se, & ipse perijt, & omnes quotquot consenserunt ei, dis-*

per-

perſi ſunt: & nunc itaque dico vobis, diſcedite ab hominibus iſtis, & ſinite illos: quoniam ſi eſt ex hominibus conſilium hoc, aut opus diſſoluetur, ſi verò ex Deo eſt, non poteritis diſſoluere. Palàm igitur eſt ſeditionem Iudæ ex tributo ab Auguſto ex fœdere, & iure deditionis impoſito, damnaſſe, veluti ex hominis turbulentioris commento, non ex Deo, ideſt ex iure, quod à Deo Gentibus tunc datum eſt, ortam.

Duplex teſtimonium doctrinam noſtram confirmat: primum eſt pactũ, quod pepigit cum Gabaonitis Ioſue c. 9. Ibi enim nullam aliam manifeſtãt rationem, quam iuris iurandi vim. *Iurauimus illis* (inquiunt) *in nomine Domini Dei Iſrael, & id circò non poſſumus eos contingere.* Et paulo inferius *Ne contra nos ira Dei concitetur, ſi peccauerimus.* Inuiolabile ergo ius iurandum, & fœdus exiſtimarunt, ſi ſemel fuerit initum. Secundum eſt ex Reg. 2. c. 21. Poſtquam enim Saul occidit Gabaonitas, fame Deus percuſit Iſrael: cuius ſupplicij cauſam obtulit textus, eo quod filij Iſrael iuraſſent eis, Saul autem hanc illis violauerit fidem.

§ V.

Proponitur: quid Cæcilia determinent Tridentinum, & Conſtantienſe. Vnde plura de ſaluo conductu: Huſſioque non eſſe violatam fidem.

BAtauus Caluiniſta Catholicis perfidiam obijcit: quaſi fidem hæreticis datam impunè violari poſſe, verbis, & opere teſtemur. ¶ Et adeo tamen (hæc inquit de Tridentino) locuſta effrons es (dirigit verborum tela in Becanum pium, & doctiſſimum virum) vt illo ſaluo conductu per illos coniuratos Patres, quorum maiori parti nulla erat fides, Euangelicis (ſic immeritò quidem hæreticos Caluiniſtas appellitat) quos tu hæreticos mentiris, fidem datam ſeruandã eſſe, decretum fuiſſe, oſtẽtare audeas, cum ne vlla quidem hæreticorum fiat in illo mentio; ſed è contra inſtinctu Pontificum, indefeſſoque Cardinalium, & Epiſcoporũ conatu, ne Regibus, & Principibus quidem, licet Catholicoromanis, maieſtas, & fides integra ſeruarentur: immò ijſdem ipſis, vt omni alio bello ſuſpenſo, fœdera inter ſe mutua ad extirpandos Euãgelicos ſuaderentur, conſiliarent. ¶

Verum omnia, quæ de ſaluoconductu, & publica fide, & ſecuritate diſerte habentur tribus ſeſsionibus, manifeſtè mendacem arguunt. Vide ſeſ. 13. in fine, & ſeſ. 15. & 18. quibus hæc duo ſtatuuntur, & decernuntur. Vt omnibus Catholicis, & Hæreticis, cuiuſcũque ſint conditionis, liceat publica fide, ac ſecuritate ad ciuitatem Tridentinam venire, ibidem manere, proponere, ac diſputare: & quod nullus audeat talem promiſſam fidem, ac publicam ſecuritatem violare. Et ſi quis, ſiuè Catholicus, ſiuè Hæreticus illam violauerit, illas ſubeat pœnas, quæ iure diuino, & humano in violatores fidei ſunt conſtitutæ.

Opponit ſecundo his verbis: Ex preſsim, vt dictum eſt, ad Conſtantienſem Synagogam veniendi à Sigiſmũdo Imperatori Saluus cõductus Huſſio datus eſt: & tamẽ ille, & Hieronymus Pragenſis orthodoxias cauſã iuxta coniuratorum illorum Patrum ſententiam viui exuſti fuerunt. Occinem tu fidem datã non violare appellas? Hæc ſibilat ille.

Verum nil, quod Batauo patrocinari poſsit, in Conſtantienſi Concilio poſſumus reperire. Hæc ſunt verba in ſeſ. 19. ¶ Præſens ſancta Synodus ex quouis ſaluoconducto per Imperatorem, Regem & alios ſæculi Principes, Hæreticis, vel de hæreſi diffamatis, conceſſo, nullum Fidei Catholicæ,

vel iuriſdictioni Eccleſiaſticæ præiudicium generari, vel impedimentum præſtari poſſe, ſeu debere, declarat, quo minus, dicto ſaluoconductu non obſtante, liceat iudici competenti, & Eccleſiaſtico de huiuſmodi perſonarum erroribus inquirere, & aliàs contra eas debite procedere, eaſdemque punire, quantum iuſtitia ſuadebit, ſi ſuos errores reuocare pertinaciter recuſauerint: etiam ſi de ſaluoconductu confiſi ad locum venerint iudicij, aliàs non venturi, nec ſic promittentem, cum fecerit quod in ipſo eſt, ex hoc in aliquo remanſiſſe obligatum. Hæc Synodus.

Ex quibus duo decernuntur: & quod ſæcularis poteſtas Eccleſiaſticam impedire non poſsit ab exercitio legitimo ſuo, et conſequenter ſi alicui Hæretico ſaluum conductum dederit ſæcularis Princeps, non obſtare, quominus Eccleſiaſtico reum liceat examinare, & procedere ſecundum allegata, & probata: inferior enim Princeps, qualis eſt ſæcularis, ſuperiorem, qualis Eccleſiaſticus eſt, ab executione ſuæ iuriſdictionis impedire non poteſt. Vnde ſecuritas, quam iſte promittit, ad tribunal Superioris non extenditur: quia ſuperior legibus, ac pactis inferioris non ligatur. C. *cum inferior Extra* de maioritate, & obedientia. Hoc ipſum docent paſsim Iuriſconſulti. Euerardus Specham Iuris profeſſor Helmeſtadij centuria 1. quæſt. Iuris q. 1. Secundum, quod ex Concilij decreto infertur, eſt; quod ſæcularis Princeps, qui promittit alicui ſecuritatem, cum fecerit quod in ipſo eſt, non manet obligatus in aliquo: cum ſolum promittere præſumatur, quod valet præſtare. Circa primum: quod Eccleſiaſticus Princeps ſit ſæculari ſuperior, quod Batauus pertinaciter negat, confitentur Pontifices, Epiſcopi, & etiã Imperatores. Gelaſius 1. epiſt. 10. ad Anaſtaſium Imperatorem, Gregorius VII. lib. 8. epiſt. 21. ad Hermannum Metenſem Epiſcopum; Cyrillus Ieroſolymitanus catec. 17. Gregorius Nazianzenus ora. 17. quæ eſt ad Cives Nazianzenos, Chryſoſtom. Hom. 83. in Matth. alloquens diaconum, Sanctus Ignatius Ioannis Euangeliſtæ diſcipulus in epiſt. ad Smyrnenſes, & epiſt. ad Philadelph. Hoſius Epiſcop° epiſt. ad Conſtantium Imperatorem. Ambroſius epiſt. 32. ad Valentinianum Imperatorem. Raſilius Imperator oratione, quam habuit in 7. Synodo. Theodoſius, & Valentinianus in epiſt. ad Synodum Epheſinam. Honorius in epiſt. ad Arcadium. Iuſtinianus in Authent. conſt. 123. Et, quod magis Batauum vrgebit, Caluinus ipſe profitetur lib. 4. inſtit. c. 11. §. 4. ab illis verbis: *Magiſtratus, ſi pius eſt, non volet ſe eximere.*

Circa ſecundum. Regula eſt, quam tradunt Iuriſconſulti; quando datur alicui ſaluus conductus, vel ſecuritas iure communi ſolum datur contra vim iniuſtam, non tamen contra Iuris executionem. Idem fecerunt Patres Concilij Conſtantienſis ſeſ. 6. Ad quod à violentia, iuſtitià ſemper ſaluà, omnem ſaluum conductum noſtrum, quantum in nobis eſt, præſentium tenore offerimus. Plura Euerardus Specham cent. 1. q. 1. §. 18. Mynſingerus obſeru. 82. Ex quibus conſtat, Principem ſæcularem, cum promittere tantum valeat ſecuritatem contra vim iniuſtam ſaluà ſemper iuſtitià, & iuris exequutione, ſi efficit, vt is, cui ſecuritatem promiſit, non patiatur aliquam vim iniuſtam, cenſetur facere, quod in ſe eſt, & quod præſtare tenetur, & valet.

Ex quibus colligo, Sigiſmundum Huſsio præſtitiſſe ſecuritatem, quam ipſe promiſit, contra vim ſcilicet iniuſtam: Huſſius enim paſſus eſt, ſed nõ iniuſte. Imperator enim, cum daret illi ſaluum conductum ſub pœna capitis fugam prohibuit quà elapſus eſt contra præceptum: neque voluit re-

tra-

tractus à fuga hæresim abiurare. Pœnam autem capitis in Hæreticos pertinaces leges Imperatoriæ decernunt. L. Quicumque, C. de Hæreticis. Fugam Husi Campianus Martyr in Rationibus Academicis probat: itē Nauclerus gener. 48. Cochlæus L. 2. Historiæ Husitarū. Ex Caluinistis Laurentius Humfredus lib. contra Campianum. Husio non esse fidem violatam ex eo patet, quod cum ipse duceretur ad mortem, nec verbum de fide violata fecit, cum de alijs alia loquutus sit: neque id vnquam testatus est Hieronymus Pragensis. Denique Bohemi, qui Husij dogmata tuebantur, cum ad Concilium Basilienſe oblato saluoconductu vocarentur, missâ insigni legatione comparuerunt: quod non feciſſent, si de fide violata Catholici suspecti haberentur. Neque ipse Lutherus, qui Husium speciali articulo laudat, quidquam de saluoconductu violato tetigit.

De Hieronymo Pragensi, quem contra fidem datam, inquit fuisse combustum. In primis Cochlæus l. 2. Hist. Husit. Molanus lib. 3. de fide Hæreticis seruanda c. 2. & alij, non accepisse Hieronymum saluū conductum ostendunt. Deinde citatus fuit à Concilio Constantiensi oblato saluoconductu cum hac clausula *salua semper iustitia*, vt habetur sess. 6. citatus, conuictus, hæresique abiurata vt sess. 19. in hæresim relapsus est, atque fugit, & reductus combustus est, vt sess. 21. Ex quibus constat illi violatam fidem nō fuisse. Primò: quia datus est saluuscon ductus cum clausula *salua semper iustitia*, qui expirauit per fugam. Secundo: quia in hæresim, quam abiurauerat, relapsus est. Hæc omnia contra Batauum, & plura alia vide a pud Becanum.

Ex Genes. 27. Ego sum Esau. Feci sicut præcepisti mihi. Comede de venatione mea. Vestibus Esau induit eum. Quæ omnia mendacia sunt.

Gen. 25. Iacob virum simplicem fuisse constat; & post benedictionem ab Isaac Iacob oblatam, multifariam illi Deum apparuisse constat.

---

§ I.

Reprobatur illorum iudicium, qui Iacob mentitum fuisse fatentur, & excusant à culpâ quantumvis leui.

MEndacium aliquando laudabile censent Poetæ. Inter cœtera munera, quæ Dij contulere Pandoræ: sermones blandi, mendacia, corque dolosum, ab Hesiodo numerantur. Æschilus apud Thymantem Pytgagoreum C. de iusto, & iniusto. Mendacio rum tēpus aliquando Deū honorare: cecinit. Plato libr. 2. de Repub. Mendacium, quod in verbis reperitur aduersus hostes, & amicos furiosos, velut medicinā, vtilem esse, defendit.

Verum est contra Poetas, quos tam quam errorum magistros alibi eliminauerat Plato, dictum Pythagoræ apud Ælianū: ¶ Duabus rebus hominem ad Deum proximè accedere: vera semper loquendo, & benefaciendo alijs. ¶ Apud Iamblichum veracitas dux dicitur ad omnia diuina, humana que bona. Apud Tacitum laudatum reperimus; ¶ Non fraude, neq; occultè, sed palàm, & armatum populum Romanū hostes suos vlciſci. ¶ Plato etiam ipse lib. 2. de Repub. Nullum (sic inquit) tantum esse homini malum,

lum,quantum eſt falſa opinio: Verum illud,germanum que mendacium tum Dij, tum homines oderunt.

Ipſaque natura labem horret mẽdacij.Homo namque(Ariſt.teſte) animal eſt naturà ſuà politicum appetens ſocietatem , cuius vinculum mutuus eſt animorum conſenſus , qui conſeruari non poteſt,niſi homines alter alteri ſuas cogitationes,& ſenſus impertiant; iſtæ vt potè immanentes actiones tam altis in animo cogitantis infixæ radicibus,vt à ſuo principio nec ſeparari poſsint,neque in alterius animum propagari, niſi vocibus mediis, quæ ſunt ſenſuũ interiorum nuntiæ, & cogitationum interpretes.Ille igitur, qui fallacià, & mendacio orationem ſuam adulterat , & celat cogitationes , naturæ repugnat , & ſocietatis humanæ fundamenta ſubducit.Audite Marcum Antonium Imperatorẽ.¶ Qui non dedità operà in quantum ab vniuerſa naturà diſcrepat (loquitur de mẽtiente) & præter decorũ agit. ¶ Repugnat ergo vniuerſæ naturæ. Vnde inquit Grotius:quod ſecundũ communẽ hominum exiſtimationem nulla videtur dari poſſe ſignificatio mendacij præter repugnantiam cum iure manente eius,ad quem ſermo,aut nota dirigitur.Id autem ius nil eſt aliud, quam iudicandi libertas,quam homines colloquentes his , quibus colloquuntur,debere,quaſi pacto quodam tacito intelliguntur. Hæc , & non alia eſt obligatio,quam homines introduci voluerunt,ſimul atque ſermone,notiſque ſimilibus vti inſtituerunt. Vnde veriloquium ad iuſtitiam refert poſt Simonidem Plato. Cicero ad iuſtitiæ fundamenta reducit quæſtionem de veritate dicenda.

(*)

§ II.

Explicantur varij Scripturæ loci commendantes mendacium.

MEndacium aliquando laudabile eſſe plura Sacræ paginæ cõprobant teſtimonia. In primis , ſciſcitanti Pharaoni,cur obſtetrices mortui Hebræorum puerosnon obtuliſſent, reſponderunt: *Non ſunt Hebreæ,ſicut Ægyptiæ mulieres:ipſæ enim obſtetricandi habent ſcientiam , & priuſquã veniamus ad eas,pariunt.* Hanc autem fallaciam Dei remunerantis videmus cõprobatam ſuffragio Exod.1 ibi. *Bene ergo fecit Deus obſtetricibus.* Si ergo Deus obſtetrices cõmendat: quis eſt qui condemnet mendacium? Secundò Iudith factum à Sanctis Patribus laudibus extollitur maximis; & tamen nullus à mendacio poterit liberare.Cum Eunucho ad Holofernis thalamum inuitanti. *Quæ ego ſum* (reſponderit) *vt contradicam Domino meo : omne quod erit ante oculos eius bonum,& optimum,faciam:quidquid illi placuerit,hoc mihi optimum omnibus diebus vitæ meæ.* Quibus verbis contra mentem Holofernis libidini morigeram eſſe promiſit. Tertiò Chriſtus Dominus : Lazarus amicusnoſter dormit,inquit;mortuus autem iam erat. Quis autem culpæ arguere poterit Dominum? Denique Exod.12.Vaſa aurea,quibus Hebræi Ægyptios expoliare intendebant, ab ipſis commodata acceperunt.Hoc autẽm laudabile fuit Domino conſulente Exod.c.3.ſicut vt fugeret populus ſeruitutem,finxit victimas in ſolitudine.

Hæc autem leuis ſunt armaturæ, vt commendabile probent mendacium.Obſtetricum falſitatem Auguſtinus damnauit.¶Quod ſcriptum eſt (inquit)bene Deum feciſſe cum Hebræis obſtetricibus,non ideo factum eſt,

eſt, quia mentitæ ſunt; ſed quia in homines Dei miſericordes fuerunt. Non eſt itaque in eis remunerata fallacia, ſed beneuolentia; benignitas mentis; non iniquitas mentientis. Niſi quis dicere velit, illa verba: Ædificauit eis domos ad populum Iſraeliticum referri: quaſi Hebræi ſuis obſtetricibus domos munitas extruxerint, quibus illæ contra Pharaonem, cuius mandatum contempſere, ſeruarentur. Sunt, qui referant ad Pharaonem, quaſi domos obſtetricibus, quibus eas includeret, excitarit. Alij ad ipſas. Vnde Septuaginta: *Fecerunt ſibi ipſis domos.* Et licet hæc referamus ad Deum: nondum tamen liquet, quibus ille extruxerit domos. Cum enim in textu principali legatur. Et fecit *Laben* eis domos, quod pro nomen eſt generis maſculini; quidam interpretantur, quaſi Deus non quidem obſtetricibus, ſed Iſraelitis obſtetricum beneficio domos ædificauerit, ideſt ſobolem; ac familiam propagarit. De Iudith D. Thom. 2. 2. q. 110. art. 3. ad 3. Dicendum (inquit) ſuſcepiſſe Iudith vtilis, officioſique mendacij leuiorem culpam: laudari nihilo ſecius, non quia mentita eſt Holoferni, ſed propter effectum, quē habuit ad ſalutem populi, pro quo periculo ipſa ſe expoſuit. Ad tertium: cum de ſimulatione verba faciamus.

Neque Deus (vt ſic Exod. 12. locus explicetur) præcepit Iudæis, vt circumuenirent Ægyptios; ſed ſolùm quod peterent vaſa aurea, & argentea, & iam accepta vlterius non reddèrent illis. Id Dominus fecit: tum quia omnium ſupremus Dominus eſt: tum quia Hebræis oppreſsis operibus lateris, & luti, omnique famulatu, non reddiderant mercedem Ægyptij iuxta illud Sapient. 10. *Reddit iuſtis mercedē laborum ſuorum.* Tum quoniam in bello iuſto res hoſtium victoriæ iure valebant auferre. Quemadmodum Epiphanius in libr. ancoratus explicuit iuxta illud Sap. 10. *Ideo iuſti tulerunt ſpolia impiorum.* Vbi nulla fallacia. Quod enim Auguſtinus dixit, Iſraelitas iuſſos eſſe hoſtem decipere, id ipſe eodem prorſus loco, ac quæſtione correxit. Nec mēdacium loquutus eſt Moſes cum, *Ibimus viam trium dierum in ſolitudinem*, inquit Pharaoni: ab Ægypto enim, vt ait Aben Ezra ſuper cap. 5. Exod. vſque ad montem Sinai, vbi tunc immolare intendebant, iter trium ſolum dierum, ſi recte perageretur, intercedebat. Quod ſi Pharao non renuiſſet, redi ret iterum Moſes, tempus differret vlterius nec ſic Abul. Lyra, & prius Auguſtinus.

§ III.

Eadem mendacij labe gaudere ſimulationem, comprobat ratio, & aliqua teſtimonia Scripturæ.

CVm aliquis, ſi alijs non noceat, ſibi hilarem reddat fortunam cenſent Rabbini, licere ſimulationis mendacium. Quia, vt refert R. Ioſue ben-Sueb, ptæcepta Domini inſtituta ſunt, vt illis homines viuant; non vt perire faciant. Sic ſentiunt Abarbanel, R. Niſim, R. Ioel benSueb. Verum eadem mendacij malitia eſt, & ſimulationis, eamdemque irrogat naturæ iniuriam. Audi Aquinatem 2. 2. q. 117. art. 1. Sicut veritati (inquit) opponitur: quod aliquis per verba exteriora aliud ſignificet, quam quod habet apud ſe, quod ad mendacium pertinet; ita etiā opponitur veritati, quod aliquis per aliqua ſigna factorum, vel rerum aliquid ſignificet contrarium, eius, quod in eo eſt, quod proprie ſimulatio dicitur. Vnde ſimulatio proprie eſt mendacium quoddam in exteriorum ſignis factorum conſiſtens. Hac etiam ratione repellitur ſimulatio. Socrates namque in Theætheto apud Platonem rationem ſignis exterioribus, atque oratione ſe exprimere dicit ſuas cogi-

gitationes eas auditoribꝰ repręsẽtare, quasi facies in speculo, vel aqua, sic eleganter Mercurius ille ter maximus in Primandro: Oratio est imago mentis, & mens Dei. Inficias ne ibit aliquis, imaginem, & speculum esse vitiosa, si imago ab exemplari, & speculum ab obiecto dissentiant? Nullus quidem. Vt ergo speculum Hecubam pro Helena repræsentans diceretur vitiosum & pictor contra artem peccaret, qui leonis, vel equi pro boue delinearet imaginem: ita peccat contra naturã, qui veritatem factis, vel figmentis adulterat, vel potius spectandam exhibet pro corpore solam vmbram. Hoc declaro: si perdicibus cor duplex in esse, monstrum putant contra naturã, si quis cor, animumque duplicatum haberet, is monstri loco sine controuersia diceretur. Quid igitur illi, qui, cũ vnam à natura linguam, cor vnum, vnamque ab anima mentem acceperint, sibi duplicia fabricantur in cordibus. *Vana loquuti sunt* (inquit Psal. 11.) *vnusquisque ad proximum suum: labia dolosa in corde, & corde loquuti sunt.* Et sapiens Eccles. 2. *Væ duplici corde.* Quisquis ergo factis mentitur cogitationes duas, cor duplex habet, & animum duplicatum, vnam cogitationem, vnumque cor: vnam, quam veram putat, & silentio, vel suspensione deprimit: alteram, quam falsam existimat, & signis exterioribus depromit.

Comprobat idem Machabæor. 2. c. 6. Eleazarus comedere carnes recusans porcinas: quem, vt liberarent à morte, rogabant amici, simulare vesci porcinis, ipsi licitas apposituri. Maluit tamen Eleazarus mortem amplecti, quam simulationem. Quod si dixeris, non tàm simulationem, quam scandalum vitare voluisse, & ruinam adolescentibus, qui ipsum edere prohibitas carnes existimassent, quid respondere valebis ad illud Re. 3. c. 5. Naamã namque Princegs Regis Syriæ militiæ sanatus ab Eliseo, quà laboraret, leprà: cum recognosceret verum Deum, timens, ne, cum comitaretur Regem in templo Renon, eo genuflectente, genuflecteret ipse, rogauit Prophetam, vt pro ipso Deum oraret: genuflexio autem, in quam relabi timebat, non vera, sed solum esset simulata adoratio. Confirmat, quam defendimus veritatem, Illiberitanum Concilium can. 55. Sacerdotes (sic decernit) qui tantum sacrificantium coronam portant, nec sacrificant, nec de suis sumptibus aliquid Idolis præstãt, placuit, post biennium accipere communionem. Et can. 56. sic decrevit. ¶ Magistratum vero anno, quo agit Diũ viratum, prohibere placet, vt se ab Ecclesia cohibeat. ¶ Ecce Synodus Catholicos prohibet à communione cœlestis mensæ, & Ecclesiâ, qui ad Magistratum eleuarentur, eo quod habitu Gentilium fides Christianorum simulabatur. Vsurpabant enim in Deorum sacrificijs coronas. Ferunt namque, primum Liberum patrem capiti imposuisse coronam ex hedera, & hinc sacrificantes victimas coronabant.

§ IV.

Varia in oppositum testimonia Scripturæ explicantur, & simulatio Pauli in circumcisione Timothei, & Petri in obseruatione legalium declarantur.

IMprimis Christꝰ Dominꝰ ficti onẽ suo exẽplo corã Apostolis honorauit: illis enim in Castellum Emaus iter agentibus, finxit, se longius ire, cùm Emaus suæ terminus esset viæ. Samuel 1. Reg. 16. vt Dauid sine periculo proprij capitis vngeret in Regem, de grege hædum selegit, simulans, se Deo velle immolare. Dauid 1. Reg. c. 21. cum periculum sibi à Getheis imminere, videret, vt in tuto suam collocaret salutem, immutauit os suum coram eis, & collabebatur inter manus co-

eorum: hos ergo furiosi gestus exhibuit, non vt internum insaniæ morbū, qui nullus erat, significaret, sed vt à periculo omnino liberaretur. Cuius simulatio laudatur à Salomone Eccles. 10. Fuit etiam consilium Catonis: stultitiam simulare loco prudentiæ est. Horatius lib. 4. Od. 12.

Miſce ſtultitiam conſilijs breuem.
Dulce eſt deſipere in loco.

Verum Christus Dominus nunquam simulauit, aut finxit. Decreuerat intrare castellum, si discipuli eius rogassent secùs longius duxisset iter: ideò licet non videretur velle castello manere, intrauit rogatus, sicut cogitauerat ipse. Duo similiter intendisse Samuelem, constat ex textu, & vngere in Regem Dauid, & vitulum immolare: vtrumque, sicut cogitauerat, fecit, vnxit scilicet, & immolauit. Ad simulationem Dauidis ex dicendis, nisi mandacij labe tabuisse, dicamus, constabit.

Manasses Ben Israel, & plurimi alij, simulationem licere, si cedat in bonum sui, vel alterius spirituale arbitrantur. Sicut simulatio, quà vsus est Iacob, vt à fratre tolleret primogenituram, licuit: quia huic annexa erant spiritualia beneficia maiora. Quis namque virginem Nicomediensem nō laudat, cuius Cedrenus meminit in Annalibus? Eam, qua tempestate Diocletianus, & Maximianus lacerabant Ecclesiam cum impuro milite includi domo inſſerunt, vt nisi Fidem abiurare vellet, pateretur stuprum. Tandem precibus, lachrymisque frustratis, se præstituram finxit medicamentum, quo perunctus vulnerari non posset, si eius parceret pudicitiæ: ceram oleo permixcuit, quo cum ceruicem suam vnxisset, vt vim experiretur medicamenti, militem omni robore ipsam ferire rogauit. Miles admodum lætabundus venerandum virginis caput abscisum ad pedes suos statim prouolui, miratus est. Et hunc in modū (inquit Cedrenus) aduersarij improbitate superatà, martyrij coronā castitatis corona cumulauit. Ecce, qualiter simulatio, boni spiritualis capiendi gratia laudabilis est.

Paulus ipse simulationem suo exēplo cōmendat: cū Timotheū circūcidēret, à Iacobo admonitus legitima cū alijs celebrāda suscepit, vt hac falsà simulatione ad eorū sibi familiaritatē conciliādā in multorū salutē, & Fidei propagationē vteretur. Quo facto in multos propagata fuit fides. D. Petr. ad Gal. 2. Simulationi eius consenserunt cæteri Iudæi, ita vt & Barnabas duceretur ab eis in eius simulationē. Quāuis autē reprehensus fuerit Petrus à Paulo, Patres cōmuniter illū purgant à culpa: quia id gratià spiritualis lucri maioris infidelium animas redundantis præstiterit.

Sed quantuscumque sublimis finis excogitetur, simulatio tamen commēdabilis nunquam erit. In primis poterā inficiari, eā vere martyrem Christi fuisse: cum eius acta non e publicis Ecclesiæ tabulis proferātur. Dicere etiā possem, non mendacio solū, sed etiam interitu sponte quæsito lethaliter deliquisse: cū ad facinoris huius encomiū nulla nos Ecclesiæ compellat auctoritas: nullis enim legibus morte potius oppetere, quam stupri pati tenebatur violentiam, dum liberū voluntatis cōsensū à turpitudine poterat cohibere. Nisi dicamus, eam diuino spiritu, diuinoque impulsu fuisse, sicut Sāson, excitatam, vt à suo corpore illius emissarij militis petulantiam, libidinemq; contineret morte spontanea: vel ignorantia inuincibili ductam, quà saluat via Diana, & à desperationis liberat culpà mulierum rusticā vitandæ turpitudinis adolescentis gratià sponte præcipitatam. Singulis namque facti circūstantijs diligenter expēsis, ignorantia excusante, melius mentiri, & mortem amplecti, quā libidinis flāmis fædari potuit existimare. Hæc nāq; si sic con-

tigerint Virgini, neque quidquam vel præseruatæ pudicitiæ laurea, vel de martyrij decerptus floſculus erit.

Factum Pauli, & Petri diu, & nondum compoſitam inter Auguſtinum, & Hieronymum mouit litem. Ex illis quidquid dixero, depromam. Per aliquod ergo tempus Apoſtolis, primiſque adeò Chriſtianis cæremonias veteris legis, quamvis ad ſalutem minime neceſſarias, & velut mortuas, fas fuit vſurpare, ne eas perinde, ac Idololatriam Gentium crederentur repudiare: Licet nunc quiſque Chriſtianorum (inquit Auguſtinus) quamvis ſit ex Iudæis, ſimiliter ea celebrare voluerit, tamquã ſepultos cineres eruẽs, non erit pius deductor, vel baiulus corporis, ſed impius ſepulturæ violator. Gentibus ad Fidem conuerſis quidam de ſectis Phariſæorum, qui Chriſtiana ſacra ſuſceperant, illos non ſolum ad circumciſionem, ſed etiam ad ſuillæ, cæterorumque Iudæis interdictorum ciborum abſtinentiam prædicabant teneri. Vnde re diligenter expenſa, Antiochenos Gentiles ab hoc onere releuarunt, & cuilibet liberum eſſe, vel circumciſionem amplecti, aliaſque cœremonias legales, vel ab his omnino ceſſare, decreuerunt. Ex quibus infertur, Paulum ſine legitima reprehenſione, ſicut quemlibet alium Apoſtolorum religioſe citra fallaciam ſimulationis obire cœremonias legales licuiſſe, non quidem vt neceſſarias, ſed vt nondum interdictas. Ideo Timotheum circumcidit Paulus, vt ſocietatem Iudæis familiarem ſibi ſtrictiori vinculo conciliaret. Non ſic facile erit à ſimulatione culpabili Petrum Apoſtolum vindicare: Paulus enim inquit. *Reſtiti Petro, quia reprehenſibilis erat*: quia Iudaicè vixit, ita caute ſe cum Iudæis gerens, vt iuſtam daret cauſam Gentibus ſuſpicandi, Iudaiſmum eſſe ad ſalutem tam ſibi, quàm alijs neceſſarium. Hæc imperfectio leuis ex inconſideratione manauit: Petrus enim putabat, ſe Iudæorum, quorum hactenus erat Doctor, offenſionem præcauere debere potius, quàm Gentium: cum tamen omnium æque Paſtor eſſet, & Rector. Sed vix poteſt humanæ mentis infirmitas omnes circumſtantias libtare, vt aliquando in rebus perplexis non cæcutiat.

§ V.

Exponitur Saræ ſimulatio, & à culpa liberatur.

MEntitam Saram ſimulatione, innuit Gen. 20. Scriptura. Apparuit enim coram Abimelech ſine oculorum velamine, vt videretur innupta. Solebant enim mulieres, cum nuptui dabantur, vel ob pudorem, vel ad ſignificandam ſui corporis poteſtatem, quam recognoſcebant maritis, vello, vel pallio obnubere caput. Rebecca ſic fecit Gen. 24. Hinc Hymenæus Deus nuptiarum, croceo velatus amictu deſcribitur à Naſone 10. Metamorph. Velum hoc flammeum, ſiuè flammeolum vocabant. Lucanus 2. Pharſal.

Non timidum nuptæ leuiter, tectumque pudorem
Lutea demiſſos velarunt flammea vultus.

A colore videlicet luteo, & flammeo, ſiuè ardenti. Quo ſenſu interpretari poteſt *velamen oculorum. Enaim* namque non ſolum oculos, aut fontes ſed colores interdum etiam ſignificat, vt Leuit. 13. v. 55. liquet, & Abulenſis notauit. Romanis moris fuit (ait Plutarchus) mulieribus capite velato procedere, nec aliam forſan ob cauſam Venus Andromachæ velamen dediſſe, dicitur ipſo die nuptiarũ.

Quidquid illi dono dederat Venus aurea velum.
Cum primum vxorẽ duxit fortiſsimus Hector.

Accedit, quod Geneſ.

neſ. 24. vbi Rebecca dicitur pallium ſuſtuliſſe, quo, Iſaaco veniente, obnuberet caput, Theriſtrum vertunt Septuaginta: quod (vt inquit Hieronymus de traditionibus Hebræis) pallium dicitur genus etiam nunc Arabici veſtimenti, quo illius Prouinciæ vxores velantur. Cum ergo obiecto velo Sara coram Abimelech apparuit, matrimonio ſolutam ſimulauit. Hoc innuit verſio Septuaginta, ibi: *Hæcerunt tibi in honorem faciei tuæ, & omnibus, quæ tecum ſunt* (mulierum ſcilicet, quas habebat in comitatu) *& in omnibus ſectare veritatem.* Quaſi dicerent: Noli fratris nomine coniugium pretexere; ſed habitu, qui matronam deceat, & coniugatam, incede: palam eſſe te maritatam declara, vt verè es: caue deinceps in mendacio deprehendi. Vbi vocem illam *Veno Kahat* deflexiſſe videntur à *No Kah, coram, ante.* Ac ſi dicat Abimelec: palam omnibus profitere, te eſſe coniugatam. Decepit ergo Geraræ Regem, velum matrimonij notam cierando. Hanc autem ſimulationem Sancti Patres commendant Chryſoſt. Ambroſ. lib. de Abram, capit. 2. Talmud. Hieroſolymitanum laudibus etiam extollit.

Binam diſtinguere poſſumus ſimulationem cum Grotio: poſitiuam aliam, quæ in rigore fictio eſt, quando per illam aliquid cogitationi, & animo hominis interioris oppoſitum declaratur: & hæc ſi verbis exprimitur, mendacium, ſi rebus, ſimulatio appellatur. Quam non licuiſſe, ſuperius eſt demonſtratum. Aliam negatiuam appello: quando quis ita cogitationis, & cordis intima celat, vt neque verbis, neque ſignis exterioribus oppoſitum veritati depromat. Hæc omnibus licet, illis præſertim, quibus eſt commiſſa Reſpublica. Præbet Ieremias exemplum c. 38. qui interrogatus à Rege de obſidionis euentu, celat prudenter, afferens aliam, nec falſam colloquij cauſam. In bello Romanorum panem de Capitolio in hoſtium ſtationes iecerunt, ne fame perire cenſerent. Ex quibus licuit ſimulata fuga Ioſue: ipſa enim fuga ex inſtituto nihil ſignificat, quamvis in ſignum pauoris eam hoſtis acceperit, quod Ioſue cauere non tenebatur ſua vtens prolibito libertate, celerius, vel tardius huc, vel illuc eundo, hoc, vel illo geſtu, vel habitu. Ad veram ergo rationem mendacij, vel ſimulationis, quæ rigoroſa ſit fictio, neceſſum eſt, vt quod ſcribitur, dicitur, vel indicatur, intelligi aliter nequeat, quam in eum ſenſum, qui diſtet à proferentis mente. Vnde cum vox aliqua, aut ſermonis complexio eſt, aut plures ſignificationes admittit ſiuè ex vulgi vſu, ſiuè artis conſuetudine, vel figurà aliquà intelligibili: tunc ſi animi conceptus vni iſtarum ſignificationum congruat, non admittit mendacium, licet alius qui audit in alterum putet ſenſum eſſe accipiendum. Chriſtus Dominus vera loquutus eſt, cum *Lazarus amicus noſter dormit*, inquit. Soluite templum hoc, & in triduo excitabo illud: quamvis Apoſtoli, & Iudæi diuerſis conceperint illa ſenſibus. Licet ergo iſta negatiua ſimulatio. Non hoc eſt occultare veritatem (inquit Auguſt.) quod eſt proferre mendacium: quamvis enim omnis, qui mentitur velit celare quod verum eſt; non tamen omnis, qui quod verum eſt, vult celare, mentitur: plerumque enim vera non mentiendo occultamus, ſed tacendo Ex quibus Saram ſimulaſſe fatemur in ſecunda acceptione ſimulationis. Aliud enim eſt matrimonium abiurare, aliud, matrimonium non fateri, nec publicare: aliud eſt Saram dicere non eſſe nuptam, aliud, non dicere eſſe nuptam. Sicut aliud eſt Fidem abiurare, aliud, illam non profiteri: primum fecit Petrus, & de-

liquit: ſecundum laudabiliter plurimi ſancti. Sicut qui Bonziorum veſtes induit in Iaponia non ſimulat reprehenſibili ſimulatione : cum non intendat abiurare Fidem Chriſtianam, ſed ſolum non apparere Chriſtianus, quod aliquoties oportet. Audi Origen. Hom. 1. in Ezech. ¶ Confiteor libenter à ſapienti fideli viro dictam ſententiam, quam ſemper ſuſpicor : De Deo etiam vera dicere periculoſum eſt : Neque enim tantum periculoſa ſunt, quæ de Deo falſa dicuntur; ſed quæ vera ſunt, & non oportune proferuntur, dicenti periculũ creant. ¶ Neſcio, an hoc mouerit Illiberitani Concilij Patres, qui can. 60. ſic decreuere. ¶ Si quis Idola fregerit, & ibidẽ fuerit occiſus: quia in Euãgolijs non eſt ſcriptum, nec inuenitur ab Apoſtolis vnquam factum, placuit eum in numerũ non recipi martyrũ. ¶ Cum Iuſta, & Rufina Hiſpali non ſolum Deæ munus offerre recuſarent; ſed etiam ſummo Dei zelo motæ, idolum, quod plures Ethnicæ mulieres more ſuo circulatorio per forum circũferebant, fregerunt, quæ inclyta Fidei profeſsio vehementer ad indignationem moui Diogenanum totius Bæticæ Præſidem, ideo Illiberitani Patres, vt decernerent in Concilio, nequis Fidei, & Dei zelo nimis impulſus Idola diſturbaret Gentilium, & ipſos concitaret, vt liberius in templa, & in perſonas graſſarentur, & hos, qui ſic imprudenter ſe profiterentur Chriſtianos, in numerum martyrum non fore referendos, mouit: illos enim viuos, & iam defunctos varijs priuilegijs honorare ſolebant; per Diaconos ſuſtentabant in carcere : cum vita exceſsiſſent, inter ſanctos ſpiritus celebrabant ſingulis annis die ſui martyrij. Iſtorum, & aliorum punien dos fore priuatione, decreuit Illiberitanum, eos, qui in profeſsione Fidei à prudentia deuiarent. Simili malo occurrere voluerunt Põtifices Maximi, præcipientes ſub anathematis graui cenſura ſacerdotibus, & Hieroſolymitanis monachis, ne verbum Domini publicè prædicarent. Quamvis namque Chriſtianæ doctrinæ propagatores ſanctiſsima ſit, ne tamèn excitati Turcarum animi ſæuirent in Chriſtianos crudelius, iuſtiſsime interdicta eſt eis publica talis profeſsio. Quæ omnia ſimulationem iuxta dicta licuiſſe apertè comprobant.

Ad rem ergo de Sara, quod eius ſimulatio nẽpe nõ præſetulerit aliquid oppoſitum veritati, conſtat. Quoniam licet apud Hebræos nuptæ incederent velamine ornatæ; inter Ægyptios, nec toto Abimelech regno legitur mulierum nuptarum peculiaris habitus eſſe, ita vt ſignum infallibile foret diſtinctionis à virgine, oculorum nuptæ velamen, cum nec apnd Philonẽ, & Ioſephum aliquid horum legatur. Vnde quod velamen expelleret Sara, nihil ſtatui coniugali repugnans expreſsit, licet exponeret Abimelech periculo errandi, quod ipſa vitare non te nebatur.

§ VI.

Mendacij leuis maculà Iacob fuit fœdatus: neque id mirum, quamvis pius fuerit, & ſanctus, & à Deo ſummè illuſtratus.

QVamvis à mendacio liberari poſſet Iacob illis verbis: *Ego ſum primogenitus*: quia à fratre emerat primogenituræ iura: & illis: *Ego ſum Eſau* non quidem quantum ad ſubſtantiam perſonæ, ſed prout dignitate primogenituræ gaudebat in ipsũ iure electionis traſlatæ. Sicut Matt. 11. & 17. Ioannem Baptiſtam appellauit Chriſtus Eliam, non perſonam reſpiciens, ſed quia in virtute, & ſpiritu venerit patris Eliæ. Vſitatum enim

nim eſt in Scriptura rem aliquam nomine alterius vocari. Raphael Angelus apud Thobiam 5. interrogatus de genere, & parentibus ſuis, reſpondit: *Ego ſum Azarias Ananiæ magni filius*: Thobias de viro apud Hebræos inſigni intellexit: cum Raphael figuratè loquutus fuiſſet. Quibus licet deceptus fuiſſet Thobias, Angelus non eſt mentitus, iuxta ea, quæ de ſimulatione negatiua tradidimus paulò ſuperiùs. Similem etiam explicationem poſſet admittere, quod Iacob veſtibus Eſau indutus patrem Iſaacum deceperit. Non ſic explicari poſſunt ea: *Comede de venatione mea*. Et illa: *Feci, ſicut præcepit mihi*.

Quare dicendum eſt, vſque adeo ſolicitos eſſe nos non debere, vt omnia ſanctorum facta à labe malitiæ venialis excuſemus, cum id contextus Scripturæ non patitur, niſi contortè exponatur: quandoquidem certum ſit, homines quantumvis ſanctos, etiã Apoſtolos ipſos abſque leuibus his defectibus non vixiſſe. Vnde nil miri, quod mendacij labe fœdatus ſit non pernicioſi: cum ipſi Iacob debita ſit primogenitura, & benedictio reſpondens.

Ex Geneſis 27. In pinguedine terræ, & in rore cœli deſuper erit benedictio tua, accepit ergo benedictionem.

Paulus ad Hebr. 12. Nequis ſit fornicator, ſiue prophanus, vt Eſau, qui propter vnam eſcam vendidit primitiua ſua. Scitote enim, quoniam & poſtea cupiens hæreditare benedictionem, reprobatus eſt: non enim inuenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lachrymis inquiſiſſet eam. Ex quibus Paulus negat accepiſſe benedictionem, quam cum lachrymis poſtulabat ab Iſaac.

QVod dicitur Eſau non inueniſſe locum pœnitentiæ cupiens hæreditare benedictionem, intelligendum eſt de principali, & hæreditaria benedictione, quæ iuri, & primogenituræ dignitati annexa erat, quam dedit Iacob, & negauit Eſau, quãvis cũ lachrymis poſtulaſſet; & reſpectu huius benedictionis reprobatũ appellat Paulus Eſau; nõ cõparatione ad vitã æternã facta. Sicut *pœnitentiæ* verbũ non ad remiſsionem peccatorum, ſed ad Iſaac debet referri: quia neque lachrymis, neque precibus Eſau potuit adduci ad reformandum, quod fecerat, & benedictionem Iſaac reſcindendã, vt Eſau repeteretur mutatà facti diſpoſitione. Sic apud Hierem. c. 26. *Noli ſubtrahere ab illis verbum, ſi forte audiant, & conuertantur à via ſuà malà, & pœniteat me mali, quod cogito facere.* Quod idẽ eſt, ac ſi diceret, ſi forte mutem affligere illos. Accipe circa hoc Theodoretũ q. 50. in Gen. Quomodo (inquit) pœnitentia cadit in Deũ, qui ſua præſentia regit vniuerſa? Sed pœnitẽtia Dei nihil eſt aliud, niſi mutatio diſpoſitionis eius. *Pœnitet me* inquit ipſe 1. Reg. c. 15. *quod cõſtituerim Saul Regẽ*: pro eo quod eſt. Statui illũ deponere, & alterum Regẽ creare. Et *Pœnitet me feciſſe hominẽ*: hoc eſt. Decreui

perdere hominũ genus. Hæc Theodoretus. Vox erho *Pœnitentia* notio eſt mutationis. Vnde, non inueniſſe Eſau locum pœnitentiæ apud Iſaac, idem eſt ac nulla ratione illum inducere potuiſſe, vt mutaret benedictionem.

Ex Geneſ.27. Fratri tuo ſeruies inquit Eſau ad Iacob.

Geneſ.32. Serui tui Iacob: munera miſit Domino ſuo Eſau. Verba ſunt, quæ loquutus eſt Iacob.

NOn ſunt hæc intelligenda de Eſau in ſe, ſed in poſteris eius, & ſic vera ſunt. Quia, vt inquit Iacobus Bonfrerius, ſubacti ſunt Idumæi primùm à Dauid 2. Reg. 8. v. 14. & 1. Paralip. 18. v. 13. Itemque apud Ioſephum lib. Antiquit. 7. cap. 6. cuius debellationis circumſtantia 3. Reg. 11. habetur: qui cum rebellaſſent, magnas ſæpè ſtrages ab Amaſia Rege paſſi ſunt 4. Reg. ca. 14. à Machabæis 1. Machab. 5. Tandem plane attriti ſunt ab Hircano filio Simonis Machabæi: vt ſcribit Ioſephus 12. Antiquit. cap. 17. compulſi circumciſionem, Religionemque Iudaicam amplecti.

Ex Geneſ.27. Tempus quæ veniet, cum excutias, & ſoluas iugum eius de ceruicibus tuis.

Nullibi reperitur, poſteros Eſau iugum Iſraelitarum ſoluiſſe.

SVb Salomone (inquit Bõfrerius) poſt admiſſum Idololatriæ peccatum cœperunt rebellare Idumæi 3. Reg. 11. & licet non videantur tunc plenè excuſsiſſe iugum: vt expreſse habet Ioſephus 8. Antiquit. cap. 2. excuſſerunt poſtea ſub Ioram 4. Reg. 8. & 2. Par. 21. apud Ioſephum 9. Antiquit. c. 2. ſub finem vſque ad Hircanũ: quo tempore rurſum, vt diximus, pleniſsimè ſubacti. Quod ſi reſpiciamus Herodem Aſcalonitam oriundum ex Idumæis, qui cum ſua poſteritate Romanorum beneficio poſtremis temporibus annos circiter centum apud Iudæos Regnum, vel Principatum obtinuerunt advſque internecionem Hierosolymæ, Iudææque ſub Veſpaſiano excidium: non ſolum iugum excuſiſſe, ſed ab Idumæis ſubactos fuiſſe Iſraelitas, dicemus. Quod indicare videntur Hebræa, Idumæos ſcilicet dominaturos fore Iſraelitis Iacobi poſteris, & non tantum ab illis iugum eſſe excutiendum. Quamvis Hieronymus, & Septuaginta ſolum expreſſerint, tantum præualuiſſe, vt Iſraelitis non ſubijcerentur.

Ex Geneſ.28. ſurgens Iacob manè tulit lapidem, quem ſuppoſuerat in titulum fundens oleum de ſuper.

Leuitic. 26. Nec titulos erigetis, nec inſignem lapidem ponetis in terra veſtra.

PRæterquam quod titulus, quem erexit Iacob, legem præceſsit, quæ ante ſui promulgationem non obligat. Verum eſt, de erectione lapidum inſigni eſſe intelligendam: qualis eſt lapis pulchre dolatus, & arte politus; lapis autem erectus à Patriarcha informis, & rudis erat, & non ado-

ran-

randi causa, sed monumentum statuendi eorum, quæ sibi loco illo contigerãt. Ad id enim duodecim illos perduros lapides de medio Iordanis erigendos præcepit Deus in memoriam miraculi transmissionis apud posteros conseruandam.

Ex Genesis 28. Appellauit nomen vrbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur.

Iosue cap. 16. Cecidit sors filiorum Ioseph ab Iordane contra Iericho ad montem Bethel, & egreditur de Bethel Luzam.

VIdetur esse distinctas vrbes Bethel, & Luzam, si ex vna sit ad aliam egressio. Rabbi Isaias, & Dauid Kimhi duas fuisse vrbes: vnam in tribu Ephraim, de qua in cap. 16. Iosue: alteram fuisse in tribu Beniamin, de qua Iosue cap. 18. & vtramque nominatam Bethel, posteriorem prius nominatam fuisse Luzam, & deinde Bethel à Iacob, tradiderunt. Verùm id contrarium est Scripturæ, quæ Luzã postea cognominatam Bethel collocat extra terminos sortis Beniamin vicinã illi versus meridiem. ibi: Pertransiens iuxta Luzam ad meridiem ipsa est Bethel Iosue cap. 18. Videatur Hieronymus super Oseam c. 5.

Lyra duas fuisse distinctas ciuitates sentit Bethel, & Luzam, ambas inferiores numero ciuium, & valde vicinas: ex quibus vna postea fuit facta, qualibet partium antiquum retinente nomen. Vnde verificari potest, quod ab vna fieret ad aliam egressio. Romæ pars, quæ cis Tyberim est, propriè appellatur Roma; non sic Transtyberina; & hinc ire Romam dicuntur. Sic in Bethel, & Luzà. & ideò aliquando eadem ciuitas, aliquando tanquam distincta loca appellantur, vt in Iosue 18. Optima foret ista expositio, si aliquo fundamẽto Scripturæ, quod suaderet distincta pridem fuisse oppida, & in vnum postea coaluisse, niteretur.

Quare dicendum arbitror, Bethel & sumi pro loco, vbi vidit scalam: & sic sumitur cap. 35. Hic autem locus non procul, sed erat iuxta Luzam, ex cuius visione Luza appellabatur Bethel. Ex quibus constat, aliquando nomen Bethel supponere propriè pro illo loco, vbi contigit visio Iacob, qui locus, licet non longe, distans erat à Luzà: & sic accipitur Iosue 16. aliquando autem Bethel ponitur pro vrbe Luza, à quà propter vicinitatem, & admirabilem visionem Bethel nomen accepit Luzæ. Vide Andream Masium in Iosue cap. 26.

Ex Gen. 28. Si hæc, & hæc fecerit mihi Dominus, erit mihi in Deum: quasi non sic, si nõ fecerit illa. Quod impium videtur.

Daniel 3. Deus potest eripere nos de camino ignis, quod si noluerit, Deos tuos non colimus.

FAcilis est expositio. Vouit namque Iacob, specialem cultum Domino fore oblaturum, si largiretur quæ postulabat: nempe locum visionis diuinæ adorationi dicare. Sic innuit, cum dixit; *Lapis iste quem erexi in titulum vocabitur domus Dei.* Et decimas soluere omniũ, quæ possideret,

Ex

Ex Genes. 29. Imple hebdomadam, &c. & transacta Rachel duxit vxorem.

Genesis 31. Oppositum constat.

EX primo textu constat post hebdomadã septẽ annorum duxisse Liam, illi quæ promissam Rachel pro septem famulatus annis, quorum hebdomada transacta ipsi tradita est Rachel vt ver. 28. Oppositum constat Genes. 31. Quia vel Rachel peperit Ioseph ante quatuordecim annos: & hoc esse nequit, cum illam duxerit post duas septem annorum hebdomadas: vel non: & hoc falsum est; quia à 14. annis, vsque ad 20. quibus sub potestate soceri fuit, solum interceſſere sex anni, quibus hæc omnia accidere non possent: quòd scilicet cognita sterilitate, & inuidens sorori suæ peteret Rachel filios, & nati essent duo ex ancilla oblata à Rachel: post quæ fœdus initum est de ouibus: à quo vsque ad fugã admitus fluxerunt sex anni. Vt ex Genes. 31. *Sieque per viginti annos in domo tua seruiui tibi 14. pro filiabus, sex progregibus tuis.*

Ex Antilogia vt superius proposita constat, hebdomadam non posse pro septem annis accipi, vt aliqui volunt, & expresse contradicit Hieronymus in trad. in Gen. & Aug. q. 89. Quare dicendum, durare apud illas gentes celebritatem nuptialem septem diebus, vt expresse indicatur Iudic. c. 14. Est igitur verborum hic sensus: Exple septem dies pro nuptijs prioris sororis, qua finita celebritate pro Lia, dabo tibi vxo. em Rachelem sub promissione alterius septennij, quo mihi pro ea seruiturus es: nam sequitur. *Et ingressus est ad Rachel, & dilexit Rachel magis, quam Liam, & seruiuit ei septem annis alijs.* Vnde constat, Rachel traditam Iacob ante septem seruitutis annos.

Ex Genes. c. 31. Vbi fœdus Iacob, & Laban inierunt medio vtriusque iuramento.

Exod. 23. nomen idolorum gentium non memorabitis. Idem peccat qui iurat, ac qui est in causa.

FŒdus licere inter distinctæ Religionis sectarios superius latè tradidimus, non obstante in Religione distantia. Nunc non repugnare ex capite iuramenti in fœdere necessarij disputabimus.

Maimonides sententia, & Baronij traditur.

Illicitum tale fœdus arbitrantur Rabbini, quia exposcere iuramentum per falsos Deos, quali solo vinciri potuit Laban, nefas erat & iure naturali, & scripto Exod. 23. ibi: *Nomen Idolorum Gentium non memorabitis.* Hoc autem interdictum sacrum de non ineunda cum Idolatra societate exponit Maimonides propter ius iurandum vtriusque. Perinde est ac si dixisset (inquit) cum Gentili, seu Idolatra societatem minime ineas, ne fortè inde cogatur ad iurandum per Deos suos, & sic in causa sis, vt velut Dij hi non solum memorentur, sed & habeantur. Vlterius ipse qui votum nomine Ido-

li concipit, & qui per illud iurat, vapulat: nam & lex ſacra eſt. Et nomen aliorum Deorum non memorabitis. Neque diuerſa eſt ratio eius, qui ſibi ſic iurauerit, & qui Gētili. Paulo poſt: In veritis etiam habetur in cauſa eſſe, vt quis alius, ſiuè votum nomine Idoli concipiat, ſiuè nomine eius pactum confirmet, ſeu iuret.

Alij ius iurandum recipi ab Idolatra poſſe per falſos Deos, tradunt. Quo ſpectat locus Ioſephi, qui aduerſus Apionem lege Moſaica, ait, conſtitutum. Nequis eos derideret, quos gentium aliarum opinio Deos confinxit, ne ve quiſquam male illis diceret: ſaltem enim prodeſſe illis honorem tanti nominis debere. Idem ſentit Abarbanel, & Simon Suzzato: qui illud Leuit. 24. exponentes. *Quicumque maledixerit Deo ſuo, portabit iniquitatem ſuam*: his verbis non ſolum interdictam Hebræis nominis ſanctiſsimi maledictionem, verùm etiam Gentibus ſuis falſis Dijs prohibitum maledicere, credunt. Philo etiam lib. 11. de Monarchia, Moſem, inquit, vetuiſſe conuicium in Deos, quos alij exiſtimauerint eſſe Deos, ne ipſi viciſsim irritati prorumpant in voces nefarias. Inferius. Nomen enim illud, ſcilicèt Dei, & inuictiſsimum ſemper eſt, & ſummo amore proſequendum. In hāc intelligentiam forſan locus Exod. 22. illos mouit. *Dijs non detrahes*: vel vt Hebræus: *Non execraberis Deos*. Eamdem amplectitur expoſitionem Baronius: & confirmat illud Alexandri de Apoſtolorum modeſtia in Actibus Apoſtolorum. *Adduxiſtis homines iſtos neque ſacrilegos, neque blaſphemantes Deam veſtram*. Deos etiàm falſos apud nos aliquo in honore futuros innuit Concilium Illiberitanum can. 60. Namque decreuere Sancti Patres, ſi quis Idòla fregiſſet, & ibi fuiſſet occiſus, hunc honoribus martyrū fore priuandum.

Verum relatos Auctores loco Exodi iudico allucinatos: inibi enim notio Deorum habetur, qualis in illo Pſal 81. *Deus ſtetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat*. Hunc autèm locum non de fictitijs Dijs, ſed de Iudicibus, ac Principibus capiendum, iudicat Origenes contra Celſum lib. 4. ſacroſancti enim habendi ſunt, qui in terris vice Numinis funguntur, & Dij dicebantur ex more patrio apud Iudæos loquendo. On Kelos expreſſe ibi vertit. *Iudicibus non maledices*, & Ionathanis paraphraſis, ſi vere eſt illius: ſic pariter Hiſpanienſes Iudæi, Salomon Iarchi.

Expoſcere ius iurandum ab eo, qui per falſos Deos iuramentum eſt præſtaturus, nullo iure prohibitū eſt, ſicut neque in neceſsitate petere mutuū ab eo, queni non ſine pacto vſuræ præmiſſo ſcio daturum: petens namque mutuum, vſuram tolerat ſolum, atque permittit. Ideò Norimbergenſes peruerſitatem Iudæorum olim intelligentes, nullamque ſibi facere conſcientiā periurij, niſi manu impoſitā ſupra legis ſuæ Synagogæ librum, qui præter diuinam leges, varias, fœdasque traditiones habebat, iurauerint, ad nullum, niſi ad librum legis prius admota manu, compulerunt ius iurandum. Ad Concilium Illiberitanum patet ex Gen. cap. 27.

Ex Geneſis 31. Iurauit ergo Iacob per timorem patris ſui Iſaac.

Matth. 5. Reprehenſis Phariſæis prohibet formulam iuramenti. Neque per Cœlum, neque per templum, neque per caput tuũ iuraueris. Ibidem: ſit autem veſter ſermo: eſt, eſt: non, non: quod autem abundatius eſt à malo eſt. D. Iacobus Epiſt. c. 5. Nolite iurare neque per Cœlum, neque per terram, neque aliud quodcũque iuramentum. Deut. 6. Per nomen Dei iurabitis.

§ I.

Iuramentum per Deum verum non ſolùm licuiſſe, verùm quandoque perfectius eſſe illo comite proferre veritatem, quàm ſimpliciter loqui.

DVo decidi petit noſtra Antilogia: an ſcilicet ius iurandum licuerit etiam Euangelica lege, & quid innouatum fuerit in formula iuramenti.

Ad primum facile fiet ſatis ex ijs, quæ Maimonides in ſuo Directorio de ſacrificijs ſtabiliuit. In lege Deut. 16. Deus vnum permiſit, & aliud expreſsè prohibuit. Olim enim, vt refert Euthymius ſuper Pſal 62. mos fuit, vt iurarent per Regis ſalutem, & caput, vt Geneſ. 42. iurauit Ioſeph Ægyptiorum morem ſequutus. Huius formula in Guemara Babylonico reperitur, in Miſna tit. Sanhedrin. c. 3. vſi ſunt illà Mohomæ ſectarij legis Moſis imitatores. Sic conſtat ex Elnozino lib. 2. c. 4. Auicena in Almahad cap. 3. mores iſtos poſtea ad Gaæcos traductos, vt refert Horatius, nondum iurare paratos per caput alterius. Quæ repetit Athenæus lib. 2. & Auguſt. Pſal. 10. in Medras Koheleth c. 18. iurabant per Cœlum, vt refertur in Talmud, & per Moſem, per vitam que Rabbinorum, vt in Peſachim fol. 113. Abuſus iſte tãdiu obſeruatus eſt vt dixerit Batricides l. 1. Annal. deſcendentes per Seth per ſanguinem Abelis iurare ſolere. Refert Seldenus de Synedrijs lib. 2. c. 11. num. 7. Nouarinus lib. 8. Schediamatum c. 6. num. 29. Quoniam autèm mos eſt ſecunda natura, non omnino abolere eum Deus intendit; ſed ſua lege vertere in melius, iudicans difficillimum fore ius iurandum extirpare, variauit illius materiam, vt non per Idola, vel creaturam, ſed ſolum per nomen diuinum iurarent. Vnde per verum Deum, & non per falſos iurare, eſt præceptum, ſed abſolutè iurare permiſsio. Ioſue 23. ſic habetur: *Ne poſtquam intraueritis ad Gentes, quæ inter vos futuræ ſunt, iuretis in nomine Deorum earum, & ſeruietis eis, & adoretis illos; ſed adhæretis Domino Deo veſtro.* Sic explicat Chriſtianus Duthmarus ſexti ſæculi ſcriptor. Ne Iudæi per Idolorum nomina iurarent, permiſit eis Dominus iurare per nomen ſuum, nec nobis etiam inhibuit; ſed perfectionem nos docuit, quod ea fides ſit habenda inter Chriſtianos, vt non ſit neceſſe, teſtem nomen Domini interponere. Eamdem doctrinam tradunt Baſilius Pſal. 14.

Chri-

Chrisostom. Hom. 17. in Matth. Theoph. in cap. 5. Matt. Iuxta quam exponendus Euāgelista, Christum id, quod perfectissimum est, suadere; perfectius tamen esse veritatem simpliciter loqui, quam iuramento firmare.

Verum contra hoc stare videtur Paulus, qui passim verba sua iuramento firmauit ad Rom. c. 1. & 9. Ad Phil. c. 1. ad Gal. 1. ad Corinth. 2. c. 1. Paulus autem non tam frequenter iuramento vteretur, si non iurare foret perfectius, quàm iurare. Secundo Hierem. c. 4. Si abstuleris (inquit Deus) offendicula tua à facie mea, non commoueberis, & iurabis: viuit Dominus in veritate, iudicio, & iustitia: & benedicent eum Gentes, ipsumque laudabunt. Quæ verba sonant absolutum præceptum. Tertio; quia, vt inquit D. Thomas, iurare actus est Religionis ex origine, & fine: quoniam, qui inuocat Dei maiestatem, omnium recognoscit habere infallibilem cognitionem, & summam, primamque confitetur veritatem. Ex fine etiam introductum est iuramentum ad lites sedandas, vt ex D. Paulo cōstat ad Hebræos 6. Vnde Hieronymus inquit super Matth. qui iurat, aut veneratur, aut diligit eum, quem iurat. Ideò Arist. honorabilissimum iuramentum appellat Isaiæ 49. *Mihi* (dicitur) *curuabitur omne genu, & omnis lingua iurabit.* Vbi idem est iuramentum præstare, ac reddere cultum: vt expresse Paulus ad Rom. 14. & ad Philip. c. 2. *Scriptum est enim, quoniam mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur.* Cicero lib. 3. de Officijs: Affirmatio religiosa (inquit) est testimonium fidele, conscientiæ sigillum. Et vt diceret Luceium confœderatum esse cum Romanis, & iuramento obstrictum, sic inquit: Luceius socius vestræ Religionis. De Publio Lentulo referens: ante susceptum gubernaculum præcessisse iuramentum, Publius Lentulus (inquit) Prouinciam, quam habebat interposita Religione deposuit. De quo Quintilianus lib. 12. c. 2. Ex quibus constat, iuramentum actum esse Religionis: hic autem cadit absolute sub præcepto diuino.

D. Augustinus sic Antilogiam conciliat. Iuramentum enim non prohibetur, quia malum; sed ne iurando, ad faciliratem iurandi peruenerit quis, & ex facilitate ad consuetudinem, & in periurium ex consuetudine decidatur. Quia, vt inquit Hieronymus, ius iurandum hos habet comites veritatem, iudicium, atque iustitiam: si ista defuerint, nequaquam erit iuramentū, sed periurium. Apostolus autem non nisi scribens iurare inuenietur, vbi confideratio cautior linguam non habet præcipitem. Nec enim fidei signum est frequens, vt inquit Philo, iuramenti vsus, sed perfidiæ. Essenos nūquam iurare refert Iosephus lib. 2. de bello Iudaico c. 7. iam enim reum mendatij arbitrantur, cui sine Deo non creditur. Pulchra sunt, quæ refert Nouarinus, verba libr. 1. Sched. cap. 6. n. 13. *Ala* inquit, vt ait Dauid Kimhi, & iurare significat, & plangere, vt recte monea mur, frequentia, & iuramenta incaura lachrymis grauida, & lachrymas parturire. Hinc Arabes celebre formarunt adagium, vt in Cent. 2. Prou. 38. & 40. *Esto sermo tuus etiam, vel non, vt sis verax apud omnes homines.*

§ II.

Iuramentum solum per aliquod diuinum cognomen susceptum, inter Hebræos in forensibus vim habebat. Explicatur locus Martialis.

SEcundum, quod decidendum, est; an iuramentum per id, quod Deus non esset, verè ius iurandum foret? Simul autem de iuramenti formulis apud Gentes videamus. Aben Ezra per timorem Isaac reuerentiam, atque timo-

morem intelligit, quo Iſaac Deum reueritus eſt, & pro filio ſuo ſupplices orationes fundebat. Hoc autem iuramentum non obligare, ſentiunt communiter Rabbini, ſicut, & quo obſtringi ſolebant Sethiani per ſanguinem Abelis: vt refert Eutychius Patriarcha Alexandrinus: & illo Vriæ Dauid 2. Reg. c. 11. Sic habetur in Miſna tit. Shebot cap. 4. ¶ Vbi adiurat quis (ibi dicitur) alios per cœlum, aut per terram, iuramento non obſtringuntur: quod ſi id fecerit per Adonai, per Sadai, per Sabaoth, per gratioſum, per tardum ad iram, per optimum, ſeu per aliud quodcunque Numinis cognomẽ, obſtringũtur. ¶ Ideo Imperatores Chriſtiani, vt Iudæos iureiurando vincirent, hanc formulam deſiderarunt: Iura tu per Deum Patrem Omnipotentem Sabaoth, vel per Deum, qui apparuit Moſi: vel per Adonai Patrẽ: vel per Deum Eloin: vt ex L. 15. C. de Iudæis conſtat apertè, & ex diſpoſitione Regis noſtri Hiſpaniarum Alphonſi p. 3. tit. 11. l. 18. Leunclauius in iure Græco Rom. tom. 1. pag. 119. Idem repetit Maimonides tract. Shebuoth c. 12. §. 3. & 4. Quo reſpicit etiam illud Vlpiani l. 33. D. tit. de Iureiurãdo. ¶ Si quis (inquit) per ſalutem ſuam iurat, licet per Deum iurare videatur (reſpectu enim diuini Numinis iurãt) attamen, ſi non ita ſpecialiter eius iurandum delatum eſt, iuraſſe non videtur. Et ideo de integro ſolemniter iurandum eſt. ¶

Ex quibus Martialis lucem accipit Epig. 95. lib. 11.

Illud me cruciat Solymis quod natus in ipſis.
Pœdicas puerum verpe poeta meum.
Ecce negas, iuraſque mihi per templa Tonantis.
Non credo, iura verpe per Anchialum.

Iurabat pluries Hebræus quidam Martiali per templum (non quidem Capitolinum, ſed Hieroſolymitanum: aliàs illicitum, irritumque foret ius iurandum) cui negare fidem aſſerit Martialis, niſi per Anchialum iuret: quem, vt inquit Stephanus Phrocatulus vulgò Romani ſanctiſsimum Iudæorum Numen exiſtimabant. Quid autèm hoc nomine exprimatur, hucuſque omnibus exponentibus Epigramma fuit martyrium. Scaligero duce in epiſt. ad Scriberium Anchialus æquivalet huic *Chi ala*, ideſt *viuit Deus*. Boſius vterque, pater in hiſt. Pelag. l. 1 par. 2. anth. 1. Dionyſius ad Maim. de Idololat. c. 5. §. 13. Farnauius magis Martiali adhærens legit. *An chi ala*. ideſt, *ſi viuit Deus*. Samuel Pethith l. 1. variæ lect. c. 16. ſic. *An chi alion*. Ideſt, *Non, viuit Excelſus, ſeu Deus*. Seldenus lib. de ſucceſ. pag. 6. corrigit verſum, ſic dicens. *Non credo, iura verpe iperanchiolam*: quod æquivalet *Vlciſcatur Deus*, ſeu vindictam ſumat is, qui viuit in æternum. Quæ expoſitio formula expreſſa videtur in Cant. Moſis, Deut. 32. *Leuabo ad Cœlum manum meã, & dicam: viuo ego in æternum*: & in Hebræo *Ego Chiolam*. Vnde *Iperan*, ideſt *vlciſcatur*, & *Chiolam*, ideſt *Deus*. Vide Seldenum de ſucceſ. fol. 6. & lib. 2. Synedr. cap. 11. Ex quibus omnibus conſtat, iuramentum nõ obligare, nec apud Iudæos in more eſſe, niſi cognomen Dei aliquod exprimatur. Cuius formulam forenſem apponit Maimonides vbi ſupra. Qui iurat (inquit) librum legis prehendit brachio ſuo, & ſtans iurat per nomen ſanctiſsimum, aut cognomen, aut iuramentum, aut execrationem ex ipſius ore, aut ex iudicum, aut Synedriorum ore.

Aliter ex Euthymio poteſt conciliari Antilogia. Per cœlum enim Deus, & per terram homines intelligi tradidit: per quæ iurare inconſiderate prohibuit Chriſtus, vt ſic in periurium non laberentur. Vide plura de hoc

Deut.

Deuteronom. 6. & 4. & Geneſ. 42.

§ III.

Exponitur, & conciliatur noſtra Antilogia ex Maluenda.

MAluendà pauorem, ſeu timorem Iſaac Deum intelligit, quem timebat Iſaac, & illum reuerebatur: *Pachad* enim hic pauorem vſurpari plures volunt pro vero Deo methonymicè, cui ſoli pauor, metus, & timor ideſt cultus, & reuerentia debetur. Vnde explicans Druſius Pſal. 110. illud: *Initium ſapientiæ timor Domini*, aſſerit: vnde & ipſe Deus Rabbinis *Iedan*, ideſt timor appellatur. Quod eò minus mirum tibi videbitur, ſi ſciasin textu Sacro Deum Iſaaci, qui ab Iſaaco metuebatur, vocari metum Iſaac Geneſ. 31. *Niſi metus Iſaac adfuiſſet mihi*: ideſt. Deus Iſac. Idem obſeruauit in Gentilibus Feſtus, Deus dictus eſt, ſiuè à Græcis Theos, quod ſignificat metum, eo quod hominibus metus ſit. Voceque metus expreſſere religionem Gentiles. Sic Virgil. 7. Æneid.

Multoſque metu ſeruata per annos.

Vbi Seruius metũ religionẽ, quæ naſcitur per timoremintelligit, comprobat etiam Petronius. Primos in Orbe Deos fecit timor (inquit) Ex quibus conſtat, idem eſſe iurare per timorem Iſaac, ac per ipſum Deum iurare.

Ex Geneſ. 32. Vidi Dominum facie ad faciem.

Exod. 33. Faciem meam videre non poteris: non enim videbit me homo, & viuet.

QVod ergo dicit Iacob (inquit D. Thomas 1. p. q. 12. art. 11. ad primum) *Vidi Deum facie ad faciem*, referendum eſt non ad ipſam diuinam eſſentiam, ſed ad figuram, in qua repreſentabatur Deus Et hoc ipſum ad quandam Prophetiæ eminentiam pertinet, vt videatur perſona Dei loquentis, vel Deus ipſe loquens, licet per imaginariam viſionem, vt infra patebit, cum de gradibus Prophetiæ loquemur 2. 2. quæſt. 174. Vel hoc dicit Iacob ad deſignandam quamdam eminentiam intelligibilem contemplationis ſupra communem ſtatum. ¶ Sic S. Thomas. Vide Exod.

Ex Geneſ. 33. Donec veniam ad dominum meum in Seir.

Nullibi legitur hoc feciſſe.

REſpondẽt aliqui (teſte Toſtato) Iacob non eſſe mentitum: cum verba enim proferret, tũc intendebat ire; ſed poſtea meliori conſilio capto, quia ſibi profectionem periculoſam timebat, mutauit ſententiam. Falsò tamen hinc inferunt Diuum Paulum promiſiſſe venie

in Hispaniam, sed non impleuisse. Sic Gratianus in Decretis 22. q. 2. falso, inquam, quia oppositum sentiunt grauissimi auctores, Hippolytus lib. de 72. discip. Athanasius ad Dracõtium, Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 17. Epiphanius Hæresi 27. Chrysost. Homil. 77. & quam plurimi alij.

Ex Genes. 34. Non possumus dare sororem nostram homini incircumciso, hoc enim illicitum est.

Genes. 41. Ioseph vxorem Ægyptiam, Moses vxorem Ægyptiã Iacob filiam Labam incircumcisi duxerunt.

Vide Antilogiam expositam Exodi 34.

Ex Genes. 34. Si autem circuncidi nolueritis tollemus filiam nostram.

Ex Genes. 14. Egressa est Dina filia Liæ. Vnde soror filiorum Iacob.

Filiam nostram, idest filiam vnicam, quæ est in domo patris nostri intelligo, vel dicendum, quod nomen patris, & matris, filiæ, sororis, & fratris late patẽt, vnde nomẽ filiæ pro sorore accipiendum. Nisi dicere velis, filiæ nomen capi pro puella, sicut 5ª Regum cap. 13. *Filius vnius anni erat Saul, cum regnare cæpisset.* Id est sicut puer innocens anni vnius erat Saul initio regni

---

Ex Genes. 35. Apparuit iterum Deus Iacob.

Ex Genes. 28. 30. 32. & 35. constat septimam fuisse istam apparitionem.

Illud *apparuit iterum* referendum ad proxime antecedentem apparitionẽ, in qua sacrificatum iussit ire Bethel, ne cum illa eadem videretur ista.

Ex Gen. 35. Non vocaberis vltra Iacob, sed Israel erit nomen tuum.

Ex Gen. 35. v. 27. & alibi post hæc vocatus est Iacob.

Antilogia consistit in hoc quo- niam ante fermẽ decem annos mu-

ta-

tatum fuit nomen ab Angelo Geneſ. 32. Verum facilis eſt concordia, ſi fateamur *Iſraelis* nominis hic non nouam impoſitionem ſed primæ capit. 32. Geneſ. traditæ renouationem traditam eſſe, quo fides & fiducia Iacob confirmaretur promiſſionis olim factæ memoria, ſicut locum, in quo ſcalam vidit & appellauit Bethel, nunc cum ſacrificaret, eodem nomine confirmauit. Promiſsiones etiam Abrahæ Geneſ. 12. factas pſuries repetijt Deus vt Geneſ. 15. 17. & 22. & dedit eaſdem Iſaac & Iacob. Videantur Auguſtin. quæſt 114. in Geneſ. & Rupertus lib. 8. in Geneſ. capit. 14.

Niſi dicamus cum Oleaſtro & Thoma Anglico, quod Geneſ. 32. nomen *Iſrael* promiſsit, nunc autem dedit, ſicut Petro nomen promiſsit Petri cum dixit *Tu es Simon filius Ionæ, Tu vocaberis Cephas*, quod interpretatur *Petrus*. Tunc autem dedit cum Matth. cap. 16. inquit. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Idem ſentit Caietanus, & in catena ſua Lippomanus. Aliter explicat Toſtatus diſtinctam nominis impoſitionē. Sed minus recte.

Secunda difficultas ea eſt, cum Iacob vlterius appellandus ſit Iſrael, quare frequentius vocetur Iacob. Prima expoſitio eſt D. Aug. quæſt. 114. in Geneſ. ſed quia anagogica eſt, nobis eſt pro nunc ommittenda. In idem fere Toſtati & Lirani tendit ſententia.

Caietanus & alij, ſic exponunt. ¶ Iuxta Hebræum (inquit Caietanus) habetur. Nomen tuum Iacob, ſubaudi, (eſt) non vocabitur nomen tuum adhuc Iacob, ſubaudi (dumtaxat), non enim prohibet Deus vocari ipſum Iacob, ſed vult adijcere ei diuini nominis inſignia. ¶ Verum aduerbium vltra negationem prioris nominis in poſterum indicat. Improprium autem eſt ad verbium *vltra* mutare in *ſolum*.

Vrebiter reſpondebo. Quod ſicut Iſaiæ 17. vulgo appellandum eſſe Meſsiam, dicitur, Emmanuelem, quin cognomine iſto Dominus fuerit vocatus. Sic Iacobo Iſrael nomen imponitur, quamvis vulgo ſic non appelletur. Solet enim Scriptura adaptare cognomē, nō quod tali nomine quis fuerit vocandus, ſed quia illi conueniat, quod per nomen ſignificatur. Vnde quia Meſſiæ conuenit, quod exprimit nomen Emmanuel, nempe *nobiſcum Deus*, & Iacob *eſſe fortem cum Deo*, ideo appellandum fore nomine *Emmanuelis* Meſsiam inquit, & Iacob nomine *Iſraelis*. Cui namque Deus donauit fortitudinem tantam, non *Iacob*, quo ſupplantator, & debilitas indicatur, ſed *Iſraelis* cognomen, quod certandi cum Dēo, immo & prævalendi ſignificat fortitudinem, debet aptari.

Ex Geneſ. 36. verſ. 24. Iſte eſt Ana

Geneſ. 36. verſ. 2. & 14. Ana mulier dicitur.

NOn valebit commune in nominibus, refugium, quod ſcilicet hic differat ab illa, cum tàm huius, quàm illius ſit pater Sebeon appellatus, vtriuſque Oolibama filia nominatur, ijſdem que litteris in Hebræo ſcribuntur tam ver. 2. quàm 24. Oolibama, Ana, & Sebeon. Iuxta Septuaginta le-

ctionem neque apparens eſt Antilogia cum tàm v.2.& 14.quam 24. Ana virum, & Sebeonis filium, non filiam faciant. Hoc autem repugnat Hebræo textui, in quo verſibus illis, 2. & 14.habetur *bath,filia*,quem Chaldæa Paraphraſis & Hieronymus ſequuntur,at ver.24. Ana filius Sebeon ſtatuitur. Rurſum pronomen *iſte* Hebraice *hu* maſculinum eſt, item verbum *matſa*, *invenit* maſculinum eſt Dico ergo hunc Ana, de quo ver.24.diuerſum eſſe ab Ana verſ.2.& 14. non tantum, quia ille vir, iſta fœmina eſt, ſed quia hic Ana,& pater eius Sebeon ex Horræorum eſt gente, Ana vero iſta patrem Sebeon habuit Heuæum, ex Chananæorum gente oriundum.

Ex Geneſ.37.Vidi per ſomnium quaſi Solem,& Lunam,& ſtellas vndecim adorare me. Num ego & mater tua,& fratres tui adorabimus te? Quaſi tunc viviſſet Rachel.

Ex iiſdem verbis conſtat mortuam eſſe Rachelem. Oſtendit hoc ſimilitudo 11. ſtellarum,ex qua Beniamin viviſſe conſtat,in cuius enixu mortua eſt Rachel.

¶ ADnodũ autem ſomnij ſoluendum (inquit Caietanus) perpẽdere oportet quod ſiue viua,ſiuè mortua fuerit Rachel,nil refert hic ad verificationem ſomnij.Conſtat enim Rachelem nunquam fuiſſe veneratam Ioſeph,vt quæ non deſcenderit in Ægyptum. Quoad viſionem autem ſomnij poſſumus ſuſpicari;quod Rachel fuerit tunc grauida,& ſic vidit patrem,& matrẽ,& fratres vndecim adorare ſe. Si autem tunc Beniamin iam erat natus,& Rachel mortua,per Lunam non Rachel determinate, ſed vxor patris in genere intelligenda videtur.

¶ Hæc Caietanus.

Verum Rachelem mortuam eſſe antequam Iacob peruenire ad vrbem Hebron conſtat ex Geneſ. cap. 35.Hic autem erat Iacob, cum contigerant iſta,hic enim cap.37. miſſus de valle Hebron ad fratres ſuos dicitur Ioſeph. Vnde illa verba. *Num ego, & mater tua adorabimus te?* Incontemptum ſomnij dixit Iacob. Quaſi diceret vaniſsimum eſſe ſomnium. Nam quis non iudicet eſſe irriſorium, me, parentem tuum, & matrem tuam, quæ iam eſt mortua,adoraturos te.

Ex Geneſ.37. Vidi perſomnium quaſi Solem,& Lunam,& vndecim ſtellas adorare me.

Rachel cum mortua eſſet, nunquã adorauit Ioſephum.

ALiqui Hebræi,in perſona Ioſue, Solem & Lunã adoraſſe Ioſeph cenſent,quia ille de tribu fuit Ephraim. Verum Ioſue non adoraſſe, ſed eius obediſſe voci, indicat Scriptura duntaxat.

Quare

Quare dicendum eſt tunc Ioſephum adoratum à ſuo parente, quando per eius fratres munera miſit, & nomine ſuo eos reuereri Ioſephũ præcepit. Verum quia non verificatur de Rachele, quæ nunquam adorauit Ioſephum, dicendum eſt cum Pererio: id ſomnio ſignificari, Ioſeph ad tantum dignitatis euectum iri faſtigium, vt ſi conueniſſent parentes, ab illis ſicut à fratribus adorabilis eſſet.

Ex Gen. 37. Prætereuntibus, Madianitis vendiderunt eum Iſmaelitis. Madianitæ vendiderunt Ioſeph Putiphari.

Ex Geneſ. 39. Emit eum Putiphar de manu Iſmaelitarum.

DIcendum Scripturam his nominibus, *Madianita, & Mohabita*, ad ſignificandam eamdem gentem ſæpè vti, propter coniunctionem generis & ſtirpis, & propter vicinitatem habitationis, quia vtraque ex Abraham per duos filios Iſmaelem, & Madian propagata eſt, regionem que Arabiæ habitabant, & domicilijs permixtis fungebantur. Comitatus ergo ille negotiatorum, quibus venditus eſt Ioſeph, ex Madianitis & Iſmaelitis, eſt mixtus, præcipue autem Iſmaelitarum dictus, aut quia plures numero eſſent, aut quia merces opulentiores. Vnde veriſimile eſt non ſolum in emptione concurriſſe vtroſque, verum etiam in venditione Ioſeph, licet ergo Moſes præcipue Iſmaelitis attribuat emptionem & venditionem, vtriuſque fecit Madianitas participes.

Ex Geneſ. 37. Vendiderunt Putiphari eunucho.

Ex Geneſ. 39. Referuntur filij Putiphari.

DIcendũ hanc vocem *Eunuchus* non ſolũ ſignificare eũ, qui ob defectũ viriliũ impotens eſt ad generãdũ, vt patet Iſaiæ 56. v. 3. ſed etiã, quia olim primum ſpadones ad ſecuritatẽ præfecti fuerunt reginarum, & Heroinarum cubiculis, & inde admoti ad cætera publica & regia miniſteria, ad eos poſtea, qui ad eadem regia officia eſſent aſſumpti, tranſlatum eſt, etiam ſi ſpadones non eſſent, vt c. 40. duo illi, pincerna, & piſtor regius, qui etiam eunuchi dicuntur. Quod ſuadet Scriptura, quæ lib. Reg. & Paral. penes Dauidem, alios que Iudæorum reges, ſæpè refert eſſe eunuchos. Quis autem credat Iudæos filios ſuos euiraſſe, quibus nec domeſticas animantes caſtrare licebat? vt refert Ioſephus lib. 4. antiquit. c. 8. & Deut. 23. v. 5. vetitum eſt nequis in Iudæorum Eccleſiam admitteretur eunuchus. Chaldæus ea confirmat, qui vertit *Rabba* hoc eſt *Principem*, Oleaſter *Saris* quod cuſtodem domus ſeu perſonæ ſignificat.

Ex Geneſ. 38. Thamar duobus fratribus nuxit, quin & Selæ promiſſa.

Ex Leuit. 18. & Deut. prohibetur releuari turpitudinem vxoris fratris ſui.

IN Deut. cap. 25. habetur fratrem fratris abſque liberis defuncti vxorem ducere debere, & ſemen fratri ſuo ſuſcitare, vt familia, & nomen conſeruetur, ne facultates in alienas manus deueniant. Sin autem noluerit illã accipere in vxorem à muliere coram maioribus natu, & ſenioribus accuſandum eſſe, calceamentum illi de pede tollendum, vt quibus pacto fundorum fraternorum redimendorum ius amiſſerit: in faciem illi à muliere ſpuendum, & dicendum: ſic fiet homini, qui non ædificat domum fratris ſui.

Verum ſequioribus temporibus (inquit Buxtorfius in ſua Synagoga) maioris honeſtatis, & verecundiæ gratia, decreuerũt Rabbini neminem amplius fratris mortui vxorem ducturũ, ſed ſeparationem per calcei extractionem, quæ ideo *Chaliza* dicitur, faciendam eſſe. Ita tota res tranſigitur. Mulier grauiſsimos teſtes quinque, & qui in neutram partem moueãtur, ad ſummum Rabbinum conuocabat, illucque etiam leuiro ſuo diem dicit: hic Rabbinus interrogabat: An iam tres menſes ſint ipſi, aquo maritus eius obijt? an ille fratrem cœlibem ſuperſtitem reliquerit? an qui adeſt frater ſit germanus, & eodem prognatus patre? Item quot annos vterque natus ſit? an liberis ſuſcipiendis idonei ſint, & mortuo fratri ſemen, & hæredem ſuſcitare poſsint? poſtremo, an mulier adhuc ieiuna ſit? nam acibo non licet in leuiri faciem ſpuere. Virum poſtea interrogat: An mulier, quæ adeſt, fratris eius vxor fuerit? num illam ducere vellit, vel per calcei extractionem ab illa ſeparari, illo ducere recuſante? Sic modo miſeri obſeruant Iudæi affertur illi calceus (auriculis, Ligulis fibulis peculiari modo compactus) hunc dextro pede nudo induit, & parieti accliuem mulier accedit, & ait, *hic meus leuir fratri ſuo ſemen ſuſcitare non vult, ideo non amplius leuir meus appellabitur.* Deinde ſe inclinat, calceum dextra manu ſoluit, & educit, in faciem illi tam vehementer ſpuit, vt ſputum à quinque textibus conſpici poſsit, & ait, *ſic fiet homini qui non ædificat domum fratris ſui.* Tum iudices & circumſtantes corona clamant, *Chaluz hannaal: eductus eſt calceus*, & ita ab inuicem ſeparantur.

Grauis in Talmude ex ſurgit quæſtio (rogo tenete riſum) ſi eiuſmodi mulier dextra careret, qui calceum ſolueret? quidam hoc caſu dentibus vti conceſſerunt.

Si leuir hanc ignominiam ſubire nolit, & vidua libens ad ſecundas nuptias conuolaret, oportet illam ſæpius leuiro ſuo grandem pecuniam pendere, vt ſeparationem hanc permittat. Quum leuir in quapiam alia ciuitate habitat, mulieri leuir ad eundus eſt, & de matrimonio interpellandus. Dandus etiam viduæ eiuſmodi à leuiro ſeparatæ, *libellus eductionis calcei*, vt teſtimonium eius rei habeat, & libere alij nubere poſsit. Formulam huius libelli, qui auet legere, iterum Maimonidem conſulat, in lib. Iad. p. 2. in ritibus *Libum Vachalizab* cap. 4.

Ex hoc more Sadducæi Chriſtũ interrogarunt, ſi ſeptem fratres deinceps vnam eamdem que vxorem duxerint, in reſurrectione cuius ex ſeptem *erit vxor*? Vnde videmus hinc, temporis adhuc fratrem fratriam duxiſſe.

§ I.

Explicatur quot modis accipiatur calceis esse nudatum.

IN primis sacrorum religio non absre nudos pedes exigit, vt sic puritas, animi terreni affectibus exvti demonstretur. Vnde præceptum Domini ad Mosem, & Angeli ad Iosue *solue calceamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas, terra sancta est.* Hunc ritum à Mose mutuati gentiles (obseruat Iustinus) in quibusdam sacris, si quando Deorum statuæ per plateas, & vicos circunferentur, discalceatis, & nudis pedibus eas comitabantur. Prudentibus.

Nudare plantas ante Carpentium scio.
Proceres togatos matris Ideæ sacris.

Ita Matronæ Romanæ, vbi vota Deæ Vestæ concipienda, eius ædes nudis pedibus adibant (inquit Ouid. libr. 6. fast) sic etiam bello Gallico, virginis ex sacerdotio vestæ, nudo pede fugientia sacra comitabantur, ait Florus. Idē passim obseruatum apud Romanos, quotiescumque stupente Cœlo, & arente solo, pluuiæ publicis supplicationibus à Dijs exposcebantur. Tert. apolog. cap. 40. libro de ieiun. c. 6. ¶ Cum stupet Cœlum, & àret annus nudi pedalia denuntiantur. ¶ Ducta, vt credere par est, imitatione à sacris nudi pedalibus, quæ quidem Iudæi peragebant nudis pedibus sacco induti, & in puluere volutati. Vnde Ioseph lib. 2. de bello Iudai. scribit. Beronicem Reginam, vt Deo vota solueret pro salute, Hierosolymas veniſſe, & pro more patrio hostijs cæsis, capilliſque derasis, nudi pedem ante tribunal stetisse. Sic que ab Eusebio mandatum memoriæ est, apud Lacedœmonios sacra nudi pedalia, primum orta cum Romæ regnaret Tullus Hostilius.

Hinc nudis etiam pedibus in solemnibus supplicationibus veteres Christianos processisse plerique testantur, Glicas, Theodosium iuniorem, & Proclum Patriarcham Constantinopolitanum, discalceatos processisse tradit in processionibus, quæ Constantinopoli sunt institutæ, cum ciuitas graui, & diuturno terræ motu conquateretur. Et Concilium Moguntinum Christianis ita discalceatis procedendum significat his verbis. ¶ Placuit nobis, vt litania maior obseruāda sit a cunctis Christianis tribus diebus, sicut legendo reperimus, & sancti Patres nostri instituerunt, non equitando nec pretiosis vestibus induti, sed discalceati, cinereque & cilicio induti, nisi infirmitas impedierit. ¶ Videatur etiam Tertul. lib. de pallio c. 5.

Quemadmodum vero religionis, sic superstitionis ritibus obeundis calceos positos obseruauit Sueton in Aug. ¶ Reliquias legerūt primoris equestris ordinis tunicati, & discincti, pedibusque nudis, ac in Mausolæo condiderunt. ¶ Quæ spectant Ezech. verba cap. 24. vbi contra morem iubet in funere vxoris. *Luctum non facies corona tua circumligata sit tibi, & calceamēta erunt impedibus tuis.* Incedebant enim in funebri luctu pedibus discalceatis. In sacris vero magicis, veneficæ vnum tantum pedem exuebant. Virg. vbi Magæ habitum describit lib. 4. Æneï. *Vnum exuta pedem, vinclis in veste recincta*, Horat. lib. Sat. 8.

§ II.

Calcei solutio seruandæ fidei quandoque signum, cessionis iuris & sæpissime ignominiosa.

APud Arabes calceum sibi detractum in alium iacere, non ces-

ceſsionis, ſed potius ſeruatæ; ſeruandæ que fidei pignus certiſsimum eſt. Cui rei firmandæ facit omnino quod, (referente Lipſio) de Raho quodam Benxamutio, viro inter Arabum duces inſigni. Hic cum in Marochienſi agro, caſtra, & demore familiam haberet, contingit, vt irruentibus in opinanter Luſitanorum copijs, vxor eius cum multa hominum, pecorum que turba raptim abduceretur, imparem autem cum ſe Rahus animaduerteret, Luſitanis numero militum longe maiore ſuperantibus, dolens, mæſtuſque primũ vxorem patiebatur abduci. Sed ecce; cum illa recedens ignauiam eius ex probaret, irruit in hoſtes, & vxorem redemit, in illam prius iacto calceamento dicebat; Nec iure mihi aut ignauiæ, aut perfidiæ probrum putes comprehendere, ecce iam tibi meum trado calceum, fidei meæ pignus, ſed ſtatim recipiẽdum, cum te, fugatis hoſtibus, recepero. Quod niſi per me fiat, ignauum me, perfidum, & infamẽ habeto.

Sæpius autem nota ignominiæ fuit calceorum ſolutio. Apud Romanos, militibus, cum exautorarentur, vt militiæ priuilegijs, & honore indigni, inter cætera calcei ſolebant detrahi. Tertul. militem exautoratum deſcribens lib. de coron. mil. cap. 5. *ſpeculatoriam* (inquit) *moroſiſsimam pedibus abſoluit.* Id eſt caligam militarem deponit. Idem etiam aliquando apud Anglos obſeruatum teſtatur Valſinganus. Andreas Hercle (inquit) tranfuga Anglus antequam ſuſpenderetur, degradatus eſt, ſecuri amputatis ei ad talos calcaribus, mox deſcintus balteo militari, & ablatis calceis, & chirotecis, mox tractus, & ſuſpenſus, & inquatuor partes diuiſus. Ita Hebræis tollere calceamentum ignominia erat, & iniuditialem infamiam domus eius, domus diſcalceati vocari ſolebat. Signum etiam erat nudipedem incedere apud gentiles, captiuitatis & ſeruitutis. Iuuen. ſat. 7. vbi de Cappadocibus, & Bithinis Romam venum traductis loquitur, inquit.

Altera, quos nudo traducit Galliatalo.

Hæc ſi quidem nota fuit venalitiorum, vt excalceatis, nudiſque pedibus eſſent, ijſque creatis, ſeu gypſatis, vt clare innuunt Ouid. eleg. 3. Tibullus eleg. 312. Propertius eleg. 514. nec non Plinius 135. c. 17. Iſai cap. 20. iubetur tollere calceamenta, & ſic incedere ad prædicendum ſeruitutem, & captiuitatem populo imminentem. Vnde tollendo calceum leuiro, indicabat, eſſe dignum domo generali, & conuicio, ſeruitute, & luctu tantum dignum.

Soluebat denique calceamentum, vt oſtenderet ſe iure ſuo cedere fundum ſiuè poſſeſsionem, quam cum vidua erat aditurus, calcandi, calceamento enim dominium, ſiuè ius in rem aliquam indicatur, cum calceus, vt incedentium vſibus inſeruit, terram ſibi ſubiectam ſemper habere ſoleat. Quo ſpectat illud Pſal. 59. *In Idumæam extendam calceamentum meum.* Ideſt eam mihi ſubijciam, vel terram Idumææ pedibus calcando, vt verum teneo, vel vt ſentiunt alij, in vrbem calceum proijciendo. Quod licet initio eſſet receptum, mox in valuiſſe, vt loco calcei pannum porrigerent inquit Elias Germanus in Tyſbi. Quinquarboreus notis in Ruth vocem *nahal* apud Pſalmiſtã chirothecã ſignificare ait. Quidquid ſit de hoc, iuris ceſsio ſignificatur in calceo & in calceamento. Vnde ingenioſus expreſit, quiſquis amoris pinxit effigiem ſiniſtra manu calceum gerentem, altera vero titulum hunc *Ius meum alteri trado.* Diſcalceare ergo præter quamquod leuirum dehoneſtari, etiam cedere ius, quod in poſſeſsionem habebat vidua, & dominium in ipſam traditum indicatur.

§ III.

Traditur expoſitio legis ex Deut. cap. 25.

HAnc conſuetudinem patriarcharum tempore inuiolabiliter obſeruatam, quam Deus ratam habuit, & confirmauit ſuo præcepto tempore Moſis, ſic explicat Abarbanel. ¶ De præcepto hoc obſeruando, non teneri niſi fratres, non pater, non filius, nec alius propinquus ex debito, ſicut dicitur *cum habitauerint fratres vnà*, hac de cauſa Moſem dicere, *vna ſimul*, quod ſcilicet eſſe debeant filij viri vnius vnà habitantes, vnà hæredes; quales ſunt fratres ex patre, non ex matre tantum, quia nomen, & definitio fratrum proprie non dicitur niſi de fratribus ex eodem patre. Secundo neceſſe eſſe, vt illi fratres vnà in vita ſint, vel fuerint, ſicut dicitur *fratres ſimul*, (ſcilicet exiſtentes, & viuentes) itaque ad fratrem natum demum poſt mortem fratris ſine liberis excedentis non pertinet hoc præceptum: non enim æquum foret fratriam expectare, donec hic adoleſceret ſicut Noemi dicit, *Nunquid eos expectabitis, donec adoleſcant?* Rut 53. ſi mortuo fuerit filius, aut filia ex alia etiam vxore, tũ hoc ius locum non habere, quòd dicatur ſimpliciter, *& filius non fuerit ei* & ſic iam non amplius delebitur nomen eius, ex Iſraele 4. Quod ius iſtud pertinuerit æque ad deſponſatam ac ad maritatam, quia dicitur, *non erit vxor viri*, puella autem deſponſata etiam vocatur vxor viri, iuſta illud, *eo quod afflixerit vxorem proximi ſui?* quod ſi leuir fuerit eunuchus, & ineptus adgenerandum, lex hæc non obligabit, quia dicitur *leuir eius ingredietur ad eam, & accipiet eam ſibi in vxorem.* Vnde concluditur eum tantum obligari adhoc, qui eſt aptus ad generandum. Quod ſi mulier fuerit ſterilis, & inepta ad concipiendum & liberos gignendos, quocumque modo, illa ius leuiratus non poteſt exigere. Finis enim huius rei fuit generatio liberorum, quia dicitur, & erit primogenitus, quem pariet. Quod liberum fuerit, & in arbitrio leuiri, non fratriæ eã ducere, aut calcei eductioni ſe ſubmittere, quia dicitur, *& erit ſi voluerit* v. 8. dicitur. *Et aſcendet fratria, vel glos eius.* Explicat etiam ritum exutionis calcei, & eius modum, quod item non ſanguinem, ſed ſputum clarum deburit expuere in eius faciem, quia dicitur, *& ſpuet in faciem eius.* Quod ſi leuir fuerit cæcus, aut pedem non habeat, ad eum hoc ius non pertinuerit, quia dicitur *& exuet calceum depede ipſius.* ¶

Quidquid ſit de eiuſmodi intelligentia Abarbanelis, quam dedimus, nos pro nunc reliquimus ad caput 25. Deut. & ad Ruth cap. 4.

§ IV.

Conciliatur Antilogia.

OMittimus quæ aliqui contrà Scripturam apud Buxtorfium lib. de ſponſ. aſſerunt. Deut. 25. ſcilicet nomine fratris, non intelligendũ fratres germanos, ſed patrueles, alios ve conſanguineos, quorum coniugium non eſſet inceſtuoſum cum fratrum vxoribus viduis. Expreſſe illam expoſitionem reſpuit hiſtoria Ruth cap. 5. v. 2.

Legẽ Deut. inquiũt Rabbini & antè Moſem quemlibet obſeruatum moré in fratre ſine liberis mortuo vim habuiſſe, viuente autem fratre, licet vxorem repudiauerit forſam, vel cum liberis mortuo nefas erat eius ducere vxorem. Hinc Ionathan Leuit. 18. ver. 14. *Nuditatem fratris tui non retegas* explicat viuente fratre tuo, vel poſt eius mortem, ſi liberos reliquerit. Extui huius legis Ioannes Herodem repre-

prehendit ducentem Herodiadem vxorem Philippi fratris ſui adhuc viuentis. Caietanus inquit: quod modica læſio honoris fratris mortui conſiſtens in hoc, quod vxor eius vna cum ipſo caro facta cognoſcatur à fratre, vincitur à maiori bono, & à beneficio in ipſum, vices namque illius gerere ſuſcitando fratris ſemen, & nomen, beneficium erat. Nec opponuntur leges, quia ducere vxorem fratris, ſolum in vnico euentu licebat, cum frater fratri ſuo officium præſtabat.

Ex Geneſ.38. Dixit que Iudas. Producite eam vt comburatur.

Ibidem iuſtior me eſt. Et verſ. 14. Mutato habitu ſedit in viuio iteneris, quaſi meretrices eſſent permiſſæ. Nec ſimplex copula pœnâ ſpeciali eſſet digna.

§. I.

Simplicem concubitum contra Rabbinos nunquam licuiſſe demonſtratur ex ipſorum Rabbinorum ſcriptis.

PEne omnes Rabbini à culpa Thamaris concubitum liberant. Audite Maimonidem. ¶ Ante legem datam occurrente in publico viro fœminæ, ſi ita ex pacto conuenirent, merce de data concubuit is cum ea, atque abijt, hæc autem dicta eſt meretrix, ſiuè quæ pro libito ſine nuptijs corporis ſui copiam faceret. ¶ Eadẽ dicit in More Meuochim, p.3.c.49. Super illa Gen.38.v.23. *Accipiat ſibi ne forte ſimus in contemptum* (ſic inquit) ¶ Quorum verborum declaratio eſt: quod coitus cum ſcorto ante datam legem fuerit, ſicut coitus hominis cum vxore ſua, hoc eſt, quod fuerit opus licitum. Neque illud homo vllo pacto fugerit, & quod merces, quæ meretrici dabatur, fuerit ſicut dos, quæ hodie datur vxori, cum dimittitur, ad cuius ſolutionem vir eſt obligatus. Quod autem, ait, *accipiat ſibi, ne forte ſimus in contemptum*, docet nos de actionibus & negotijs copulationis carnalis etiã licitæ non poſſe loqui ſine pudore, & conueniẽs eſſe, vt illam etiam cum facultatum noſtrarum diſpendio reticeamus, & occultemus, ſicut Iudam hic feciſſe videmus. Vnde fœminam, cui poteſtas erat ſui, a nuptijs omnino ſolutã licite poſſe ſe tradidiſſe, ſeu cuiuis locaſſe, vt pro vrebiuſculo eiuſmodi amplexuũ momento pignus aliquod recipiant, tradunt plures, nec huiuſmodi locationem magis illicitam, quam mancipij quamlibet locationem. ¶ Alia adducit in huiuſmodi confirmationem ex generis humani propagandi diuino præcepto in Halach Iſboth c.15. Maimonides. Et Rabbi Eliezer in Guem Bab ad tit. Iabimoth capit. 6.

Imprimis huiuſmodi concubitus non licuiſſe ante legem Scriptam, ex ipſo, quo fundatur, principio conuincitur. Etenim abenas laxare libidinis potius officit, quã ptopagationi proficiat. Accipe Salomonem Iatchium ad Iob 24. referentem Lamechi duas vxores. ¶ Adhunc modum (inquit) ſe habuit mos ſub dilubij tempora, vt alteram haberent vxorem prolis gratia, alteram vero ad concubitum, ea autem quæ ad concubitum dumtaxat ducebatur, ſterilitatis gratia exhaurire ſolebat poculum, vt ſterilis redde-

re-

retur, ornata etiam velut noua nupta latioresque comedebat dapes, acerbius autē ac durius tractabatur ſocia eius ſeu altera, & lugebat velut vidua, atque hoc eſt quod intelligitur apud Iob 24. Vbi ait *Pauit ſterilem, quæ non peperit, ſed viduæ bene nō fecit.* ¶ Eadem pene in Bereſith Rabba tradit R. Vriah ex R. Iuda Bar Simon ibi paraſch. 23. Exquibus conſtat non prolis, ſed libidinis gratia plures introductas vxores. Quin potius publicæ meretrices raro propagationi deſeruiunt.

Quamvis autem ante legem publica ſcorta licuiſſe gratia propagationis præcepti daremus, (non autem concedimus) id de hominibus ſolum nō de fœminis verū eſſet mixta Rabbinicas traditiones. ¶ Præcepto (verba ſunt Miſnæ ad titul. Iabimoth) fructificandi & multiplicandi tenetur homo, non itē fœmina. ¶ Salomon Iarchi explicans illud Geneſ. c. 2. vbi deficit littera *Vau* in Hebræo, ſeu pluralis numeri nota. Sic inquit. ¶ Deficit ibi *Vau* tum vt inde diſcas maſculo ſubijciendam eſſe fœminam, ne extra limites ſuos vagetur. Tum vt ibidem diſcas, viro, cui proprium eſt ſubciendi munus, imponi propagationis præceptum, non fœminæ, perinde ac ſi accepta fœmina viro dictum eſſet, iubeo: vt fructificetis, & impleatis terram, ita vt verba pluralia, *creſcite, & multiplicamini*, ideo adhiberentur, quoniam ſine fœmina propagatio fieri nequiret, non quoniam ad vtrumque ſexum præceptum, qua præceptum, attineat, ideoque virum, qui quantum in ſe eſſet non ob temperaret, reum, non ſic fœminam. ¶

Et quidem ipſe ſibi Maimonides eſt contrarius. Ita namque Deus amātiſsimus fuit in ſuo populo pudicitiæ, vt omnes mixtiones venereas interdixerit propter hominem. ¶ Omnis itaque generis concubituum illicitorum prohibitio facta eſt (inquit in More Nebochin p. 3. c. 49.) vt libido hominis diminuatur, veneris caſtra fugiantur, nec niſi moderate, & parce vtamur illa. ¶ Cōprobat ipſe incircunciſione. ¶ Porro circumciſio etiam (inquit) meo iuditio propter hanc rationem inſtituta eſt, vt libido hominū diminuatur, & membrum hoc, quātum fieri poteſt, ad actum iſtum debilitetur. ¶ Et inferius. ¶ Præceptum namque illud non eſt datum ad ſupplendum defectum creationis, ſed ad corrigendum defectum morum, damnum enim illud, quod membro iſti infertur, eſt illud ipſum, quod intēditur, quo nulla actio corrumpitur, in quo eſſentia viri conſiſtit, neque etiam facultas generandi adimitur, ſed ſuperfluus tantum appetitus coeundi diminuitur. Quod autem circumciſio virtutem intenſiuam membri, illiuſque voluptatem debilitet, id extra omnem dubitationem eſt. Nam cum membrū illud ſtatim in ipſa natiuitate ſanguinem ſuum effundit, tegumentum que ammittit, ſine omni dubio exinde debilitatur. Hinc dixerunt ſapientes noſtri mulierem cum viro incircumciſo matrimonio iunctam, difficulter ab ipſo poſſe abſtrahi, atque hæc eſt principalis ratio meo iuditio in circumciſione. Quis autem alius, quam Abraham pater noſter opus hoc incepit? de quo notum eſt, quantopere peccatum pertimuerit (hoc eſt quam pius, ſanctus, caſtus fuerit) ſicuti ſapientes noſtri cō memorant, ſuper illud, quod ait *Ecce nunc noui, quod mulier pulchra aſpectuſis* (ex hoc enim colligunt, Abrahamum tum primum cognouiſſe ſuam vxorem, Rabbini) Hæc ille. Ex quibus colligitur clare, caſtitatis à Deo tàm amantiſsimo in ſuo populo per totam nos ante legem ſcriptam non fuiſſe libidinis relaxatas abenas, ſed ſolum cum vxoribus & concubinis (de quibus longe ac de meretricibus diuersū eſt ius, vt inferius dicemus) permiſſum eſſe concubitum.

§ II.

§ II.

Prohibita ſcorta poſt legem ſcriptam, Deum amantiſsimum fuiſſe caſtitatis, plura præcepta & varij loci Scripturæ explicãtur.

Alij autem concubitũ eum in innupta nulla lege prohibitum cẽ ſent, ſed ſolum ex inſtitutis maiorum, ideo corpore ipſo Talmudico legitur: interdictum Hebræis à conſiſtorio Aſmonæorum coitum clandeſtinum gentilis fœminæ, ac proinde verberum pœna reũ luendũ. Hinc Moſes Cotzenſis præcepto affirmatiuo 122. ¶ Ante conſiſtorij Haſmonæorum tempus (inquit) ethnicæ coitus clandeſtinus licitus erat. ¶ Expreſſe Deut. lex erat. *Non erit meretrix de filiabus Iſrael, nec ſcortator de filijs Iſrael, non offeres mercedem proſtibuli, nam pretium canis in domo Domini Dei.* Quã ita exponit Maimonides. ¶ Ideo prohibita (inquit) publica ſcorta, vt hoc pacto libido, & laſciuia cohibeatur, nam per varietatem proſtibulorum illorum, non parum augetur libido hominis, nunquam enim tam vehemẽter accẽditur homo erga corpus illud, cui eſt aſſuetus, ſicut accenditur erga corpora noua formis, & proprietatibus diſcrepantia. ¶

Huiuſmodi ſcorta voluiſſe Deum populo prohibere, ſolido fundamento præſumitur. Scopus namque præceptorum fere omnium eo tendunt, vt ſenſum tactus, qui vt inquit Ariſt. nobis opprobio & delubro eſt, moderentur, inſtolidi namq; homines voluptatem ſuam tamquam ſummum bonum & vltimum finem ſibi voluptatem proponunt. Huic ergo peſti maturo conſilio mederi Dominus volens, præcepta dedit, quæ cogitationes noſtras cõponerent. Inde Deut. 22. præcipitur mulierem viri veſtem nunquam induere, quia ſcilicet actio iſta excitat concupiſcentiam, & ſcortationi occaſionem præbet. Eadem ratione Leuit. 20. beſtia cum qua homo aliquis rem habuit, interficiebatur, vt videlicet dominus beſtiæ ea cura & diligentia illã cuſtodiat, qua reliquos ſuos domeſticos, neque facile eam ex oculis ſuis elabi ſinat. Hinc Leuit. 19. Inſitio arboris vnius in aliam prohibetur, quia iuxta ſententias, quas Zabij idolatræ reliquerunt, oportere dicebant, cum vna ſpecies in aliam inſeritur, ſurculũ inſerendum, cum manu ſua teneat puella formoſa, quam præternaturali ratione vir quidam corrumpat, ipſa que congreſſus huius tempore plantulam illam arbori infigat. Hoc vſitatiſsimũ illis temporibus Maimonides cenſet. Quam exulare à populo ſuo fœdiſsimam turpitudinem Dominus voluit præcepto. ¶ Hæc eadem ratio ſub eſſe videtur (inquit Maimonides) in eo, quod Deus prohibeat diuerſorum animalium ſpecies inter ſe commiſcere, certum enim eſt non appetere facile indiuiduũ ſpeciei vnius coire cũ in diuiduo ſpeciei alterius, niſi manibus illi fuerit ſuperimpoſitum, ſicuti leuiſſimi homines illi faciunt, qui generationem mulorum adiubant & præmouent. Lex vero Dei noluit, vt vir aliquis ex Iſraele dignitatem & excellentiam ſuam ad opus iſtiuſmodi deprimat, quia magna ineſt ei leuitas, & inverecundia, & quia verſatur circa tales res, quæ lex noſtra non vult nominari, multominus committere & perficere niſi tempore neceſsitatis, at nulla neceſsitas cogit iſta animalia diuerſæ ſpeciei copulare. Quin immo nullam aliam ob cauſam prohibita mihi videtur eſſe lege diuina diuerſarum ſpecierum in quocunque opere coniunctio, quam vt hac ratione impediatur quominus ſe ſe commiſceant Deut. 22. Vt exempli gratia quando dicitur. *Non arabis bobe & aſino ſimul*, nam ſi ita coniungerentur, contingere poſſet, vt quandoque vnum commiſceretur cũ altero. Probatio autem huius rei eſt hæc, quod hoc iuditium, præter bobẽ

&

bobem & asinum quaslibet alias duas species comprehendat, sed loquta est Scriptura de præsenti, eo quod illarũ in quotidianis negotijs maior sit vsus, quod sint fræquentiores. ¶

Maimonides prosequitur eadem in More Nebochim. Inhonestatem (inquit) intendit Dominus vitare ita, vt etiam ipsius cogitationes prohibeantur tamquam ipsam transgressionem excedentes. Homo enim cum peccat (hoc peccato intellige) peccat tantum ex parte accidentium materiam consequentium, idest per sensualitatem suam, & ratione tactus in venerem inclinantis, quæ omnia ratione materiæ homini competunt, cogitatio autem proprietas est à forma vt rationali pendens, ideo cũ homo de hoc peccato cogitat, peccat contra præstantissimam partem duarum illarum ex quibus constat, non tam grauiter peccat is, qui seruum sibi reddit hominem stultum, & imperitum, atque is, qui mancipium sibi facit hominem ingenuum & liberalem, quia forma humana, eiusque proprietates, atque potentiæ ad res ei conuenientes sunt adhibendæ, ad res nempe excelsas atque sublimes, viles autem & sordidæ sunt fugiendæ.

Rabbini, qui licitum lege scripta censent scortum sic explicant Deut. legem. *Non erit meretrix de filiabus Israel, nec scortator de filijs Israel, non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis in domo Domini Dei.* Ibi solum turpitudines illas vitari, quæ in honorem Deorum gentilium exerceri mos erat, non vero publica scorta. In Hebræo namque pro *scortatione* vox succesit *Kadesh*, quod masculum scortum plerique vertunt. Ex Septuaginta interpretibus sic vertit Flaminius *Non erit ferens teletas de filiabus Israel, & non erit initiatus de filijs Israel.* Vnde ne ad imitationem gẽtiliũ mos aliquis apud Israel sub reperet & Hebræos, prohibetur, ne quemadmodum apud illos mulieres idolis ad quæstum meretricium consecratæ erant in honorem Veneris Deæ, cui viros admittẽtes initiabantur, sic simi lis initiatio in veri Dei honorem permitteretur. ¶ Omnibus mulieribus indigenis (inquit Herodotus lib. 5. de Babilonijs) commune est semel in vita ad Veneris templum desidentibus cum viris consuetudinem habere, cum semel illic consederint, non prius domum regrediuntur, quam hospitum aliquis pecuniã mulieri in sinum iecerit, & cum eadem a fano seorsum abduxerit. Hospitem autem illum, qui pecuniam obtulit, dicere oportet, *Tanti ego tibi Deam Mylittam imploro.* Mylittam enim Asyrij Venerem appellant. At vero pecuniã illam, quantulacunque sit, non est fas reijcere, siquidem in sacrum conuertitur vsum, neque mulieri etiam permittitur hospitem aliquem repudiare, sed quicumque is est, qui pecuniam obiecerit primum hunc illa sequitur citra delectum. ¶ Simile de Phænicibus scribit Aug. de ciuitate Dei lib. 4. cap. 10. Tres (inquit) Veneres, vna Virginum, quæ etiam Vesta est, alia Coniugatorum, alia Meretricium, cui etiam Phænices donum dabant de prostitutione filiarum, antea quam eas iungerent viris.

Non solum autem mulieres, sed masculа etiam scorta in idolorum honorẽ se prostituere, cõstat ex 4. Reg. 23. vbi de Iosia dicitur. *Dextruxit quoq; ædiculas effæminatorum, quæ erant in domo Domini, pro quibus mulieres texebant quasi domiculas luci.* Hos appellat initiatos Montanus, quod scilicet impurissimi homunciones ibi prostituri essent, & quasi consecrati idolorum honori, auersæ seruientes libidini, quo domus ex cortis erant confectæ, quas mulieres texebãt. Exquib⁹, obiter licet, Baruc difficili loco aperitur lux c. 6. *Mulieres autẽ circũdatæ* (inquit) *funibus, in viis sedent, succẽdentes ossa*

oliuarum, cum autem aliqua ex ipsis attracta ab aliquo transeunte) dormit cum eo, proximæ suæ exprobat, quod ea non sit digna habita sicut ipsa, neque funis eius disruptus sit. Intelligitur locus iste, de ijs, quas diximus, veneri consecratis. In signum namque talis initiationis, funiculo vel vinculo corpus vinciebant, quo soluto illis abutebantur amasij, Et quia magnum dedecus, si à transeuntibus negligerẽtur, sunt arbitratæ, ideo magicis carminibus adhibitis allicere nitebantur, ossa oliuarum comburentes, quibusdam additis verbis, quibus rogabant, sic ignem amoris amasios suos incendere, sicut ossa illa flagrabant. Neque nouum mulieribus ad huiusmodi artes confugere, vt amatores ad se pelliceant. Id autem à Mose nomine canis intelligi, illam scilicet impudentem libidinem, quæ in propatulo fieret, censent. Inde namque Cynicos appellant philosophos, obcaninam hanc impudentiam, quoniam sentirent, cum vxore congredi palam nullum debere pudere, canis enim pro impudentiæ symbolo solet expingi. Vnde pretium canis, id intelligunt, quod prostanti scorto in gentilium sacris initiationibus, datur. Ex quibus inferunt Deut. lege non prohiberi fœminarum scorta, si alia maculæ circunstantia non vitientur.

Verũ quantũvis Deut. legis genuina videatur, quam tradidimus, expositio, firmissime teneo, meretrices ibi prohiberi, quæ publicæ prostitutioni essent deditæ, nullo habito ad religionem seu initiationem respectu, nec de masculis intelligendam scortis. Tum quia diuersis legibus meretrices mulieres, atque mascula sunt scorta prohibita, expresse Leuit. 18. vers. 22. *Cum masculo non commiscearis coitu fœmineo quia abominatio.* En vbi clare scorta mascula prohibet. Cap. 20. *Ne prostituas filiam tuam*, meretrices fœmineas intelligit. Tum, quia mulieres initiari in honorem Deorum apud Assyrios fuit mos, cum quibus tunc apud Hebræos nullum erat commertium, neque ab illis, cum data fuit lex, bibere pestilens illud possent venenum. Deus autem suis præceptis à populo suo exulare præcauit gentilicos mores, quos sumpserant ab Ægyptijs. Prohibere namque, quæ nondum nouerat populus, ansam esset præbere, vt committeret illa, in ea namque superstitionis genera, & idololatriæ lapsus solum non est quæ vel non cognouerat, vel quorum fuerat oblitus.

§ III.

Proponuntur fundamenta eorum, qui licuisse meretrices lege iam data, arbitrantur. Explicatur locus Iudic. 9. & Leuitic. 21.

MEretrices non esse lege prohibitas, probant exemplo Iepte, qui filius fuit meretricis, & tamen interdictam iniuste hæreditatem Sacra pagina innuit. Sũt eius verba, quæ ipse iniuriæ memor loquutus est, *Non ne vos estis qui odistis me, & eiecistis de domo patris mei?* Leuit. 21. Ne sacerdos vxorem eligat meretricem cauetur. Quæ omnia, in populo fuisse, si non publica, clandestina tamen scorta, indicant, & solum ex maiorum institutis legitimis de causis vetita.

Imprimis in illud Iudic. 9. de Iepte. Iosephus nomine meretricis extraneam fœminam intelligit, & Iepte cũ non esset ex eadem matre natus sed materno genere peregrinus, quod pater ardens amore eis superinduxerat, eijciebant, ac ob imbecillitatem despiciebant. Saidus Bactricides sic de Iepte. ¶ Et fuit filius mulieris Saracenæ, vnde antea eiecerunt eum fratres sui, & aspernabantur eũ, nec ad hæreditatẽ admittebant.

bant. ¶ Qui Israelitæ sunt in Hebræo, *Arabes* dicuntur OnKelo & Pseudozielidi, atque in Targum Hierosolymitano *Saraceni*. Si autem extranea fuit Iepte natus ex iure optimo quidquid reclamet Iosephus, ab hæreditate pulsus. Quoniam omnimodo alienarum fœminarum concubitum gens etiam in libidinem proiectissima illicitum habuit. Tacitus hist. 5. de Iudæis. ¶ Aduersus omnes alios hostile odium, separati epulis, discreti cubilibus, proiectissima ad libidinem gens, alienarum concubitu abstinent, interse nihil illicitum, &c. *Alienæ* ibi pro exteris non pro alijs nuptis manifeste sumendæ.

Ad illud Leuit. 21. inquit Seldenus lib. 2. de succ. c. 2. quod ex Hebræis Zona seu scortũ memoratum in lege, fœmina, quæcunque non est ex Israelitis, intelligitur aut Israelita, quacum concubuit vir, cuius nuptiæ, ei, interdicto omnium communi, interdicuntur, aut quacum concubuit proauus, etiam cuius nuptiæ ei essent permissæ, vnde extera qualiscunque etiam proselyta & libertina scortum est. Omnes etiam Israelitidæ, quæ coitu aliquo nomine turpitudinis seu incestus inquinarentur, scorta appellari solent. Illæ etiam, quæ cum eorum aliquo rem haberent, quorum nuptiæ Israelitidibus vetantur, veluti cum mancere, Ammonita, Mohabita etiam proselyto facto, & alijs Deut. 23. prohibitis. Illud namque quod legitur. Non intrabit in cœtum, seu congregationem Domini, vniuersaliter omnes Rabbini recipiunt, pro eo, quod est, non ducat Israelitidem in vxorem, seu inter illos & Israelitidem non sint coniugia. Vnde puella Israelitica trima præter diem vnicum, aut maioris ætatis ex captiuitate gentium redempta pro scorto habebatur, filius que ex ea à sacerdote susceptus, habebatur profanus, quia post triennij ætatem, (qua viri potentem puellam semper existimabant) de gentilis alicuius, apud quem captiua seruabatur, coitu præsumebatur, vnde fiebat scortum, nisi testibus ab hac purgaretur labe. Sic Moses Maimonides Halachoth Issuri Bia cap. 18. ¶ Captiua redempta (inquit) quæ fuerit trium annorum præter diem vnicum, aut maioris ætatis sacerdoti interdicebatur, quoniam dubium erat scortum, scilicet indubio erat, vtrum cum ea gentilis rem habuisset, cœterum si testem haberet, gentilem minime secum concubuisse, tunc generi sacerdotali vxor erat sacerdotis idonea. ¶ Hæc ille. Omnes relatæ fœminæ sacerdoti prohibitæ, scorta habentur. Vnde non intelligitur ibi meretrix in rigore. Fœmina namque, quæ quobiscum, sine discrimine rem haberet, si constaret nullum præter Israelitas illacum coire, neque manzerem scilicet, neque proselytum, vel libertinum, illam vnquam cognouisse, à coniugio sacerdotis arcenda non erat. Sic sentit Maimonides Hal Issuri Bia capit. 18. Non ergo exeo, quod Sacro textu meretrices nominatæ sint, infertur licita fuisse prostibula publica, licet permissa. Aliud enim est meretrices in populo esse, aliud libere scortandi facultatem illis fuisse tributam, plures fuerunt meretrices in populo, sed nunquam liberæ à pœna. Audite Maimonidem Halach Isboth capit. 5. ¶ Post legem datam interdictus est id genus fœminarum vsus, secundum id, quod habetur in lege. Non sit meretrix siuè quæ prolibito corporis sui copiam faciat ex filiabus Israel. Vnde fit vt si quis vt stuprator fœminam compresserit, vbi non interceſſerint sponsalia, verberandus sit ex lege, ideo quod cum innupta, qualem diximus, coiuerit. ¶

(§)

§ IV.

Aliorum expositio repellitur.

Alij Thamarem adulterij iudicant ream, eo quod futuris nuptijs Sellæ sit destinata, immo & ipsi desponsata secundum illam legem, quæ Mosaica, & fuit postea firmata de suscitando semine fratris mortui sine liberis, ad instar scilicet matrimonij per verba de præsenti rati sed nondũ consummati, sic Lyra Abulensis & Thomas Anglicus.

Verum istam solutionem acriter impugnat Burgensis in addit ad postillas Lyrani c. 28. Genes. Non videtur (ait ille) Thamar commisisse adulterium, proprie dictum, neque obid debuisse tali morte puniri, siquidem multoties, quæ erant alligatę fratribus, siuè cognatis mariti sui defuncti, si alij copularentur, licet illicita fecissent, nõ tamen morte puniebantur secundum legem, alioquin Noemi non consuluisset nurui suæ Ruth: vt remaneret in terra Moab, & ibidem cum alio contraheret vt dicitur in lib. Ruth, erat enim ligata ipsi Booz, vel alij cuipiam de cognatione mariti sui. Nec sane fuisset excusata Thamar ab occisione, si fuisset adultera, propter hoc quod nõ fuerat data in matrimonium Selæ, non enim propterea excusatur mulier ab adulterio, quod vir suus nolit ei reddere debitum. Et quamvis illa fuisset adultera, non merebatur igne comburi, sed alia leuiori pœna puniri: pœna enim combustionis in solas filias sacerdotum fornicantes, siuè adulterantes constituta erat, vt Leuit. 25. patet.

Præterea ante legem scriptam, sine concubitu nullum erat coniugium, quod ex illo Genes. 20. constat *Ecce tu morieris* (inquit Dominus ad Achimelechũ) *propter mulierem, quam accepisti, nam concubuit cum ea maritus.* Sic Hebræus codex. Ac si diceret legitimam esse Abrahæ vxorem Sarã, quia concubitus præcessisset, sine quo nullum matrimonij vinculũ esset, sic Glosa Talmudica ad tit. Sanhed. c. 7. f. 57. Non scriptum est, nã vxor viri est, seu viri alterius fœmina, sed verba illa. Ecce morieris, pronunciatur, eo quod maritus concubuerat cum ea, & non ratione sponsalium, aut deductionis in talamũ. Vnde apud Rabbinos matrimonium illius sæculi, non aliud est quã corporalis maris & fœminæ, præunte in vitæ communionem & lecti sotietatem consensu, coniunctio. Quin quidam legum cõditores, quos Ægyptiorum plures sunt sequuti sine corporum coniunctione nuptias non videri esse contractas, dixere, vt habetur in Zenonis constitutione lib. 8. cap. de incest. & in vtilibus nuptijs. Vnde Maimonides Hal Melach c. 9. sic de proselytis. ¶ Si Noachides concubuerat cum vxore Israelitæ, postquam coitus matrimonium sequutus esset, gladio puniendus erat. Non item si id fecerit antequam maritus cũ ipso coiuerit. ¶ Vnde sponsã, quæ non dum in talamũ deducta est, fuisse illam, quæ à Christo Domino reprehensa, sed à pœna lapidationis libera euasit Ioan. 8. refert Seldenus de iure Hebræor. Vide Maim Melach. c. 9.

Dicendum ergo est ad antilogiam. à Iuda tàm quàm à Principe familiæ (erat enim tunc consistorium, quod Sethi appellabant, & huius caput Iudas, de quo Maimon Melach c. 9. & Guemar Babyl. ad tit. Sanh. cap. 7. fol. 56. R. Simeon Ben Iochai. Vide Seldenũ lib. de Synedrijs) nurus Thamaris qualitatem pœnæ pendere, siuè iure, siuè pro eius arbitrio, ipse autem vel infamiæ nota concitatus ad iram talia protulit, quæ postea sedatus redditus, credibilius est vitaturum. Ego autem, *comburatur* ideſt vt frons in vreretur, indicare, & Iudam mandasse existimo. Signum enim, quo scortum esse cognoscerent omnes, hoc erat. Sic

R.

R. Iehuda Hachiſid apud Baal Haturim ad Geneſ. 38.

Neque contra ſuperius ſtabilita, obſtat, quod Iudas dixit. *Iuſtior me eſt.* D. Hieronymus enim ſic explicat, non quod iuſta fuerit ſed comparatione illius minus male fecerit, nequaquam vaga ad turpitudinem, ſed liberos requirendo. Vide D. Aug. lib. 22. contra Fauſtum c. 62.

Ex Geneſ. 42. Exploratores eſtis. | *Ibidem refertur cognouiſſe illos, vnde mentitum eſſe videtur.*

NOn ſatis erit dicere, peccaſſe mendatio iocoſſo, vt ſentire videntur Lyra & Toſtatus. Si ſemel namque mentit ũ fateamur, nõ facile à peccato pernicioſo purgabunt Ioſephum, cum ad infamiam fratrum & eius tendat ſupplicium, immo & periurium, vt v. 16.

R. Salomon, Ioſephum ambigua loqutione, quam ſecundum alium ſenſum fratres capiebant, vſſum tradit, ipſe enim exploratores eſſe intelligebat, quod exquiſiuiſſent tutiorem viã ex Chanaam in Ægyptum eundi emendi tritici cauſa, ipſi, pro eo qui hoſtili animo terram alienam ſpeculatur. Verum iſta expoſitio corruit immediate ſequentibus verbis. *Vt videatis infirmiora terræ veniſtis.*

D. Aug. duplicem tradidit expoſitionem q. 145. in Gen. Ioſephum per iocum loquutum. Mendatia enim (inquit) amendacibus ſerio dicuntur non ioco. Cum autem quæ non ſunt, tamquam ioco dicuntur, non reputantur mendatia. Et q. 139. Illud *exploratores eſtis, interpretatur, habemini & vulgo exiſtimabimini.* Sicut 3. Re. c. 18. cũ dixit Elias. *Qui exaudierit per ignem, ipſe ſit Deus,* ideſt habeatur Deus. Thomas Anglicus, Poteſt dici, inquit, quod Ioſeph in his & conſimilibus non loquitur aſſertiuè, ſed ſolum tentatiuè, & probatiuè, vt ſub tali modo tentatiuo occaſiones accipiat capiẽdi eos, & veniendi ad eorum ſecreta, quaſi ad ſibi ignota. Talis vero modus loquendi poteſt aliquando ex rationabili cauſa aſſumi à ſapiente, & præcipue à iudice, poriſsimum autem à viro prophetico, qualis vtique Ioſeph erat.

Ex Geneſ. 42. Per ſalutem Pharaonis. | *Deut 6. Per nomen Dei iurabis.*

MAimonides tract Sheboth cap. 11. §. 1. Moſes Kotzenſis præc. affirm. 128. præceptum affirmatiuum eſſe, inquiunt, vt cuicũque præſtandũ fuerit in foro iuramentum, is iuret per nomen Dei. Et nefas eſt iurare per rem aliam cum nomine Dei, ſcilicet quiſquis aſſociauerit aliquam rem aliam iniure iurando cum nomine Sanctiſſimi illius & Benedicti, extirpatur è mundo. Neque enim nomen præter ſolum illum Benedictum habetur nomẽ quod dignum cui ſit, communicetur gloria ſeu honos per illud iurandi.

Similem diſciplinam Carthaginenſes receperunt in iureiurando. Polybius Hiſtoric. 7. retulit fœderis iuramentum, quod præſtitere Hannibal, & omnes Punici Senatores Xenophani Philippi regis

Macedoniæ legato. ¶ Et coram Ioue (inquit) & Iunone, & Appolline & Dæmone Carthaginenſium, & Hercule, & Iolao, coram Marte Tritone, Neptuno, coram Dijs expeditionis Comitibus, & Sole & Luna, & Tellure, &c. ¶ Sanctiſsimum etiam Romanis habitum eſt iuramentum per Iouem, *Lapidem ſilicem tenebant iuraturi per Iouem, hæc verba dicentes, ſi ſciens fallo, tum me Dieſpiter ſalua vrbe arceque bonis eijciat, vti ego hũc lapidem.* Et ſimul lapidem manu eijciebant, de quo Polybius Hiſt. 3. & Plutarchus in Sylla, vide Briſſonium Form. lib. 8.

Apud Mahomedanos, iuxta verſionem latinam Alcorani Retinenſis, in Azoar 12. pag. 38. legitur *ſic Nullus niſi per Deum iuret, ſin autem iniuriam effecit.* Primitiuis Chriſtianis per Geniũ aut fortunam Cæſaris interdictũ iurare, vt tradunt Orig. cõtra Celſum lib. 8. Tertulianus Apolog. ca. 32. Caſsiodorus var. 8. form. 3.

Verum apud omnes gentes vſitatum eſt creaturas adducere in iuramẽto. Vnde ſi per principem, eius ve Genium, ſalutem & caput peieraſſet, niſi calore quodam, nec ex ſedati animi ſui ſententia id feciſſet, periculum corporis, aut maieſtatis crimen inferri placuit, inquit Alexander Seuerus l. 2 c. tit. de rebus creditis, & iure iur. de quo etiam Cuiacius lib. 2. obſer. cap. 19.

Apud Mahomedanos obuia ſunt iuramenta quibus creaturæ inducuntur, neque verba, quæ Retinenſis vertit & ſuperius retulimus, in Arabico eſſe inquit Seldenus lib. 2. de Syned. c. 11. Quoniam iuxta diſciplinam eorum tum per Deum tum per creaturas ſolitum eſt iurare, Mahomedes ipſe, vt Azoar 47. per Angelorum ordines per Alcoranum, per Ventos, per Nubes, per æquoris Naues, per Cœlum, & per Stellas, per Montem Sinai, Librum que linearitèr in chartis ſubtiliſsimis ſcriptum, per Domum ſuperne ædificatam. Vide Robertum Retinenſem in verſ. lat. Alcor, Philippum Guadagnolum Apolog. pro Chriſt. relig. tract. 2. c. 4. Ex diſciplina ergo Mahomedana, ſicut per Deum & per res creatas licuit iurare. Inde ad Iacobũ Conſiliarum, cum ſe occidiſſe Vlmeũ affirmaret, Mahumed. Almahadi Chalifa, qui idem iuſſerat, inquit. Iura per caput meum, & ita iurauit ille. Ita Abugia far Haron Raſijol Giafarem de ſtatu Iahiæ cuſtodiæ traditi reſpondentem ad iurat, *An per vitam meã?* inquit. Cui Giafar *Non per vitam tuam.*

Apud Iudæos non ſolum ſolitum iurare per creaturas, quin immo Phil. lib. de Alleg. impios appellauerit homines, qui ſe aiunt per Deum iurare. Præſtandum (inquit) iuramentum, per patris ſeu matris ſanitatem, & ſenectutem felicẽ, ſi ſuperſtites ſint, & ſi mortui fuerint per eorum memoriam: In Guemara Babyl. ad tit. Roſb Aſhena cap. 1. fol. 17. *Per vitam Regis*, veluti familiaris formula iurandi occurrit. In Miſn. tit. Sanhed. cap. 3. Guem. Bab. fol. 24. reperitur, Iura mihi per vitam capitis tui.

Apud Chriſtianos, poſtquã Chriſto nomen dederant Cæſares iuramentum inſtituerunt militare. Per Deum, & Chriſtum & Spiritum Sanctum, & per Maieſtatem Imperatoris, quæ ſecundum Deum generi humano diligenda eſt, & colenda. Sic Veget. de milit. lib. 2. c. 5. ſolemne fuit principibus Chriſtianis iuramentum (inquit Seldenus) per vultum S. Lucæ, per pedem Chriſti, per ſanctum hunc vel illum. Cum Iſabella Henrici Angliæ regis tertij ſoror Federico Cæſari ſecundo deſponſanda erat, confirmarunt legati (inquit Matth. Pariſ. anno Domini 1235.) matrimonium, in animam Imperatoris interpoſito iuramento, offerentes ei ex parte ipſius Imperatoris annullum ſponſalem.

Ne-

Neque oppoſitum ſuadet, quod in Occidente circa annos ab hinc 850 non ſemel lege vetitum eſt. *Per vitam regis, & filiorum eius iurare Capitul. Carol. & Ludouici 3. tit. 42. leg. Longobard. lib. 3. tit. 24.* non inquam obeſt. Quoniam interdictum illud non de omnimoda iuratione intelligẽdũ, ſed de iuramento, quod oſcitantius, petulantius, leuius, motoſius, temere in cõfabulationibus, pollicitationibus ſeu ſermone familiari & vulgari malè committi ſoleret, non quod circa res grauiores ſiuè publicas, ſiuè forenſes ſiue priuatas etiam pro natura rei varia nõ adhiberetur, ſicut de iuramẽto quolibet etiam per Deum tradidit Auguſtinus in Epiſ. ad Gal. cap. 5. & & Cauſ. 22. q. c. 2. De quo vide Dioniſium Pruſæum orat. 68. ſic à Seldeno interprætatur lib. 2. de Syned.

Ex quibus conſtat ad Antilogiam, & ex ijs, quæ tradidit D. Thomas. Iuramentum enim ſiue per conteſtationẽ fuerit, ſiuè per execrationem principaliter refertur ad Deum. Secundario vero ad iurandum aliquibus vtimur creaturis, inquantũ in eis aliqua diuina veritas explicatur. Ioſeph autem, cum per ſalutem Pharaonis iurauit, ſiuè per modum execrationis, quaſi vitam Pharaonis obligauerit Deo, ſiuè per conteſtationem, quaſi conteſtando veritatem diuinæ iuſtitiæ, cuius executioni principes terræ conſtituuntur miniſtri, retulit ſemper ad Deũ, quin increatur ã refundatur reuerentia diuina Vide Deut. 4. & Gen. 31.

Ex Geneſ. 43. Biberuntque & inebriati ſunt. | *Paul. ad Epheſ. 5. Nolite inebriari vino, in quo eſt luxuria.*

INebriari aliquando pro vino intantum repleri, vt perturbato cerebro animus in recto rationis vſu deprauetur, in Sacra pagina ponitur, & ſic vitium eſt homini deteſtabile. Sumitur quandoque, prout ſignificat large & copioſe & cum magna animi voluptate bibere, illæſa mentis & ſenſuum integritate, vt Aggæi 5. & Pſal. 25. In hac ſecunda acceptione ponitur in præſenti.

Ex Geneſ. 44. An ignoratis quod non ſit ſimilis mei in augurandi ſcientia. | *Prohibitum eſt augurare lege naturæ & ſcripta.*

DIcendum eſt hæc à Ioſepho dicta per iocum, vnde nec illum mentitum, neque augurandi ſupeſtitioni deditum, tradit Moſes, ſic Aug. q. 145. in Geneſ. Vel dicendum ea Ioſe-Ioſephum dixiſſe ex ſentẽtia aliorum, Ægyptij namque prædixiſſe futura videntes, augurandi ſcientiæ tribuebant ſicut & alij Ægyptiorum vates. Denique dicendum verbum augurandi non ſumi pro ex obſeruatione auium præſagire, ſed pro eo quod prædicere & præuidere futura ſiuè per diuinum ſpiritum, ſiuè diabolicum. Ioſeph autem primus fuit in prædicendis futuris prophetico afflatus ſpiritu. Non enim inquit: ſimilem nullum ipſi in augurando per ſcyphum, ſed dumtaxat in augurando. Vide Theodoretum q. 104. in Geneſ. Rupertum libr. 9. in Geneſ. Abul. & Caietan. atque Burgenſem hic.

Ver-

Verba Burgenſis audite. In Hebraica littera (inquit) non dicitur, *An ignoratis quod non ſit ſimilis mei, in augurandi ſcientia?* Sed ponuntur alia quædam verba, quorum hæc eſt ſententia. An ignoratis, quod homo mei ſimilis facile poſſet per auguria talia ſcire? Et hoc videtur magis conſonum rationi. Fratres enim Ioſeph nō habebant, vnde ſcire deberent Ioſeph eſſe maximum augurem, ſed bene poterant exiſtimare, cum ille tam potēs eſſet, habere poſſe augures quoſcumque vellet, quos de occultis conſuleret, præſertim cum in Ægypto multi eſſent coniectores, & talium artium profeſſores, vt ex multis Scripturæ locis perſpici poteſt. Secundum vero Sanctum Auguſtinum, & Sanctum Thomam in 2.2.q.95. Ioſeph iſtud dixit nō ſerio, ſed referens ad id, quod vulgus Ægyptiorum opinabatur de ipſo, credens Ioſeph talium artium eſſe peritiſsimum. Sic Burgenſis. Abulenſis non timuit Ioſephum fictionis inſimulare, & mendatij damnare. Excuſat tamen Ioſepum Caietanus à pernicioſo mendatio, quia diuinationes tunc temporis infames non erant, ſed honorabiles.

Ex Geneſ. 46. Inde adducam te reuertentem, inquit Deus Iacobo,

Cap. 49. dicitur quod Iacob moritur in Ægypto.

RAbbi Salomon de Iacob mortuo Dei promiſſum intelligit, eius enim cadauer reportatum eſt in Chanaam, & iuxta Hebron in ſepulchro Abrahæ & Iſac conditum. Sed huic expoſitioni contradicunt verba Scripturæ, *adducam te reuertentem.* Reuerti enim hominis viui eſt.

Abarbanel. Hoc referendum ad Hebræos, quos poſt 215. annos Deus ex Ægypto reduxit ad terram Chanaam. Sicut cum dixit Dominus. *Dabo tibi terram hanc*, Abrahæ, Iſac, & Iacob, non in ipſis patriarchis impletum, ſed poſt eorum mortem in poſteris. Ita pariter.

Geneſ. 46. Filij Simeon, Iſmael, & Iamin & Sohar, & Saul, filius Chananitidis. Sex nominantur.

1. Paral. c. 4. ſic legitur. Filij Simeō, Namael, & Iamin, & Iarib, Ara, Saul, Quinque, & diuerſis nominibus referuntur.

HIeron, in traditionibus Hebraicis, in lib. Par. In libro (inquit) Geneſi deſcribuntur filij Simeon, hic autem ſextus filius tollitur, eo quod nulla progenies de eo proceſſerit, mutantur vero nomina quædam ſuis rationibus. In Geneſi ſcribitur *Iſmael*, quod interpretatur mare Dei, in Para. vocatur *Namael*, ideſt loquens cum Deo. Alius in Geneſi dicitur *Ohad*, quod interpretatur, laudatio. in Paral. interpretatur *Iarib*, ideſt litigans, quia de eius progenie exiuit *Zambri*, qui cum ſcorto Madianitide peccans, à Phinees peremptus eſt. In Geneſi nominatur *Iachim*, id autem eſt præparatio, in Paral. appellatur Zara, id autem ſonat idem quod ortus. Saul vero, qui eodem modo in vtroque libro commemoratur, in hoc loco filius eſſe Chananitidis tacetur. Sic ille.

(..)

Geneſ.

Genes. 46. Duo filij Phares, Hesron, & Hamuel referantur ingressi in Ægyptum.

Genes. 38. Constat oppositum.

Vēdit° est Ioseph, eodē anno quo Iudas duxit vxorē, & genuit filios, primū Her, qui 17. annos natus duxit Thamar, anno post coniugium Iudæ 18. & initio 19. successit in coniugium alter frater. Qui statim perijt, expectauit igitur quod Sela adolescēret vsque ad 22. à coniugio Iudæ Quæ fuit deinde concubitum Iudæ, ex quo ortus est Phares. Habemus 22. annos à coniugio Iudæ, addamus 16. necessarios vt Phares generaret Hesron, & & Hamuel, à cōiugio ergo Iudæ quod fuit post venditū Ioseph currerunt 38. Cum ergo à venditione Ioseph vsque ad ingressum in Ægyptum fluxerint non plures 23. annis, nati sunt in Ægypto Hesron, & Hamuel, ac proinde non ingressi. Quod vēdito Iosepho ad ingressum in Ægypto fluxerint soli 23. anni constat. Quia Ioseph 16. annos natus, venditus est, vt Gen. 37. cum Iacob ingressus est Ægyptum agebat Ioseph 39. annum, quia vt ex cap. 41. & 45. constat, Ioseph fuit 30. annorum cum præpositus est Ægypto. Sequuti sunt 14. anni partim fertilitatis, partim sterilitatis, secundo autem anno sterilitatis qui fuit 39. Ioseph, vocatus est Iacob, & intrauit Ægyptum vt capit, 45.

Necessario dicendum est coniugium Iudæ non incidere posse in annum 15. ante venditionem Ioseph, cum coacti simus concedere vxorem duxisse Iudam, cum solum esset annorum quinque. Iudas namque maior natu erat 4. annis Iosepho, vt ex cap. 29. & 30. Genes. constat. Ille enim natus est anno 11. profectionis patris in Mesopotamiam. Iste anno 14. iam exacto, & post annos 16. ætatis suæ venditus fuit.

Facilis est textuum cōcordia. Quoniam Scriptura dum plures in vnam summam aut catalogum colligit, solet quandoque de ijs ita loqui, vt id quod omnibus, & singulis quodam modo tribuere videtur, pleriſque tantum conueniat, & aliqui è numero reuera excipiendi sint. Sic Gen. 35. cum Moses filios Iacobi recensuisset, addit. *Hi sunt filij Iacob qui nati sunt* in Mesopotamia Syriæ: excepto scilicet Beniamino, quem constat natum post Iacobi è Mesopotamia redditū in Chanaam. Eodem sensu intelligi possunt Hesron & Hamuel Ægyptum ingressi.

Dici potest etiam in Ægyptum ingressos, quatenus erant in lumbis, & virtute generatiua parentum descendentium, quo sensu Leui dicitur Melchisedech o decimas dedisse ad Hebr. 7. v. 9. Addunt alij ingressum in Ægyptum extendi ad annos 17. quos vixit Iacob, imò & vsque ad obitum Iosephi, eo quod procurante Iosepho, Israel in Ægyptum descenderit.

Ex Geneſ.46.Omnes animæ filiorum eius & filiarum 33.

Ibidem ſi numerentur Ruben, Simeon Leui, Iudas, Iſſachar, & Zabulon cum filijs eorum reperientur 35.ſi demas Her, & Onam mortuos ſunt 32.

CAietanus hic ſic explicat,occurrit (inquit) quæſtio, quo pacto verificatur hic littera hæc dicens omnes animas filiorum & filiarum Liæ eſſe 33.Nam ſupputando ſupra numeratos in littera,reperiuntur 34,comprehendendo duos defunctos filios Iudæ Her,& Onam, veliſtis excluſis, tantum 32.Nec dici poteſt,non ſupputari Dinam: Tum quia expreſſe dicitur hic,*filiorum,& filiarum eius.* Tũ quia paulo inferius clare ſupputatur fœmina nomine Sara inter filios Aſer, ſumendo animas ſex decim,vt patet ſupputando. Solutio eſt quod verba iſta Scripturæ,non ſunt intelligenda ſola vt ſonant, ſed vt pendent ex antecedentibus illis verbis.Hæc ſunt nomina filiorum Iſrael,qui ingreſsi ſunt Ægyptum,Iacob,& filij eius.Nam ex illo,*qui ingreſsi ſunt Ægyptum*,excluduntur duo illi defuncti filij Iuda, ex illo autem,Iacob & filij eius,comprehendendus eſt Iacob in hac computatione,& ſic optime ſubſiſtit illa ſumma 33.adiunctus enim Iacob 32. filijs viuis,& Lia efficit ſummam 33.

Ex Geneſ.46.Cunctæ animæ quæ ingreſſæ ſunt in Ægyptum, & egreſſæ ſunt de fœmore illius abſque vxoribus filiorum eius ſexaginta ſex.

Geneſ.46.v.27.Omnes animæ domus Iacob, quæ ingreſſæ ſunt in Ægyptum, fuere 70.

DIcendum eſt in hoc numero 66. non comprehendi Iacobum,neque Ioſephum & filios eius, qui iam erant in Ægypto,ſed ſolum poſteros egreſſos de fœmore eius & ingreſſos in Ægyptum vna cum illo,ipſe autem Iacob non de ſui fœmore egreſſus dici poteſt,vnde in illis 63.non comprehenditur Iacob. Clauditur autem in numero 33. filiorum Liæ deſcendentium in Ægyptum ipſe Iacob,quia ibi non nominantur animæ egreſſæ de fœmore Iacob, ſed ingreſſæ tantum in Ægyptum ex domo Iacob,cuius ipſe erat caput.

Ex Geneſ.46.Omnes animæ domus Iacob quæ ingreſſæ ſunt in Ægyptum fuere 70.

Act.7.dicuntur 75.

De hac antilogia vide dicenda Exodi cap.5. vbi ad concordiam reducuntur textus iſti.

Ex

Ex Gen. 47. Ioſeph patri, & fratribus dedit poſſeſsionem in Ægypto in optimo terræ ſolo Rameſſes, vt præceperat Pharao.

Sed ibidem v. 7. Præcepit Pharao vt illis traderetur terra Geſſen. Hanc ipſi fratres deſiderarant, & illis petijt Ioſeph vt ex Gen. 46. & 47. patet.

Caietanus & Abulenſis Rameſſes fuiſſe partem terræ Geſſen, & cæteris vberiorem, ſentiunt.

Ex Geneſ. 47. Adorauit Iſrael Deum conuerſus ad lectuli caput.

Paul. ad Heb. 11. adorauit faſtigium virgæ eius.

D. Paul. ad Heb. 11. legit ſicut Septuaginta hic, Adorauit faſtigium virgæ eius. Vtraque autem lectio vera eſt. Poſtquam enim Ioſeph ius iurandi religione promiſsiſſet corpus Iacob transferre in Chanaam, accepit virgam de manu Ioſeph, & ſimul conuerſa facie ad lectuli caput, inclinauit ſe ſupra ſummitatem virgæ quã tenebat, & adorauit Deum, vel ipſum Ioſephum propter ſummam dignitatem eius in Ægypto, vel ciuili humili adoratione gratias reddit ſuo filio propter promiſsionem de ſui corporis tranſlatione. Vtrumque ergo fecit Iacob, & verti ſe ad caput lecti, & inclinauit ſuper virgam Ioſeph. Quod expreſſere tàm Græca, quàm verſio Latina, quarum differentia orta eſt ex eo, quod eadem vox Hebræa diuerſis ſubnotata punctis diuerſa ſignificat. Nam *Mittah* lectum ſignificat, Matteh vero ſcipionem & virgam origine ducta à *Mattah*, quod eſt extendere.

Geneſ. 48. Partem quam tulit de manu Amorrhæi in arcu & gladio.

Geneſ. 33. verſ. 19. & Ioſue vltim. verſ. 3. dicitur Iacob hanc partẽ agri emiſſe à filijs Hemor centum agnis.

MAſsius in Ioſue cap. vltim. ſic exponit. Exiſtimandum eſt (inquit) Iacobum redemiſſe primum pretio ab Hemoris popularibus exiguum fundum, in quo cum ſuis manere poſſet, vt legitur Geneſ. 33. Deinde vero paulatim ex vicino agro pepuliſſe Amorrheos, quem illi agrum non iure, ſed armis eripuerant Sichimitis, cum Iordanem tranſmiſsiſſent populabundi. Neque enim Iacob ait ſe ab Hemor eum agrum arcu & gladio quæſiuiſſe, ſed ab Amorrhæis: Hemor autem, & Sichem fuiſſe Heuæos, ſacris ipſis teſtatum eſt verbis ſupra initio capit. 34. Hæc Maſsius.

Salianus, agrum acquiſitum de manu Amorrhæi appellat, quia ab illis vt bellicoſis hominibus ereptus eſſet, niſi Iacobi armis ideſt precibus fracti fuiſſent, ſicut Amalecitæ precibus, & extenſione manuum Moſis. Quam expoſitionem iudicat germanam & litteralem.

Ex

Ex Geneſ. 49. Non auferetur ſceptrum de tribu Iuda, & dux de fœmore eius donec veniat, qui mittendus eſt.

Reg. 1. Saul in Regem electus de tribu Benjamin primum; & poſt Sedechiam Aſſamonæi, qui de tribu Leui erant.

VARIÆ LECTIONES.

Vulgata. *Non auferetur ſceptrum de Tribu Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat, qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.*

Septuag. *Non deficiet Princeps ex Iuda, & dux de fœmoribus tuis, donec veniat, quæ repoſita ſunt ei, & ipſe eſt expectatio gentium.*

Chald. *Non auferetur habens principatum à domo Iuda, neque ſcriba à filijs filiorum eius, donec veniat Meſsias, cuius eſt regnum, & ei obedient populi.*

Onkelos. *Non auferetur, qui fecit poteſtatem de domo Iuda, & ſcriba de filijs filiorum vſque in ſæculum donec veniat Meſsias.*

Ionat. *Non deficient Reges ex Iuda, & ipſi ſeruient vniuerſa regna terræ.*

§. I.

Rabbinorum expoſitiones refutantur.

SVnt in primis aliqui, qui dictionem hanc *Silo* exponentes prout quandam miſsionem ſignificat, vaticiniũ hoc de Nabuchodonoſore intelligunt, qui propter populi peccata miſſus ſit in totius regni vniuerſalem ruinam, interfecto Sedechia de tribu Iuda, & filijs eius. Sic Iul. Apoſt. vt ex Cyrillo Alex. lib. 8. conſtat. Huiuſmodi expoſitionis violentia omnibus peruia eſt. Tũ, quia ille *Miſſus* prædicitur, qui futurus erat expectatio gentium, cum muneque deſiderium. Tùm, quia nomine *Silo* Meſsiam intelligit vtraque Paraphraſis Hieroſolymitana. ¶ Non deficient (legit) Reges de domo Iuda, neque Scribæ doctores legis de filijs filiorum Iudæ, vſque ad tempus, quo veniat Rex Meſsias, cuius eſt regnum, & ei ſubijcientur tandẽ omnes Reges. ¶ Ionat. Non ceſſabunt Reges, & præſides ex domo Iuda, & Scribæ dicentes legem ex ſemine eius vſque ad tẽpus, quo veniet Rex Meſsias. *Silo* namq; ſi apud Manaſſem ben Iſrael aliqua eſt fides, à radice *Sala*, quod pax eſt Lam. 1. v. 5. oritur, & idem, quod puer, & filius. Quæ omnia optimo iure adaptari Meſſiæ, qui Princeps pacis dicitur apud Iſai, & Pſa. *Filius meus es tu, ego hodie genuite*, quis non videt? Tùm, quia vt tradit R. Salomon hoc in loco Regnũ in domo Iuda per Babylonicam captiuitatem non defecit, quia tunc nõ omnes parentes Synedrij, qui capita Iudæorum erant, à Nabuchodonoſor interfecti fuerunt, plures enim ex illis in Babyloniam deſcenderunt, vbi iuxta eorum leges, & mores ex Regis conſenſu cauſas Iudæorum decidebant, vt teſtatur Midras Sir. Haſsirim. In ibi etiam Zorobabel Princeps ſtitit, & fuit de tribu Iuda, vt Zachar. cap. 4. & Haggæi. c. 1.

Rabbi Bechai poſt R. Moſem Nachamanidem, regnum non perpetuo traſlatum iri à tribu Iuda, licet ad tempus ex alijs poſsint aſſumi Reges, teſtatur. Promiſit Deus (inquit) fore, vt quando Iſraelitæ regnum habebunt,

nō aliunde, quā ex tribu Iuda habituri sint. Nō est verò sēsus Scripturæ, nō ablatum iri regnum ex Iuda ab eo tēpore, quo in ea tribu cæptum fuerit, plenum est enim de hoc Scripturæ testimonium Deu. 28. *Abducet te Dominus, & Regē tuū, quem statuas super te ad gentē quā nō nosti.* Et nunc nō habemꝰ Regē. Quādo Israelita regnum habebunt fore illud penes tribum Iuda, quod si propter peccata Iuda, regnum eorū desinat, fore, vt restituatur. Porrò, quia nō est datum regnum, nisi tribui Iuda, ideo puniti sunt Reges, qui non erant de tribu Iuda, neque fœlix fuit eorum dominatio, sicut contigit Sauli primo Israelitarum Regi, qui occisus est ipse, & filij eius, neque stabile fuit regnum, sic accidit Asmonæis, quorum regnum perijt, & pari mensura puniti sunt, quia ambierant regnare sine iure regni, subditi sunt seruis eius. Deus enim S. B. præfecit illis seruos eorum, à quibus excisi sunt: Hæc ratio docet Asmonæos, non fuisse stirpis regiæ. Præterea est alia ratio, cur regnare, non debuerant, quia nimirum erant sacerdotes, quibus imperatum est in lege Num. 18. *Custodietis sacerdotium vestrum in his omnibus, quæ pertinent ad altare, & intra velū.* Quæ cum ita sint, non eorum erat ambire regnum, sed obire tantū ministerium Dei, ideò eiusmodi pœna affecti sunt. Sic dicunt in Talmude Hierosolymitano. Nō vngūt sacerdotes in Reges. Addit R. Nachmanides. Quā obrē, & si Israelitæ cōstituāt sibi Reges è reliquis tribubus propter tēporaneā necessitatē, non vngunt tamē eos, quia maiestate nō decorantur, sed sunt instar iudicum, & præfectorum. ¶

Deinde Hæc expositio repellitur, quoniam (Vt inquit Ioannes HoornbeeK, qui exprofesso Manassem acriter, impugnanit) temere prophetia de sceptro & legislatore perpetuo apud Iudam, restringitur ad sceptrum regium: namque penes Iudam, vel Iudæos potestas, & regimen fuit, etiam quando non essent reges Deinde textus non dicit, qualis ille rex, & ex qua tribu futurus esset, sed sceptrum semper futurum vsque ad aduentum Messiæ, nec prius auferendum. Tertio quod hic significatum est: quandocumque in Israele rex erit ex femine Israel, semper ille erit ex tribu Iuda, falsum: nam reges decem tribuum in Israele non fuerunt ex tribu Iuda. Quodque hic solum diceretur regnum non conferendum esse in aliam tribum, quam Iuda, etiam falsum est. Non enim de sceptro transferendo sermo est, sed auferendo: & quod nō intelligatur auferri sceptrū, nisi & alteri detur, tum rei natura, tum exempla affatim ostendunt satis temere dici. Deinde, quorsum dictum fuisset non transferendum in aliam tribū Iudaicum imperium donec veniret Messias? an ergo cum Messia id contingeret? non dicent. Denique, quid illud tanti fuerit, si memoremus quot reges ex tribu vnquam fuerunt? hoc ne à Patriarcha tā ample prædici debuit, reges non nullos populo Israelitico ex hac tribu obuenturos? eiusmodi & alijs quoque prædicta, & prædici pluribus potuissent. Hodie quidem non in aliam tribum collatum Iudaici populi regimen, sed ablatum omnibꝰ, extinctumq; funditus est. Signum ergo conspicuum est, quod Messias venerit, magis quam quod ad eius aduentum vsq; sceptrum in aliam non sit transferendum tribum.

Alia expositio, ex illis quæ vna, quas Manasses Ben Israel in suo cōciliatore q. 55. in Gen. & ego referā prout ab Hoornbeek impugnatas, sic exponit vaticiū Iacobi. ¶ Nō auferetur virga à Iehuda, hoc est, Mair filiꝰ Amiel, qui Dauidi, à filio suo Absalon fugienti, in itinere succurrit. Quibus verbis veteres sapientes significare volunt, fore vt nō auferatur virga, siuè baculus, aut scipio, fulcimentum Iehudæ, priusquā ad

uenerit Siloh (filius eius) per quem intelligitur Messias, filius Dauidis, qui erit afflictio gentium, hoc est illis qui ex semine Iehudæ orti sunt, nunquam defuturum incaptiuitate sua subsidiũ, nequevnquam ita eos oppressum iri, & si à rege aut natione aliqua dure habeantur, & ditione sua expellantur, quin aliagens eos cõplectatur, ac protegat. Et quemadmodum fugienti Dauidi non defuere, qui in via cum subsidijs occurrerẽt: sic Israelitæ, vt prædicit Patriarcha, semper scipionẽ ac fulcimentum habebunt, & legislatores qui cõsulãt eis, & cohortẽtur ad ferenda aduersa. At qui ex hac opinione verba sacra ita trãsferẽtur. Nõ auferetur baculus à Iehuda, aut legislator à pedibus eius, & illi afflictio gentium. Hæc autem expositio, quantum à textu recedat, constat expresse. Quoniam si Iacob, quibuscumque afflictionibus fulcimẽtum nunquã defuturum Iudæis voluisset, nõ dixisset, non auferetur, sed potiꝰ sẽper ei fore illud suppeditãdum, vel quomodocunq; aliàs copiosius ac clariꝰ expressisset. Deinde *Scebet* absolute positum nusquam fulcimẽtum cõsolationis & auxilij significat, licet ingenere pro baculo supponat & virga, vnde ex cõtextu pro quo accipi possit, debet cõstare, vt in Ps. 23. Virga tua & baculꝰ tuꝰ, supponunt pro fulcimẽto, quia vox expressa *cõsolabuntur* significationem determinat. Hic potiꝰ oppositum indicat verbum quod sequitur, *legislator* nẽpe, in Hebræo. Deinde, Patriarcha non considerabat populi Iudaici afflictiones, aduersꝰ quas promittat auxilium & fulcimentum, sed fælicitates Iudæ dũtaxat annũtiat, aliàs non Iudam solum, sed liberos alios alloqueretur de aduersitatibus, & omnibus communi solatio. Denique nulla in sermone fuisset rerum conuenientia prædicere auxilia à gẽtibus obuentura Iudæis, & horum ducem futurum illis in pœnam & afflictionem. Quo sensu potius dictum fuisset. *Et ipse afflictio gentium.*

Aliã adducit expositionẽ, qua *Sebet* accipitur pro virga iudicis, & *Mehoquek* pro scriba, hoc est, non auferetur iudex ex Iehuda, nec scriba de medio pedum eius, donec veniat filiꝰ eiꝰ, & illi afflictio gẽtium. Hoc est, quãdiu Sanhedrim, aut senatꝰ magnꝰ in Israel erit sẽper erit ex tribu Iuda, quæ vt moris est habebit scribas ad pedes suos. Quod verum esse cõperimꝰ, nã semper senatꝰ magnꝰ fuit ex prosapia Dauidis sed hæc expositio oneri succũbit, quatenꝰ tẽpꝰ quoad vsq; duraverit senatus ac Synedrium vsq; ad Messiã, & nõ amplius protractum dicat Patriarcha, primum enim per Romanos vidimꝰ attenuatum, deinde fundituꝰ Synedrij potestatẽ destructã. Messiã autẽ ante totale exterminium vẽturum dicit Patriarcha. Præterea falsum est, Synedrium fuisse ex tribu Iuda cum etiã ex tribubꝰ plures in parẽtes cõsessꝰ eligerẽtur, vt refert & erudite docet Seldenus, & nos dicemus etiam in Exod.

§ II.

Ex libro Rabot aliam tradit expositionem.

Nõ auferetur sceptrum à Iehuda in æternum, quãdo veniet ille, cui regnum & cõgregatio populorum. Vnde quando dicitur nõ auferetur sceptrum de Iuda, neq; legislator de pedibꝰ eiꝰ in æternum, interpugẽdum est, tum additur fore illud cum veniet Messias, tunc congregandas omnes gentes, & ei se subiecturũ, vt dicit Isaias, illum gentes requirent. Verum hæc expositio, quam plures probant Iudæi, æqualiter recedit à vero. Credibile namque non est, vniuersum illud tempus, quod à suo ad Messiam est, transilere voluisse, & ab isto demum tempore, quo Messias veniret, sceptrum in Iuda suo considerasse, cum antea illud etiam penes Iudam fuerit. Deinde quoniam si propheticæ fuisset hic sensus, vbi venit Messias, tum à Iuda

non

non auferetur ſceptrum in æternum, improprius eſſet, neque vere dici in æternũ regnum futurũ, iuxta Manaſſes enim ſententiam tempus Meſsiæ in vltimo mundi fine, cũ erit reſurrectio mortuorũ, ſecũdũ, alios tẽpus Meſsiæ erit 40. annorũ 70. ſecundũ alios, vel 200. ſed quid hoc, vt tempus dicatur æternum? & tanto cum apparatu millenos ante annos prænuncietur à Patriarcha, quod pauxillum temporis dumtaxat eſt duraturum? In æternum ſceptrum non amouendum dicetur, quod per 40. annos ſolum eſt duraturum? & in ſententia Manaſſes vrebius longe, cum tradat, forte eodem anno, ac die Meſsiam venturum, & fore reſurrectionem mortuorum, Meſsiæque vnum tantum, eumque ſupremũ expectandum aduentum. Quæ ergo æternitas ſceptri penes Iehudam cum Meſsia remanſuri?

Quartam expoſitionem ſic tradit Manaſſes: per *virgam* nempe hic virgam imperij deſignari putat Aben Ezra, & per *Silò* Dauidem. Itaque exponit non auferetur virga à Iehuda, nec ſcriba e medio pedum eius, donec veniat filius eius, & illi congregatio populorum: nimirum Dauidi. Quod eo confirmatur, quia vexillum Iehudæ ſemper primo mouebatur. Vnde cum defuncto Iehoſuah quærerent Iſraelitæ, quis primus adſcenſurus eſſet, reſponſum eſt, Iehuda. Dauidem autem, ait, cõgregaſſe populos, propter quod multi ſub illius imperium venerunt. Verba vero illa, *Donec veniat Dauid* non excludunt tẽpora poſtea ſecutura, nam Dauid & ſucceſſores eius fuerunt ex tribu Iehuda, ſed eſt genus loquendi, cui ſimile hoc: Non deſerã te, donec fecero, quod locutus ſum tibi. Vbi manifeſte videm⁹ Deũ nõ id velle ſe impletis promiſsis Iacobũ eſſe derelicturũ. Vſitata hæc phraſis eſt, perinde ac ſi quis dicat, nõ deerit huic vel illi panis, quãdiu agrum & vineas habebunt. Idem ſenſit R. Leui ben Gerſon.

Contra iſtam ſtatim occurrit, quod per Silo non poteſt Dauid intelligi. Imprimis enim dubium eſt, num ante Dauidem fuerit ſceptrũ, quo hic innuitur à Patriarcha, ſaltem cũ Dauide, & ſciſſis tribubus, quando populus de nomine huius tribus Iudaicus appellari, & regimen Iehudæ peculiariter conſeri cœpit, ſceptrum & poteſtas imperij, penes tribum hanc magis conſpicua, atque illuſtris fuit: vt eius ſpecimina iam ante in tribus huius prærogatiua in mouendis caſtris, vexillo que ante alios data æſtimare liceat. Quare non commode dici potuit, auferẽdũ cum Dauide ſceptrũ, quod vix, ſaltem minus, & tenuius ante eũ, penes Iehudã fuit. Deinde quia tũ non ablatum, ſed potius collatum Iuda. Neque ex illo Gen. 28. Quia non deſeram te, donec fecero, quod locutus sũ tibi, licet firmam fateri relatam expoſitionẽ. Nam ibi *Donec* non tempus deſignat, vt ſenſus ſit vſque ad hoc, vel illud temp⁹ te non deſeram, ſed diuinã actionẽ, ſignificatq; nõ te deſeram, quin faciã, quod locutus sũ tibi: atque tantundem eſt, ac ſi Deus dixiſſet, eo nũquam te deſeram, promiſerat enim ſe ipſi, eiuſq; ſemini benedicturũ. Hæc vero ad locũ noſtrũ controuersũ de aduentu Silò non faciũt, hic enim temp⁹ venturũ exſerte exprimitur. Non enim poteſt hic ſuſtineri ſenſus. Nõ auferetur ſceptrũ, quin veniet Silò, neque id verũ eſſe diceret aliquis, ſceptrum nunquam à Iuda auferendũ eſſe, quia nimirũ Silo ventur⁹ ſit. Deinde phraſis, *Donec veniat Silo* longe alia eſt, quam ſi quis dicat alicui, panem, vinumque non defuturum, quandiu habiturus ſit agrũ & vineas. *Quandiu* enim ſicut & verba quæ longum tempus ſignificant, non eodem modo accipiuntur, ac *Donec* & *Olim* quę actionẽ momẽtaneã innuũt, vnde *Donec* venerit Silo, tẽp⁹ denotat poſt aduentũ, non ita ſi quandiu venerit Meſsias dixiſſet. Deniq; nomine Silo intelligi nequit Dauid, cũ ſint cõtra

omnes versiones superius adductas.

Alia expositio est R. Bahie ad hunc locum & in opere suo Sulham Arba, per *Silòh* intelligit Mosem (ommitto Kabalistica, quibus hæc probat) itaque ait Iacobũ vaticinatum de prima liberatione filiorum suorũ ex Ægypto, vt sacra verba exponenda sint, nõ auferetur virga, siuè imperium à Iehuda, donec venerit Silo, siuè Moses, tũc enim ereptum Iehudæ imperium tradetur Mosi ex tribu Leui. De quo etiã dicitur *Fuit enim in Iesurune rex*. Ad Mosen ergo inquit, congregabuntur populi, videlicet Israelitæ. qui eodem nomine nuncupantur in Deut. *Etiam amans populos*. Certe valde verisimile est Patriarcham de proxima redẽptione filiorum suorum locutum. Verũ reijcitur similiter ab Hoornbeek. Tũ, quia *populi* hic latiori sensu hoc loci accipitur, quam pro Israelitico populo, vt gentes nempe terræ vniuersæ denotet, quomodo Iudæorum præcipui capiũt. Tũ quia ante Mosẽ apud populũ quis recognouit imperiũ? non in Ægypto, vbi serui, non ante ingressum, septuaginta enim personæ quæ proprietate possent populus appellari, neque penes Iudam dominatus fuit aliquando ante exitum Israel de populo barbaro. Neque Patriarcha de redemptione populi de Ægypto, sed de imperio vaticinatur, & eius ablatione à Iudæis.

Aliam refert expositionem Manasses Ben Israel. Rabbi Ioen ben Sueb (inquit) per virgam intelligit virgam castigationis: vnde Scripturã ita exponit. Non tolletur castigatio à Iehuda, ideſt ab Israelitis, qui vocantur Iehudim, & legislator è medio pedum eius, hoc est semper erunt quasi in portis eorum inimici, qui leges ijs præscribant, donec veniat Silò, hoc est, Messias, & illi obedient populi, quia totius mundi imperium obtinebit. Hanc interpretationem probat etiam Isaac in glossis suis supra Samuelem, nisi quod verba illa, *& legislator e medio pedum eius* exponit, quamvis castigatio à Iehuda non auferatur, fore tamen vt legis non obliuiscantur, sed in medio pedum eius sint legislatores, quomodo ait Psalmographus, tractans de persequtionibus Israelis. *Totum hoc euenit nobis, nec tamen obliuiscimur tui.* Neque mouere debet, quod non nulli dicunt, Iacobum in benedictione nil infausti dicturum fuisse, etenim tamquam Propheta, & bona & mala prædixit. Sic sane de Simeone & Leui dixisse eum videmus. Maledicta ira eorum, quia vehemens. Adde quod simul bona hic prædicit, eosque cohortatur, & confirmat ad ferendas fortiter ærumnas, quia non futuræ sint perpetuæ, sed tantum duraturæ vsque ad Messiæ aduẽtum, quo tempore omnes mundi nationes, etiam illæ à quibus ante vexati fuissent, eorum sub imperium venturi essent.

Verum, imprimis *Sebet* secundũ R. Dauid Kimhi nil aliud quam virgam significat, aut baculũ notat. Aliud autem est, quod afflictionẽ significet virga, aliud quod adhibeatur ad afflictiones, vbi enim reperitur sola, nõ notat castigationẽ, sed additis alijs, sicut Ps. 11. *Conteres eos virga ferra* ratione vocis, *conteres* pro afflictione supponit, sed non significatur per *virgam*, sicut si diceretur. Cõteres eos ferro vel palma, non ideo ferrũ, aut palma ex se castigationẽ notarent. Non ergo virga, sed materia, cui adhæret, facit supponere pro afflictione, *Schebet* etiã pro pedo pastorali sumitur, (in genere enim virgã significat, quã Rex tenet, siuè quã pastor, vel quẽ scriptor stilum, aut virgã, qua numerãtur, & cẽsentur ordines, aut familiæ) quo oues percutiũtur atq; etiã ducũtur. Hinc ne ergo dixeris *Schebet pedũ* significare percussionem ac gubernationem, quamvis omnia ista eo fiant? Aliud est vocis sensus, aliud materiæ ad quam adhibetur vox. Quod si Patriarcha

hoc

hoc loco intenderet afflictionem, nũquam auferetur sceptrum afflictionis, & percussionis à Iehuda, dixisset, non sceptrum absolute. Deinde: quia non promissio fælicitatis foret vaticinium Iacobi, sed prædictio malorum Iuda, quæ non debẽt fateri, sicut Simeoni & Leui fuit facta, quorum respectu fuit iusta, & digna reprehensio, respectu Iudæ fuisset in totam posteritatem diuturnarum calamitatum prædictio, quæ cum omnibus essent communes, & grauiores alijs venturæ, non est cur Iudæ potius addixisset, quam cæteris. Denique iuxta hoc mala dixisset perpetua, illud *non auferetur*, cum ærumnas vsque ad Messiæ aduentum duraturas prædiceret, ab origine nempe pene nascentis populi finem vsque mundi & in Rabbinorum sententia, ipsum diem, annumque vniuersalis resurrectionis, vel ad annos 40. ante hoc tempus. Brebe ne hoc tempus æstimari potest, & leuis, nec diu duratura, vel non perpetua afflictio? valeat potius, & veniat nunquam eiusmodi Messias, cuius aduentum tantis malis populus redimat. Quis credat, si Patriarcha sæcula ista malorum animo suo vsurpasset, quod hæc filijs, & Iudæ prædixisset, absque vlla animi sui consternatione, vel suspiratione, qualis, v. 18. vel verborum emphasi, tanta & nunquam auferenda mala, nisi cum aliquo denique circa mundi finem accessuro Rege? Adde quod ibi legislator in bonam sumitur partem, non pro tyrano, peregrinarum legum auctore, & quia additur, *e medio pedum eius*, Iudaicus intelligitur legislator, & proprius, dictum alioqui esset, qui supra eos legislator esset, vel eos premeret, atque insectaretur.

Aliam expositionem suam tradidit Manasses Ben Israel, promissionẽ illã de sceptro in tribu Iuda conseruando donec veniat Messias, cõditionalẽ esse, si meritis suis dignitatem cõseruasset, propter peccata autem sua & regnum translatum est ad extraneos; & Messiæ aduentus longissimas remoras passus est. Inde lib. 3. de Resurrect. c. 3. ¶ Et profecto verissimum est, inquit Manasses, si Israelitæ serio factorum suorum pœnitentiam egissent, Messiæ aduentus non fuisset procrastinatus: at nunc, quia in profundũ immersi iacent, hærent que defixi in vitijs, & peccatis suis, hinc est quod differatur beatitudo illa vsque ad finem dierum, nam tũ iuxta Osseam c. 3. *Postea reuertentur filij Israel*, & quærent Dominum Deũ suum, & Dauid regem suum, & pauebũt ad Dominũ & ad bonũ eius in nouissimo dierũ. Hac similiter euasione telum fugisse gloriatur Abarbanel, quod in Iudæos immitti cõmuniter solet ex Hillelis dicto, quod legitur in Sanhed. c. Kelek p. 98. *Non est Israelitis Messias, quia iã eo compotiti sunt tempore Ezechiæ*. Ex quib⁹ clare constat, Rabbinum hunc eximiæ apud eos auctoritatis omnino de aduentu Messiæ desperasse.

Contra istã expositionem statim ea, quæ ipsi Iudæi cõfessi sunt, & Ier. 31. cõtinentur, & de tẽpore vrgẽt Messiæ aduentus, se offerunt, ex quib⁹ constat resipiscentiã nõ solũ aduentui Mæssiæ dedisse celeritatẽ, sed potius à deprauatis Iudæorũ moribus illã oriri. Loco enim relato (vt inquit Borstius) se nouũ fædus cũ populo Iudaico erecturũ De⁹ promittit, eo quod in fædere eius nõ perstitissent, sed istud fecissẽt irritũ. Quorsũ diceret Deus: se quasi motum violatione fæderis, vt istud vel mutaret, vel renouaret, si præuia resipiscentia istud fuisset obseruatum? aut obseruandũ ante Messiæ aduentũ Deus præciuisset? ratio hæc impertinẽs fuisset, & solida illa sola, si reuelles Iudæi permãsisse statu ãtur. Vt vero dicatur, nouã legis suggestionẽ nõ arcere præcedaneã resipiscẽtiã, istud minime cadit insapiẽtẽ legislatorẽ. Cui enim vsui inseruiret ista fæderis renouatio, aut suggestio? Nã iã ante nte atq; debite per-

seriã atq; diuturnã, & non interruptã pœnitentiam, satisfactum erat fœderis istius conditionibus. Sed aliter rem se habere indicat locus Ezechielis 11. 18. 19. 20. (hunc etiam Messiæ accommodant Rabbini sæculo) vbi Deus pollicetur, se remoturum ab Israelitis omnia detestabilia, atque abominationes, cor lapideum ab ipsis ablaturum, atque vt in vijs eius ambulent, facturum, quæ, mores Iudæorum depravatos fore, eosque per Deum, vel Messiam correctum iri, vt beneficiorum scilicet sensu ducti ad saniorem reuertantur mentem, manifeste conuincũt. Cum ergo hæc conditio resipiscentiæ ab ipso Deo, eius ve legato expedienda dicitur, non poterit Iudæorum conuersio eam anteuertens hic locum habere. Hoc similiter innuere videtur Malachias cap. 4. cum inquit, Eliam conuersurum cor patrum ad filios, & filiorum ad patres, vt nimirum induant indolem, mores que Patriarcharum sanctorum, illis que similes innocentia reddantur. Prophetam ibi ad resipiscentiam, & morum immutationem respicere, verba subiuncta dilucide arguunt, cum ait *Ne forte veniam & percutiam terram* Quibus eos dignos extremo excidio indicatur. Non ergo resipiscentiæ conditionem aduẽtus Messiæ respicit.

Quam vanum autem ad pœnitentiæ conditionem fuerit effugium, ostẽdit manifeste Guillelmus Vorstius, cũ Abarbanel, alij que ad huius conditionis arcem fugientes fateantur, etiã non posita resipiscentia venturum tẽpore determinato Messiam, quo necessitas conditionis penitus euertitur. Aut enim volunt, conditione hac non præstita, Messiam non erecturum regnum Israel, aut ea deficiente, nihilominus Iudæos tempore constituto apud Deum in libertatem asserturum esse. Istud ipsimet negant, hoc itaque eorum exprimit spem, sed tum conditionem hanc tollunt, nisi velint dicere nõ esse necessarium connexionem eius cũ aduentu Messiæ, sed esse minus principalem, qua etiam absente, quis ad finẽ pertingere potest. At quænam istæ sunt conditiones primariæ? à quibus, & quando implendæ? Deinde: quoniã Abarbanel aduentus Messiæ tempus fixum, & determinatum agnoscit, inquit enim comment. in Daniel p. 136. ¶ Liberatio nostra proculdubio futura est, cum fiet coniunctio efficax in piscib⁹ anno 5224. a creatione: faciet ista veram demonstrationem de liberatione nostra, de redemptione animarum nostrarum, & regno atque dominio nostro in terra hæreditatis nostræ. ¶ Ad hanc seriem reducenda sunt computa aliorum, vt de 85. iubileis iuxta Eliæ promissum, in cap. enim Chelek Sanh. ¶ Mundus non est minor, quam 85. iubileis, atque in vltimo iubileo (veniet) filius Dauidis. ¶ Sic habetur. Quamvis cum animaduerterent aliqui huiusmodi suppurationibus euentum non respondere, in genue fassi sunt, certi quid inde non posse colligi, alij vero in desperationem arrepti sunt. Quid quid ergo sit de hoc, dubio absq; vllo est Abarbanelẽ terminum, tempus que aduentus Messiæ præfixisse determinatum. Si propter vitæ pœnitentiam foret anticipandum, non fixum esset, sed citius aut serius iuxta mores honestos, vel depravatos. Et quidem si Deus peccata respiceret in aduentus remoratione, nunquam venisset, quando enim non peccatis fuerunt dediti, quando non erũt Iudæi? Quo grauiora ergo populi delicta, eo magis accelerare eum oportuit, vti probi medici est festinare, quo grauius ægri laborant, non potius differre. Sed de ijs inferius plura.

(.·.)

§ III.

Aliæ euasiones Rabbinorum expenduntur & præcluduntur. Ostenditur nullum apud eos aut fuisse, aut esse à temporibus Christi Domini principatum.

ALiam ex R. Hizquiah Hizquuni auctore refert Manasses expositionem. Per Silò Achiam Silonitam intelligit. Nõ auferetur sceptrum à Iuda, & scriba è medio pedum eius, vt moris est, donec veniat Silò, idest, donec Abia Silonites vestem Ieroboami in 12. partes rumpat. Tunc enim aliæ tribus habebunt partem imperij solũ ante a Iehuda possessi. Quod accidisse certum est, cum Ieroboamus imperium accepit. Vnde ad illum se cõgregaturũ gentes, videlicet 11. tribus S. Scriptura ait. Verum quis tantus ille Abia, vt præ multis alijs, maioribus que Prophetis, eius aduentus prædicetur? Potius autem Ieroboamum, quam obscure Silò appellauisset Iacobus, si intelligere illum amaret, illi enim, non Abiæ Silonitæ, tribus adhæserunt decem. Denique tum temporis non fuit a Iuda sceptrum sublatum, cum ab illo Iudæ nomine totus populus cæperit appellari, & Iuda sceptrũ gerere. Ea similiter, quibus expositionem de Nabuchodonosore hoc vaticinium intelligentem repelli, huiusmodi aperte conuincunt falsi.

Aliam adducit vaticinij detortam intelligentiam Abarbanel. ¶ Virga (inquit Abarbanel) imperium aut iurisdictionem, quamvis exiguam notat, itaque vere Patriarcha prædixit eam à Iehuda nequaquam ablatum iri ante aduentum Messiæ. Nam semper Iehuda caput fratrum suorum fuit; ille, cum Iosephus venderetur, dixit, quid vtilitatis, si occidamus fratrem nostrum? ei que cæteri paruerunt. Ille petijt à Iacobo, vt mitteret secum Beniaminum, qui, quod postulanti Rubeno negauerat, illius precibus tribuit. Ille fuit qui appropinquauit Iosepho ad orandum: postea que semper tribus Iuda primum habuit locum; & vexillum eius primum omnium moueba tur. In dedicatione aræ Nahson primam oblationem fecit pro tribu Iuda. Mortuo Iehosua primus Iuda ascendit in bellum. In diuisione terrarũ prima portio Iudæ assignata est, Saul populum recensens, separatim numerauit tribum Iuda, & regnante illo, semper nihilominus Iuda cœteris tribubus præminuit, multo que maius dominium habuit tempore Dauidis, quin & in diuisione regni tribus Iuda cum Dauide mansit, & incaptiuitate Babylonica semper capita, & principes suos habuit ex semine Dauidis. Postea quoque temporibus Hasmonæorum Princeps Iehudæ erat caput Senarus Israelitici, nuncupati Sanhedrin, vt affirmat Iosephus. Eodem modo in captiuitate Hispaniæ, Galliæ que, capita Israelis sẽper fuerunt ex stirpe, & domo Dauidis, nimirum Abrabaneles: etenim vt scribit R. Ishac ben Guiat, post destructionem templi secundi, duæ ex ea stirpe familiæ in has regiones migrauerunt, quarum vna Bene Dauid filij Dauid, altera Abrabanelũ erat. Igitur hinc satis constat vera Iacobum Patriarcham prædixisse.

Addere posses, quod R. Ishac Arama tradit, R. Beniaminũ Tudelẽsẽ in suo libro Mashor. scribere, Bagdade se oculis suis vidisse magnum numerũ Israelitarum, qui certo tempore Principem, quem crederent ex stirpe Dauidis esse, curru vectum prosequerẽtur, inter eundem acclamantes, *facite locum filio Dauidis*. ¶ Etiam, teste Ishaco Abrabanele, inquit Manasses Aben Ezra affirmare, suo tempore Bagdade fuisse familiam ex stirpe Dauidis, magnosq; honores (vt in Sebet Iehuda dicitur) in Perside quoque tribui principibus feminis Dauidis;

quod

quod etiam Gucdaliah Iahia in libro suo Silseleta Cabala asserit. Atque adeo fieri potest, vt idem, hodie que ob seruetur in regionibus quibusdam nobis incognitis. Ergo iuxta hanc expositionem, verba *vsque dum*, non præfiniunt tempus aliquod, quasi illud dominium duraturum sit ad Messiæ aduentum, nec vlterius, sed denotant dignitatem, ita vt Patriarcha ad ostendam dignitatem Iehudæ, dicat duraturam eam vsque ad Messiæ aduentũ. Sane nunc quoque videmus multis in locis quandam iurisdictionem habere tribu Iehuda ortos, & capita reliquorum esse. Quod exiguum imperium vsque ad tempora Messiæ duraturum, tunc augebitur, nam illi parebunt nationes. ¶

Hæc explicatio quæ proximius menti verborum accedit, veritatem nostram, & vaticinium æque pro nobis stare non tollit contra Manassem. Iurisdictio namque, inquit Hornbeek, & si exigua, si tamen vera, & quæ sceptrum aut dominium contineat, populum que Iudaicum, suis, quantum potest, legibus regat, sicut comprehenditur vaticinio Iacobi, apud populum Iudaicum nõ residet neque fuit à tempore vltimæ desolationis. Incaptiuitate Hispaniæ, Galliæque, capita Israelis semper fuerunt ex stirpe Dauidis, nimirum Abrabanelis, inquit. Sed non quæro capita familiarum, sed dominium & populi principatum. Quod si ex statu Iudæorum in Hispania, Galliaque iuditium sumamus, de illorum residua iurisdictione & imperio, confecta res est. Iudæi, ne imperari dici possunt in Hispania, qua ignobiles vilissimi habiti sunt, ab honoribus omnibus extorres omnino, ita vt qui, gutam sanguinis Hebraici habere, ab eis que per remotam originem oriri probati sint, neque collegiorum, quæ in illa *Maiora* dicuntur, neque ordinum militarium honorem prætendere vnquam ausint. Neque in Gallia neque alibi terrarum longius à nobis remotarum minima species imperij Iudaici conspicitur, nec esse credibile est, cum hic, vbi potissimæ & regiæ (vt ipsi dicunt) familiæ sunt, nullum splendorem, neque potestatem habeãt. Nil hic regiminis nisi priuatum, publicum nullum, non in gentem suam, nõ nomine Iudaico, nec sceptri vllam formam habere permittuntur ad Rem publicã suo nomine, suis legibus moderandam. Familia Abrabanelis credatur esse ex stirpe regia Dauidis, non id circo hodie regiam obtinet potestatem. Sint superstites aliqui ex familia Alexandri, aut Cæsaris, quid tum? hoc nõ probat penes ipsos antiquum adhuc sceptrum esse, & imperium. Sed quis certo dicat, familijs Iudæorum, & genealogijs nunc omnibus confusis, cõstare tamen stirpem Dauidicam, & illam esse Abrabanelum? quis non facilius credat Iudæos libenter huiusmodi credere, ideo que & narrare? & de familia Abrabanelium, quis adeo miretur Manassem magnifice sentire? qui in suam quoque familiam istud nomen deriuatum significat in fine libelli de termino vitæ ad Beuerouicium, vbi ait vxorem suam Rachelem esse ex familia Abrabanelis, quam à Dauide oriundam esse autumant Hebræi. Bene autumant, nam confirmare hoc ipsis impossibile est, turbatis confusisque olim ipsorũ fastis & genealogijs atque in libro *Spes Israelis*, pa. 92. ¶ Ex illa autem Abarbanelis familia, quod obiter hic monere volui (inquit Manasses) procedunt filij mei à parte meæ vxoris. ¶ Quomodo autem cum ijs, quæ hic Abarbanel, de suorũ maiestate habet, conuenit, quod de populi Iudaici calamitatibus, & oppressionibus exponit ipse Isai 53? vbi longe contrarium eius, quod sceptri vel imperij videri possit, decernit.

Ad Beniaminis Tudelensis Itenerarium prouocat cum R. Ishac Aramanoster

noſter Manaſſes, ſed qui Auctor fabularum & nugarum conuictus à viris doctis, præcipuè à Conſtantino Lempereur fidem iam pridem apud omnes viros doctos & cordatos decoxit. Deinde: quis locus iſte *Bagdad*, vbi principem ſuum auguſto throno palam oſtendunt Iudæi? in Babylone, dices, nam in Babylone iſte Bagdadenſis Iudæorum princeps, apud R. Beniaminum hortos & pomæria habere dicitur. Sed Prophetæ Babylonis vltimam cladem prædixerunt, & perpetuas deſolationes, ita vt nunquam habitaretur, Iſaiæ 13. & 14. & 21. Ierem. 50. Docet nos Samuel Bochartus Geograph. lib. 5. capit. 8. Bagdad cum Babylone perperã confundi, idque ex ſitu oſtendit, apud quem videſis erroris iſtius occaſionem & indicia. Vbicunque terrarum ſita ſit, per continua noſtrorum, aliorumque hominum cum vniuerſo orbe commercia & peregrinationes, nõ certius conſtaret ille Iudæorum ibi tantus que principatus, quam ex relatione vnius, alicuius ve Iudæi? quis vel Orientem peragratus, vel Geographus, aut Hiſtoricus fidei, nominiſque alicuius, præter hunc Iudæum talia vidit, audiuit, vel retulit vnquam? quotidie vel ſæpius ſaltem, quam vt dubitari de re eiuſmodi vltra deberet, hinc inde relationes haberi poſſunt, vnde oporteret certiores nos reddi in tanti momenti negotio. Quin multi per omnes iſtas regiones, ſæpius itant, & nihil tale de Iudæorum ſtatu & imperio, quod Bagdade, vel in Babylone exerceant, referunt. Totum ergo illud phanſtaſticum, & fabuloſum, ad perfidiam firmandam, ſuoſque vana aura deludendos confictum merito habetur. Inter epiſt. Indicas anni ſexquimilleſimi & quinquageſimi, extat epiſtola Ormuntina Gaſpari Selandi, qui quidem refert plures ſe Iudæos, iuxta cum quarumcunque gentiũ hominibus, Bagdade reperiſſe, ſed ex priore in Babylone captiuitate reliquos & miſeros ſola pertinaci expectatione Meſsiæ ſui, neutiquam in aliqua dignitate, vel ſplendore ibi viuere. Neque ego credo, ſi tanta ibi populus Iudaicus potiretur maieſtate & imperio, haud plures ibi Iudæos victuros eſſe, quam, vt refert iſte Beniamin, ferme mille, cum apud alias nationes multo numeroſiores ſint, vbi nil iuriſdictionis poteſtatis que publicæ habẽt. Vel ſane: hoc ſi verum eſſet, quod aiunt, principem Iudaici populi ex familia Dauid, & ſceptrum Iehudæ, Bagdade hodie que ſupereſſe, quomodo Iudæi reliqui, nullo erga ſuum illum principem capiũtur deſiderio? videlicet eodem, quo erga ſuum, quem fingunt, Meſsiam, nempe Bagdadenſi iſti parem omninò, atque ſimilem, ideſt vtrumque fabuloſum. Neque poteſt ibi locorum ſceptrum Iudaici populi eſſe, quod alligatum ſemper fuit terræ promiſsionis, adeo vt quamvis alibi frequentes, potentes que Iudæi ſint, quia Rem publicam tamen non habẽt propriam, neque habere ſuam in alienis regionibus poſſunt, ſceptrum vel imperium Iudaicum, & legiſlatorem in medio pedum ſuorum vltro habere dicendi non ſunt.

Quid autem agit Bagdade ille? quamque iuriſdictionem exercet? quà mundo probet, penes ſe imperium antiquum reipublicæ Iudaicæ reliquum eſſe? Beniamin ait, ius ſuis certo tempore dicere. Hoc totũ. Nam pompam eius, & faſtum mirari, puerorum eſt. Verum id quando permittitur alicubi Iudæis ius ſuis exponere, non ideo ſceptrum dicit: Et in aliquibus regionibus tanta fruuntur licentia, vt inter ſuos leges ſuas explicent, obſeruent, atque ſuis ſecundum eas (quouſque non incurrũt in iura, Rempublicã que terræ, qua degunt) ius dicant, non tamen hinc populi iſtius ſceptrũ quis colliget. Chriſtiani ſub Turca, æq; ac Iudæi tolerantur, paribus que, ſi non aliquãdo maioribus, ſæpè priuilegijs gau-

gaudent, & quantum Iudæis, tantum noſtris quoque licet iura ſua legeſq; Chriſtianas interpretari, & ſequi: non tamen ideo putabimus Chriſtianos iſtis in regionibus, quamquam numero Iudæos, adde, & ipſos alicubi Mahomedanos vincant, ſceptro potiri. Videamus ergo quam dignitatem Manaſſes in iſto de prædicat, vt Iudaici populi ſceptrum efficiat. Principem dicit, *quem crederent ex ſtirpe Dauidis eſſe.* Sola ergo eorum credulitate, non certis documentis nititur totus hic principatus. Illi curru vecto, inter eundum acclamatur: *facite locum filio Dauidis.* Hactenus filium Dauidis quidem audio, & ex iſta proſapia inter ſuos principem: At nondum populi Iudaici ſceptrum. Aliud longe eſt Dauidis genere ortum eſſe, quales procul dubio aliqui ſunt, quamvis ignoti, neque diſtincti ab alijs. Aliud talem eſſe principem, qui populi, reipublicæ que Iudaicæ nomine imperium in gentem ſuam obtineat, atque exerceat: hoc non, quæritur illud. Adeo nil ad rem facit ſiuè Aben Ezra affirmet, ſuo tempore Bagdade familiam fuiſſe ex ſtirpe Dauid, ſiuè (vt in Sebet Iehuda dicitur) magni honores in Perſide tribuantur principibus ſeminis Dauidis: nec neceſſe eſt in Perſidem abire, cum ratione ſtirpis qui de Dauid procederet etiam inter Chriſtianos alicubi exceptaHiſpania) tam peſtilens habetur, & Hebræorum vilipenditur alias altum genus) honores promerebitur, non tamen ideo ſceptrum, nongentis, vel populi ſui.

Denique concludit Manaſſes. *Atque adeo fieri poteſt, vt idem hodie que obſeruetur in regionibus quibuſdam nobis incognitis.* Atque adeo fieri poteſt vt hoc falſum ſit: certe eatenus falſum eſt, quatenus ſceptrnm hinc colligere conatur. Nemo non ſuas nugas, & commenta in regiones incognitas ablegare poteſt, hoc ſi ſufficiat; ſed nõ aliter docet, quam factis incertis incertas quoque aſsignare ſedes, & loca. Videmus, ait Menaſſes, multis in locis quandam iuriſdictionem habere tribu Iehuda ortos, & capita reliquorum eſſe: Verum hic non quævis ſed iuriſdictio imperialis quæritur. Ex horum enim expoſitione ſceptrum iuriſdictionem & imperium ſignificat, ad imperium autem ſtabiliendum non quæuis ſatis eſt iuriſdictio, cum inter priuatos hæc etiam infamilijs habeatur, ſed publica atque politica, & imperij, & quæ gentis eſt vniuerſæ, quæritur. Sceptrum namque, de quo vaticiniũ, vt inquit Petrus Cunæus, nil eſt aliud quam reſpublica Iudæa, hoc eſt regnum illud ſacerdotale cuius anima, & ſpiritus fuerunt illæ religioſæ ceremoniæ, quarum cuſtos non omnis vrbs, ſed prius Silò, mox Ieruſalem fuit, in qua ſanctuarium ſuam habebat ſedẽ. Quod ſi aram templum ve Iudæi alijs extruxere in terris, reipublicæ iura, atque inuiolabiles leges temerauere. Extat enim in hiſtoriarum monumentis epiſtola Oniæ ad Ptolomæum, & Cleopatram, in qua ille populares accuſat ſuos, quod ſanctuaria in Phænicum vrbibus, atque alibi condidiſſent contra ius, non enim hoc ſaluis cæremonijs fieri potuit. Tradidit hoc ipſe Maimonides lib. 8. in Halacha Biath hamikdaſch cap. vlt. ¶ Siquis (inquit) tranſgreſſus legem, ſit ædem que extruxerit aliam, præter ſanctuarium Hieroſolymitanum, non eſt ea quidem idolorũ ædes habenda, ſed tamen ſacerdos, qui illic ſacris operat⁹ fuerit, numquam ſacra facere in Dei ſanctuario, quod Hieroſolymæ eſt, poterit. Etiam vaſa, queis vſus ille eſt, nemo quiſquam ad veri ſanctuarij adhibebit miniſteria, ſed abſcondenda erũt. ¶ Vlteriusid manifeſtũ reddit, quod ipſe Moſes de iuditijs criminalib⁹ tradit, hæc nempe nũquam à Babylonienſibus nuſquam terrarum potuiſſe exerceri, quæ maximã legis occupant partem. Vide Galat. lib. 4. c. 5. In Schebet

Ie-

Iehuda narratur, quomodo aliquando Iudæi ducem ſibi atque imperatorem cõſtituere, illum mittere coacti fuere, vnde ſubdit illius auctor. *Sed nullos in poſterum ſibi ſumant imperij faſces, niſi Deus ipſe Hebræorum gentem ex alto miſeratus ipſis ducem aliquem præfecerit* Hiſt. Iudaic. pag. 308.

Dices in captiuitate Babylonica nihilo plus habuerunt Iudæi, ac hodie, & tamen ibi ſceptrum Iudaicum agnoſcendum eſt, vel ſi non, illo iam tempore Meſsias venire debuiſſet. Dicendum: interruptum quidem captiuitate Babylonica ſceptrum fuiſſe, non vti hodie penitus ablatum, non ergo iam tum venire Meſsias debuit. Tum, quoniam ſemper iſto, atque longo tẽpore poſt manſit diſtincta, & certa Iudæ tribus, & quam primum aliqua cõmixtione profanari cœpiſſet, mox in integrum reſtituta fuit. Daniel 1. edixerat Rex ſibi deligi pueros ex ſemine regio Iudæorum. Nehem 7. fit reducũ ex Babylone Iudæorum recenſio ſecundum genus & familiam, quorum indiculus inſeritur, & verſ. 64. de non nullis additum. *Iſti quæſierunt quiſque ſcripturam ſuam, qui genus ſuum prædicaret, at non reperiebatur: qua propter vt polluti abſtenti ſunt à ſacerdotio. Edixit enim regis legatus eis, vt non comederent de re ſanctarum, donec ſacerdos cum Vrim & Tũmi exiſteret.* Adeo fere omnes genealogiam ſuam ſartam ſeruarant, atque docebant, & qui ſocordes hac in re documenta ſua amiſerant, à reliquis ſecluſi, & impuri habiti ſunt. Hodie vero Iudæorum nemo, nedum omnes, vel præcipui ſtirpem & tribum ſuam certo norunt. Quique ſe regio ſemine ortos autumant, vt vidimus ex Manaſſe ſola hominum opinione, & credulitate nituntur. Iudæi olim in captiuitate Babylonica, veros & poteſtate in omnes Iudæos præditos habuerunt principes ſuos, quique ſuarum tribuũ certa capita erant. Eſd. 1. v. 5. & 8. 16. & cap. 9. 1. principes dicuntur. Tum, quoniam in captiuitate Babylonica apud ſe prophetis potiti ſũt Ezechiele, Daniele, Eſdra, & Nehemia, Malachia, qui populum conſolarentur, & erudirent, atque pro populo ſuas iugiter preces Deo funderent. Hodie autem à multis ſæculis Prophetam, nullum ſacerdotẽ habent. Tũ, quia ijs Deus fecerat promiſsionem certi celeriſque, poſt ſeptuaginta annorum interuallum, reditus: quare non ablatum funditus ſceptrum, ſed pro tempore intermiſſum erat. Hodie promiſsionẽ nullam liberationis ad priſtinum ſtatum habent, potius autem prædictionem extremæ deſolationis Dan. 9.

§ III.

Proponitur, & refellitur Burgenſis expoſitio, & Galatini.

SCeptrum intelligunt Burgenſis, & Galatinus ex Raimun. Mart. Synedrium magnum 72. virorum, penes quos ſumma reſidebat poteſtas, in ea quæ ſpectabant ad legem, & iuditia in ſacra ſimul, atque profana, in eiuſmodi ſceptrum ſolis eximiæ nobilitatis viris patebat aditus, ac proinde omnes de tribu Iuda genus ducebant. Huiuſmodi autem ſenatus vſque ad Herodem durauit, qui omnes (vno excepto) interfecti ſunt. Ideo, vbi vulgata *dux*, in Hebræo legitur *Mecho-KeK*, id eſt *ſcriba*. Vbicumque enim erat Synedrium, duo erant ſcribæ iudicum ſtantes ante illos, vnus ad dexteram, ad ſiniſtram alter: vnus verba condemnantium, alter abſoluentium verba ſcribebat, ſic Maimonides in Chaza Kah.

Firmat huiuſmodi expoſitionem, id quod legitur in Bereshit Rabba. Ibi. ¶ *Non recedet ſceptrum de Iuda.* Iſtud eſt camera, vel conſiſtorium dolatum, vel politum, quod datum eſt in parte Iudæ, ſicut dictum eſt Pſalm. 78.

78. *& repulit tabernaculum Ioſeph, & tribum Ephraim non elegit, ſed elegit tribum Iuda, & montem Sion, quem dilexit*, montem in quam ſpeculatum per legem, & ſic dicit Pſal. 87. *& diligit Dominus portas Sion*, id eſt, portas ſpeculatiuas in ſententia. *Et ſcriba de medio pedum eius.* Iſti ſunt ſedentes, & dantes ſententias in Iſrael in Sanhedrim magna, quæ ſedet *beliſcath haggazith*, ideſt, in conſiſtorio, vel camara dolata ſeu polita in parte Iudaica. Et quid eſt non recedet ſceptrum de Iuda, non ne iam receſſerunt Sanhedrin de conſiſtorio Gazith? Sed dicitur ibi, quod non fuit data poteſtas Sanhedrin, ideſt ipſis iudicibus ordinarijs iudicandi animarum iuditia, niſi omni tempore quo erant ſedentes in conſiſtorio Gazith. Cũ etenim ad alium locum migrauerunt, deleta ſunt animarum iuditia: ſicut ſcriptum eſt, Deut. 17. *Et facies ſecundum verbum oris, quod nuntiabunt tibi de loco illo.* Hic docetur quod locus erat neceſſarius. ¶

Huiuſmodi expoſitionem refutauit Pererius ex eo quod fictitium iudicat ſimile 72. virorum collegium. Sed (vt inquit Stephanus Menochius) immerito de re paſsim ab omnibus admiſſa hæſitauit. Magiſtratus enim eius fit mentio Par. 2. c. 19. quem reſtituiſſe videtur Rex Ioſaphat. Illos etiam ſeniores, de quibus Ezech. cap. 8. thuribulum habentes in manu, de Synedrio Magno capit Hugo Grotius, Raimundus in pugione fidei, Bodinus de rep. lib. 6. cap. 8. Caſaubonus exerc. 13. §. 5. & alij paſsim eruditionis Hebraicæ mediocriter ſi ſint conſcij.

Inde, quidem puto eiuſdem expoſitionem refelli debere, quatenus omnes Synedrij patres fuiſſe de tribu Iuda enunciat. Hoc falſum eſt, tàm in principio ſelectionis ſenatus tempore Moſis, quàm eius continuatione alijs tẽporibus. In Gem. Bab. ad tit. Sanh. c. 1. fol. 17. habetur, ¶ Tempore, quo dixit D. O. M. Moſi congrega mihi 70. viros è præsbiteris, aut ſenioribus Iſrael, dixit ſibi Moſes, ſeu ſecum cogitauit, quomodo hoc faciam? ſi ex qualibet tribu ſelegero ſex, numerorum imperatum ſuperabit is numerus binis (erunt enim 72.) at ſi ſelegero ex qualibet tribu quinque, deerunt numero imperato decem, & demum, ſi tribu altera quinos, atque ex altera ſenos ſelegero, inter tribus cõflabo inuidiam. Quod igitur fecit? Selegit ex tribus ſingulis ſex, & adhibitis ſeptuaginta duabus ſchedulis, inſeptua genarum qualibet, inſcripſit *præshiter*, ſeu *ſenior* reliquis binis inſcriptione eiuſmodi carentibus, haſce commixtas in pixidem, ſeu vrnam indidit, & tunc dixit illis: venite, & tollite ſchedulam ſibi ſuam, qui manu ſua extraxit ſchedulam ſcriptam nomine hoc, *præſbiter*, ei dixit Moſes, *Iam pridem ſanctificauit te Deus.* Qui extraxit ita manu ſua ſchedulam puram, & dixit, *Deus te nouit, quid faciam ego tibi*: ſimile factum eſt circa illud. *Et accipies quinque ſiclos pro vnoquoque capite.* Dixit Moſes, ſi cuiquam dixero da pretium tuum, reſpondebit mihi, iam redemit me filius Leui. Quid igitur fecit Moſes. Attulit 22000. Schedulas, quibus inſcripſit *Filios Leui*, & ſuper 273. (qui numerus illum Leuitarum ſuperabat) ſcripſit *quinque ſicli*, haſce confuſas coniecit in pixidem: Tunc dixit, vt extraheret quiſque ſchedulam ſuam, qui manu iua extraheret *filius Leui*, illi dixit Moſes, redemit me filius Leui. Qui verò extraheret ſchedulam ibi *quinque ſicli*, dixit ei. Præputium tuum ſolue. ¶ Quod crebrò refertur à Rabbinis. Idem pro vario reipublicæ ſtatu in Syuedrio magno obſeruatum tradit Maimonides ad tit. Kidoſhim c. 4. fol. 76. ¶ Etiam in præcepto habetur (inquit) vt admitãtur in Synedrium magnũ ſacerdotes, & Leuitæ iuxta id quod legitur Deut. 17. *Et accedes ad ſacerdotes, & Leuitas,*

tas, sed tametsi ex illis nullus ibi fuerit, sed vniuersi collegæ ex Israelitis constarent reliquis, id satis legitimum habebatur) in Gem. Babyl. ad tit. Ioma. capit. 2. fol. 26, legitur. Dixit Rabba neutiquam reperiri sapientium alumnos, qui rebus decernendis idonei essent, nisi ex tribu Leui, aut ex tribu Isacar, quoniam scriptum est de Leui, Deu. 33. *docebunt iuditia tua Iacob, & de Isacar* Par. 5. capit. 12. *Habebant cognitionem, & intelligentiam temporum ad præcipiendum, quid faciendum esset Israel.* Ex quibus patet Synedrium ex omnium tribuum viris constare, solis autem proselytis iustitiæ, & domicilij, profanis, Libertinis, seruis, reliquis que horum sanguine inquinatis exclusis, vt legitur expresse in Misna tit. Sanhed. capitul. 4. ¶ Cuncti iuditijs capitalibus idonei non sunt, illi tantum idonei, qui sint sacerdotes, Leuitæ, Israelitæ, atque ex hisce, etiam hi qui adeo puro sint sanguine, vt nuptijs sacerdotalibus fuerint idonei. ¶ Malè ergo ij expositores cum Baronio à Casaubono refutato, Synedrium vndequaque ex tribu Iuda viris conflari tradidere. De ijs plura nos in Exod.

Neque caput, & Princeps Synedrij (vt sic omninò præcludatur effugium) de iure eligi debuit semper de tribu Iuda. Quamvis enim in captiuitate Babylonica Principē, siuè ducem de tribu Iuda sint sibi præponere soliti, quem *Aichmalotarcam*, & in terra sancta *Nasi*, nominabant, verum hoc non semper contigit, quasi fuisset de iure. Imprimis in ipso Synedrij exordio Moses fuit primus, qui seniorum præfuit Collegio Princeps, & hic de tribu Leui, successit illi Iosue oriundus ex tribu Ephraim 1. Par. ca. 7. Iedeom, Samuel, & Saul, nullus de tribu Iuda. Esdras in secundo templo, & Simeon iustus Principes recognoscuntur Synedrij apud Maimonidem, & alios primæ authoritatis Rabbinos, plures alij apud Iosephum Boisin, quorum nullus de Iuda.

§ IV.

Deseritur Originis, Epiphanij, Baronij, aliorumque expositio.

ORig. Epiphanius, Baronius, & alij Iacobi vaticinio Iudæis promitti sentiunt quandam perpetuā Regum ex eadem tribu, at per idem genus successionem, vsque ad tempora Messiæ.

Verum huic aperte contradicit pagina Sacra, quæ nullum à morte Iacobi vsque ad Dauidem Regem refert, prmus enim Saul de tribu fuit Beniamin. Tempore Iudicum, qui toť per tempora rempublicam Iudaicam gubernarunt, ille Leuiticæ, iste vero Æphraimiticæ tribus fuerunt, & nullus præter Othonielem, & Abenasem ex tribu Iuda Imperium Iudicum tenuit. Regnum autem, ex quo Dauid clauum reipublicæ tenuit, ad Iecoiam, & Sedechiam continuum durauit, sed in his vidisse finem Sacra pagina docuit. Vterque enim in Babylonem captiuus abductus est, & tunc Hierosolyma cum templo diructa fuit, & à stirpe Dauid recessit imperium, vt ex Ierem. 22. ibi. *Non erit de semine eius vir, qui sedeat super domum Dauid, & potestatem habeat vltra in Iuda.* Licet autem concedamus vltro in Zorobabele resurrexisse quoddammodo, non Dauidis quidem regnum, sed tribus Iudæ aliquam dignitatem, sed non mansisse in eodem statu, res ipsa arguit. Nam ab anno vigesimo Artaxergis Mnemonis,

ad aduentum Alexandri Magni in Hierosolymam numerãtur anni quinquaginta & tres, apparet autem ex Iosepho lib. 11. capitul. 8. de Pontifice Maximo Iaddua nomine, summam rerum iam illo tempore penes sacerdotium fuisse. Adde quod tribus Leui Pontifices Asmonæi per vltima sæcula regimen obtinuerunt, non ergo stirpes de tribu Iuda post captiuitatem Babylonicam imperauit. Asmonæos autem esse de tribu Leui ex 1. Machab. capit 2. constat, ibi. *In diebus illis surrexit Mathathias filius Ioannis, filij Simeonis, sacerdos ex filijs Ioarim*, ideſt ex familia Ioarim, quæ inter viginti quatuor familias filiorum Aaron sorte prima exijt, sic 1. Par. capit. 24.

Hæc omnia viderunt Lyra, Abulensis, Carthus. qui relatam superius expositionem tuentur. Sed dicunt ad ea Asmonæos paterno genere esse de tribu Leui, ideò Pontifices esse, sed maternum genus ducere de tribu Leui, à qua vxores petere soliti, Aaron Ex. 6. filiam Aminadab, & Par. 2. Ioiadas filiam Ioram Regis Iuda, & ambas de tribu Iuda duxerunt vxores, vnde inter tribules tribus Iuda iure optimo recensentur Asmonæi. Sed quis dicat iudaicorum institutorum conscius, tunc temporis Pontifices maximos è tribu sua nunquam duxisse, sed ex alia, & eadem tribu semper Iuda? De aliquibus non difficile creditu, sed de omnibus id asserere sine valido testimonio turpe est. Fauet huiusmodi rationi, quæ in Talmude passim occurrunt. Familia matris non vocatur familia, hoc est, genus maternum habetur pro nullo. Inde ortum vulgare proloquium, in eo genus esse consummatum, qui licet filias habuerit, masculam autem prolem non habet.

Et quidem si id aliter euenit, leuiter D. Paulus in epist. ad Hebræos 7. argumentaretur, Christum sacerdotem non fuisse secundum ordinem Leui, quia fuit de tribu Iuda, facile enim occurri posset, fuisse quidem de tribu Iuda per genus paternum, & de Leui per maternum, hincque cognata Elisabet, ac proinde Christum in vtraque tribu posse censeri. Vlterius, quoniam si sufficeret id, vt sceptrum esset in tribu Iuda, pariter satis foret, vt sacerdotium Aaron fuisset in eadem tribu, cum post redditum de Babylonis captiuitate per annos plus quingentos Pontifices, qui erant de tribu Leui, summum obtinuerint imperium, & plurimi regali maiestate simul cum Pontificia sint functi.

§ V.

Expositio Melchioris Cani refellitur.

MElchior Canus omnis Litteraturæ eruditione eximius subtiliter (vt solet) libr. 2. de locis theologicis vaticinium Iacobi exponit. Nos (inquit) quibus consilium est, alias expositiones non inimicè, aut insectari, aut repellere, facilius hunc nodum expediemus, si ex 1. Machab. populum Iudæorum ducatum Machabæis tradidisse, dicamus non tamquam proprium, & hæreditarium, sed ad legem depositi conseruandum, vt videlicet Israeliticam plebem interea tuerentur, donec surgeret propheta fidelis, qui eos instrueret, vel quem de tribu Iuda venturum expectabant, qua ex re sceptrum de tribu Iuda non auferebatur, & præsertim, quòd ipsa quoque tribus Iuda in hoc populi conditum, & sententiam à principio saltem creditur consensisse. Hæc ille, quæ omnia patent ex Machab. c. 6. ibi *Congregati sunt omnes amici Iuda, & dixerunt Ionatæ, nunc te hodie eligi-*

mus esse nobis in Principem, & ducem ad bellandum bellum nostrum. Et in capit. 14. *sic dicitur. Iudæi, & sacerdotes consenserunt, Simonem esse ducem suum, & summum sacerdotem in æternum, donec consurgat propheta fidelis.* Verum hæc expositio difficile euincet lapsum, quem præparat argumentis Christianis, & quo contumacia Hebræa reddatur vegetior, cum hoc vaticinium contra illos nullius roboris foret. Eiusmodi erat in ipsos argumentum Christianum. Iacob vaticinatus est principatum in tribu Iuda duraturum, donec veniret Messias, defecit tempore Herodis, venit ergo. Ex Cani expositione facile Iudæi eluderent syllogismum, dicerent enim, tunc defeciſſe, quantum ad vsum, interim autem ius retinere, donec veniat propheta fidelis, cui restitueretur dominatio quantum ad vsum.

§ VI.

Expositio Eusebij, & aliorum repellitur.

EVsebius lib. 8. demonstrat. Euã. demonstr. 5. ¶ Iã inde à temporibus Mosis (inquit) duces quidem Israelitici, si particulatim eos intuearis, ex diuersis tribubus lecti imperarunt: at in vniuersum toti genti præfuit Iudæa. Exemplo facile percipies, quod diximus, quemadmodum enim in Romano Imperio gentium singularum moderatores, rectoresque, & præsides, castrorum que præfecti, qui que hominibus omnib⁹ illis maiores sunt, Reges haud quidem omnes vrbe Roma, neque Remi, Romuli que satu, sed ex innumeris alijs aliunde gentibus orti sunt: & tamen tàm Reges profecto cuncti, quàm qui post illos sunt præfecti, ducesque appellati sunt Romani, vilque, & potestas Romanorum dicitur, atque ex hoc nomine pendet. Ita de Hebræorum rebus existimandum est, quasi vna quidem tribus Iudæa toti genti illustre suum impertiuerit, particulatim verò duces, ac Reges creati ex diuersis tribubus sint, qui tamen ex communi illa Iudæorum appellatione honorem acceperint. ¶

Verum hæc nullius roboris sunt. Respublica namque Hebræa de Iudæ nomine dici non cæpit, nisi post quam secessionem maior Israelitarum pars Hieroboami fecit auspicijs, qui statim sibi regnum muniuit ceremoniarum, ac religionum mutatione. Israeliticas inter tribus Iudæ appellationem tunc primum dicendum est (vt veri colorem habeat) incepisse, cum regiam potestatem, quã in Sedechia tribus Iudæ amisserat, Pontifices maximi in se transmouissent. Hinc autem nomem accipere Israelitas difficile est, cum ex qua tempestate semel decem tribus abductæ à Salmanasare Assyrio, dispersæ per Colchos, Parthos, Indos, atque Æthiopes sunt, nunquam deinde in patrium solum redierunt, aut coniunctæ iterum Iudæis sunt: Quo autem modo nominis honorem à Iuda accipere potuerunt, qui in republica Iudaica non fuerunt, sed indiuerso orbe sibi sydera alia intuebantur? illos enim fluuius Euphratres, quem semel transierant, semper coercuit, neque Romanis paruerunt, cum tunc Imperium Romanum trans Euphratem terminos non mouisset. Nomen quidem Iudæi incepit in republica Hebræa, cum scissum, diuisumque Israelitarum regnum fuit, & duæ tribus Leuitæ, & Beniaminitæ Iudæis se sociauere, id verisimum solum est, quia cum pauciores, tenuiores que essent, nil nisi accessio habiti sunt. De hoc § sequenti.

(..)

§. VII.

Traditur genuina expoſitio, & conciliatur antilogia.

VErior tamen ſolutio ea eſt, quam tradit Petrus Cunæus. Quoniam vel reſpicitur reſpublica Hebræa à Moſis tempore vſque ad Roboami regnum, & ſic non Iudæorum, ſed duodecim tribuum erat, vnde per ea tempora omnium Iſraelitarum fuit ſceptrum, de quo diu duodecim tribubus communi non loquitur ſacer vates in oraculo. Vel ſpectatur populus Hebræus, cum tribus Iuda ſciſſa ab alijs ſuam ſibi ſeorſim ab Iſraelitis Rempublicam habere cœpit, quam dilexit Dominus, atque appellari de ſolo Iudæ nomine Iudaicam voluit. Sera, ventura que ſæcula ſpectauit Oraculum, & de populo, vt ab Iſraelitis ſciſſo loquitur Patriarcha, & veriſsima profert. Quoniam ex quo tempore ſemel eſſe Iudæorum cœpit ſceptri maieſtas perpetuò manſit ad vſque Meſsiæ ætatem, & ſi mutatus interdum eorum ſtatus ſit, modò penes Reges, penes Pontifices modò. Quicumque, autem populus, ſua quadam republica, ſuis que legibus vtitur, is rectè gloriari de imperio, deque ſceptro poteſt, Hieroſolymæ autem tempore, non ſolum Regum, ſed Pontificum, & Aſmonæorum interuallo in medio magni Synedrij ſceptrum pependit. Quod ſignum fuit illius maieſtatis, quam Marcus Tullius in part. orat. eſſe magnitudinem quamdam populi (ait) in eius poteſtate, ac iure retinendo, quæ vertitur imperio, atque omni populi dignitate. Non Reges, non Principes rempublicam Romanam, ſed Conſules, atque ſenatus agitauere, cum lex iſtæc fœderis data Ætolis eſt, quam Liuius refert, vti maieſtatem populi Romani conſeruarent ſine dolo malo. Atque hoc quidem omnibus fuiſſe liberis populis imperatum, qui fœdere aliquo, ſed haud æquo in amicitiam venirent Romanorum, teſtis eſt Proculus Iuriſconſultus in l. 7. ff. de captiu. & poſt lim. reuerſis. Ne illud quidem noſtra intereſſe arbitramur, qua de gente, aut tribu fuerint, qui Iudaicas res moderati ſunt. Etſi namque per annos fere multos regnum tenuerint Leuitæ Aſmonæi, fuit tamen nihilominus reſpublica Iudæi populi. Neroni Cæſari, Seneca libr. 1. de clement. dixit. ¶ Non rempublicam Principis eſſe, ſed Principem reipublicæ. ¶ Neque profectò alia fuit ſententia Vlpiani, is enim maieſtatis crimen eſſe ait: id quod aduerſus populum Romanum, vel aduerſus ſecuritatem eius committitur l. 1. §. 1. ff. ad leg. Iul. maieſt. Vtique vixit Vlpianus ijs temporibus, cum nec ſuffragia populi eſſent, ſed imperium, atque rerum ſummam Cæſares tenerent: & tamen, qui accuratiſsimè definere cuncta ſolet, maieſtatem eſſe populi ait.

Neque alicuius ponderis ſunt rationes, quæ eiuſmodi expoſitioni oppoſitæ apparent. Primum, quia omnibus tribubus aliquid euenturum ſingulis proprium protulit vaticinium, nihil autem ſpeciale tribui Iuda concederet, ſi de populo Iudaico prophetaret. Secundum, quia præcedentia verba verſ. 9. de ipſa tribu intelligi debent, durum ergo eſt, ea quæ verſ. 10. intermedio texuntur, capere de vniuerſo populo. Non inquam ponderis ſunt, quoniam vaticinium Iacob plurima, & quidem ſingularia promiſsit tribui Iuda, quamvis illud, *Non auferetur ſceptrum* de vniuerſo populo Iudaico, vt reſciſſo ab alijs Iſraelitis

(vt

(vt traditum est superius) intelligantur. Promittitur illi præcellentia suprà cœteras tribus, & iura primogenituræ, quoad honorem Rubbeno adempta, *prior in donis, maior in imperio.* Voluit namque ex obscuro emergere tribum, ex qua nasciturus erat Messias. Ideo Numer. capit. 11. & 10. in castramentando præcelluit tribus Iuda, ordine offerentium est prima cap. 12. Iosue cap. 14. inter sortes prima suam nanciscitur hæreditatem, mortuo Iosue ab ipso Deo meruit ducere bellum. Quæ omnia præcedentiæ, & dignitatis sunt vera indicia.

Neque præmit secundum, quoniam indignum non est vaticinio, de persona ad personam, de loco ad locum, & de tempore ad tempus transire. Plura prophetauit Iacob, quæ tribum Iuda solum spectare non possunt. Prædicit namque gentium vocationem, *expectatio gentium*, Messiæ aduentum. *Donec veniat Silo*, sicut olim Abrahamo, & Isaco duos filios habentibus ex vtro eorum venturus esset Messias prædixit, sic per Iacob liberis suis enunciat, ex quo eorum genus ductu-rus est Messias. Ideo à principio ordditur à tribu Iuda comparata simul cum vniuersis tribubus, quia ex illa relictis alijs Christus erat venturus. Deinde temporis signum sui aduentus relinquens, sceptrum (inquit) destructum iri de tribu Iuda, idest, de republica Iudæorum, cuius nomine populum, quem resciss-um ab alijs Israelitis componebant duæ dumtaxat tribus, spiritu prophetico cognouerat appellandum. Malachiæ enim 3. vers. 4. & libro 1. Machab. capitul. 1. *Iuda* pro omnibus in Iudæa habitantibus sumitur, quia vt inquit Ioseph libro 11. de antiq. cap. 5. post transmigrationem à tribu Iuda, cui Leuitæ, & Beniaminitæ se sociauerunt, nomen Iudæi accepere.

§ VIII.

Non esse vaticinium implentum in Herode, quem alienigenam vocant refutantur Baronius, Serarius, & quot quot illos sequuntur.

HErodem fuisse Principem alienigenam, qui suo sceptro Iudæos subiecerit, & in quo impletum est vaticinium, apud omnium ferè ætatum eruditos, sine discrimine est sententia admissa. Iste enim factus est Iudææ Rex, qui è tribu Iuda, neque origine Iudæus erat, sed Ascalonita, & proselytus. Sed in primis falsum est (inquit Casaubonus exer. contra Bar.) Herodem primum esse alienigenam Principem, cui subditi sunt Iudæi. Quoniã cum regnum Herodi à Romano senatu est delatum, authoribus Antonio, & Augusto annus iam agebatur vicesimus octauus à capta vrbe per Pompeium, tunc Iudæis libertas erepta, facti tributarij, Asmonæi deiecti, eam semper subire personam, quã Romani imponerent coacti, Rex Aristobolus captus, filius Alexandri securi percussus, Hyrcanus honore nominis regij negato, Pontifex à Pompeio est creatus. Quando ergo hæc à Romanis patiebantur, subditi erant nec ne? Falsum ergo est alienigenæ imperium primum in Herode esse expertos, Romani enim penitus erant extranei, cur ergo de Romanis tacent, cum de Herode clamitant esse alienigenam? Fuit autem Romanorum astucia, quod subactis à se Regibus, administrationem regnorum amissorum permitterent, vt verè Tacitus in Agricolæ vita de parte Britaniæ Cogiduno datæ, vt ibi regnaret (veterę ait, ac iam pridem,

recepta populi Romani consuetudine, vt haberet instrumenta seruitutis, & Reges), huiusmodi autem Reges Romani, si ita erat libitum, instituebant, & eosdem pro sui etiam libito deponebant, vt in Archelao Herodis filio apparuit.

Ex his ergo licet concederemus Herodem alienigenam fuisse velut Romanos, solida non erit horum sententia, qui prophetiæ euentum ad vnum Herodem peculiariter restringunt. Verum tamen falsum est Herodem alienigenam fuisse. Quia, vt ait Strabo lib. 16. homo Iudæorum popularis erat, Iudæi namque sunt appellati, & qui verè ex semine Abrahæ nasceban tur, & qui fiebant Iudæi, quos, cum ad sacrorum Iudæorum communionem admittebantur, appellabant Hellenistæ proselytos iustitiæ, sicut modo Turcus post quam labacro baptismatis tinctus est, vere & est, & dicitur Christianus, sic alienigenæ, post quam erant circumcisi, & alijs sacris initiati, Iudæi & erant, & dicebantur. Fateor alia Iudæorum origine, alia proselytorum fuisse iura, sicut apud Romanos alia quiritum iura, ac Latinorum, sed eum, qui fuisset institiæ proselytus, negare esse Iudæum, perinde est, vt si quis Æquos, & Volsos neget fuisse Romanos, quia extranei quondam Romanis fuerunt, & postea Latinitate sunt donati, non iure Quiritum. Si ergo id verum est in ijs, qui ex alijs nationibus fiebant Iudæi, potiori iure in Idumæis, de quibus extat Dei præceptum Deut. 23. Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est, propago enim est Ismaelis filij Abrahã. Nõ ergo alienigena dici potest Herodes, qui patrem Antipatrum, & auum Antipam ex Idumæis in Iudaismum conuersos habuit.

Neque obstat à pluribus peregrinitatem illi obijci, vt inquit Auctor, cuius sententia est in Pir Ke Aboth. c. 5. sub finem. Hoc enim non tam ex iure legitimo, quod proselytos cæteris Iudæis in omnibus verè æquabat, sed ex maleuolentia, & per contemptum solum. Athenis namque Romæ, & vbique locorum semper adscriptitij ciues contempti eis fuerunt, qui origine primæua ciues se iactant, sicut, & Indæos factos Christianos per contemptum Iudæos appellamus, non ideo tamen impropriè appellamus Christianos. Idem ius in proselytis. Iudæi, namque appellatio, quando latè accipitur, omnes complectitur eiusdem originis, & religionis societate iũctos, Hierosolymitanos, Galilæos, Idumæos, Alexandrinos, & omnes, qui ex dispersu dicuntur. Quando strictè huiusmodi nomen accipitur ciues solos Hierosolimitanos amplectitur, illas decem Toparchas, quæ Plinio enumerantur lib. 2. ca. 14. sic accipitur Iudæa in nouo testamento Lucæ 11. at vbi cap. 1. Herodes Rex appellatur Iudææ, lata capitur significatione. Simile est apud Paulum, qui conuersos ad fidem Christi, & veros Christianos factos aliquando appellat gentes, vt ad Galat. 11. de Petro Apostolo, *Cum gentibus comedebant*, non quia essent gentes, sed quia fuerant. Hoc sensu intelligimus Herodem alienigenam, quasi sit ex Idumæis in Iudæos transcriptus, & sic eius regnum appellabimus cum Rabbinis regnũ proselytorum, non ideo tamen censemus alienum fuisse à populo Iudaico, sicut & alij omnino extranei, quos Goim appellabant Rabbini.

Iosephus ait Herodẽ, à prima stirpe Idumæum fuisse, eius autem maiores factos esse Iudæos, quando Idumæa per Alexandrum Regem facta est pars Iudææ sæculo integro ferè ante regnum Herodis, quo tempore renunciantes Deo suo proprio, Coze, ab ipsis nominato, circumcisionem aliaque sacra Iudæorum admisisse, de patre semper loquitur tamquam de Iudæo, lib. 14. cap. 14. scribit Iosephꝰ, quando

Iu-

Iulius Cæsar in Ægypto periclitabatur tumultum fuisse exortum inter Iudæos Ægyptienses, & illos, qui è Iudæa suppetias Cæsari venerant, sed sedauit Antipater. Paccatis (inquit) Iudæis Ægyptiensibus, quod ex eadem gente cum ipsis esset (si ergo pater Herodis Israelita erat, quanto magis Herodes filius. Idem lib. 14. c. 12. mala enumerans, quæ Iudæis euenerant, post quam Romanæ seruitutis iugum subierant, illud præcipuum refert, quod regnum ipsorum trāsijt ad plebeios) transit regnum ad Herodem Antipatri filium, qui plebeiæ erat familiæ, & generis priuati, & parentis regibus. Si Herodes quidem alienigena esset, quis censeat, isto loco remissurum silentio. Tristius namque, & indignius est alienigenæ parere, quam, qui fuerat aliquando priuatus, & aliquando paruerat regibus. Quando Iulius Cæsar Rēpublicam occupauit, minus queri possent Romani parere ei, qui homo priuatus superiorum temporum Consulibus antea parebat, nobilitate generis multis etiam inferior. Sed hoc quidem tolerabilius, quam subijci Amibali Pœno. Non ergo id taceret Iosephus. Neque inter opprobria, quæ li. 15. refert Iosephus Mariamme in genus mariti effudisse inter iurgandum cum Salome Herodis sorore, peregrinitatem obiecit.

§ X.

Proponitur in quo impleta sit Iacob Prophetia.

COmplementum, & veritas prophetiæ eo sita esse debent, vt nō explicetur de articulo illo, quo à Romanis declaratus est Rex Iudæorum Herodes. Sicut namque in primo templo, non simul contigit tota captiuitas Babylonica, sed primo Manasses est abductus, deinde Ioachim, tertio Iechonias, ac tandem Sedechias, sic indestructione secundi templi contigit. Interitus ergo reipublicæ Hebræorū alio tempore cœpit, alio fuit promotus, alio autem consumatus. Cœpit calamitas Iudæorum anno ante natum Christum sexagesimum, quando populus, qui sui erat iuris, seruitutis iugum subire à Pompeio est coactus, & libertate adempta, eum accipere Regem, quem imposuere Romani tributis solutis, religione tandem violata, cum sancta sanctorum ipsa irruperit ipse Pompeius. Quam captiuitatem Edom, hoc est, Romanorum vocant (quia Roma, vt volunt, respicit paradisum) Rabbini in Iucahim p. 15. Auxit vnus quasi gradus anno post natum Christum circiter decimo, cum Archelao Viennam relegato, Iudæa in formam iam prouintiæ est redacta, à quo tempore nullus fuit in Iudæa, neque Rex, neque Ethnarca, & proprio suo Regi desierunt esse subiecti, in eamque cœpit tunc procurator Cæsaris mitti, quia facta est per Quiriniū census descriptio ad populi vexationem. Vltima fuit clades, vrbe diruta, destructoque templo ab incarnatione Domini anno 70. Qua tempestate miserabilior fuit eorum conditio, priuilegijs imminutis, vt constitutiones imperatoriæ in ijs solis sine molestia eos esse iussere, per quæ cultus eorū inquinari videretur, *l. 15. §. 6. ff. de excus.* Cautum enim fuit, ne Synagogas nouas extruere, aut cruces in celebri festo Purim exurere ad pœnæ quondam recordationem possent, *l. vlt. de Iud. & Cæl. l. 11. C. Eodem.* Addita denique sanctio est, ne morem suū in coniunctionibus retinerent, ne ve iuxta legem suam nuptias sortirentur, aut indiuersa sub vno tempore coniugia conuenirent. Hoc denique tempore totum Iudæi amisserunt decus incenso templo, vrbe que succensa, quādo rempublicam habere suam, suisq; Regibus guuernari desiuere. Quamvis autem diu è terra excesserunt. Chri-

stus,

stus, hæc autem contigisse eius ætate constat, & ipse Messias significauit, cũ inquit, de templo, vrbisque excidio loquens, *Non transibit hæc ætas, priusquam facta sint hæc.*

§ X.

Traditur quid de Messia senserint antiqui Rabbini, & Manasses impugnatur de Messia expositio, frustra expectandum ex Rabb. confessis. conuincitur.

QVoniam misterium præsens lapis contradictionis est ipsis Rabbinis, referam, quæ ipsi de Messia diu expectato credant, vt omnibus constet iure de illis loquutum Ierem. capit. 8. *Apprehenderunt mendatium, & noluerunt reuerti, attendi, & auscultaui, nemo quod rectum est loquitur.* Et nos ex tenebris, quas ipsi in meridie palpant, solis iustitiæ lucem in dies magis, ac magis augeamus Deo ipso operante. Messiam Iudæis promissum esse omnes consentiunt, ideo in cotidianis precibus à Deo petunt, *vt citò, & in diebus suis veniat.* Sed quis, & quando venturus est, valdè apud illos est controuersum.

Vulgò omnes credunt hominem vulgarem, & plebeium fore, qui tamẽ cœteros homines multiplici virtute longè superet: vxorem etiam ducturum, liberos procreaturum, qui illi in regno succedant.

Quia autem Sacra Scriptura duplici modo de Messia loquitur; interdum nempe tamquam de vili, paupere, & abiecto, qui & moritus sit; interdum, tamquam de magnifico, præpotente, & excelso, &c. ideo sibi duos quoque Messias finxerunt, alterum, quem Messiam filium Ioseph appellant, qui pauper erit, & vilis, vir tamen extrenuus, & rei bellicæ peritissimus; alterum, quem Messiam filium Dauidis vocant, qui verus Messias, & Rex Israelis erit, qui que eis in terra Canaan præerit.

Sed aduentum eius aliqua portenta antecedent, quibus ad aduentum eius animaduertendum singuli monebuntur, & excitabuntur.

Non enim tam vilis eris, & occultus illius aduentus, atque Christus quã do mundum aduenit. Ego verò decem hæc prodigiosa signa enumerabo, prout in libello, qui *pulius aromatarius* dicitur scripta leguntur.

Primum signum erit (inquiunt) quod Deus excitaturus, & productus est tres Reges Apostatas, & à fide sua deficientes, in hominum tamen conspectu veri Dei cultum, quamvis animus longè alius ipsis sit futurus, præseferentes, omnes enim homines se ducent, illisque imponent, vt à Deo, & fide sua deficiant, ita, vt multi quoque peccatores inter Israelitas liberationi suæ, & redemptioni sint desperaturi, Deum abnegaturi, & timorem illius derelicturi. De illis dicitur, Isai. 59. *defecit veritas*, quid est defecit? Quicumque veritatem amant, cateruatim aufugient, & in latibulis, & spelũcis se se abscondent: fortes, verò, & tyrani omnes illos persequentur, & interficient. Tũm nullus erit Rex in Israel, vti scribitur, *Dies* (Hosee. 3.) *multos sedebunt filij Israel sine Rege, & sine Principe, & sine sacrificio, & sine altari.* Nullus erit Academiæ Rector, nullus Synagogæ Princeps, decuplum illis tributum imperabunt. Accedent etiam ab extremis terræ partibus nigri, & deformes homines, quos, qui intuebitur præ timore, & terrore morietur, singuli enim duo capita, & septem occulos flameos, & igneos habebunt. Tum Israel clamabit, vè, vè nobis.

Alterum signum sperant. Deus enim maximum in orbem calorem immittet, inde multi causi febres pestilentes orientur, ex quibus mille hominum millia inter ethnicos, & impios Israelitas, ita vt inter ethnicos magn°

eiu-

eiulatus,& fletus. Iustis vero inter Israel calor ille medicina erit, vti scribitur Mala 4. *Orietur vobis timentibus nomen meum sol iustitiæ,& sanitas in penuis eius.*

Tertium. Sanguineum rorem stillabit Deus in terram, impijs, qui ex illo biberint venenum, iustis verò non nocebit, Dan. 12. *Qui sapientes fuerint fulgebunt, quasi splendor firmamenti.*

Et per tridum totus orbis sanguine scatebit, vti scribitur Ioel. 2. *Et dabo prodigia in cælo,& in terra,& sanguinem,& ignem,& vaporem fumi.*

Quartum, Deus solem in tenebras per triginta dies conuertet, vti scribitur, *Sol conuertetur in tenebras,& luna in sanguinem.* Ioel 2. Et post illos dies in pristinum splendorem restituet Isai 24. *Et* congregabuntur instar victorum in carcere,& claudentur in ergastulo, deinde post multos dies visitabuntur. Et hoc stolidissimè fieri, vt terrorem Deus incutiat Christianis, dicunt.

Quintum. Deus impio imperio Idumæo (sic vocant Romanum) totius orbis regimen concedet, quidam verò inter cæteros Romæ exorietur, qui per nouem menses vniuerso terrarum orbi dominabitur, cuius furor in populum Israel exardebit, ærumnisque,& miserijs illos premet, quo tempore Israelitæ valde imminuentur. Prænunciauit Isai. 59. *Vidit quod non esset vir,& admiratus est, quod nemo esset, qui opem offerret.* Nouem illis mensibus elapsis Dominus Messiam filium Ioseph (hoc est, dicunt tribu Ioseph oriundum) cui Nehemiæ filio Husielis nomen erit, mittet, qui cum tribu Ephraim, Manasse, Beniamin,& Gaditarum parte adueniet,& quam primũ ad illum omnes Israelitæ conuertentur, Ierem. 3. *Conuertimini filij rebelles, dicit Dominus, quia ego mariti ius in vos habeo,& assumam vos vnum de ciuitate,& duos de cognatione,& introducam vos in Sion.* Tunc Messias filius Ioseph Regem Idumæum superabit (id est Pontificem Maximum.)

Sextum. Aiunt lapidem marmoreum Romæ esse, qui formosæ virginis speciem referat, qui non humana dextra, sed diuina virtute in illam formam cæsus sit, ad illum conuenient ex omnibus nationibus nebulones,& illius amore ardentes, nefandis illum prement concubitibus. Deus autem lapide diuiso infantem educet, qui Armillus impius vocabitur, quem Christiani Antichristum appellant. Christianis,& Iudæis coram se Deum esse profitebitur. Verum occurret Neemias filius Husielis, & verba illa leget. *Ego sum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me.* Pugnabunt vterque,& Angeli sancti Messiam in bello cæsum recondent cũ cæteris Patriarchis.

Septimum. Surget Michael,& ingens cornu ter inflabit,& verus Messias atque Elias apparebunt pijs Israelitis in deserta dispersis Iudææ,& in Hierosolymam omnes confugient. Armillus autem cum Idumæorum, seu Christianorum omnium copijs illos debellare contendens ibi morietur,& illos Iudæi vlciscentur, vti scribitur Abdiæ 18. *Et erit domus Iacob ignis,& domus Ioseph flamma,& domus Esau,* (hoc est Christianum imperiũ) *stipula,& succendentur in eis,& deuorabunt eos,& non erunt reliquiæ domus Esau.* Quum autem Michael summo producto sono iterum clanget, omnia sepulchra Hierosolymis aperientur,& mortuos Deus vitæ restituet. Messias autem filius Dauid,& Elias, Messiam filium Ioseph, qui sub porta asseruabatur, è mortuis suscitabunt. Cum Michael tertium clanget, omnes Israelitæ ad paradisum venient, quorum agmen Deus ipse præcedet, nihil, quo viuere possint habentibus

gen-

gentibus, & Chriſtianis. Hæc ex libello pulueris aromatarij. Vbi autem Iſraelitas Meſsias ille congregauerit Regium celebrabit conuiuium. Hic ille horrendæ magnitudinis taurus. Hic apponenda auis illa, quæ *Barjuchne* dicitur, de qua in Talmude ſcribitur. *Quum aliquando é nido ouum decidiſſet, trecentas proceras cedros caſu ſuo proſtrauiſſe.* Epulis hiſce peractis, Meſſias vxorem ducet, filijs, & nepotibus augebitur, ac tandem fato funge tur, Alia ſigna, riſu quia digna ommitto, ſatis erunt relata, vt videamus, & miremur Iudaicam fidem, quæ non in Moſe, ſed in mendatijs futilibus, traditionibus Rabbinorum, & ſeductorum fabulis ſita eſt.

Hinc oritur de aduentu Meſsiæ diſcordia. Priſci Iudæi ad tempus natiuitatis Chriſti, ſperabant Meſsiam, vt Simeon iuſtus, & Prophetiſa Ana Lucæ 2. Verum, quia non venerat inſtar potentiſsimi Regis, neque ex Herodis tyranide, Romanorum poteſtate liberauerat illos, pro vero Meſsia non admiſſerunt alij. Quũ autem tempus Meſsiæ iam præterijſſe viderent Barcochabh arrogans quidem Iudæus, publicè Meſsiã ſe proclamabat, & Bitheræ regiam ſedem habuit, verum ab Adriano interfecto, quadragies centum millia millium Iudæorum ſeductos ab hac ſtella recognouerunt, & mox Barcoſabh, ideſt, mendacem Meſsiam appellauerunt.

Quum autem Chriſtum repudiauerint, & nullus alius oriretur, illam Eliæ traditionem, quod poſt quatuor mille annos venturus eſſet Meſsias, adulterarunt, addentes, propter peccata ſua protractum eſſe tẽpus, nec Meſſiam adhuc adueniſſe. Sed poſt quam nullum aduentus terminum aſſequi potuerunt, diris execrationibus deuouerũt eos, qui tempora aduentus Meſſiæ ſupputarent, dicentes, *Rumpatur ſpiritus eorum, qui tempora* (aduentus nempe Meſsiæ) *ſupputant.*

Nihilominus tamen multi animi conſcientia impulſi tempora aduentus Meſsiæ præterieſſj agnouerunt, ideoque ſcripſerunt. Reuera quidẽ natum eſſe, ſed propter ſua peccata, & vitam impœnitentem, nondum reuelatum, idque à maxima parte etiamnùm hodie creditur. Hinc ſcribit Rab. Salomon Iarchi maiores exiſtimaſſe, Meſsiam eo die natum, quo Hierolyma vltimum deſolata eſt, vbinam verò tamdiu lateat, incertum habent. Sunt qui arbitrentur iacere in paradiſo mulieris capillo alligatum, & ſic Salomonis verba in Cant. Cant. detorquent, *Caput tuum* (Cant. 7.) *ſuper te, vt Carmelus, & coma capitis tui eſt tam quam purpura, qua Rex alligatus eſt in ambulacris. Rex*, nempè Meſſias, in *ambulacris*, nempè in paradiſo: Hanc Rabbinorum expoſitionem reſpicit hic, R. Salomon. In Talmude, dicitur ſedere ad portam vrbis Romæ inter ægrotos, & leproſos ex illo Iſai c. 53. Alij aliàs fabulas comminiſcuntur.

Iudæorum Emunat, ſeu fides à Munſtero edicta, pag. 43. hæc inquit de Meſsia: ¶ Quando autem venerit Meſsias noſter, ille reducet nos ſuper terram noſtram in manu potenti, qui & ante multos annos natus eſt iuxta mentem traditionis, quæ dicit, quod Meſsias manebit Romæ, vſque dum deuaſtauerit Romam, haud ſecus quam inuenimus in Moſe præceptore noſtro, qui eſt in pace, qui fuit enutritus in domo Pharaonis, donec vltio fuit ſumpta de eo, & ſubmerſit totum populum eius in mari, ſed non venit poſtquam natus eſt, & redemit Iſraelem, ſed poſt aliquos annos ex præcepto Dei benedicti, dixit que ad Pharaonem: ſic ait Dominus, *dimitte populum meum vt ſeruiat mihi.* Sic Meſſias, quando acceſſerit tempus determinatum, veniet ad Papam ex mandato Dei, & dicet illi. Dimitte populum meum, vt ſeruiat mihi, tunc ipſe veniet

&

& vſque ad tempus illud non dicitur veniſſe. Vnde in templo ſecundo ipſe non venit, neque fuit Meſsias, ſicut nec Dauid rex eo die quo natus eſt, fuit rex, neque vnctus, ſed eo tempore quo vnxit eum Samuel ex præcepto Dei, tũc factus eſt rex vnctus. Sic quoque quando Elias vnxerit Meſsiam ex præcepto Dei, tunc erit Meſsias, & veniet, etiam ſi iam natus ſit ante multũ tempus, nempe indie deſolationis domus ſecundæ, & maneat in horto paradiſi, quemadmodum dixerunt ſapientes in libris traditionum. Alij tamen dicunt, quod Meſsias non ſit naſciturus vſque dum prope fuerit tempus ſui aduentus, quando no eſt eductu-rus de captiuitate tunc ſubito veniet. ¶ Hæc ille.

Verum hæc inania figmenta: vbi namque, Meſsiam Romæ naſciturum, eſt prænunciatum, aut Romæ latitare? Neque ad rem Dauidis & Moſis exẽpla: à liquot enim abierunt anni, priuſquam Moſes in ducem, vel Dauid in regem à Deo vocatus fuerit, ſed non ætates, non ſæcula, & vltra mille annos quod excurrit tempus, quemadmodum in hoc Romano Iudæorum Meſsia. In Ægypto quidem detentus populus fuit ſub tyranide, at nunc Iudæi non à ſolo Papa, non ſub eius ſolius dominio, ſed per vniuerſum orbẽ luunt. Non ergo Romæ, neque à ſolo Romano Pontifice poſtulari debet eorum redemptio, quim potius ab alijs. Denique, Dauid nomen habuit proprium, quo nuncupabatur, & dignoſcebatur ante regnum, quo ergo nomine appellandus, qui nunc Romæ degit futurus Meſsiàs?

His miſsis ex ipſis Iudæorum teſtimonijs prout referuntur, & à Ioanne Hoornbeeк impugnantur, conſtabit manifeſte iam diu veniſſe Meſsiam. Primum ſit Eliæ (non Tiſbitis, ſed alterius cuiuſdam) quod ſic ſonat in Talmude Cod. Sanh. cap. 11. ¶ Traditio domus Eliæ, ſex mille annis durabit mundus, bis mille annis inanitas & vaſtitas, bis mille annis dies Meſsiæ. ¶ Ibidem R. Ketina idem & Manaſſes ben Iſrael lib. 3. de Reſurrect. cap. 3. Quamvis autem apud nos nullius rationis hæc ſint, nullius enim finem mundi certum eſt aſsignare, ſed contra Iudæos fortiſsimum eſt, cum traditionem de mundi duratione per ſex mille annos magni ipſi faciant. Et quidem mirabile eſt, Iudaica illa rebus noſtris conuenire, ſuaſque iugulare. Quare magnopere hæc ſuæ cauſæ eos reddunt ſolicitos, & ſupramodum ſtringunt.

Hoc fundamentum ſibi ſic obijcit Manaſſes. ¶ Simul etiam confirmatur Cabaliſtarum opinio, quæ maxime nititur verbis Eliahu, qui dicit mũdum ſex mille annis duraturum, & vno interiturum. Quod intelligendum eſt de ſeptimo millenario, quo tempore omnia inferiora corrumpentur, & ad Chaos redibunt, ex quo facta ſunt. Hoc ita ſuppoſito reſtat, dubium aliquod non leue, quod nobis ſoluendũ eſt. Id hoc eſt, ſi iſta opinio vera eſt, quod erit tempus Meſsiæ, ſiuè quis erit ille mundus Meſsiæ, quem Iſrael expectat, in quo promiſſo gaudio fruetur? Ratio dubitandi eſt. Cũ enim Iſrael iam tot centenos annos tàm graues calamitates paſſus ſit, & adhuc patiatur, ſola ſpe futuræ iſtius indiebꝰ Meſsiæ fælicitatis ſe ſubleuans, ac ſuſtentans, profecto omnino par & æquum videtur, vt anni iſti fælices plures ſint, longius que durent. At vero cum iam agatur quinquies milleſimus trecenteſimus nonageſimus quintus annus à mundi creati initio, exiguum temporis reſtat ad finem ſex iſtorum mille annorum, cumque ex Iudæorum omnium ſententia nondum venerit Meſsias, videtur ſane nil, aut parum admodum temporis reliquum futurũ Iſraeli, quo fæliciter viuat ſub Meſsia ſuo, & ſperata fælicitate fruatur. Ad ſcriptam huius (addit Manaſſes) dubij ſo-

ſolutionem, longior prolixior que tractatus requiritur, quam qui ſcripto huic noſtro vrbeſsimo conuenit. Quare vrbiter tantum dico, opinionem illam de mundi corruptione, apud omnes Hebræos non eſſe communiter receptam. R. Moſes Ægyptius, alijque multi exiſtimarunt mundum fore æternum, omnia vero loca, quæ videntur innuere contrarium, conciliarunt, quemadmodum in conciliat meo videre licet. Id circo quidam huius ſæculi Cabaliſtæ animaduertentes eam difficultatem, diſſentiunt ab antiquis, & inquiũt in dicto Eliahu nõ intelligi mille annos, neque vniuerſalẽ deſtructionem, ſed quod vno die, aut vna hora ſiſtetur generatio, & corruptio cum omnibus cæleſtibus motibus. Ad hæc multa alia dicunt, vt ſoluant illud dubium, & oſtendant infinitos fore annos, quibus populus Iſraeliticus omnibus bonis ſub Meſsia ſuo fruetur: vſque adeo, vt tempus calamitatum, & miſeriarum, ſiuè iræ diuinæ, ſub qua fuit, & etim nun eſt, cum iſto futuri iſtius ſæculi tempore collatum ſecundum Iſaiam, non niſi puncti aut momenti inſtar ſit reputandum. Quid quid ea de re ſit, id vni ac ſoli Deo benedicto conſtat. ¶ Hæc Menaſſes.

Bene & ingenue, inquit HoornbeeK, primum fatetur Manaſſes dubium iſtud non leue eſſe, cuius nempe explicandi adeo graues experitur difficultates, & anguſtias. Neque adeo diſtat numerus annorum mundi vulgaris noſter à Iudaico, non certe in millenarijs, ſed centenarijs tantum ſupra millenarium, hodie enim vtrique numeramus vltra quintum millenarium, incẽtenarijs diſcriminam. Iudæis annum numerantibus à creatione mundi 5404. nobis autem vulgo 5603. ſolo ducentorum annorum diſcrimine, quod ad controuerſiam noſtram parum admodum eſt, & Iudæis certe eſſe debet, quibus 14. nunc expirarunt ſæcula à tempore, quo Meſsiam venturum ipſi ſcripſerunt, reſiduis ad mundi finem, iuxta ipſorum rationes, vix ſexcentis annis. Atque à quinto millenario, quo, non nos, non Scriptura, ſed Iudæi dixerunt venturum Meſsiam, nos effluxiſſe dicimus annos 1603. non quod iuſtum nunc ineamus calculum, & rationes Chronologicas, neque id huius loci, ſufficit vulgarem ponere inter præſentiarum numerum, neque vel noſtri vel Iudaici examen inſtituere Chronologicum. Iudæi autem annos dicũt à quinto millenario inchoante abijſſe 1404. Saltem ergo ſupra mille annos eſt, quod ipſi fatentur Meſsias venire debuit. Iam vero nec ipſi, nedum nos, præciſe voluerunt venturum Meſsiam ad primum quinti millenarij annum, vti neque lex ad tertium millenarium data. Sed videre interim Iudæi poſſunt, ac debent, quam proxime ad deſignatum ipſorum tempus venerit Meſsias noſter, vt illa ipſorum ſententia vi veritatis expreſſa, a qua non adeo late aberrat, cogere eos etiam debeat errorem hic agnoſcere, ex proprijs ſuis, quas nobis ſuppeditant, hypotheſibus & calculis. Si ad quintum mundi milleniarum venire Meſsias debuit, quomodo nec dũ venit iam poſt ſextum, & quod excurrit?

Digna notatu eſt Manaſſes confeſsio, & anxietas. *Exiguum temporis* (inquit) *reſtare ad finem iſtorum ſex mille annorum*, & Meſsiæ quidem videri, *ſane nil, aut parum admodum temporis reliquum.* Vnde quid aliud colligas, quam turbatas Iudæorum rationes, & res omnes? Nota quod non erubuit ſcribere, *ſane nihil* temporis videri Meſsiæ reliquum: correxit que frigide ſatis per *aut admodum parũ*. Quid ergo ſe, nos que diutius fatigant Iudæi aduentu Meſsiæ, quem ſatis nullum putant, quando adeo *ſane nihil, aut parum admodum* temporis ei de omni mundi tempore, & quidem iuxta ipſos, ſupereſt? Vana ergo ſpes eſt, quidquid de eius ſpe, & ſperata fælici-

tas

tate Manaſſes adiungit, neque ſibi opinor creditum, imo deſperata reuera eſt infælicitas, & ſola, quæ eos tenet, animi peruicacia. Quid quæſo Manaſſes ſolutionis ad ſuum hoc dubium adfert? Dico opinionem (verba ſunt illius) illam de mundi corruptione, apud omnes Hebræos non eſſe communiter receptam, R. Moſes Ægyptius, alijque multi exiſtimarunt mundum fore æternum, ¶ Sed miſer homo; non quæritur quid alij, ſed quid tu dicas, non quod alij male dicunt de mundi æternitate: hoc enim ture negas, & refellis haud vno loco, præſertim in tuo conciliatore Geneſ. q. 30. vbi contra Moſis Ægyptij aliorum que ſimiliter ſentientium opinionem adfers ipſam illam Cabaliſtarum ſententiam de mundo poſt ſex mille annos interituro, eamque, vtroque, quod dici ſolet, pollice probas. Quis obſecro iſte agendi modus, reſpondere ad aliquod dubium graue, & difficile à te ipſo motum, ſententia aliorum, quam ipſe eo, quem tu notas, loco reijcis & refutas? imò refellis per id, quod tibi nunc in præſenti dubio diſcutiendum propoſuiſti, ideſt Cabaliſtarum de fine mundi ſententiam? Verum non aliter agũt qui ad extrema redacti, quid aut quomodo dicant, reſpondeant ve præ animi morbo, & mali dogmatis deſperato patrocinio, non attendunt.

Denique demus per impoſsibile veram Moſis Ægyptij ſententiam eſſe, quid inde? nedũ ſolueris, quod iuxta Cabalã Meſsias venire debuit ad quintum mundi millenarium. Neque hoc in membro ſolo redditur falſa ſententia Eliæ, ſed & tempus legis etiam non finitur duobus millenarijs, atque ita nil verũ relinquetur in illa gnonia, quæ ad noſtram ſolam ſententiam ſtare, ac conciliari optime poteſt. Manaſſes ergo in re adeo deſperata, animum plane deſpondens, ſatis habet, his verbis concludere. ¶ Quidquid ſit, id vni ac ſoli benedicto Deo conſtat, ego ad ſummum numen finiam, qua Pſalmiſta vtitur: Errores quis intelligit? ab occultis libera me Domine. ¶ Ingenue errorem confeſſus eſt, dicam tamen, qua ratione adimendus, ſit, & obuentura illi, alijs que Iudæis fælicitas ſub Meſsia infinitos in annos, nempe ſi depoſita animi peruicacia, Meſsiam verum, qui eo tempore iam dudum venit, quo & illi venturum dixerunt, fide, atque cultu omni recipiant, qui animis ſuis conciliaturus eſt pacem, qua per Dei gratiam nos & iam fruimur, & perpetuo beatos fore confidimus.

Manaſſes libr. de Reſurrect. 3. cap. 3. aliter difficultatis fugit anguſtias. Elapſum ſcilicet tempus eſſe ab Elia deſignatum, ſed hoc propter populi peccata, ea cauſam eſſe retardati, præter tempus promiſſum aduentus Meſsiæ, paſsim omnes Iudæi dicunt. Quo & peccata olim ab Iſraelitis commiſſa, quaſi illa adhuc luerent, conuocant, ſicut & quodcunque peccatum, quod nunc inter ipſos committitur. Vnde R. Moſes Gerundenſis inquit, non eſt tibi Iſrael vltio, in qua non ſit vncia de iniquitate vituli. Theodorus Hac Kſpan in annotationibus ad R. Lipmannum pag. 393. adducit ex libro Chaſidim. ¶ Quiſquis multos pœnæ inuoluit, is retardat aduentum Meſsiæ. ¶ Præterea. ¶ Quiſquis fæmellam paruam ducit vxorem, retardat Meſsiam. ¶ Kimhi ad Iſai 56. ¶ Oſtendit hic textus, pœnitentiam impedire aduentum Meſsiæ. ¶ Idem Aben Ezra in Deo præc. 3. de temerario agens iuramento, Manaſſes lib. 3. de Reſur. cap. 3. in Talm. Cod. Sabbath cap. 16. R. Iochanam nomine R. Simeon. Auctor Au Kaſrochel part. 2. Auctor Schebet Iehuda ex verſione Gentij p. 388. & alij alibi paſsim.

Tria præcipue attendenda ſunt ex auctore ſuperius relato, quib⁹ expoſitio

ista, præter illa, quæ eius in ruinam adducit Vorstius, ab ipso impugnatur. Primum, tempus Messiæ, quo venire ipsum iuxta prophetias oportuit, expirasse. Deinde differri, ac tardare eius aduentum præter omnem spẽ, ac expectationem. Denique causam huius esse ipsorũ peccata. Imprimis ergo Eliæ sententiæ frustra additur, *at propter peccata nostra*, neq; hæc sunt illius verba, sed recentioris alicuius, qui postquam elapsas annorum Elianorũ vidit periodos, & ex cõmuni Iudæorũ pertinacia, non crederet aduentũ Messiæ, ista addẽda putauit. Nã quomodo Elias, si lõge post constitutã Messiæ periodũ hanc vixerit, dicere istud potuisset, atque effari quod falsum arguebat iã suum tẽpus? nã vel omisisset tẽp⁹ Messiæ circunscribere, vel alium posuisset calculum, quam quẽ iam ipsum tẽpus coarguebat. Tum in Cod. Abodazara traditio hæc traditur recitata cum alia additione. ¶ Propter peccata, scilicet, nostra, quæ multiplicata sũt, egressi sũt ex ijs septingẽti anni & quatuordecim ¶ Ita dũ alibi nulli certi anni addũtur, alibi trecẽti, hic septingenti, liquet satis nõ esse hæc Eliæ verba, sed aliorum, qui pro re nata hoc vel illud dicendũ, addendũque ad Elianum dictũ censuerunt. Denique & sermo coarguit, aliã esse hanc additionẽ, & alienã à sententia Eliæ: quoniã verba Eliæ Chaldaica sunt: Hebræa hæc. Adeo certũ est, ab aliis, hanc qualẽcunque glossã textui, & verbis Elianis suppositam esse ex ratione tẽporis præterlapsi, Messiam tamen venisse fateri noluerunt.

Vehementer quidem causam, fidẽque nostram confirmat, quod saltem tempus aduentus Messiæ præterijsse fateri coguntur, quo venire debuerit, & de hoc impræsentiarũ disputamus. Neque solum tempus illud expirasse Iudæi hic concedunt, sed etiam illud incidere in nostrum hoc ipsum, quo Christiani Messiam venisse credimus: nempe illud, quod tum sancti Dei vates in Dei verbo prædixerunt. Tum ipsi in suis scriptis veteres Rabbini, & probatissimi denotarunt. Iudicem nunc causæ nostræ non alium volumus, quam Iudæos ipsos, vt ingenue pronuncient, an nõ nostræ partes hic viderentur longe potiores suis, qui religiose stamus temporis à Dei prophetis, cui etiam doctores Talmudici fere conueniunt, præfig nificato, quo venturum Messiam omnes illi dixerunt, à quo Iudæi abeunt & recedunt, neque recedunt aliquantulum, vel exigui aut dubij temporis scrupulo, sed interuallo sexquimille annorum, tempus longe maius, quãm quo duraturum Messiæ regnum sibi vane pollicentur, post quam plus temporis neglexit Messias, quam scilicet vnquã sit habiturus. Ostende rem vllam vnquam à Deo promissam, quæ tamdiu vltra præstitutum suum tempus fuerit protracta, & dilata. Sed impossibile est per immotam, & immutabilem Dei veritatem, vt quod prædixit, non eo, quo statuit tempore, certo præstet, omnis enim homo mendax, Dei autem verbũ nunquam fallit, neque fallere etiam potest, Cœlum autem & terra interibunt, priusquam vnus apex, vel punctulum legis intercidat Exod 34. & Deut. 32. Pro Dei veritate facit tota S. Scriptura, & natura Dei, & experientia perpetua testis exhibitorum fideliter eorum, quæ ex Dei prædictionibus expectata vnquam hominibus fuerunt. Neque prædictio simpliciter fuit hæc de auentu Messiæ, vt veritas Dei lædatur ex eius neglectu, sed promissio, & ea quidem boni maximi, adeo vt Dei benignitas hic expectari imprimis debeat, aut seruata, aut ommissa. In locis nominatis coniungitur cum Dei veritate eius bonitas, quæ peccata liberaliter condonat, non ea, cum naturæ, bonitatis, gloriæque suæ præiuditio vindicat. Hinc in Scriptura frequens locutio, qua dicitur ex Dei promissionibus nihil excidere, nihil cadere in terram Ios. 21, & 23.

Dein-

Deinde, quoniã Deus non promisit Messiã sub aliqua conditione probitatis aut resipiscentiæ, sed absolute, non magis olim, cum Deus contrariũ dixit Deut. 9. *Non propter iustitiam vestrã.* Quod si vero conditio substernatur diuinis promissionibus, quæ pendeat ex bonis nostris operibus, & meritis, quis vnquã boni alicuius particeps euadet, ac diuinarum promissionũ hæres? vel quis eo nomine bona aliqua adeptus? aut sibi, suæ quevirtuti acceptũ illa ferre ausit? Ps. 115. *Non nobis Domine, non nobis.* Psa. 143. nullum coram Deo esse iustum prædicatur. Vlterius, cũ Dominus Messiam promisit, populi præsciuit peccata, ah non? si secundũ non erit omniscius, si sciuerit, quomodo propter ea iam euentura, promissiones olim factas rescindat, faciat que irritas? Denique: quæ illa hodie Iudæorũ delicta, quæ sic Messiæ remorantur aduentũ? Manasses lib. de term. vitæ pag. 169. ¶ Purgabitur (inquit) ab idololatria, homicidio, & adulterio, quæ sunt tria maxima peccata, & post peractam hanc mundationẽ sequetur tempus iustitiæ. ¶ Messiam illo statuit venturum. Illa quidem peccata, olim & plusquam hodie inter Israelitas viguerunt, singularius ergo aliquid debet esse, quod ira extra ordinem & metã diuina ijs retardat promissa. Hodie quidem non illa fœda, & gentilis idololatria apud Iudæos, ac olim obseruata: neque crebra adeo homicidia, quibus in sanctissimos olim prophetas passim irruebant, forte nec adulteria. Quæ ergo illa hodie peccata præ prioribus, quæ Dei promissiones, & hominum spem tanto pere illudant? Semper quidem grauissimorum peccatorum reus fuit populus Dei, ob quæ iusta aduersus eos vltio diuina scanduit: at semper fidem ijs datam, & promissam seruauit Deus, adeo, vt cum promissam patribus in terram à Deo ducendi essent, peccata que efficerent, vt quod iter aliquot diebus conficere Deo propitio potuissent in multos annos extenderetur, tamen fidem suam non ita multo plus liberauit Deus, atque in Chananæam illos introduxit.

Neque exemplum adferri potest dilatæ promissionis vltra tempus prædictum, & tanto interuallo, vel neglectæ, ob peccata quamvis grauissima, præcipue cum Ierem. 29. in reddendis suis promissis Deus nõ respiciat nostra demerita, sed veritatem, bonitatemque propriam, vt in reductione populi de captiuitate Babylonica. Ieremias cap. 28. *Propheta ille* (sic loquitur adpseudoprophetam Hananiam) *qui prophetat pacem, quum euenit verbum ipsius prophetæ, cognoscitur ille propheta esse, quem misit Dominus vere.* Ex hac argumentatione conuincitur, nisi, quæ bene prædixerũt prophetæ omnes de tempore aduentus Messiæ, omnino adimpleta sint, redarguentur non veri fuisse, nec à Deo missi prophetæ omnes qui tam vniformiter de diebus illis vaticinati fuerunt. Manases in Conc. ad Deut. q. 7. ex Maimonide adfert probari hinc prophetã, quod eius bona prædictio semper impletur. ¶ Quando, inquit, vel homini, vel ciuitati alicui boni quid piam annunciari Deus per prophetam iubeat, nunquam illius pœnitẽtia ducitur, neque talem promissionem conditionalem esse. ¶ Vide Abrauanelem in Ieren. Ex euentu ergo promissionis de propheta iuditium fertur, & nisi euentus omninò respondeat & in re, & in tempore falsi ille arguitur.

Denique, quoniam Deus per Messiam pollicitus est homines conuertendos, vt Ierem. 31. Zach. 13. Malach. 4. non quod à peccatis eius aduentus suspenderetur. In Talmude tempora mala & improba faciunt aduentũ Messiæ æque ac bona, in Sãh. c. 11. ¶ Nõ veniet filius Dauidis (inquit R. Ioannes) nisi aut sæculo, quod omni vitio careat, vel quod vniuersum culpæ succumbat, quoniam scriptum est Isai 59. & vidit non esse virum, Et obstupuit non

esse interceſſorem. ¶ Idem, R. Iehuda, & R. Nehorai in Talmude, & Maimonides in epiſt. de Auſtrali regione, qui omnes, tempore aduentus Meſsiæ ſpurcitijs, fraudibus, & nequitijs ſæculum fore grauãdum, ſentiunt, quale tẽpus, hominum que modus viuendi fuit ſub finem templi ſecudi, de quibus ſic Ioſephus lib. 6. de Bello c. 16. ¶ Nõ equidem recuſabo dicere, quæ dolor iubet. Puto, ſi Romani contra noxios venire tardaſſent, aut iactu terræ deuorandam eſſe ciuitatem, aut diluuio perituram, aut fulmina, aut Sodomæ incendia paſſuram, multo enim magis impiã progeniem tulit, quam quæ illam protulerat. ¶

Concedamus autem peccata populi aduentum remorari Meſsiæ, neque credendum, quod Deus tanto tẽpore differat ſupra mille nempe, & quod excurrit, annos, ſua promiſſa, neque, ſi vera ſunt, quæ de feſto expiationis Iudæi cõfingunt, quod meritis ſuis Meſsias miſſus non fuerit. Dicunt enim ſe in feſto expiationis totos puros, & ſanctos reddi, adeo vt ne quidem diabolus, tũ valeat in eos inſurgere, vt accuſſet, vel aliquid carpat. Videatur R. Eliezer ca. 46. Quomodo ergo non tali aliquo tẽpore, aut die, Meſsias venit? Extra diẽ expiationis, pientiores ſuis maioribus Iudæi hodie ſe faciũt, vt ſe perſuadeãt ſi in terra ſua eſſent, inde nõ eijciendos propter tantam ſcilicet ſuorum probitatem. ¶ Etenim nos (inquit Manaſſes in Geneſ. q. 43. pag. 65.) qui nunc ex populo Iſraelitico in captiuitate ſumus, nequaquam grauiter adeo peccamus, quam fecerunt maiores noſtri, & fortaſsis, ſi adhuc in patria eſſemus, nõ eijceremur inde. Sed ad recuperandam eius poſſeſsionem, ingentibus meritis, ac præparatione opus eſt, ita vt nos ob maiorum noſtrorum peccata nunc puniamur. ¶ Sed non ſolet Deus tali tanta que pœna inuoluere benemerentes liberos ob peccata dumtaxat maiorum. Vel quidiam vltra requiritur, ſi quidem reſtet ab eorum reſipiſcentia & probitate, quum parentum ſuorum vitã vincant excellenti iſta probitate, qua ſi in terra ſua loco maiorum fuiſſent, vel adhuc eſſent, inde ſe non expellendos putant? Quorſum ergo ipſorum Meſsias moras nectit vlteriores, quo minus confeſtim adſit? Deinde R. Iehoſua in Sanhed. de Meſsiæ aduentu inquit, ¶ ſi mereantur, accelerabo, ſi non mereantur tempore ſuo. ¶ Iam neque immerentibus ſuo tempore, neque propter eorũ merita ocyus accedit. Deſperata ergo res eſt. Quin propter peccata feſtinare eum oporteret aduentum, miſſus enim eſt ad expiandam iniquitatem, hominũ que delicta.

§ Vlt.

Proponuntur quæ ipſi Iudæi contra Meſsiam noſtrum obijciant.

PRimum, quod nobis opponunt paſsim Iudæi, ſicut & Tryphon apud Iuſtinum, aduentus eſt Eliæ, qui ex Malach. 4. præcurſurus dicitur dies Meſsiæ. Nondum ergo venit Meſsias, ſiquidem nondum Elias eſt miſſus. Sic Eliæ aduentum præcedere, iudicant, debere Meſsiam, vt clamitare ſoleant: veniat Elias, veniat Elias cum Meſsia filio Dauidis, circumciſuri que infantem, ſedem Eliæ vacuam conſtituant, ſi forte tunc veniat actionis iſtius præſes, quæſtiones que difficiles ad Eliæ aduentum reſeruent. Vnde illud, *veniet Elias & ſoluet.* Id que Samaritana obſeruat in Euangelio Ioann. 4. Scio Meſsiam venturum, qui Chriſtus dicitur, is vbi venerit omnia nobis annunciabit. Videatur Manaſſes lib. 2. de Reſur. c. 3. Dicendum autem Eliam illum, quem Malachias præceſſurum inquit Meſsiam, non eſſe Eliam Tisbitem in perſona propria, ſed myſtice & per ſimilitudinem, quemadmodum Meſsias ſæpe Dauid appellatur, non

quod

quod ipse Dauid sit Salomonis parens, sed ob similitudinẽ, arctã que cum Dauide coniunctionẽ, Ierem. 30. *Seruient Domino Deo suo, & Dauidi regi suo quẽ excitabo ipsis*, id est Messiæ, vt exponunt Targũ, Kimhi, R. Iehuda in Talmude Sanh. Ab Ezech. similiter 13. & Hosea, 3. Dauid appellatur Messias, vt intelligũt Chaldæus Paraphrastes, Abẽ Ezra in Ps. 45. & Kimh. Iehu. 4. Re. 9 appellatur Zimri, nõ quod is esset, sed ob morũ similitudinẽ & actionum. Ita quoque, qui singulari vocatione ante Messiæ aduentũ præcursurus, homines ad Messiã cõuersurus, appellatur Elias, ob spiritus & virtutis, qua olim Elias polluit, similitudinẽ, is fuit Ioan. Baptista Lu. 5. Angelus vocatur in virtute Eliæ renellũ corda ad prudentiã iustorũ conuertens. Matt. 17. Elias iam venit. Idẽ, c. 11. Neq; inter Iudæos cõstans omniũ opinio est de corporali Eliæ aduẽtu. ¶ Sunt inter sapientes (inquit Maimon. halacha melachim c. 12. §. 2.) qui dicunt Eliam ante aduentum Messiæ venturũ, atque hæc omnia, & alia similia nemo nouit quomodo futura sint, donec fuerint. ¶ Quid quid sit, an vẽturus, vel nõ Elias, inquit Manas. lib. 3. de resur c. 7. veniet præcursor aliquis qui animos hominum flectat, ac probe disponat, ne terra anathemate percutiatur. ¶ Si post aduentum Messiæ mirtend⁹ credatur Elias, fatemur etiam & nos in resurrectione mortuorum, quo, Messiæ secundus erit aduentus, si præcedaneus fuerit aduentus, optime de præcursore aliquo, qui animos hominum flectat, intelligit Manasses, quod egisse Baptistam tenemus.

Cõtra ipsos autẽ facile quet retorqueri Malac. c. 3. *Ecce ego mitto Angelum meũ, qui paret viã ante me, & repente veniet in templũ suũ Dominus, quẽ vos quæritis, & Angelus fœderis, quo vos delectamini. Ecce venturus est, ait Dominus exercituum*, & c. 4. *Ecce ego missurus sũ vobis Eliã*. Exquibus obseruandum est Malachiam prophetarum vltimũ quasi digito demonstrasse Messiam, & præcursoris eius aduentum, *Ecce* inquiens, in suum templum ocyus venturum, non, quod priores ante eum prophetæ, venturum simpliciter Messiam dicit, neque vllum aliud signũ eius ponit seu expolitia, seu Ecclesia, seu alijs circũuicinis regnis; aut ad aliquam temporis periodum annos supputare nos præcipit, sed instare iam, & præ foribus aduentum esse, & se ipso vrebi impleturum omnia, clare euangelizat, *Ecce*, inquit, quasi digito notat, & in via esse Messiam, quia de ea paranda loquitur, per illum, qui spiritu venturus erat Eliæ. Admirabilis conspicitur diuini sermonis structura, quo proprius ad tẽpora Messiæ eo clarior, magis que præsentanea est oratio. Per Isaiam 40. *Ego Dominus tempore suo accelerabo istud*. Per Daniel temporis præfinitur annorum periodus, Zachar. c. 9. *Exulta valde filia Sion, clange filia Ierusalem, ecce Rex tuus venit*, quasi in proximo Messiæ aduentũ spectãs, Malachias autem ita clare, vt in quo ipse desinit, euangelium incipiat, ijsdem que fere verbis Lucas, & Marcus suum inchoent, quibus suas, & Veteris Testamenti prophetias obsignauerit scriptorum vltimus Malachias. Vt connexam, & colligatam eodem spiritu, spiritus que effato sciamus Scripturam vtramque, neque aliud vetus testamentum esse, quam vmbram futuri, & nouum illius commentarium, & complementum. Sic animaduertit Ioannes Hoornbeek.

Neque secundum quod vrget, quoniam Herodes qui obijt 37. regni sui anno, iam diu regnauerat, inquiunt, cum venit Iesus in mundum, non ergo Iacobi vaticinium intelligi debet, sicut exponunt Christiani, aut illis proderit parũ. Non inquã, roboris est, cũ in concordia antilogiæ satis iam dictũ sit, ex dictisq; ab Hoornbeek ampli⁹ poterit confirmari, non enim, inquit, res agitur subtilis, dubijque examinis,

quæ ab incerta Chronologia, vel temporis alicuius controuerſo articulo pendeat, non dies, non anni, ſæcula ſunt, ex quibus complementum accepit huiuſmodi prophetia, & ablatum Iudæis omne regimen fuit. Quare nec patiemur in anguſtias redigi, an in Herodis initio regni, an in Pompeio, Veſpaſiano ve ſceptri Iudaici ablatio collocetur. Non vnius momenti opus illud fuit, nec vno tempore peractum, varijs vicibus concuſſa Reſpublica illa fuit, conquaſſata tandem peſſumiuit, quæ cuncta coniungi debent, eodem que tendunt. Profanatũ ab alijs ſceptrum, fractum que, Veſpaſianus demũ totum ſuſtulit, indeſtructione politiæ, & vrbis Hieroſolymitanæ vltimo occaſus, & tota ſceptri extinctio fuit, ab eo que tempore impleta hæc prophetia, ex quo deſijt omnino populo eſſe ſuis legibus, imperio que conſtans. Valde attenuatum quidem ad id vſque tẽporis regimen, attamen fuit aliquod, & manſit ſalua quamdiu, & incolumi ſua vrbe. Cum huius vero excidio omnia interierunt, ſacra & politica: arq; funditus ablatum Iudæis ſceptrum, & legiſlator. Totalem ſceptri ruinã, & priuationem in animo patriarcha habuit, quando hæc diceret: nam hoc demum eſt auferri de medio filiorum, quippe non ait propheta, ſceptrum nunquam concutietur apud Iudæos: vel, non erit turbatum, niſi venerit Meſsias: ſed, nõ auferetur ſceptrũ à Iudæis, donec Meſſias venerit. Nondũ ablatum regimen à Iudæis erat, quo tempore Meſsiam aduenisſe certo credimus, quamvis à Romanis multa parte occupata, in dies magis ac magis attereretur. Et tali imperij ſtatu venire Meſsias debebat, ſceptro nimirum in occaſum vergente, & propediem auferendo, vel vt Iſai. c. 11. è trunco ſucciſo proditurus erat Meſsias, atque ea Iudaici populi periodo, quũ inclinatæ iam eſſent Iudæorum res, Meſsiam enixis votis præſtolabantur, eo que tempore venire ipſum iuxta prophetias oportebat. Hoc ergo voluit Patriarcha ſua prædictione à Iudæis nempe regimen ſuum non auferendum funditus, niſi Meſsias aduenerit. Sub cuius calamitate exiſtere ipſi recognoſcunt Iudæi, Dauid Chimhi in Hoſ. cap. 3. dicente. ¶ Atque hi sũt dies exilij, in quo hodie ſumus, nec regem habemus, nec principem ex Iſrael, in poteſtate ſiquidem gentium ſumus, & in poteſtate regum, ac principum earum. ¶ Idem Abraban. cap. 53. Iſai, & Manaſſ. in Con. hic. ipſi que Iudæi in Euangelio expreſſe confeſsi ſunt, dicentes, *Non habemus regem niſi Cæſarem*, Ioan. 19. ex quo illos arguit D. Auguſt. in Præf. Pſal. 75. Ergo defecit iam Princeps de Iuda. Alia æquæ debilitatis argumenta, quæ opponunt, ſuis locis examinanda remittimus in Daniel. Malach. & Iſaiam prophetas.

Gen. 49. Non auferetur ſceptrum de tribu Iuda, donec veniat, qui mittendus eſt.

Reg. 1. cap. 18. Stulte egiſti, inquit ad Saul Samuel, quod ſi non feciſſes, iã nunc præparaſſet Deus regnum tuum in ſempiternum.

APerta eſt difficultas, quoniam ſi Gen. c. 49. decreuit ſceptrum ſtabile fore, donec veniret Meſsias, quo pacto Deus indere potuit reges de tribu Beniamin in ſolio conſeruare perpetuos?

Aliqui affirmãt, ſi ſtulte non egiſſet Saul, duplex fore regnum in domo Iacob, in Beniamin alterum ſub Saule & poſteris eius, alterum in Iuda ſub Dauid, eius que ſucceſſoribus, qua cõ-

cor-

cordia duo illa conueniunt oracula, quin vnius, alterum regum deſtruat. Sed hoc difficile creditu eſt, cum regnum Saulis in totum Iſrael duodecim cum tribubus extenderetur, tale enim promiſſum erat, quale ipſe tunc poſſidebat, vnde locus non erat alteri qui dominari poſſet, neque in quos dominium exercere valeret, forent. Deinde, quoniam ex peccato Saulis, tamquam occaſione tranſlatum in domũ Dauidis iuxta cor Domini viri, ſceptrum, & regnum oriundum indicat Samuel, 1. Reg. cap. 23. quaſi ſi Saul non deliquiſſet, ſtabile in domo Saul regnum perſeueraret, & à Dauidis domo exularet.

Germana ergo concordia ea eſt, quam tradidit eximius Mendoza, & cõmuniter etiam expoſitores, Deum, voluiſſe conferre domui Beniaminiticæ regnum in ſempiternum decreto conditionato, ſi nimirum Saul diuinam legem ſeruaſſet, & quia præuidit eam conditionem de futuram, Saulem que diuinæ legis tranſgreſſorẽ fore, propterea abſolute decreuiſſe regnum ad tribũ Iuda trãsferre, perpetuo in ea vſq; ad Meſsiã duraturũ. Sic Mendoza, ſimili concordia concilians duas illas Summi Sacerdotis promiſsiones, vnam Phineæ, alteram Heli ennunciatas, vt prior abſoluta poſteriorem cõditionatam non deſtruxerit, præuidente Deo hanc poſteriorem defectu conditionis non implendam, & propterea priorem abſolute faciente. Solum autem pugnarent hæ duæ promiſsiones, ſicut & factæ Sauli, & tribui Iuda, ſi ambæ abſolutæ forent, & re ipſa implendæ. Quod ſi dicas: promiſsionem conditionalem poſita conditione in abſolutam tranſire, quod non contingeret in promiſsione facta Sauli, ſi quã rectiſsime viueret, cum repugnaret promiſsio facta tribui Iuda de ſtabiliendo ſolio in æternum ipſius in domo. Non ergo conditionalis neque abſoluta poſsibilis fuit Sauli. De hoc conſulendi theologii in 1. p. D. Thomæ de futuris contingentibus cõtrouerſia.

Ex Geneſ. 49. Simeon & Leui vaſa iniquitatis bellantia. In conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea, quia in furore ſuo occiderunt virum & in voluntate ſua ſuffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura. Ex quibus vltionem de Sichimitis factam, cap. 34. à Moſe narratam damnat, & facinus improbum atque crudele deteſtatur.

Iudith cap. 9. Deus Patris mei Simeon, qui dediſti illi gladium in defenſionem alieni nigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione ſua, & denudauerunt fœmur virginis in confuſionem, & filios illorum in captiuitatem, & omnem prædam in diuiſionem ſeruis tuis, qui zelauerunt zelum tuum. Ex quibus conſtat facinus Sichimitarum zelum diuini honoris eſſe Iudith arbitratam, & à Domino proceſiſſe.

NOn aliam huiuſmodi antilogiæ præſtare poſſum concordiam, quam à Thoma Anglico inter varias relatas expoſitiones indicatã. Prima opiniq eſt (inquit ille) peccaſſe filios Iacob ſic interficiendo Sichimitas. Primo quidem ratione immoderatæ iræ & furoris, quo vſi ſunt, ſecundo propter dolum, quo pactum fecerunt cum illis, qui dolus præter quam

quod

quod in omni pacto & fœdere illicitus, & proditorius est, insuper fuit illis factilegus nempe ad eum celandū interposito circumcisionis sacramento. Tertio, quia pœna excessit culpam, non tantum interficiendo illius stupri reum, sed alios etiam insontes, atque adeo omnem populum, atque in eo tempore quo maxime erant miserandi, videlicet cum ob recentis circumcisionis vulnus acriori dolore vrgebantur. Ad illam vero auctoritatem Iudith respondetur, non quia Deus adiuuit illos in faciendo cœdem, ex eo sequitur eos nō peccasse, quia Deus multis ex causis iuuat temporaliter peccatores. Et zelus ille, quo optime moti, propter excessum modi vindicandi, in nimiam crudelitatem, vitiatus & deprauatus est.

Altera opinio est: cœdem illam sine crimine factam esse à filijs Iacob, nec eos vsos esse malo dolo, sed bona cautione, prudenti que consilio, Sichimitæ namque illius patrati facinoris participes fuerant, ideo que digni supplicio. Non enim credibile fit filios Iacob, in vniuersam plebem propter vnius hominis crimen vsque adeo ira exarsisse, & tam atrociter vindicasse. Nam quod Sichem, & Sichimitæ consenserint accipere circumcisionem, potius id propter carnalem amorē puellæ, fecere, & vt gratificarentur principi, & Domino suo, quam propter amorem diuini cultus, & religionis, & insuper eò adducti sunt studio auaritiæ, spe nimirū promissi eis lucri ex bonis Hebræorum ad ipsos deuoluendis. Ad hæc si filij Iacob istud dolose atque impie fecissent, fuissent vtique apud Deū & homines maxima digni pœna, neque sufficiens fuisset increpatio eorum ob istud factum, qua vsus est Iacob, dicens: *Turbastis me, & odiosum fecistis me Chananæis.* Præterea hic dicitur post cœdem filios Iacob deprædatos esse bona Sichimitarum, & mulieres earum duxisse captiuas, hoc autem iniquissimum fuisset, si cœdes illa fuisset iniusta, & Iacob iussisset ea omnia restitui, quod tamen eum fecisse non legitur. Postremo infra cap. 48. Iacob istum agrum Sichimitarum in hæreditariam possessionem tradidit filio suo Ioseph, quem ait quæsiuisse se in arcu & gladio, scilicet per filios suos. Iure igitur iusti belli id factum est. Et hæc quidem opinio ducta videtur ex veteri quodam libro apocrypho, cui titulus erat Testamentum duodecim patriarcarum, vbi Simeon & Leui dicunt se fecisse id bono animo, nec de eo se accusant, sed commendant potius. Illam porro contra Simeon & Leui reprehensionem, & maledictionem Iacob censent fuisse prophetiam de Christi morte, quam procurarunt imprimis sacerdotes, qui erant ex tribu Leui, & Scribæ, quorum plurimi erant ex tribu Simeon. Hanc mortem Christi spiritu prophetico præuidens Iacob, sub nomine Simeonis & Leui posteros eorum Scribas, & sacerdotes præcipuos eius mortis auctores accusat & damnat.

Tertia opinio inter duas superiores media, temperans est ac moderans vtramque. Est autem Richardi, affirmantis filios Iacob primum à Deo fuisse motos incædē, sed eos postea furioso quodā impetu zeli sui vindictæ modum excessisse. Illud sane dixerim, ait Richardus, flagitium illud merito displicuisse filijs Iacob, nec propter susceptam circumcisionē placari potuisse, vt quæ non propter Deum, sed propter Dinam facta fuissent. Culpabile tamen in illis fuit seueritatis modū excessisse, & in vlciscenda iniuria æquitatis mensurā non seruasse. Merito igitur Iacob inconsultam eorum audaciā redarguit, seueritatem que indiscretā reprehendit. Nec mirandum idem opus aliqua ex parte rectum, & ex zelo procedens esse, alia vero ex parte esse temerarium, inordinatum atque immoderatum: cum etiam dictum Caiphæ,

qua

qua fuit ab occulto Dei inſtinctu, prophetícum fuerit, qua vero à malo eius animo & intentione proceſsit, impium cenſeatur. Si autem quiſpiam obijciat, zelum illum filiorum Iacob bonum eſſe non potuiſſe, quippe qui impulerit eos ad faciendum doloſe pactum, ipſumque violandum ſub ſpe amicitiæ & religionis. Ad hoc reſponderi poſſet, quia Deus videbat cor Sichimitarum in eo pacto non eſſe rectum, ſed prauum, & ad carnalem concupiſcentiam, & temporalem auaritiam conuerſum, potius quam ad ipſius Dei cultum & religionem ſpectans, id circo non ceſſauit mouere cor filiorum Iacob ad zelum vltionis. Quamquam quod inconſulto atque inſcio patre fecerint, excuſari à peccato non poteſt. Quod ſi quis dicat quemadmodum Iudith diuino inſtinctu iuſte potuit ſimulare, velle ſe vti matrimonio cum Holoferne, vt ſic oportunitatem haberet eum occidendi, & ſicut Hebræi petierunt mutuo ab Ægyptijs, quod non intendebant reddere ipſis, ita fieri potuiſſe in iſto facto filiorum Iacob. Ego iſti ſententiæ non contradico, quamvis non ita clara mihi ſit in hoc caſu ſicut in illis. Hæc omnia ex Thoma Anglico. Vide Caiet. ſuper Geneſ. c. 34. Carthuſianum ſuper Iudith c. 9.

Ex Geneſ. c. 50. In ſepulchro meo, quod fodi mihi in terra Chanaam.

Ex Geneſ. 49. Præcepit ſepeliri in ſpelunca duplici, quam emerat Abram.

DIcendum verbum *fodere* idem, ac *emere* valere, ſic apud Oſeam c. 3. *Et fodi eam mihi quindecim argenteis* Deut. c. 2. *Aquam emptam haurietis, & bibetis* Hebræus legit. Aquas ab eis fodietis argento. Vnde Iacob emit illud ſepulchrum, quod emerat eius auus Abraham, cuius ipſe erat hæres, & in ipſum iure hæreditario poteſtatem habebat. Vide Lyranum.

Ex Gene. cap. 50. Iacob plangitur Ioſeph permittente pluribus diebus.

Ezechiel 24. Super mortuum luctū non facies.

ALiqui Stoicæ diſciplinæ ſectarij luctum & lachrymas in calamitatibus damnãt, indignasque reputant viri conſtantis. Alij extreme oppoſiti Heracliti viſi ſectarij in euentibus infœlicibus numquam continendum à lachrymis, ſentiunt, præ humanitate.

Pro veritate ſtatuenda fugiendum nobis eſt ab extremis, via que media incedendum. Luctus ergo immoderatus culpatus eſt, argumentum animi cõtumacis, temperatus autem laudabilis eſt. Vnde D. Paulus ad Theſalonic. c. 4. inquit, *Nolumus vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contriſtemini, ſicut cæteri qui ſpem non habent.* Non dixit *non conſtriſtemini* dumtaxat, ſed addidit *ſicut & cæteri.* Non ergo prohibet mortuos lugere pietatis affectu, ſed ſolum plangere immoderate, quaſi ter illi qui ſpem non habent. Eccleſ. cap. 22. & 38. habetur. *Super mortuum plora: defecit enim lux eius.* Rurſus: *Filij in mortuum producite lachrymas, & quaſi dira paſſus incipe plorare, & ſecũdum iuditium contege corpus illius, & non deſpicias ſepulturam illius, & fac luctum ſecundum meritum illius.* Vnde Ierem. *Morientur grandes, mi-*

na-

natur pro dedecore improbis, *& parui in terra ista non sepelientur, neque plangentur, & non se incident, neque caluitium fiet pro eis, & non frangent inter eos lugenti panem ad consolandũ super mortuo: & non dabunt eis potũ calicis, ad consolandum super patre suo, & matre.*

Luctus laudabilitatem, præter naturam, omnium ve consuetudinem gentium, ipsius naturæ Christus Dominus auctor sua auctoritate confirmat, Lazarum enim in suo funere fleuit. Et cap. 20. & Deut. vlt. Mosem, & Aaron populus fleuit impune, mors Iosiæ deplorata est planctu diuturno, vt ex 2. Par. cap. 35. constat, super quam Ieremias edidit lamentationes similiter. Eodem luctu Iudas & Ionathas sunt honorati, vt ex Machab. lib. 1. capit. 9. constat. Dauid comprobat lachrymarum laudabilem esse effusionem, Absalonem, continuo ac esse defunctum cognouit, sic deplorauit: *Filij mi, Absalon, Absalon filij mi, quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te?* Vnde infælicitati habitum est decedere sine plãctu. Sic Ouidius in Pontum exulatus clamabat:

Nec mandata dabo, nec cum clamore supremo.
Languentes oculos claudet amica manus.

Quod Ieremias minatus fuerat ca. 22. Ioachim moriturum sine solatio, & nõ conclamatum. *Non plangent eum ve frater, ve soror.*

Verum morem huiusmodi videtur Hieronym. improbare, qui Paulæ plurima exempla afferenti, quibus suas licere lachrymas effundere comprobaret, vt de Dauide plangente filios amarè, sic respondet. ¶ Nedum, inquit, paradisi Christus ianuam effregerat, ob id merito lugebat filium, quem putabat occisum, & ad inferos descensurum. ¶ Tertulianus de pacientia cap. 9. similiter reprobat huiusmodi planctum. ¶ Cum constet, inquit, de resurrectione mortuorum vacat dolor mortis, vacat & impacientia doloris: Cur enim doleas, si perijse non credis? Non videtur etiam credere præsentem vitam pelagum mille periculis, miserijs que plenam: per mortem ad Christum peruenirj, patriam que peti, vbi summis gaudijs frui, summas que fruitiones posidere speramus, ac proinde vitam æternam confitentes, occasionem irridendi Gentilibus damus. ¶ Occasionem enim, inquit pariter D. Cyprianus, per id Gentilibus damus, vt nos merito ac iure reprehendant, quod, quos viuere apud Deum dicimus, vt extinctos & perditos lugeamus, & fidem, quam sermone & voce depromimus, cordis & pectoris testimonio non probemus. ¶ Idem Cyprianus de mort. cap. 5. frustra orare, nosque petere impingit, vt adueniat regnum Dei, cum hoc, non nisi terrenis nudata humana infirmitas consequi valeat. Adde similiter, ficte, quod fiat diuina voluntas, à Christianis exposci, cum in morte cuiusque non obscure exposita maneat.

Nihilominus eximius Doctor D. Hieronym. luctum immoderatum tantummodo damnat, qualis ille fuerat, quo conterebatur iugiter Paula. Vnde ipse doctor in eadem epist. ad Paul. ¶ Ignoscimus, inquit, matris lachrymis, sed modum quærimus in dolore. ¶ Temperatus planctus institutus est ab ipsa natura, tum ad testandum erga defunctum affectum, & manifestandum amorem, tum ad leuandum mærorem, per oculos enim, quasi qnædam spiramenta, dum ploramus, ex æstuat. Vnde Ouid. lib. 5. de Trist.

Strangulat inclusus dolor, atque exæstuat intus.
Cogitur & vires multiplicare suas.

Ideo Dauid Psal. 38. de dolore, quem

quem tacitus absorbebat, cum loqueretur, ait: *Concaluit cor meum intra me & in meditatione mea exardescit ignis.* Veluti ignem, maiorem sumere vires dolorem inquit, qui quo magis inclusus exardescit vehementius, vt autē ignis nactus exitum euaporat, sic dolor per oculos flendo minuitur, eos que oppressione leuatur. Moderatus ergo sacræ non opponitur religioni.

§ I.

Conciliatur antilogia.

VErum quoniam fleuit Iacobum Ægyptus septuaginta duobus diebus, videtur moderatum excedere planctum, quod non est facile credi cō sentiente Iosepho, & Ezechielis testimonio in antilogia adducto contrā moderatum flectum reclamante.

Quare memoriæ recolere opus erit, quod Herodotus tradidit lib. 2. ¶ Defuncto, inquit, aliquo domestico & necessario, præsertim alicuius momenti, omnis muliebris sex familia caput sibi, & vultus oblinum luto. Deindē relicto domi cadauere, ipsæ per vrbem vagantes se plangunt, succinctæ, nudatis que mammillis, altera ex parte viri & ipsi expectorati se verberant, lugentes que, ciuitatem quoad mortuus sepeliatur, circumeunt, interim neque labantur, neque vinum, aut cibum, nisi vilem sumunt, neque vestibus vtuntur splendidis. ¶ Quod superius feretradidit Ieremias inter Hebræos tum obseruatum.

Ex quibus conciliatur antilogia Luctus erat immoderatus, quo se super mortuū incidebant, imitati Gentilium superstitionem, qui in moribundos irruebant, existimantes per os animam egredi tamquam per ianuam, diutius que in ore immorari, qua morula luctantis animæ pugna consistere iudicabant, ideo que, quos fœliciter mori significabant, in amplexibus amicorum expirare dicebant. Prohibitum autem fuit Leuit. 19. & 28. *super mortuos non incidetis carnes vestras.* Quā superstitionem Hebræi à Gentilibus ebiberunt, sicut ab illis emanasse in Hispaniam, certissimum est, vt conspicitur Salmanticæ in veteri Ecclesia circa claustrum inclusis parieti sepulchris. Quæ prohibita esse videtur in lege duodecim tabularum, & etiam in nostris *part. 1. tit. 4. l. 44.* Morem istū, & immoderatum huiusmodi planctum damnat Ezech. loco in nostra antilogia relato. Planctus autem quo, Iosepho similiter consentiente, Iacobum fleuit Ægyptus, longe distauit ab illo Rupertus lib. 9. com. in Gen. cap. 41. ¶ Plantus autem, inquit, & flectus in huiusmodi non semper proprie dicitur: sunt namque & ludi funerei, qui planctus nomine significantur. Cœterum veri planctus, & veri fletus viris dignis mediocriter exhiberi concedūtur. Vnde & quidam sapiens dicit: Filij in mortuum produc lachrymas, & fac luctum secundum meritum eius vno die, vel duobus. Nec mirum, Ægyptios adeo fleuisse planctu magno, & vehementi, vt inde locus ille cognominatus fuerit *Planctus Ægypti.* Etenim verum est, quod dixit Horatius.

At qui conducti plorant in funere, dicunt.
Et faciunt prope plura dolentibus ex animo, sic.
Derisor, vero plus laudatore, mouetur.

Hactenus Rupertus. Ex quibus constat non omnibus istis diebus defunctū solitum conclamari, lachrymas que super ipsum effundi, sed ludos funereos, pompam funeralē alia que plura, quæ funus circa exhiberi solent, comprehendi nomine planctus. Vel quod dies luctus fuerunt septuaginta duo, quia totidem funebri cultu, & habitu incesserunt amicti, ideo illis diebus plā

xis-

xisse dicuntur Ægyptum, sicut & nunc Christiani à morte propinquorum aliquandiu incedunt atrati & pullati.

Sic autem incedere antiquitus cõmuni planctu demonstrat Hieronymus Magius. Varro enim de vita patrum, vt apud Nonium legitur, de muliere. ¶ Amiculo, inquit, nigello, capillo dimisso sequeretur luctum. ¶ Idem: ¶ Vt dum supra terram essent, ricinis lugerent, funere ipso pullis pallis amictæ. ¶ Erat autem, Nonio teste, quod sua ætate masurtium dicebatur, palliolum fæmineum breue, cuius formam appingit ipsemet Varro lib. 4. de lingua Latina, Apuleius libr. 2. de Asino aureo. ¶ Vmbrosum, inquit, demonstrat cubiculum, matronam flebilem, fusca veste contectam. ¶ Apud Græcos idem mos fuisse videtur, siquidem Iphigenia Euripidis, Clytemnestræ matri iniungit, ne suam ob mortem comam laniet, idemque vt suis renunciet sororibus, scilicet ne quando nigris vestibus membra cõtegant. Vnde & Homerus Iliad. lib. 24. Thetim, futuram filij necem deflentem, velo nigro tectam Iouem adire facit. Niger enim color mortalis est, vt inquit Hipocrates, lib. de morbo sacro, si illius est. Theocritus in Epitaphio Adonidis, Venerem cyanea stola indutam ad lugendum Adonidis mortem inuitat, sic enim ait.

Desleo Adonem, periit pulcher Adonis.
Periit pulcher Adonis, plorant in superamores.
Non amplius purpureis in vestimentis O Venus dormi.
Excitare misera cyanea veste induta, & plange.
Pectora, & dic omnibus: periit pulcher Adonis.

Cyaneus enim color, & cæruleus puerorum adolescentium que funeribus conueniebat. Quam obrem & Virgilius lib. 3. Æneid, in funere, quod Polydoro instaurabatur, teneas cæruleas apposuit.

Stant Manibus aræ
Cæruleis mæstæ vittis, atraq; cupresso.

Ex quibus constat nigris vestibus indui solere plangentes. Sic Hieronymus Magius.

Contra hæc Plutarchi testimonium esse videtur, quærit enim in Problematibus; quid causæ esset, vt mulieres in luctu albis vestibus induerentur. Locum iste Plutarchi Blondo Foroliuensi occasionem dedit errandi, qui lib. 2. Romæ triumphantis, in luctu antiquas mulieres, albas semper vestes existimat vsurpasse. Quibus Herodianus videtur adstipulari, qui in Romanorum imperatorum apotheosi, funere magnifico, matronas albis indutas adfuisse commemorat. Errant autem ij, etenim, vt vidimus, nigris vestibus vsæ sunt in plãctu mulieres, mox autem nigrarum vestium apud mulieres Romanas mos ab soleuit, quod comprobat testimonium Plutarchi, depranatis quippe moribus mulieres, & viros albas vestes in luctu vsurpasse ex verbis Iulij Pauli libr. 1. sentent. sub titulo de sepulchris, & lugẽdis possumus suspicari. ¶ Qui luget, inquit, abstinere debet à conuiuijs, ornamentis, & alba veste. ¶ Iulius autem Paulus floruit longo annorum spatio post Plutarchum, nam ex Lampridio constat, subdit Magius, eum Papiniani, L. Septimi Seueri affinis, ac amici discipulum fuisse, Plutarchum vero Traiani præceptorem extitisse: Traianus autem anno à Christo nato 100. Septimius vero Seuerus 196. regnare cœpere. Hæc obiter sint dicta, vt plura, quæ de amictu funebri in Scriptura dicuntur, qualitatem vestis declarent.

(..)

AN-

ANTILOGIAE SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ APPARENT IN LIBRO EXODI.

Exod.c.1. Erant omnes animæ eorum, qui egressi sunt de fœmore Iacob septuaginta.

Actum Apost.c.7. Accersiuit Iacob patrem suum, & omnem cognationem suam in animabus 75.

VCAS textū septuaginta interpretum sequutus est, à Vulgata tamē distare videtur, quare mēdum aliqui librariorum incuriā in illis recognoscunt, ita vt vbi 75. legunt, poni deberent 65. & B. Lucam Hebræi inscium, quia prosely tum, cum D. Hieronimo faciunt. Quæ indigna Diuino spiritu illuminato quis non videt?

Quare audiendus est Aug.q.vlt.in Genes.¶Si quisquam (inquit) exigit, quemadmodum etiam secundum historiæ fidem verum sit Iacob cum 75. animabus Ægyptum intrasse, dicemus, non vno illo die, quo Iacob venit in Ægyptum, ingressum eum intelligi oportere, sed quia in filijs suis plerumque appellatur Iacob, hoc est, in posteris suis, & per Ioseph constat eum intrasse in Ægyptum, introitus eius accipiendus est, quamdiu vixit Ioseph, per quem factum est, vt intraret ille. Toto quippe illo tempore nasci, & viuere potuerunt omnes, qui hic commemorantur, vt 75. animæ compleantur vsque ad nepotes Beniamin. Sic enim dicit Scriptura numerans omnes posteros Iacob ex Lia. *Hi sunt filij Liæ, quos peperit ipsi Iacob in Mesopotamia Syriæ.* Inter quos tamen multi numerantur non ibi nati, sed quia illic parentes ipsorū nati fuerant, ibi eos perhibuit esse natos, quoniam causa, qua nascerentur, ibi nata est, idest parentes eorum, quos Lia ibi pepererat. Similiter igitur, quoniam causam intrandi Iacob in Ægyptum præbuit Ioseph, totum tempus, quo in Ægypto vixit Ioseph, ingressus erat Iacob in Ægyptū, per suam videlicet progeniem, quo illo viuo propagabatur, per quem factū est, vt ingrederetur.¶ Hæc August. De Antilogia ista vide capit. 46. Genes.

Ex Exod.c.1. Non fecerunt iuxta præceptum regis. Et v.19. mentitæ sunt illi, v.20. Bene ergo fecit Dominus illis, & in præmium mendacij ædificauit eis domos.

Psal 5. Perdes omnes qui loquuntur mendacium.

Vide huius antilogiæ concotdiam in Genes. c. 38.

Ex Exod. c. 2. Rachuel socerus dicitur Mosi.

Exod. 3. Socerus eius dicitur Iethro.

FAcilis est solutio. Quod tribus istis nominibus vocabatur socer Mosis, Rachuel, Iethro, & Iudic. 1. v. 16 Cinæus vocatur. Rabbini vocari similiter Hobab sentiunt; sed falluntur, cũ Num. c. 10. v. 29. Hobab, non Rachuel, sed filius eius dicitur, æquiuocatione orta ab Hebræa voce *Choten*, quam aliqui *socerum* dumtaxat significare volunt, Vulgatus autem noster, & socerum, & cognatum vertit.

Ex Exod. c. 3. In mote Dei Horeb Dominus Mosi apparuit.

Act. 7. Facta est apparitio in monte Sina.

VNus & idem mons est Horeb & Sina, & eiusdem montis duo iuga, quæ in radice cohærent. Dicitur autem mons Dei propter apparitionem Dei mirabilem in rubo, & legem ibi Mosi datam, Horeb autem propter aridita tem terræ. *Charab* enim arescere & desolari significat. Sinai autem dicitur à multitudine ruborum. *Sene* enim rubus est.

Exodi c. 3. Iethro soceri sui sacerdotis Madiam. Madianitam ergo duxit vxorem Moses.

Num. 12. Æthiopissam duxisse constat, vtraque prohibita illi erat. Vide antilogiam capit. secundi Exod.

DVplex antiquitus cognita fuit Æthiopia, Orientalis vna Ægypto confinis: Occidentalis altera longe remota. Illa autem postea vocata est Arabia. De quo D. Aug. in lib. quæst. super Num. q. 29. Vide Hieronymum in Habacuc capit. 3. vbi id late innuit.

Exod. 3. Apparuit que ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.

Act. 7. Angelus apparuit Mosi in flamma ignis.

Di-

DIcendum tamen est in omnibus apparitionibus Mosi factis non Deum, sed Angelum in persona fuisse, Deum autem referentem, & typum eius gerentem. Si namque Dei ibi præsentia fuisset, ipsius faciem videre Moses non ita anxie petijsset. Sicut loquẽte propheta Dominus dicit, & nõ ideo prophetam subtrahimus, sed quis per eum dicat, admonemur, sic oculis hominum corporalibus, si quando Deus vult apparere, non per se ipsum, sed per creaturam visibilem repræsentatur. Ideo modò Deus, modò Angelus diuersis Scripturæ locis & legem darè, & Mosi apparere, reperiuntur. Sic Dionys. c. 4. de Cæsti Hier. Hierony. in c. 3. ad Galat. Aug. lib. 3. contra Maximinum c. 26. & Greg. præfat. in lib. Iob. Cyrillus & alij.

Exod. 3. Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob.

Ibidem Ego sum, qui sum. Sic dices: Qui est, misit me ad vos.

OLeaster hic respondet, Dixerat (inquit) nomen quo ab omnibus Dijs distinguebatur, & quasi peculiare sibi (cum dixit ego sum, qui sum) sed, quia Israelitæ illud non nouerant, ostendit nomen, quo ab eis facile cognosci posset, quod scilicet esset Deus, qui patribus eorum pollicitus fuerat redemptionem & terram Chanaã. Vide Hieron. epist ad Marc. Amb. hic, Lyram, Aug. tom. 9. tract. 11. in Ioannem, & tract. 12. & 38. eũdem tom. 6. lib. 16. contra Faustum Gregor. tom. 1. lib. 18. c. 27. in c. 28. Iob. ac tandem D. Thomam 1. p. q. 13. art. 11. Vbi inquirit. Vtrum hoc nomen, *qui est*, sit maxime nomen Dei proprium. Tetigit istã, quæ vere antilogia vocari nequit, Cumiranus Feltrensis.

Exod. 3. Spoliabitis Ægyptum.

Deut. 5. Non furtum facies.

Vide Genes. cap. 26.

Exod. 4. Mosem secum adduxisse Sephoram, & filios.

Exod. 18. Iethro Sepheram & filios Mosis tulit.

MAnases Ben Israel inquit, quod cum Mosi occurrisset Aaron consuluit illi, vxore & filijs comitantibus, quod remitteret illos, ne ex eorũ ingressu & multiplicarentur captiui, & ipse non sic liber ageret cum Pharaone. Quod placuit R. Salomoni, & Abẽ Ezra. Verum hoc voluntarie excogitatur cum non constet ex textu.

Alij vt Lyranus atque Rupertus. Vbi dicitur *Dimisit eum* intelligunt de Sephora, quæ indignata ab illo recessit. Verum in Hebræo habetur *Vajireph* verbum masculini generis. Quare intelligendum est de Angelo, qui circumciso filio, illum dimisit, quem persequebatur, vt explicant septuaginta in Complutensibus, & Regijs Biblijs.

Quare dicendum est, Mosem vxorem, & filios ad patrem suum remisisse ante exitum de Ægypto. Constat expresse ex Num. cap. 18. Exodi. ibi: *Sephoram vxorem Moysi, quam remiserat.*

Exod. 4. Ego indurabo cor Pharaonis.

OLeaster sic inquit: Dupliciter potest Deus indurare cor alicuius, vno modo ponendo ei aliquid in corde, quod sit causa duritiei eius, alio modo occultando in se aliquid, quod est occasio, quod res non cedat tangenti, vt patet in illis, qui ibant in Castellū Emaus, de quibus Lucas dicit, quod oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent; non quod Christus aliquid poneret in oculis eorum, sed quia in se occultabant aliquid, quo eum agnoscere possent. Sic Deus non immittebat duritiem in cor Pharaonis, sed occultabat, ne in signis eum cognosceret superiorem se, cum similia facere magos videret. Vnde durities erat à Deo tamquam permittente, à Pharaone tamquam positiue male operante. Sic debent tenere omnes Scholastici contra Caluinum. Vide Augustinū hic Greg. Nisenum hic, Lyranum, Augustinum etiam ser. 88. de tempore. Hieronymum tom. 4. lib. 7. in Isaiam c. 63. & D. Thomam 1. 2. q. 79. art. 3. & 5. p. q. 23. ar. 3. & q. 48. art. 6. & q. 49. a. 2 & Cumiranum Feltrensem, qui similem antilogiam conciliat.

Exod. 8. Ingrauatum est cor Pharaonis.

Exod. 4. Circumcidit præputium filij sui, quæ denotant infantilem ætatem habere: cum seuere octauo die circumcidendum præceperit Deus puerū cuiuscumque Hebræi. Incredibile autem est, Mosem Dei timoratum per quadraginta annos circumsisionem filij distulisse, & tanto tempore à Domino impunitum, & toleratum fuisse.

Ex Act. 7. Constat fuisse 40. annorum. Cum impleretur (ibi sic dicitur) ei 40. annorum tempus, ascēdit in cor eius vt sitare fratres, ita tunc percussit Ægyptum. Post alia. Fugit Moses & fuit aduena in terra Madiam, vbi genera uit filios duos, & expletis annis 40. apparuit illi in deserto montis Sinai Angelus Exquibus constat, cum accidit circumcisio filij, fuisse octogenarium. vt Exod. 7. ac proinde filium eius fore 40. annorum.

PRopter rationes, quas continet textus secundus antilogiæ, iudico Mosem non statim post initum coniugium generasse filios, sed postquam venerat in terram Madiam, paulo ante regressum eius in Ægyptum, fuisse natos. Hoc etiam innuit quod, pedibus agere iter non posse filios, & ideo asino impositos, referatur Exod. capit. 4.

Exod.

Exodi c. 4. Dicitur quod voluit Deus occidere vel Mosem, vt aliqui existimant, vel filium, vt alij, quia non erat circumcisus.

Ex Iosue 5. non teneri, sed causa itineris, pro tempore quo durat, dispensare Dominum in circumcisione constat.

Vide Antilogiam istam in Genes. c. 17.

Exod. c. 6. Anni vitæ Leui fuerunt 127. Ingressus autem est in Ægyptum, cum 43. fuisset annorum, vnde mortuus est 121. annis ante eggressum ex Ægypto & ante ortum Mosis 41. annis. Ex quibus constat filios Iacob fuisse in Ægypto 215. annis.

Ex Gen. 15. constat habitasse filios Iacob 400. annis, quæ omnia compati non possunt. Exod. 12. dicitur fuisse 430.

Vide Antilogiam istam in Exod. c. 12.

Exod. c. 7. Ecce constitui te Deum Pharaonis.

Paulus 5. ad Corinth. 8. Nullus est Deus nisi vnus.

FAcilis est concordia. Hoc nomen Dei essentialiter sumptum incommunicabile est, de quo Paulus ad Corint. Personaliter acceptum soli conuenit Christo Domino. Secundum vanam appellationem Dijs falsis stulte accommodatur, de quo Paul. ad Gal. 4. Denique homo Deus dici potest secundum participationem aliquam attributi diuini, imò potius naturæ diuinæ, gratiam scilicet, vel potestatis maximæ alios regendi vel imperandi. Hac vltima acceptione Deum Pharaonis constituit Dominus Mosem, inquem potestatem, & imperium exercere valeret.

Exodi 7. Constat plagas fuisse in Ægypto factas.

Psal. 77. Prodigia sua in campo Taneos. Psal. 104. In terra Cham.

FAcilis etiam huius antilogiæ est cõcordia. Taneos enim ciuitas, & caput erat Ægypti, vbi Pharao, & sapientes habitabant, vt constat ex Isaiæ 19. & 30. In qua vrbe, & circumiacente campo plagæ illæ primum ostensæ sunt. Nisi dicatur nomine Taneos totam Ægyptum per Synedochen intelligi. Appellabatur etiam Ægyptus terra Cham, eo quod hic parens Ægyptiorum fuerit, & primus qui illam possederit terram.

Exod.7.Percutiam virgâ,quæ in manu mea est.

Exod.8.fecit hoc ipse Aaron.

Percutiam hic non physicè(vt ita loquar)sed moraliter intelligi debet comparatiuè ad Mosem, cuius imperio id agebat Aaron. Vnde inaniter recurrit Abarbanel ad alia,dicens, quod Mosi commissum est percutere Nilum,& fluuios ab illo emanãtes percussisse postea Aaron.R.Salamon ideo non id Mosem fecisse,arbitratur,ne videretur ingratus, aquas, quæ illum in viuis sustentarunt,immemor beneficij, feriens.

Exod.c.7.Extende manum tuam super aquas Ægypti,& super fluuios eorum,& riuos & paludes, & omnes lacus aquarum.

Exod.7.v.12.Fecerunt que similiter malefici.Vbi ergo erant, si iam omnes in sanguinem erant conuersæ aquæ?

ALiqui ex terra Gessem,vbi habitabant Hebræi adductas aquas & in sanguinem,quæ alias à Mose intactæ erant,esse conuersas, arbitrantur. Verum hoc sustineri nequit, alias Ægyptij,qui mixtim cum Hebræis habitabant & forsan crudeliores in ipsos,à punitione diuina forent immunes, immo & cæteri alij hac plaga non sic affligerentur, cum sitibundi in Gessem accurrere & saturari valerent. Alij post septem dies,quando iam cruor in pristinam aquæ naturam conuersus est, magos in sanguinẽ illã mutarũt,quod sine inconuenienti diceretur, nisi talis mora magna ex parte eorum potentiæ authoritatem minuisset.Credibile autem non est, tale dispendium in eorum sapientia pati voluisse.

Caietanus non simul in sanguinẽ aquas omnes fuisse conuersas,sed primum,quæ ex Nilo fluebant,deinde riuorum atque paludum.Poterant ergo post Nilum ab Aarone mutatum in sanguinem, alias aquas magi incruorem conuertere.Alij,non omnes aquas absolute,sed quod maior pars fuerit incruorem mutata, sicut cum Gen.24. dicitur ex omnibus prouincijs venisse in Ægyptum emere triticum, non sic generaliter est intelligendum, vt exceptionem admittere nequeat, & pro maiori parte non accipiatur. Theodorus Aaronem conuertisse solas aquas potabiles in cruorem,non autem salsugenas,& has in sanguinem esse mutatas à magis.Iustinus Martyr,quod Ægyptij conuersis in sanguinem aquis, puteos foderunt,&horum aquam magos insanguinem conuerterũt. Abulensis, ope Dæmonum allatam aquam, & à Magis conuersam.Tres posteriores expositiones vero sunt propinquiores.

Verius autem dicendum iudico, sanguinem,in quem Aaron aquas mutauit,præstigijs effecisse Magos vt aqua appareret, et postea conspiceretur sanguis, vti reuera erat,præstigijs primo solutis.

(§)

Exod. 8. Moses determinat incrastinum expulsionem ranarum.

Iudith c.7.& 8.exprobat hoc ipsũ. Hæc enim senioribus Bethuliæ. Posuistis vos tempus miserationis Domini,& in arbitrium vestrum diem constituistis ei.

DIssimilis ratio Iudith,atque Mosis fuit,illi enim ex fidei defectu timore vexati terminum præfinierunt. Moses autem familiarissime cum Domino loquens conscius diuinæ voluntatis,& securus sibi à Deo traditæ potestatis religiose dixit,& fecit spe,ac fiducia diuina plenus.

Exod.9. Mortua sunt omnia animantia Ægyptiorum. Aliàs constat, omnes istas plagas vel spatio vnius mensis lunaris,vt quidam,vel vt alij,spatio vnius anni contigisse.

Exod 14.Israelitas persequutus est Pharao 600.curribus electis,maxima que equorum copia. Anno autem vno,& minus vno mense hæc omnia comparari non possent.

PErerius,Torniellus, Adrichomius,& Abulensis mense vno lunari absolutas putant has plagas,cum ergo vltima contigerit 15. Nisan,qui Martio nostro respondet,sequitur primam factam esse circa medium vltimi mensis,qui dicitur Hebræis Adar.Verum hanc expositionem manifeste impugnat Bonfrerius,sic.Quoniam si prima plaga cœpit sub medium Adar,septima post inchoatum Nisan facta fuit. Quis autem credat initio mensis Nisan,qui Martio respondet vel nostro Aprili,necdum germinasse triticum ijs regionibus,vt inquit Moses hic v. 32. *Triticum autem & far non sunt læsa, quia serotina erant.* Porro sub illud tempus messis in Ægypto fieri solebat.Secundo,quia in Iunio sole Cancrum ineunte,Nili inundatio contingit,ante quod tempus messis debet esse peracta.Tertio,quia Nisan etiam Iudæis existentibus in Ægypto c.12.dicitur mensis nouarum frugum. Plura alia prosequitur,vt tempus plagarum non sic restrigendũ Bõfrerius suadeat.

Verum siue durauerit mense vno lunari,vel amplius,ad antilogiam dicendum est, cum Caietano,quod ly *omnia* determinat animalia Ægyptiorum,ac si diceretur,& *mortua sunt animalia*,faciendo punctum,& subiungendo omnia Ægyptiorum, id est animalia,quæ mortua sunt,omnia fuerũt Ægyptiorum,in cuius textus testimonium subiungitur.*De animalibus filiorum Israel nihil omnino periit.*Melius autem conciliatur,quod mortua sunt omnia animantia Ægyptiorum,quæ in campis erant,non vero illa,quæ inciuitate erant,quorum copia maxima erat in Ægypto, quibus prosequi possent postea Israelitas deditos fugæ. Cum autem in quinta,& decima plaga ponitur *Omnia*,pro plurimis capiendum est.Notat enim R.Leui Ben Gerson in Hebræo esse aduerbium *Col* denotans maiorem partem. Sicut hic dicitur a grandine cunctam percussam herbam, & tamen Exod.c.15.reliquam herbam comedisse locustam.Exod. 12. Omnes nos mortui,clamauerunt Ægyptij, &

ta-

tamen in rigore non omnes. Regum 4. c. 18. in exercitu Senacherib omnes dicitur mortuos, cum plures fugerint vitii.

R. Bahye, quod mercatores omnia animalia Ægypti mortua esse, cum morerentur, lucri gratia plurima vendidere in Ægypto. R. Manasses, aliquos Hebræos mixtim greges cum Ægyptijs habuisse & illorum incolumes remansisse. R. Manases Ben Israel. Quod in Ægypto exterarum gentium erant greges, qui impuniti fuerunt relicti, quia ab illis nullos Israelitarum passus fuit detrimentum. Istarum expositionum veritatem remittimus lectoris iuditio.

Exod. 10. de locustis, innumerabiles ascendisse super Ægyptum, quales ante non fuerunt, nec postea futuræ sunt, inquit Moses.

Ioel 2. & 4. consiat oppositum.

LOcus Ioel de locustis si intelligatur, admodum difficilis est, cum Exod. loco oppositum expresè contineri videatur. Æque difficilem existimauit Ribera, si ad exercitum Chaldæorum velimus referre, cum Romanorum imperium fuerit potentius, ferro Daniel. 2. comparatum, eo quod, sicut istud omnia, sic Romanis regna cuncta sint domita, atque subiecta. Verùm hæc prophetica metaphora locustarũ de Chaldæis, quod debeat exponi, respondet Ribera in Ioel. cap. 2. quoad calamitatem, quam huic regioni, intulerunt. Ac si dicat: nunquam vllus exercitus tam fortis, & tam noxius ingressus est in Iudæam, neque postea ingredietur, non enim de fortitudine loquitur, sed de damno per fortitudinem hostilem terræ Iudææ illato. Statim se offert oppositio, cum maior fuerit calamitas, & hostilitas à Vespasiano & Tito postea Iudæis illato. Verũ, vt inquit Theodoretus, non dixit Propheta: Nũquam futurum populum huic similẽ, sed vsque in annos generationis, & generationis: id est multæ generationes præteribunt, antequam vllus populus ita graviter genti Iudæorum noceat, post multas enim generationes venerunt Romani. Generatio enim vita vnius hominis dicitur inter alias illius acceptiones, vt Isa. 38. sic ergo Hebræi, sicut nos, vnam, vel duas vitas, numerant generationes. Vnde in annos generationis, & generationis, multas denotat generationes. In Hebræo enim nomen eodem casu geminatum significat multitudinem, vt Psal. 144. *Generatio, & generatio laudabit opera tua, id est, plures generationes.*

Exod. 10. Vt palpari queant, inquit Moses de tenebris.

Tenebræ nihil sunt.

NOn est intelligendum tenebras illas à densis vaporibus, qui omne lumen expellerent, & ob suam conspissationem etiam palparentur, effici, ita vt sentiri possint vapores, vel ratione frigoris, vel ratione humoris, si in aquam resoluerentur, non tamen imaginari potest, quomodo ratione molis & corpulentiæ palpentur. Immo si ita conspissarentur, non posset viuere homo, deficiente ad respirandum libero aere. Vnde dicendum est per hyperbolem,

lem,quia tam horribiles erant,vt omnem lucem Solis, atque stellarum, & ignis superarent,Mosem palpari posse asseruisse.

Exod.10.Nullus mouit se loco.

Ibidem v.24.Quomodo Pharao misit nuncios & vocauit Mosem & Aaronem sicut alijs plagis.

LYranus sentit, Mosem vocatum à Pharaone discussis iam tenebris.Quoniam licet Pharao his plagis liber foret, aliam denuo timuit superuenire,& ad hoc vocatos esse Mosem,& fratrem eius. Vnde illos non rogauit pro depulsione tenebrarum, quod credendum est fore,facturum sicut in alijs plagis, si adhuc tenebris teneretur percussus.

Exod.11. Soli primogenti mortui esse dicuntur.

Exod.12.dicitur, nullam fuisse domum,in qua mortuus non esset.

Vide Antilogiam istam Exod.c.12.

Exod.12. Mensis iste vobis principium mensium erit.

Exod. 23. Solemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaueris omnes fruges. Hæc autem mense Tisri nostro Septembri respondenti celebrari solebat.

DE hoc egimus iam in Genes.consequenter autem ad ea nunc etiã dicendum est.Hebræos à Martio semper anni supputationem cæpisse,quamvis aliam computandi rationem acceperint ab Ægyptijs. Nunc autem ex præcepto diuino priorem illam inchoandi apud illos antea familiarem rationem renouarunt.His statutis.

Pro conciliatione textuum dicendum , quod apud Hebræos,& annus fuit sacer,qui amense Nisan.Xantico à Macædonibus appellato, incipiebat, iuxta quem festa ordinata erant. Alter erat ciuilis à mense Tisri seu septimo incipiens,iuxta quem contractus & negotia ciuilia ordinabãtur. Duo autem tantum sacra iuxta ciuilem hunc dirigi necessarium erat Hebræis, & annus septimus,& annus etiam Iubilei , qui amense Tisri initium sumere necesse erat,quia cum his annis a messe & semita abstinendum esset,si ab Æquinoctio verno inciperet annus,nil duobus continuis colligerent:illo enim anno messis,quę vere fiebat,fuisset in agris relinquenda,& proximo autumno abstinendum fuisset a satione. Si autem inceptum sit ab autumno vna semita , & vna messis tantum fuit omittenda. Exodi ergo c.23. locus de anno ciuili, Exod.12.de anno sacro sunt intelligendi. Iuxta quæ euanescunt omnino rationes, quibus R. Iosue apud Manasem Ben Israel probare intendit principiũ anni fuisse mensem Tisri & autumno mundum creatum esse. So-

Solum contra hoc stare videtur, quod Exodi 23. dicitur, solemnitatem fieri in exitu anni, & alias in Tisri, non ergo principium anni est Tisri, sed potius est finis. Optime id exponit Bonfrerius *in exitu anni* non significari hic in fine anni, sed cum iam recenter annus finitus est & exactus, & est in complemento suo quasi extrinseco. Hinc cap. 34. solemnitas hæc iubetur celebrari anni redeunte tempore, id est, subinitium noui anni ciuilis. Hic ergo mensis & finis est præcedentis anni, & principium sequentis.

Exodi 12. Immolabit que eum vniuersa multitudo filiorum Israel.

Esdræ 6. v. 20. & 2. Paral. 35. sacerdotum vel Leuitarum id proprium esse innuitur.

ABulensis Exod 23. propriã sacerdotum fuisse Phase immolationem inquit, vnde solum in hoc primo paschate, quando sacerdotes non erãt, immolare multitudini licuit, post sacerdotium autem institutum nullus, qui de tribu Leui non foret, poterat deputari minister. Mouere potest in hanc sententiam quod Deut. 16. victimarum immolationi affixerit locum, vbi erat tabernaculum fœderis, si autem non solis sacerdotibus committeret immolare, vbique locorum id fieri posset. Inclinat in hanc sententiam, quod Esdræ 6. dicitur. Ibi. Purificati fuerant sacerdotes, & Leuitæ quasi vnus, omnes mũdi ad immolandum pascha vniuersis filijs transmigrationis. Idem 2. Paral. c. 35.

Melius autem dicendum vel Patres familias, vel primogenitos, qui ante sacerdotum ex lege legitimam initiationem, fungebantur munere sacerdotij victimas immolasse. ¶ Quo tempore (inquit in huius confirmationem Philo lib. 3. de vita Mosis) non vt alias plebeij homines victimas (loquitur de Paschate) adducunt ad altare mactandas à sacerdotibus, sed iubente lege tota gens sacrificat, dum pro se quisque mactat hostiam suis manibus. Tunc vniuerso populo celebrante lætas epulas dum quisque se gerit pro sacerdote ¶ Idem inquit lib. de Decalogo. Neque aliud credendum est. Quia si vno Paschate teste Iosepho libr. 7. Belli c. 27. immolatæ sunt 255600. victimæ, quo ergo modo id, ab hora nona vsque ad solis occasum, spatio tam exiguo trium horarum sacerdotes effire possent. Roborat nostrum intentum 2. Par. c. 30. vbi Leuitæ immolare dicũtur Phase, eo quod multa turba sanctificata non esset. Si ergo non fuisset immunda, immolare potuisset phase.

Ex quibus euanescunt fundamenta præcedentis expositionis. Quoniam ideo vbi tabernaculum esset, immolabatur victima, quia licet domi immolaretur, pars sanguinis ipsius, vt res Deo sacra, ad templum ad ferri debebat, vt altare eo aspergerent sacerdotes, vt 2. Par. c. 30. Ad locum Esdræ c. 6. *Immolauerunt Phase* idem est, *et immolatum est* impersonaliter, quin ad sacerdotes & Leuitas referatur. Aliàs si omnia, quæ illo versu continentur, ad eos referri debeant, etiam victimæ assatio pertineret ad illos, quod expositionis patroni non admittent. Vnde ad Patres familias pertinuit victimæ paschalis immolatio, sed horum defectu Sacerdotes & Leuitas id effecisse, cum immunditia vel ægritudine tenerentur. Vnde semper parati & purificati esse sacerdotes & Leuitæ debebant. Quamvis crediderim quemlibet è familia immolare pascha potuisse, si pater familias impeditus maneret, vt indicãt Philonis verba, ritus sui tẽporis non ignari.

Exod. 12. victimam paschalem fore de agno vel hædo dicitur.

Deut. 16. Immolabis quæ Phase de ouibus, & de bobus.

DEut. locus non intelligendus est de immolatione Phase, quæ à qualibet familia ad vesperam 14. Nisan fieri debebat, sed de hostijs pacificis, quæ erant ex bobus, aut ouibus, quas offerebat populus, & præcipue tribus illis Phase, Pentecostes, & Tabernaculorum festis. Ter enim in anno in templo apparere debebat populus cum animalibus ad immolandum hostias pacificas, peregrinos, aduenas, & pauperes quolibet inuitante, vt vnà secum vescerentur. Nomine ergo Phase in Deut. sacrificia intelliguntur omnia, quæ ex legis præscripto totis illis septem diebus Paschæ, vel ex cuiusque deuotione, maxime ad sacras epulas pacificorum ritu offerebantur. Hæc enim Phase appellantur 2. Par. 35. & Ioan. 18. Non solum enim diei 14. paschalis victima Phase appellatur, sed etiam reliquæ eorum dierum victimæ, solemnitas etiam dici 15. & omnes pariter azymorum dies Phase & Pascha vocantur.

Exod. 12. constat agnum comedisse Israelitas ad secundam vesperam, quæ terminus est diei 15. & principium diei 14. Dicitur enim ibi. quod azyma edi incipiebant cum ipso agno paschali, & per septem dies durabant. Si ergo illa & agnus ad vesperam diem 13. claudentem inciperent edi, non septem sed octo azymorum forent dies, cum totidem numerentur à vespera diei 13. vsque ad vesperam, in qua completur dies 21. toto enim tempore isto durabat.

Ioan. 14. Ante diem festum paschæ edidit Christus agnum iuxta legis præfixum tempus. Mactauit autem & edidit vespera diei 13. quia si in vespera diei 14. ederet agnum, non ante diem festum paschæ, sed in ipso die festo id effeciisset. Dies enim 15. festiuus erat, incipiens à vespera antecedentis, iuxta illud à vespera vsque ad vesperam celebrabitis sabbatha vestra.

§ I.

De duabus vesperis opiniones, & præcipue quid senserint Rabbini Aben Ezra, & Leui Ben Gerson.

EX verbis relatis dubium & controuersiam non nulli excitarunt, quænam scilicet immolationes vespera fierẽt, an quæ decimam quartam diẽ inchoabat & terminus erat 13. an quæ terminus esset diei 14.

In primis autem nomen *Vespere* significat tempus, quod est post solis occasum. Vesper enim inquit Isidorus li. 5. orig. c. 3. dicitur vespere stella, quæ sydus Veneris appellatur, & vesper cum subsequitur solis occasum. Apud Virg. Hesperus dicitur.

Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite capellæ.

Quod vox Hebræa indicat non obs-

obſcure. *Hareb* enim à verbo *Harab*, quod eſt ligare dicitur, quaſi veſpera ſit crepuſculum nec tẽ noctem cum die ſole præcipitato ad Occaſum. In li. Iudic c. 19. hæc ſunt. *Conſidera quod dies ad occaſum declinior ſit, & propinquet ad veſperam.* Vbi pro eodem Occaſus ſolis accipitur atque veſpera.

Rabbini & inter illos maxime Aben Ezra, in ſera illâ parte diej diſtinguit veſperas duas. Prima, quæ incipit à ſolis occaſu, & durat quandiu crepuſculum. Altera eſt, quæ a crepuſculi fine vſque ad initium inſequentis diei ſpectat. Ita vt prima veſpera ſit occultatio corporis ſolaris ſub Horizonte, altera ſit luminis ſolaris, quod aliquando poſt ſolis occaſum apparet in aere, obſcuratio, ſeu occultatio. In cuius interuallo, quod ſpatium horæ vnius & tertiæ partis horæ complectitur primæ veſperæ mactandum, in ſecunda autẽ ſanctè conuiuandum, & deuorandum: prima pertinet ad diem 14. tãquã finis, ſecunda ad 15. tamquã initium.

Hanc expoſitionem non ſine deriſu Scaligerus impugnauit libr. 6. de emen. temp. Inter illas enim veſperas Occaſum ſcilicet ſolis, & eius obſcuritatem breuiſsimum currit tempus, neque ſatis vt tantillo intermedio occidi, exui, exenterari, aſſari, & parari potuerit agnus. Quæ ratio maiores recipit vires ex ijs, quæ ipſe fatetur Abẽ Ezra. Refert enim, ſequitur, atque laudat R. Sadiam, qui à maioribus traditum ſcribit, quod ara erat in Salomonis templo, in qua vna paſchales victimæ iugulabantur (loquitur non de Phaſe inexitu Iſrael celebrato, ſed de alijs in terra Chanaam Deo oblatis, in quibus eadem circunſtantia temporis erat ſeruanda) quinque pedibus lõgitudinis. Ex quibus ſic conuincunt Rabbinum. Quoniam ſi omnes immolari debebant in illa ara, quomodo in tam breui ſpatio immenſus agnorum numerus poterat ſucceſsiuè mactari? cum vno paſchate apud Ioſeph lib. 7. Bell. c. 17. paſchales agnos immolatos 256500. referatur: Verum & ſi efficax videatur hæc ratio, ſi de agno paſchali immolando loquatur, vix credi poteſt, quod Rabbinus iſte de alijs ſacrificijs paſchalibus non ſit locutus, quæ immediatè ſequentibus diebus ſolebant poſt ipſum phaſe immolari, & ſimiliter appellabantur Phaſe. Diſtincta vero fuiſſe à Phaſe conſtat, quia hædus proprijs domibus, non in templo, neque à Sacerdotibus, ſed à patribus familias conſueuerant immolari. Oppoſitum reſpicimus in ſacrificijs, quæ refert Aben Ezra mactata in templi Salomonici ara. De hoc ſuperius diximus, & ex profeſſo inferius dicemus.

R. Leui Ben Gerſon duas veſperas, duo crepuſcula ſignificare credidit, matutinum, quod à lumine obſcuro appellatur, & veſpertinum, quod à tenebris cum luce mixtis dicitur. Ita ſentire videtur idem Onkelos qui, inter duas veſperas, inter duos Soles Orientem, ſcilicet, & Occidentem interpretatur. Sic etiam Druſius, & apud Martinengo pro aurora ſumitur veſpera, Veneris enim ſtella, prout ſubſequitur Solis occaſum veſper, prout ortum eiuſdem præcedit lucifer appellatur. Vnde apud Matthæum. Veſpere Sabbathi, quæ luceſcit in prima Sabbathi: diei Dominicæ matutinum Marcus aperte monſtrauit, dicens *mane vnà Sabbathorum.* Vnde intelligitur Exod. 32. *A veſpera vſque ad veſperam celebrabitis Sabbata veſtra*, ideſt, à mane vſque ad noctem.

Fũdari poteſt hæc expoſitio ex varia acceptione dierũ. Alij enim ſunt naturales, quos Hebræi numerare incipiebant ab eo puncto, quo dies in primo rerũ initio, & puncto, cæpit decurrere, ideſt, ab illo, quo Sol declinat in circulum meridianum, vt ex Geneſ. cap. 1. *Factum que eſt veſpere, & mane dies vnus.* Alij erant vulgares, atque communes, & artificiales dicti,

qui

qui a mane vsque ad alterum mane communiter numerari solebant. In hac secunda acceptione loqui Mosem Exod. c. 12. duo inter alia conuincunt testimonia. Primum est Ioannis, qui c. 19. Christum Dominum cruci affixum circa horam sextam, tradidit, si autem à solis Occasu, & adiei vespera præcedentis numeraret dies, crucifixum dixisset ad horã 13. vel 14. fuit enim circa meridiem suspensus. Secundum est Matt. qui c. 20. de patre familias inquit egressum primo mane conducere operarios, deinde hora sexta & nona, & ad extremum hora vndecima. Argumentum ergo est Hebræos ab ortu solis dies computare solere; credendum enim est Christum discipulos erudientem ea vsum forma loquendi, quæ vsitata apud illos erat. Moses ergo cum à vespera vsque ad vesperam sabbatha præcipit celebrari, non duo serotina, sed vnum matutinum, aliud serotinum, ex quibus dies componitur artificialis, intelligit.

Dura quidem est expositio ista de bili principio fundata, ex detorta intelligentia Exod. c. 32. Quamvis enim in diebus artificialibus a bortu solis & mane inciperet dies, non sic in naturalibus neque festiuis, siuè legalibus, isti enim à vespera serotina præcedentis diei vsque ad sequentis serotinam vesperam numerabantur, probat hoc Leuit. cap. 23. vbi loquendo de expiationis solemnitate, sic dicitur. *Affligetis animas vestras die nono à vespera vsque ad vesperam.* Ibi autem vespera accipi sine violentia non potest pro mane diei noni, sed pro vespera serotina, initio que diei decimi, quia eodem capite diem primum, & celeberrimum expiationis statuit die decimo mensis secundi: pari ergo modo, & simili acceptione vsurpandum est Exod. 32. Cùm à vespera vsque ad vesperam dicitur celebrari sabbatha: idest ab Occasu solis vsque ad alterum solis Occasum. Sed de iis inferius, quid ex propria sententia sentiendum. Pro nunc autem in eiusdem expositionis patronos, fundamentum, cui fidunt, retorquetur. Deus enim cap. 32. tamquam quid singulare præcipit de festis, quod à vespera vsque ad vesperam celebrentur. Si ergo idem esset à vespera, ac dicere ab ortu solis, seu a mane vsque ad Occasum, quid peculiare festis, quod negauerit vulgaribus diebus attribuisset, quos ante præceptum diuinum à mane computauerant vsque ad noctẽ.

Alij tàm ex Rabbinis quàm ex Christianis catholicis, siuè sectarijs dies festos à vespera vsque ad vesperam computari decernunt, & serotinas ambas, exempli gratia dies decimus quartus & vesperam claudit diei 13. tamquam diei primam partem, post Occasum solis diei decimi tertij, & ante mane diei decimi quarti, & similiter aliam vesperam post Occasum, in qua completur dies decimus quartus, & præcedit diem decimum quintum; vnde clauditur & vespera, in qua completur dies decimus tertius, & initiatur decimus quartus, & vespera, in qua cõpletur decimus quartus, & initiatur decimus quintus. His constitutis oritur nondum composita inter expositores lis, quibusdam sentientibus Hebræos phase celebrasse luna decima quarta ad vesperam posteriorem, illam scilicet in qua cõpletur dies decima quarta & initiat decimam quintam. Alijs per oppotum, vespera diei decimi tertij initiante decimum quartum immolatum phase præcedente mane decimi quarti, & antecedenti vesperam, in qua cõpletur decim⁹ quartus, defendẽtib⁹.

§ II.

Phase celebrandi tempus prima fuit vespera decimi quarti diei, & clausula decimi tertij: sic Christus Dominus celebrauit ex Euangelica historia. Definitur similiter dies, quo cruce suspensus est.

Quamvis plures patrocinentur, ag-

num paſchalem immolatum fuiſſe luna decima quarta Niſam ad veſperam, quæ clauſula eſt decimi quarti diei, non infirmioribus nititur fundamentis, veſperà, quæ initium eſt decimi quarti, & finis decimi tertij, agnum fuiſſe mactatum. Hoc ergo ſemper abintrinſeco probabilius iudicaui.

Primum fundamentum Chriſtus Dominus præſtat, cuius acta norma ſunt perfectæ impletionis legis. Chriſtus ergo Dominus veſpera priori & quæ initium eſt decimi quarti & finis decimi tertij immolauit agnum. Hic ergo præfixus & legitimus immolationis eſt terminus. Quoniam ſi in veſpera, quæ clauſula eſt decimi quarti, & principium decimiquinti, Chriſtus ediſſet hædum, in ipſo die paſchæ feſtiuo comediſſet contra Ioannem capit. 14. qui ſic inquit: *Ante diem feſtum paſchæ ſciens Ieſus, quia venit hora eius, lauit pedes diſcipulorum, & cum illis hædum cenauit* Ioan. ſimiliter 19. Chriſtus paſſus eſt die paraſceue ad veſperam præcedentem mane diei decimi quinti, alias in die feſto azymorũ qui à veſpera decimi quinti incipiebat paſſus eſſet, quod nuſquam licebat iuxta illud: *Non in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo.* Non ergo iudicium capitale feciſſent Iudæi, licet non Deum, populum adminus timentes. Religionem ergo violabat capitale iudicium, vt dicemus Exod capit. 20. Vnde dicendum, immolaſſe Ieſum veſpera, quæ terminus eſt diei decimi tertij & principium decimi quarti. Quamvis enim illud: *Ne forte tumultus fieret in populo*, plures ſic exponant de non capiendo Ieſũ, nõ quia dies feſtiuus eſſet, ſed quia populũ, cui acceptiſsimꝰ erat Chriſtus, timebat princeps ſacerdotũ. Vnde paſchæ azymorũ, ad quã ex omnibus fere cõueniebant regionibus, tẽpus minus aptũ, vt aprehenderetur Ieſus, iudicabant ob populi maiorẽ frequentiam. Quamvis enim hæc expoſitio euaſio fuerit apparens, ex pluribus tàm ſacris, quam teſtimonijs profanis conſtat, in feſto non licere iudicia, vt ſuo promiſimus loco.

Hac ratione plures conuicti, Chriſtũ non die decima quarta ad veſperã poſterioré, ſed ad veſperã quæ finis eſt decimæ tertiæ agnum immolaſſe paſchalem, non ſic Iudæos, qui veſpera poſteriori diei decimæ quartæ immolabant, arbitrantur. Ita tenuerunt Epiphan. hær. 51. Euthym. in Matth. c. 26. Alij per oppoſitũ Chriſtum iudicant tẽpore à lege præfixo veſpera nempe decimæ quartæ diei poſteriori immolaſſe, à Iudæis autẽ in alium diẽ tranſlatum ex maximi Synedrij cõſtitutione. Sic Orig. in Matt. c. 26. Chriſoſt. Theophil. in Ioa. 18. ¶ Poſt exilium Babylonicum (inquit Ruper. in Matth. 26.) conſtitutum fuit inter Iudæos, vt quotieſcumque paſcha in feriam ſextam incideret, ſabbathum in ſequentem diem trasferretur, ne duobus diebus feſtis ab opere ceſſare populus teneretur. Vnde rationabiliter putant, Eſdram aliquid immutaſſe, maxime cum obſeruantia conſtaret iuxta Eccleſiaſticam computationem, non iuxta aſtrologicam, & naturalem, vt videre eſt in Eccleſia Romana. Sumebant enim Iudæi principium menſis à prima luna poſt Æquinoctium vernale, a qua fere omnium feſtorum numeratio regulabatur. ¶ Hanc de traditionibus Rabbinorum mirifice illuſtrauit Burgenſis ad Lyram Matth. 26. ex Kalendarijs Hebræorum paſcha probans in ſextam incidiſſe feriam. Itaque Chriſtus Dominus ipſa feria ſexta paſcha celebrauit legis plene obſeruantiſsimus. Iudæi autem ſequenti die, vti à maioribus conſtitutum celebrarũt. Et ideo Ioa. 19. Magnus ille dies ſabbathi dicitur.

Hæc autem doctrina nulli placere poteſt. Verba enim Marci 14. *Primo die azymorum, quando paſcha immolabant, dicunt ei diſcipuli*

li: Quo vis eamus vt paremus tibi vt manduces pascha? Luc. 22. *Venit dies azymorum, in qua necesse erat occidi pascha, & misit Petrum, & Ioannem dicens: Euntes parate nobis pascha vt manducemus.* Non autem repente hospitem adeo paratum reperisset, si commune cum Iudæis reliquis non celebraret pascha, non enim id statim exhiberi potuisset: cum Exod. 12. agnus immolandus decimà quartà lunà, domum decima introduci deberet. Neque abstinentia ab opere seruili duobus illis continuis diebus tam graue videri debuit, vt huius gratia in alium, pascha liceret differre diem. Cum tam constanter lunam decimam quartam obseruari præceperit Deus, vt si qui, eo quod essent immundi: ea die celebrare non possent, non insequentem diē, sed altero mense expectare eandem decimam quartam lunam mensis Adar deberent vt 2. Par. 30. tempore contigit Ezechiæ. Exquibus quid dicendum ad illud quod Casaubonus ex Kalendario Hebræo & Talmudico tradit. ¶ Non facimus (inquiunt) duo sabbatha continua propter olera, & mortuos, quia corporum cadauera calidioribus illis locis propter autumnales calores seruari non poterant, neque cibi in plures dies parati. ¶ Hoc ergo testimonium ex Rabbinorum lacunis fœtidis ortum est.

Aliter ergo illud Ioan explicant alij. Cum enim inquit Ioan. Ante diem festum paschæ solemnitatem intelligit azymorum; vt perinde sit, ac ante diem primum azymorum, quæ solemnis erat Iudæis. Prima ergo azymorum dies luna fuit decima quinta primi mensis, ac proinde si ante primum azymorum immolauit, id egit necessario decima quarta luna. Eandem tradidit Baronius expositionem Ioanni, cum Iudæos non esse ingressos prætorium, ne contaminarentur affirmat. Inquit enim Cardinalis eximius, pascha in Scripturis non solum agnum paschalem appellari, sed etiam aliam ex illis quæ per septem azymorum dies copia ingenti mactabantur.

Verum Ioannem cap. 14. non intelligi debere de paschate azymorum constat ex eo, quod inquit ante diem festum paschæ immolasse, si autem decima quarta luna ad vesperam posteriorem mactasset, non ante sed in ipso die festo lauit pedes discipulorum, & agnum cenauit. Quoniam vespera posterior lunæ decimæ quartæ est festiua & initium festi azymorum, iuxta illud enim Exod. 32. à vespera vsque ad vesperam præcipiuntur sabbatha celebrari, atque festa, vespera ergo, quæ antecedit mane diei festiui initium sabbathi, atque festiua est. Vnde Baronius, & pene omnes ex eo quod vespera posterior lunæ decimæ quartæ est initium diei decimæ quintæ, à tali vespera decimæ quartæ diei incipere iudicant azyma numerari, & optime, si teneant esse dumtaxat septem. Tum, quia non est compatibile quod Christus secundum Ioannem ante diem festum ideſt ante azymorum primum diem celebrauerit, & quod iuxta Matth. capit. 26. prima die azymorum accesserint ad Iesum discipuli eius, vbi velit parari pascha, dicentes. Neque solidior est expositio Baronij de solemnitate azymorum intelligens pascha, cum Ioannes non possit non de agno paschali loqui. Inquit enim ne contaminarentur. Præceptum autem de vitanda immunditia, vel proprium erat solius agni paschalis, die quo mactabatur, vel solum diei primo & vltimo fuit communis, quos à cæteris separat Deus Num. 28. & vtrumque vocat congregationem sanctam. Alioquin si per cæteros dies præceptum idem fuisset obseruandum, cum totmodis pollutio contingeret, quis posset septem diebus mundus manere? Vnde pars maxima maledictioni fuisset obnoxia, Cōstat hoc ex ipso Baronio,

qui posse die festo reddi sepulchro mortuos, fatetur. Non ergo omnibus diebus incontaminatos requiritur esse.

Neque maiori cum fundamento Christum die festiuo & solemni esse cruci suspensum sine inconuenienti cõcedunt. Dicunt enim non esse cur Iudæos tam atroci crimini intentos excusemus à culpa etiam in circunstantijs. Præcipue cum Christum non semel in die festo lapidare, comprehendereque curauerint. Quin dici potest, propter scelera grauia occidere fas fuisse Iudæis, sicut homo ille, qui sabbatho colligere ligna comprehensus, Dei ipsius præcepto sabbatho fuit lapidatus. Iudæi autem immania crimina Iesum cõmisisse inuidia iudice non semel testati sunt. Sine fundamento inquam profertur. Quamvis de odio, Iudæorum que cæcitate facile credendum foret iura solemnitatis rupisse, de Romano præside, qui inquantum posset à morte liberum conseruare volebat, credi non potest iniitia die festiuo exercuisse, quo Romanorum legibus, quibus Iudæi tenebantur, iuditia vacabant, cum tam rationabili religiosa que causà differre posset supplicium nulla præstita ratione querelæ Iudæis. Neque id quod de homine ligna in sabbatho colligente adducunt, eorum causæ patrocinũ potest præstare propter dicenda Exod. c. 20. & quia dispensatio fuit expressa legislatoris.

§ III.

Exponitur locus Exo. 12. & veritas nostræ expositionis lumen recipit nouum. Illa que nocte acta quæ sint referuntur.

FVndamentum offert huic expositioni Scriptura non minoris roboris, quam præcedens. Quoniã Iudæi egressi fuerũt nocte de Ægypto Exod. 12. *Nox ista est obseruabilis Domini*, & Deu. *Immolabis phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto.* Cum autem eorum exitus non fuerit nocte, qua agnũ immolarunt, tũ quia dicitur Exod. 12. *Nullus vestrum egrediatur ostiũ domus suæ vsque mane*, tũ quia petierũt aurea vasa ab Ægyptijs, & postea congregati in Rameste se viæ omnes simul dederũt ea nocte, qua agnum immolarunt, dicendũ est, in Ægypto mãsisse Iudæos. Quo enim pacto tot tanta que eadem & vna nocte perficere possent? Vna ergo nocte immolarunt agnũ, & altera fuerunt profecti de Ægypto. Cum ergo contigerit exitus nocte, quæ antecedit mane decimi quinti diei vt Exod. 12. & Leu. 23. firmum manet, non nocte, quæ decimum quintũ, sed decimum quartum præcedit, agnũ paschalem fuisse immolatum.

Vnde manifeste conuincuntur quot quot ex festinatione, qua Pharao Israelitas vrgebat, eadẽ nocte qua immolarunt phase, egressos esse opinantur, id que indicare ceremonias quibus agn⁹ immolabatur, decernunt, cũ calceamẽtis enim, cũ baculis illum comedebant accinti, cuius mora tãbreuis à Sacro textu explicatur, vt neque fermentationi dederit locũ Iudæis, vnde egressos de Ægypto initio crepusculi matutini luce scilicet cũ tenebris mixta. Nõ enim ibi pro vltima parte noctis accipitur, cũ scilicet tenebræ sunt, sed lux appropinquat. Iugularunt ergo victimã ante solis occasũ superliminari eãdẽ vespera sanguine aspersо, victimaque ostijs domorũ clausis comederunt, & media nocte occisis primogenitis Pharao, & cæteri Ægyptij metu perculsi Mosẽ, & Aarõ egredi cũ populo compulere, ac tandẽ exitus nondũ excusis tenebris contigit sub matutinũ. Cõuincit inquã oppositũ Sacer textus, cũ Moses præceperit omnes, ne ostiũ domus vsq; mane egredi auderẽt. Si hoc ita cõtigit, quis facile credat, tãtã hominum multitudinem intra duarum horarum spatium in Rameste conueniisse, ab Ægyptijs vasa petijsse? Satis enim festinanter egres-

egressi essent, si vnius diei solius spatio sua bona & armenta colligere, Ægyptios spoliare, & simul proficisci coacti sunt. Neque verificari aliter possent Deut. verba *ad solis occasum*. Ibi enim solis occasus nõ indefinitam, sed determinatam temporis partem significat. Duo ergo dicit Deut. locus, & quod phase ad solis occasum fuit immolatũ & immolari debebat & quod eiusdem solis occasu ex Ægypto euenerit exitus. Si autem nullus *vesperè ad solis occasum* pro indeterminata temporis hora, neque pro mane accepit in agni paschalis immolatione, cur nisi cum violentia idem tempus ad maturitatem in exitu ab Ægypto detorquet?

§ IV.

Exponitur quot fuerint azymorum dies apud Hebræos, & duo fundamenta oppositæ sententiæ eneruantur.

VArijs propugnare præcedentem expositionem oppositum quam plures sentientes Sacræ paginæ testimonijs conantur. Primum, quo præcipue nituntur ex cap. 12. Exod. arripiunt. Esus enim azymorum cum agni paschalis immolatione incipiebat, & per septem dumtaxat dies durabat. Si autem celebrari dicamus phase vesperа priori decimæ quartæ lunæ, non septem forent, sed octo azymorum dies, quoniam à vesperа præcedente decimum quartum vsque ad vesperam in qua completur & terminatur dies vigesima prima (quod tempus esui azymorum sacer textus assignat) non septem, sed octo dies currere certum est. Quod si quis dixerit per vesperam vicesimam primam, non quæ terminus sit prædictæ diei, sed principium, intelligi vesperam, cor tortum sensum quis non videt? Quis namque credat in duobus solemnitatibus, de quibus fit in eodem capite mentio accipi in vna vesperam prout terminus & clausula est diei, & in altera prout est inchoatio, & initiũ? Verum de hoc inferius in Exod. eodẽ cap. 12.

Secundum ex eodem cap. 12. fundamentum desumunt, vt Phase celebratum lunæ decimæ quartæ vesperà posteriori cõiungant. Præcipit etenim Deus ibi, vt pascha lunæ decimæ quartæ ad vesperam celebretur. Vesperа autem, quæ mane diei decimæ quartæ præibat, & in qua ipsa terminabatur, non ad prædictam diem, sed ad decimam tertiam spectat, & pars reputabatur illius. Luna ergo decima tertia & non decima quarta victima mactaretur contra verba paginæ Sacræ. Tum quia ibidem dicitur *Eademi, ſi die educam vos de Ægypto*. Exitus autem de Ægypto decima quinta luna contigit, non vesperа priori decimæ quartæ, sed posteriori & quæ initium est decimæ quintæ. Non ergo lunæ decimæ quartæ priori, sed vesperа posteriori Israel exitus fuit de Ægypto. Denique quoniam fundamentum, quo fidunt præcedentis expositionis patroni, ex illo *à vesperа vsque ad vesperam celebrabitis sabbatha vestra*, desumunt. Lunæ autem decimæ quartæ festiua non erat vesperа prima, sed solum posterior, cum non decima quarta dies sed decima quinta festiua esset, à vesperа incipiente solemnitate. Quamvis ergo vesperа posterior diei decimæ quartæ spectare possit ad decimam quintam tamquam solemnitatis initium, non sic vesperа posterior diei decimæ tertiæ.

Primum imprimis, si quid roboris habet, non pro posteriori sed pro prima decimæ quartæ lunæ vesperа stare videtur. Quoniam dies iuxta Scripturæ acceptionem incipit à vesperа antecedenti, referens enim dies creationis prioris à vesperа

incipit Scriptura. *Factum est vespere, & mane dies vnus.* Prima ergo vespera pertinet ad diem, cuius mane antecedit, vnde sicut immolatio, si fieret vespere mane diei decimæ quintæ præcedenti ad diem spectaret prædictam, vespera diei decimæ tertiæ celebrata præcedenti decimæ tertiæ lunæ mane pertinet ad decimam tertiam. Quod expresse tradidit ipse Iosephus lib. 2. Ant. Iud. c. 5. ¶ Appetente autem (inquit) decima quarta omnes ad iter accincti sacrificabant. ¶ Vel vt vertit Rufinus. ¶ Cumque instaret decima quarta dies. ¶ Quod initium decimæ quartæ lunæ agni tẽpus legitimum denotat esse.

Facilius explicatu est secundum. Quoniã vt vere dictum sit illud *Eadem die educam vos*, sufficit quod ab illo tempore exitus facultas sit impetrata. Tunc enim fieri dicitur passim in Scriptura, cum primum exequi incepit. Sic homo, cum violauit legem diuinam, primum mortalis dicitur fuisse, quia ex tunc ius in supplicium contraxit, miseriisque mortalitatis subditus mansit. Vnde eamdem in veritatẽ conueniunt Marcus, atque Matthæus, illo de hora, qua Christus fuit in crucẽ suspẽsus, *Erat autem hora tertia*, hoc, *hora sexta* scribente. Quippe à iudice hora tertia dãnatus est cruci, quamvis hora sexta fuerit suspensus. Simile dicendum est de exitu Israel de Ægypto. Vltimum autem minus conuincit. Quamvis enim decimus quartus dies non esset festus solemnitate otij, illo enim homines poterant operari, mactatu tamen agni solemnis, & celebris erat. De hac ergo festiuitate intelligendi sunt quot quot patres, die festo Christum fuisse passum dixere. De quo videndus Azor tom. 5. lib. 6. c. 33. q. 3.

Neque ex ijs sequitur Christum Dominum non consecrasse in Azymis, cum hæc solum inciperent edi lunæ decimæ quintæ priori vespera. Credendũ autem est Christum pane vsuali, & quẽ præmanib⁹ tũc habuisset, celebrasse sacrum mysterium. Non sequitur, inquã, quoniam & si Christus die anticipato agnum celebrasset paschalem, vsus etiam probaretur consecrationis in azymo, in cænam enim agni azymus tantũ adhiberi poterat panis, cum autem Christus peracta cæna legali, lotisque pedibus nullo alio expectato pane, apposito in mẽsa azymo consecrauit iuxta legitima priscis indulta patribus. Nisi dicendum sit, à vespera priori decimæ quartæ illucescentis diei fermentũ eliminatum, vnde octo dies non septẽ dumtaxat azymorum recognoscimus. De quo inferius.

Exod. 12. Quarta decima luna mensis Nisan immolari præcipitur agnum.

Leuit. 23. Secundo die paschatis ex nouis frugibus præcipitur offerri manipulum. Hoc enim non compatitur cum mensibus lunaribus ex 29. constantibus diebus, quibus vtebantur Hebræi, iuxta quos luna decima quarta, quæ hoc anno conuenit cum Nisan, post plures in Decembrem conueniet, in qua nouæ anni fruges impossibiles sunt ex natura rei.

Cum anni Lunares quibus vtebantur Hebræi, breuiores fuerint anno solari,

vn-

vndecim minimum diebus sequitur euidenter primum mensem non semper fuisse nouarum frugum, neque Omer præceptum in lege statuto tempore offerri potuisse, sed paulatim post aliquot annos primus mensis anni hiemē mediam occupasset, & tandem ad autumnum & æstatem retrocessisset. Sic Eliah Ben Moiseh, Seld. 1. c. 18. ¶ Quoniam annus solaris (inquit) excedit lunarem diebus 10. & horis 21. præter minutias aliquot, ideo sub inde oportet annum facere mensium tredecim, vt inde habeatur Abib, seu tempus vernum mense in primo, iuxta id quod legitur in Scriptura *Custodi mensem Abib*, vt scilicet ita satis adaptentur inuicem anni Solares, ac Lunares. ¶

Circulum ergo 19. annorum constituebant, quem decemnouenalem vocabant, in eo duodecim anni duodecim mēses Solaribus æquales claudūt, & appellantur communes, & regulares: ex septem alijs tredecim mensibus quilibet constat, & anni dicuntur emboliſmici. Forma autem intercalationis hæc erat. Elapso anno lunari, qui mense terminabatur Adar nostro Februario fere correspondenti, alium addebant mensem, & secundum Adar vocabant, vt solemnirates cæteræ stabilem semper sedem haberent, quia post mensem adiectitium iam dictum sequebatur immediate Nisan, qui primus apud Hebræos erat in festis, & clauis præcipua disponendi anni totius paschatis festum.

Tempus autem Phase festiuum nō incipiendum, inquit Seldenus, ex receptissima à maioribus traditione statuere, nisi plane constaret æquinotium vernum, quem Tekupham Nisan appellant, aut postero immolationi die aut ante euenturum: adeo, vt nisi præscirent, si annus elabens communis foret, seu duodecim tantum mensium, æquinoctium in ratione temporum aut ante diem 15. Nisan, seu primi mensis anni imminentis, aut eodem die confectū iri, annum elabantem intercalarem facerent, seu mensium tredecim, vt inde Nisan imminentis anni sursum protrusus, vicem eius Adarę secundo occupante, commodum in diebus suis præberet paschati locū, seu tempus quod aut æquinoctium sequeretur, aut non aliter, atque dictum est, anticiparet. Hinc aiunt, hoc fieri solitum, ne scilicet non celebraretur pascha tempore Abib, seu matureſcentium frugum. Atque rationi huic ita subnitebantur, vt absque vlla alia annum intercalarent. Et enim aliæ fuere causæ, eæ que ferme triplices; vt serotina frugum, agnorū, hædorum maturitas, itinerum ad vrbē sequentium incommoda, veluti pontes diffracti, aquarum colluuies, viæ cænosæ: & minime idoneus fornacum Hierosolymis annis paschalibus assandis status. Etiam causas ob hasce subexitum anni elabentis præuisas adiectitium seu intercalarem adhiberi voluerunt mensem, ne scilicet per aliqua illorum incommoda deesset quid paschati, festis que insequentibus vernis omnino necessarium. Frugum autem ac vernantis temporis status considerabatur in regionibus illis tribus Iudæa, Transiordanina, ac Galilæa. Si in harum duabus serotina præuideretur subexitum anni maturitas, intercalabatur annus; non item, si in earum vnica aliqua. Personæ quas & Phasibus decernendis & intercalationi annali præfuisse aiunt Talmudici, erant Princeps, ac Synedrij collegæ magni Hierosolymitani, seu eorum ex ip sis mandatarij aliquot, minimum tres, qui vsque in septem augendi, si sententijs dissedissent: nec omnino alij, inuito autem Principe anni intercalatio admittenda non erat.

De quibus sic Maimonides Halach Kiduſch hachodesh c. 2. §. vlt. ¶ Quoties Synedrium (inquit) sanctificasse Neomeniam, siue id ex errore, aut ignorantia, aut etiam vi aut inuito fecisset, sanctificatio legitima erat. Et vnicuique necessario inde occubuit of

fi-

ficium festa, atque alia tempora obseruandi iuxta diem, quæ illi sacrificassent. Atque etiam si sciret ipse Synedros errasse, illorum tamen iudicio ei erant nitendum. Neque enim alijs præter illos hoc negotium traditum est. Atque is qui festa obseruanda iussit, eorum item iudicio iussit standum. ¶ Quo trahunt illud Leuit. 23. *Et locutus est Dominus ad Mosem dicens, loquere ad filios Israel, & dices ad eos, solemnitates Domini, quas vocabitis conuocationes sanctas, hæ sunt solemnitates meæ.* Vbi legunt *vocabitis vos*, sicut habetur in codice Samaritano, quasi Mosi, & Synedris suis, eiusque successoribus dictum fuisset. Vnde intercalationis scientiam non cuilibet, sed eis, qui manuũ impositione ordinati sunt intelligentiores, datam aiunt, presbyteris, scilicet, in Synedrium Magnum coaptatis. Postquam autem desijt Synedrium, ius Neomeniarum & Phase atque intercalationum decernandarum desijsse Talmudici volunt. Synedrij autem, qui rei huic præfuere collegæ, simul ac tempore suo vidissent corniculantem lunam ad clamabant. *Sanctificata est, sanctificata est*, succlamante similiter populo, qui simul ad esset. ¶ Si conspiciatur (inquit Eliah Ben Moseh Seder 1. c. 16.) Luna cum Sole in die 30. scito hunc diem esse sanctificandum. Si non conspiciatur cum Sole, sed conspiciatur post vesperam suam, scito diem postriduanum esse sanctificandum, si nec die 30. nec vespera compareat, obseruandus est etiam dies 31. in quo si appareat cum sole prope huius occasum, scito, diem hunc sanctificandum. Quod si conspiciatur cum Sole die aperta veluti horis duabus, aut tribus ante occasum Solis, scito, diem huic pridianum (id est 30.) esse sanctificandum. ¶ Cum autem de certo iuxta eorum disciplinam Neomeniæ dies satis non liquerer, duos dies ob dubium celebrabant, vt Eliah Ben Moseh in Seder. 1. c. 16. Formulam edicti nomine Principis Synedrij conscribi solitam, missam que per vrbes terræ sanctæ, alia que loca, memorat Maimon. sic: *Vobis innotescat, me, socios que meos, seu collegas meos consensisse, vt adijciatur huic anno tantum, vel tantum.* Similis refertur in Guem. Bab. tit. Sanch. cap. 1. fol. 11.

Exod. 12. Habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit quadrigentorum triginta annorum.

Genes. 15. Affligent eos quadrigentis annis.

---

§. I.

Varia Rabbinorum proponuntur, pro vera huius Antilogiæ concordia, placita.

IN præsenti textuum oppositione, quam Hieronymus insolutam reliquit, varia delirarunt Rabbini. Prius autem irridendus est R. Iochanaam, qui 430. annorũ in ortu Ephaim & Manases sumit initium quinque annis ante ingressum Iacob in Ægyptũ, quibus si addas 210. quo immorati sunt tempore Israelitæ in Ægypto sunt 215. quibus duplicatis 215. annis noctis, & diei totidem, 400. numerum implent dierum ciuilium 12. horarum, licet non naturalium 24. horarum. Hoc inquam delirio omisso Rabbi Ben Gerson, principium captiuitatis sumit à natiuitate Iacob, qui primus in terra non sua peregrinus incessit miserabili peregrinatione continua: inde

ergo

ergo vsque ad exitum Israelis 355. fluxerunt anni. Dominus autem eorum commotus meritis 45. annis miseriam, & captiuitatem breuiauit. Sensit idem Chrisostomus homil. 38. in Genes. Decretum (inquit) quo statuerat 400. annis illos affligere, eorum miseria motus variauit, & abreuiauit eorum afflictionem, & pœnam 200. annis.

Hæc autē expositio ex eo difficilis redditur, quod afflictio in rigore sumpta 122. annis solum durauit. Constat hoc, quia afflictio rigorosa mortuo primo Paraone, cuius in gratiam, & vixit, & clauum tenuit Ioseph us, cepit, alio Pharaone imperante, qui immemor benemeriti in Ægyptum Ioseph i, illo, & fratribus iam defunctis, populum opprimere incepit (à Mariæ ortu exordium afflictionis Hebræi plures sumi arbitriati sunt, & ab eius nomine amaram esse appellatam.) Quamvis autem immediatè à morte Leui inceperit seruitus 96. annis, accidit post ingressum Iacob in Ægyptum, vnde solum durare potuit 122. annis, non igitur intelligi potest littera textus de extrema afflictione populi, vt voluit Chrisostomus, & citatus Rabbinus. Sic obseruarunt R. Eliezer cap. 48. & Elias Orientalis in paras. Neque credibile est, Deum sic velle affligere Abrahamum, vt eius misericordiam non reuelauerit, ante prædiffinitum tempus à captiuitate Ægypti populo liberato.

Aben Ezra initium 430. annorum à 70. ætatis Abraham, quo eductus est de Vr Chaldæorum à parente Thare, vnde cæpit eius peregrinatio, desumit, tuentibus etiam Beliandro Capelo Tremelio, Beza, & Codomano de protestantibus. Verum hæc expositio ex illo principio falsitatis arguitur, quod peregrinatio Abrahamo à Domino reuelata à promissione ipsi facta cæpit, hæc autem, cum 75. annum complesset, vt constat Genes. 12. & 21. facta est, solum enim à promissione vsque ad ortum Isaaci 25. anni fluxerunt, non 30. Præterea supponit tamquam verum, quod à plurimis iam diu dubitatum est, quod Vr ciuitatis sit nomen, quidquid sentiat Ioseph us. Vr enim in sua origine ignem significat. Vnde Moses Gerundensis, atque Maimonides in suo directorio, miraculose à Deo liberatum à flammis Abrahamum constanti animo idololatriæ reclamantem, sentiunt, & innuere, illa verba: *Ego te eduxi de Vr Chaldæorū*, volunt.

Moses Gerundensis, nō esse in rigore de 430. annis Exodi locū intelligendū, ita vt vere tot currerint anni. Deus ergo solum reuelauit Abrahamo 400. annorum captiuitatem suæ posteritatis, & illa tantum intendit, verum delictis, & abominationibus postea irritata pacientia addidit seruitutis alios 30. Neque sine fundamento sit dictum. Nullibi Sacræ Paginæ affligendum 40. annis per desertum populum, traditum est, propter eorum autem delicta inflicta fuit huiusmodi pœna. Iratus dominus, *Non permanebit spiritus meus in homine, & erunt que dies illius* 120. *annorum minatus est*, quod de termino vitæ hominibus in posterum futuro haud intelligi vale, vt credidere Ioseph us, Philo, Lactantius, Rupertus, & Abulensis, & constat ex textu vita plurium 200. annorum terminum excedente. Intelligendum ergo est de vitæ hominibus tunc præfixo, vt intra illum pœnitentiam egissent. Post 100. autem, ante 20. annos homines inundauit diluuium cunctos, quos arca non custodiuit illæsos. Sic sentit Hieronymus. ¶ Quod vero (inquit) pœnitentiam illi agere contempserunt, noluit Deus tempus expectare decretum, sed 20. annorum spatijs amputatis induxit diluuium anno centesimo agendæ pœnitentiæ destinato. ¶ Sentiunt ergo omnes comminationes includere condi ionem ab hominum pendentem meritis, vel peccatis,

catis. Hæc ſententia, ſi vera non eſt, nullum tamen relinquit veſtigium, quo falſitatis poſsit conuinci.

§. II.

Proponitur communis expoſitio Doctorum.

ANte omnia ſciendum eſt neceſſario pro textuum oppoſitionis concordia, triplici infelicis fortunæ ſtatu Iſraelitas fuiſſe vexatos peregrinationis, ſeruitutis, & afflictionis ærumnis quibus Ægyptus, atque Chanaam moleſtauit. Primus incepit ab Abrahamo ſuppoſita promiſsione: poſt mortem tribuum ſiue filiorum Iacob paſsi fuere ſecundum, de quo Pſalm. 103. miſerrimus tandem ſtatus, quo arctiſſima afflictione fuerunt oppreſsi cæpit à nouis Pharaonis imperio, quo fluctibus, & vndis, & filij Hebræorum ſunt traditi, & labore laterum vehementer opprimebantur. Hoc animaduerſo ſic conciliari debent Moſes in Geneſ. & ipſe in Exod. atque Paulus ad Galatas 3. Hic enim, & Moſes in Exodo à promiſsione Abrahæ ætatis ſuæ 75. quo à patria ſua Chanaam verſus peregrinauit à Deo vocatus, numerant annos 430. Quoniam à 75. Abrahæ vſque ad ortum Iſaac 25. anni currerunt, centenario enim Abrahæ naſcitur Iſaac, ab hoc vſque ad ortum Iacob 60. vt Geneſ. 25. ab iſto autem 130. annos, numerabis 215. partem annorum Ægyptum ingreſſus eſt Geneſ. 46. Collige 25. 60. & 130. annos, numerabis 215. partem annorum dimidiam, quos quærimus: ita vt totidem ab ingreſſu Iacob vſque ad exitum ſuperſint. Geneſis v. 15. de peregrinatione agitur (ſicut, & locus Iudith) ſeminis Abrahæ, vbi non comprehenditur ipſe Abrahamus, ſemen enim non Abraham, ſed Iſaac, in quo omne vocabitur ſemen, intelligitur. Ab Iſaac ergo peregrinatio ſumpſit exordium, cum quinque ſolum eſſet annorum, tunc enim Iſmael, qui ſecundum carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundum ſpiritum, vt inquit ad Gal. 4. Paulus, à quo tempore vſque ad exitum de Ægypto 400. rotundi fluxerunt anni. Sic D. Auguſtinus, & communiter Sancti Patres Abulenſis, & Expoſitores recentes, quos ex Rabbinis ſequitur Manaſes Ben Iſrael. Vel ſi velis dicere ab ortu Iſaaci numerari debere annos, à quo vſque ad exitum currerunt 405. anni, facile componitur, cum paſsim Scriptura Sacra numerum minorem contemnere ſolear, vnde quinque, qui anni ſuperſunt in numero maiori, & rotundo abſorbentur. Sic ſentit D. Auguſt. Scriptura (inquit) contenta ſolida annorum ſumma ſolet ita nuncupare tempora, vt de ſumma imperfectioris numeri, qui paululum excreuerit, aut infra eſt, non cõputetur, ſic Beda, Oleaſter, & commuter alij.

Verum contra iſtam expoſitionem, plures neque leues inſultant difficultates: Verba namque Scripturæ expreſsè tradunt, habitationem filiorum Iſrael fuiſſe 400. annorum, non filios Abrahami eorum aui, in Ægypto, non in Chanaam. Si ergo certiſsimam Auguſti regulam amplectamur, quoties in Scriptura rerum geſtarum inſtituitur narratio, verba quantum fieri poſſit ingenuina ſignificatione capi, & intelligi debent filij Iſrael propriè dicti, non filij Abraham, ſed ſolius Iacob filij ſunt. Quis enim auum, aut patrem alicuius eiuſdem filium appellet? Quis Ægyptum Chanaanitidem intelligit? Roborant textus ipſius verba: *Scito prænoſcens, quod peregrinum futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua.* Hanc inferius exprimit *ſubijcient eos ſeruituti*, quaſi intelligant illam, qua grauibus cladibus ſunt afflicti, hanc autem Ægyptum, non Chanaanitidem eſſe nullus negabit. Vlterius terram non ſuam appellat, in qua peregrinum

fuit

fuit semen Israel Scriptura, Chanaam autem non tàm terra non sua vocari debet Israelitis, quàm Ægyptus. Cum enim Deus posteris Abrahami terram Chanaam promisisset, iamque illi si non ius in re, saltem ius ad rem suo tempore possidendam habebant, terra Chanaam magis eorum dici potuit, quam non eorum. Adde, quod de illa terra loquitur Deus, de qua post seruitutem egressi sunt cum magna substantia. Hæc autem Ægyptus, non Chananea erat terra. *Generatione autem quarta reuertetur huc*, inquit textus, quasi Chanaam terminus fuerit *ad quem*, Ægytus egressionis *a quo*, vt sic loquar. Neque à textus litteraHebræi longissime distat. Vbi enim nos *In terra non sua*, legimus, ipse, *beerez lo lahem: in terra non ipsis* ideſt interra non ipsis debita, nec promissa. Genes. etiã 31. Iacobum affatur Deus. *Reuertere in terram patrum tuorum* quibus verbis sine controuersia Chanaanitidem intelligit, Dei igitur iudicio Chanaam Abrahæ, & seminis eius fuit.

Secundo difficilem reddit traditam superius expositionem locus Iudith 5. *Cumque operuisset*, (inquit ad Holophernem Achior eius dux) *omnem terram fames, descenderunt Ægyptum, illique per quadringentos annos sic multiplicati sunt, vt dinumerari non posset eorum exercitus.* Quid clarius illustrari potest. Populus enim non potest in Ægypto dici multiplicatus, priusquam illic è Iosepho liberi nascerentur: nullus namque Hebræorum ante duos Iosephi filios natus est in Ægypto, ac proinde totum illud quadringentorum annorum tempus, per quod multiplicati sunt in Ægypto necesse est inter Manasse primogeniti Ioseph exortum & Mosis exitum contineri. Scopus namque per orationis Achioris illuc tetendit, vt sicut benignitatem in populo protegendo, sic in illo multiplicando prouidentiam, curamque declararet. Eam autem longe cumulatius exaggeraret, si per 200. dumtaxat, quam si per quadringentos annos multiplicatum diceret populũ, ita vt dinumerari eorum non valeret exercitus. Insulsus sane fuit Achior, qui contra causam, cuius patrocinium agebat, numerum duplicauit, cum tantum minueret miraculum quantum annorum numerus creseret. Potius igitur e legitimo numero subducere, quã adijcere debuisset, si semel dispendiũ veritatis non curaret, vt mirabilem in propaganda populi sobole, prouidentiam diuinam significaret.

Dicet quis fortasis, Achiori rerum Iudaicarum alienigenæ ignaro fidem adhibendam non esse. In quos difficile argumentum liber Paralipomenon subministrat. Nouem, Ephraim, liberos interecione deletos, totamque eius posteritatem penitus extinctam luxit Paral. 1. c. 7. Iosephum, qui dicat, vidisse hanc cladem, nullus repertus est, biennio post Iosephi mortem accidisse putant Salianus, Tirinus, & alij. Et alij, anno post Iacobi descensum 73. *Luxit itaque Ephraim pater eorum multis diebus ita ingressus que est ad vxorem suam, quæ concepit & peperit filium, & vocauit nomen eius Beria.* (inquit textus) Quo sane tempore annus 74. currerat, supererant que ad Exodum 140. dumtaxat anni, si solum 215. habitasse Ægyptum Israelitas, ponamus. His statutis vltra progredimur à Beria vsque ad Iosue fuerunt septẽ generationes. *Porro* (inquit textus) *filius eius Rapha, & Reseph, & Thale, de quo natus est Thaan, qui genuit Laadam, huius quoque filius Amiud, qui genuit Elisama, de quo natus est Nun, qui habuit filium Iosue.* Adeo que Iosue octauus ab Ephraim, septimus à Beria numeratur. Tunc sic. Mortuus est Iosue filius Nun, seruus Domini centum & decem annorum Iosue 24. Post Mosis obitum reipublicæ clauum tenuit annis decem, vt putant Canus, & Caietanus, aut 14. vt sensit Pe-

ac-

tanius, aut 17. vt Beda, Adricomius, Arias Montanus, Ioannes Lucidus, Torniellus, Salianus, Henricus Philippus, Tirinus, & alij. Vnde cum populus de Ægypto egressus est, Iosue fuit annorũ 60. calculo Cani, & Caietani 56. Petauij autẽ 53. vt alij, quos 53. si à 140. deduxeris, inter Beriæ, & Iosue exortum 87. dumtaxat interceſſerunt anni tribuendi ſeptem generationibus, ita vt ſinguli Ioſue maiores liberos duodecimo circiter ætatis ſuſceperint anno, & vndecimo generarint. Præſtat ergo tempus manſionis in Ægypto producere, quam tot generationum capita tam arctis temporum limitibus cohibere. Quod ſi eorum manſioni 430. tribuamus, erunt inter Beriam atque Ioſue circiter annos 300. qui in ſeptem generationes partiti, ſingulis anni fere 43. reſpondebunt.

Verum, quamvis catachreſis, ſiuè ſynedoche duplex, quam neceſsitate compulſi tenentur admittere huius expoſitionis patroni, duriuſcula eſſe videatur, vt eſt confeſſus Petauius, eam tamen, quia tot conſpirantium chronologorum auctoritate munitam, cogimur defenſare, vnde nomine Ægypti Chananæa terra, filiorum Iſraelis, eorum maiores intelliguntur, filius namque non ſolum ſignificat illum, qui rigoroſe talis eſt naſcendi conditione, ſiuè adoptione quæſitum, ſed pro eo, quod altero continetur. Sic frumentũ dicitur filius areæ Iſai 21. & Threnor. 3. *Miſit iuuenibus meis filias pharetræ ſuæ*, id eſt ſagittas, quæ pharetra continebantur. Abraham ergo vnus de filijs Iſrael, quia caput & princeps populo Iſraelitico habetur, merito dici poteſt. Iſrael namque nomen collectiuum eſt (vt ſic loquar) populum ſignificat, non hominem ſingularem, vnde per prolepſim non eſt quare Abraham non valeat vocari Iſraelita, vt apud Poetam.

Euandrus Romanæ conditor arcis,
Aſcanius magnæ ſpes altera Romæ.

Dicuntur, licet vterque diem obierit extremum multis ſæculis, antequam populus Romanus id nominis obtineret. Nomen quidem filij apud Hebræos interdum pro tota vſurpatur natione, vt Iſai. 11. *Et prædabuntur filios orientis* Thren. 4. *Filij Sion inclyti.* Hæc eadem ſentiunt Rabbini, Moſes Albelda, & R. Natham in Bereſith Raba. Patriarchæ enim omnes (inquiũt) nomine Iſrael appellari ſolent, licet ſolius ſit proprium Iacob, Iſraelis enim nomen dignitatis, honoris, & decoris eſt apud Hebræos, & ſic poſt Iacob omnes patriarchas hoc nomine appellitabant Iacob ipſo priores. Iudæi ſimiliter nomen proprium erat vnius tribus, per appropriationem tamen, quemliber, qui eſſet conſpicuus in populo, illo cognomine decorabant, ſicut Mardochæus, qui de tribu Iuda originem non ducebat, in libro Eſther appellatur Iudæus.

Vocabulo Ægypti contineri, non Ægyptum ſolam ſed Chanaanitidem etiam ſuſtinendum eſt, neque oppoſitum conuincit Geneſ. repertus iam locus. Prima namque Abrahæ peregrinatio fuit verſus Ægyptum Geneſ. 12. Vltima fuit in Ægypto, vbi duriſsime, & tempore longo populus fuit afflictus. Denominatio ergo cum à principio, & fine accipiatur, cætera intercludit, & abſolutè eius habitatio, & manſio dicitur fuiſſe in Ægypto. Neque à propoſita expoſitione nos dimouere poteſt textus ponderatio reduplicata, videlicet, quod Moſes ſemen Abrahæ in terra non ſua dixerit peregrinum 400. annis: Nõ enim ideo ſentiendum eſt, quod omnes illos annos exegerit in Ægypto, ſed quod illud annorum 400. ſpatium in terra nõ ſua compleuerit. Fauet Auguſtini de annis Tharæi teſtimonium. Iſte nãque

205. annis in Charra vixit, non quia omnes ibi fint acti, ſed quia ibi completi ſunt. Quod ſi quis dixerit iſtum loquendi modum apud ſolos Septuaginta ſeniores haberi, quorum auctoritas vel lectio aliquibus mendoſa habetur neque contra codices Hebræos, Chaldæos, Latinos que præſcribere debet, aliud non ſpernendum tradit liber Iudith teſtimonium. *Mãſit autẽ* (inquit textus Iudith vlt.) *indomo viri ſui annos centum quinque.* Quod referri debet ad annum centeſimum quintum vitæ ſuæ, non quod omnes indomo viri ſui annos exegerit, ſed quod illos ibi compleuerit. Pariter cum ſemen Abrahæ peregrinum dicitur fore 400. annis in terra non ſua, ſic intelligere debemus, nõ quaſi quadragintis illis annis in terra non ſua, ideſt in Ægypto verſati ſint, ſed quod ibi quadringenteſimum ſuæ peregrinationis annum impleuerint.

Quamvis ſuperius relata expoſitio, plures quam Genebrardi habeat patronos, non ideo iſta, vt à pleriſque fit, oculis adſperni debet, vt inquit nãque Cicero de natura Deorum. ¶ Non tam auctoritatis in diſputando, quam rationis momẽta, quærenda ſunt. Quin etiam obeſt plerumque ijs qui diſcere volunt, auctoritas eorum qui ſe docere profitentur. Deſinunt enim ſuum iudicium adhibere, id habent ratum, quod ab eo, quem probant, iudicatum vident. ¶ Igitur Genebrardus chronologiæ ſuæ caput 430. annorum, ab ingreſſu filiorum Iſrael in Ægypto, & incepta habitatione, prout verba ſonant, accerſit, & filios Iſrael, proprie pro filijs Iacob, non pro maioribus accipit. Terram non ſuam & Ægyptum, non Chanaanitidem, ſed Ægyptum intelligit ſolum. Quæ omnia omni ſecluſo dubio ſuauius litteræ conſonant, dummodo à difficultatibus ab annis Caathi, Amrami & Moſis petitis nos extricare poſsimus. Neque magnopere luctandum eſt, vt illas difficultatum tricas eluctemur, de quibus inferius.

Nunc autnm iam pullulant difficultates, Prima eſt. Quoniam Caath auus Moſis iam natus erat, cum Iacob deſcenderet in Ægyptum, ſiquidem inter eos, qui Ægyptum ingreſsi ſunt, recenſetur Gen. 46. Anni vitæ Caath 133. huius filius fuit Amran pater Moſis, fueruntq; anni vitæ Amran 137. Exod. 6. erat autem Moſes 80. annorum, & Aaron 83. quando locuti ſunt ad Pharaonem. Vnde licet Amran, & Moſen extremo patrum ſuorum anno genitos eſſe fingamus non conſtabit sũma 430 annorum. Nam ſi 133. Caath (gratis dato quod natus eſſet ipſo anno quo Iacob ingreſſus eſt Ægyptum), & 137. Amrami addantur anni Moſis 80. ſolũ 350. ſumma colligetur annorum.

Secunda oritur ex verbis ipſius Pauli ad Galat. c. 3. *Abrahæ dictæ ſunt promiſsiones, & ſemini eius, non dicit: & ſeminibus quaſi in multis, ſed quaſi in vno, & ſemini tuo, qui eſt Chriſtus. Hoc autem dico teſtamentum confirmatum à Deo, quæ poſt 430. annos facta eſt lex, non irritum facit ad euacuandam promiſsionem.* Quid expreſſius? D. Paulus inter Abrahæ promiſsiones, & legem latam annos 430. numerauit. Promiſsiones factæ dicuntur Abrahæ, cum ipſe ex Haram eſt egreſſus, anno ſcilicet 75. ætatis, ab hoc ergo anno ſumere debet 430. annorum initium ſuum chronologia. Ab exitu ergo Abrahæ de Haran vſque ad migrationem Iacobi in Ægyptum 215. fluxerunt anni, 25. Abrahæ, poſt quos natus eſt Iſaac anno 200. Abrahæ, Sexagenarius erat Iſaac, quando nati ſunt ei paruuli Gen. 25. Iacob c. 47. 130. annorum, ex quibus numerus 215. annorum colligetur.

(§)

§. IV.

Nil ex annis Caathi, & Amrani colligi posse contra habitationem populi Israel in Ægypto statuitur; quin potius ex ipsis, aduersarios fateri plusquam 215. annos intra Ægytum habitasse, teneri.

EX annis Caathi, & Amrani nil penitus colligi potest, quod nostram Chronologiam conturbet. In primis negari potest Caath natum iam fuisse, cum Ægyptum Iacobus ingressus est. Her enim, & Onam mortuos iã fuisse constat. Esron, & Amul multi nõ dum natos putant, licet inter filios Israel Genes. 46. numerentur. Ibidem inter filios Beniamin nonnulli recensentur, quos Septuaginta, non filios, sed fuisse nepotes scribunt. Isti autem nati nondum esse potuerunt, cum eorum auus Beniamin vix ætatis 24. attigisset. Quamvis ergo Caath inter filios numeretur Leui, nil nos cogit, vt Caath in descensu Iacob natum esse fateamur.

Verum concedamus contrarijs ex annis 130. Caath nati iam in descensũ Iacob, & Amrani 137. & Mosis 80. existere summam solam 350. annorũ. Quid inde? Negamus enim, generationes omnes inter Leui, & Mosem esse narratas, sed vnum, vel alterum stemmatis caput præteritum esse à Mose, vt deueniret citius ad narrationem, putamus. Neque ex his verbis, quæ Exod. 6. habentur *filij Caath, Amran, & Isaar*, & Num. 26. Caath genuit Amran. Ex ijs enim non licet potius filium, quam nepotem, vel abnepotem dicere Amran.

Mille possem exemplis contrarios in nostram expositionem adducere. Porrò (Genes. 11. dicitur) Arphaxad vixit 35. annis, & genuit Sale: & tamen ipsi auctoritate Lucæ compulsi Cainanum iuniorem interserunt inter Arphaxad, & Sale. Genes. 10. legitur. Filij autem Cham, Chus, & Mesraim. Porrò Chus genuit Nemrod. Et nihilominus Tirinus, & alij inter Chus primogenitum Chami, & Nẽrod, Chus siue Saturnum, filium prioris Chus, & patrem Nemrod adijciunt, quia commodum eorum Chronologiæ videtur. Salianus, & ipse Tirinus inter Salmon, & Obed vno Booso non contenti duas alias generationes obtrudunt, patrem, filium, & nepotem eodẽ nomine Boosi indigitantes; quamvis Ruth. cap. 4. Paral. 1. c. 1. Matthæus c. 1. Lucas c. 3. genealogiam texentes vnius solius Booſi mentionem faciant. Denique omnes cõsentiunt tres à Matthæo prætermissas esse generationes sine veritatis dispẽdio; cur ergo Moses nõ potuit aliquot præterire è maioribus, vt citius à Caatho filio Leui ad Amran parentem suum deueniret? Adde Esdram lib. 1. c. 7. maiorũ suorum ad Aaronem vsque stemma perducentẽ, sex eorum prætermisse, quos esse supplendos ex 1. Par. c. 6. cõstat. In quibus omnibus genealogijs filius, vel genitus non determinatè pro filio, & immediatè genito supponere debet, sed pro nepote, & abnepote quandoque. Et quidem si Amran filius Caathi idem pater fuit Mosis, mirum est, cum Caath quatuor dumtaxat liberos mares, Amran duos, scilicet, Aaronem, & Mosem cũ Maria sorore, Aaron quatuor, Moses duos susceperit, atque adeo nouem solum filij, & partim nepotes numerentur propagati ab Amran, quod anno altero egressionis eorum in Ægypto numerentur octies mille, & sexcenta capita Caathitarum Num. 1. Quisquam ne sibi persuadeat, quod inter fratres vnus nouem vix filios habeat, cum reliqui tres quatuor vel quinque capitũ millia numerarent?

Non solum autem fauere contrarijs possunt hæc omnia, quin etiam eorum Chronologiam conuellunt. Necesse enim

enim est vt 120. annis egerit Caath in Ægypto, quāvis puberē iam ingressū illuc fateamur, cum Exod. 6. fuisse 133. annorum dicatur, quibus si 80. accesserint anni, summam 200. colligemus annorum. Si ergo Israelitæ non plusquam 200. annis in Ægypto manserunt, vt volunt Chronologi nobis oppositi, quindecim dumtaxat annorum tempus interfuit inter Caath mortem, & Mosis exortum. Hoc autem falsi conuincunt ea, quæ intercapedine claudi non possunt. Exodi namque primo, v. 5. & 6. post patriarcharum obitum contigit illa mira populi propagatio, qui illis superstitibus mediocriter tantum excreuerat, qua exterritus nouus Pharao immemor beneficiorum Iosephi, illos miserrimè afflixit. Quomodo ergo tam notabilis populi multiplicatio tam paucis annis fieri potuisset? Post hæc ædificarunt vrbem Tabernaculi Pharaoni, Phiton, & Rameses. Quantum temporis trium vrbium ædificationi tribuemus? His omnibus transactis Exod. 2. Egressus est vir, qui fuit Amramus, vt Exod. 6. & accepit vxorem, quæ peperit ei Aaron, & Mosem, cuius nuptiæ multis annis Mosis ortum præcesserunt, fuit enim Aaron maior Mose toto triennio, vt liquet cap. 7. & Maria eius soror multo prouectior, iam enim adoleuerat cum infans expositus erat Moses, vt Exod. c. 2. Consilium autem, quod sagaciter Reginæ præstitit, vt lactandus eius auctoritate materno gremio redderetur infantulus, prudentiā plusquam puerilem insinuat. Nubilem autem esse significat vox ipsa *haalma*, quam hoc loco Moses vsurpat. De qua voce sic Hieronymus in Isaiam 7. ¶ Nunquam (inquit) me arbitror *alma* in muliere nupta legisse, sed in ea, quæ virgo est, vt non solum virgo sed virgo iunioris ætatis, & adolescentula, &c. vel certe virgo non puellula, & quæ adhuc virum nosse non posset, sed iam nubilis. ¶ Septies vox ista reperitur in biblijs, sed nubilem semper significat adolescentulam, Genes. 24. v. 43. Psalm. 68. v. 26. Prouerbior. cap. 30. v. 18. Cant. 1. v. 3. & Cant. 6. v. 8. Isai. 7. v. 14. Ex quibus, non paucis ante Mosis exortum annis, nuptias Amrami, & Iocabedæ fuisse contractas, non obscurè colligitur.

§. V.

Explicatur Pauli testimonium ad Galat. 3. & Genebrardi Chronologia alio eiusdem Apostoli loco Act. 13. stabilitur.

DErelicta illorum expositione, qui cum Hieronymo, Paulum stultum Galatis factum, vt lucrifaceret illos, arbitrantur. ¶ Non enim (verba sunt Hieronymi) ad eos his vsus est argumentis, quibus ad Romanos, sed simplicioribus, & quæ stulti possent intelligere, & penè detriuio. Quod ne videretur imperitia, & non arte fecisse, prudenter placat ante lectorem, & quæ dicturus est temperat præfatione præmissa. Fratres secundum hominem dico: quod enim dicturus sum, non dico secundum Deum, neque secundum reconditam sapientiam, & e os qui solido possunt vesci cibo, sed secundum eos, qui obtenera ætatis stomachi lacteo rore pascuntur. ¶ Primum quod secundum hominē dixisse videtur, est, quod ab humano testamento duxerit exemplum: alterum, quod vim fecerit in eo, quod Deus numero potius vnitatis, quam multitudinis semen vsurpet, cum Scripturæ semper proferant numero singulari: tertium, quod testamentum acceperit pro fœdere, siue pacto. Vnde iuxta hæc quartum annectunt, quod scilicet Paulus ad hominem (vt dicunt) argumentatur, & non ex sua, sed ex Galatarum sen-

tentia, & ex septuaginta codicibus, prout vsu poblico viritim terebantur, annorum protulit numerum. Cũ enim Septuaginta, vel potius eorum scriptores glossema quoddam edidissent, & iam tum apud eos legeretur, habitatio filiorum Israel, qua manserũt in Ægypto, & in terra Chanaam ipsi, & patres eorum, anni quadringenti, & triginta, non debuit cum his Chronologiæ tricis morose conflictari, sed ex eorum concessis, & codicibus admissis decidere controuersiam. Hac ergo de relicta expositione.

Dicendum est, non velle Apostolum annis 430. post promissiones dictas Abrahæ, latam esse legem, sed post testamentum confirmatum à Deo: confirmari autem dicitur, quod cum antea confirmatum, & conditum erat, iterata testatoris voluntate renouatur. Non solum autem Abrahæ, sed cæteris etiam Patriarchis promissiones confirmauit. Postrema autem testamenti confirmatio, de qua loquitur Paulus, (& merito, cum testamentum ab ea testatoris voluntate vim habeat, quæ postrema innotuit, vnde & suprema voluntas dicitur, vt ipse ad Hebræ. 9. *Testamentum in mortuis confirmatum est, alioquin non valet, dum viuit qui testatus est*) facta fuit eo anno, quo Iacob ingressus est in Ægyptum, vt cap. 46. v. 4. *Ego descendam tecum, & inde adducam te huc reuertentem.* Discriminat ergo Paulus testamentum confirmatum ab illa prima promissione: nam alias sic loqueretur Apostolus; lex non irritum facit testamentum à Deo confirmatum, vel lex non euacuat promissionem ad euacuandam promissionem, quo fingi nil potest ineptius.

Eadem Chronologia à Paulo fulcitur: ipse enim Act. 13. *Deus plebis Israel* (inquit) *elegit patres nostros, & plebem exaltauit, cum essent incolæ in terra Ægypti, & in brachio excelso eduxit eos ex ea, & per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto, & destruens gentes septem in terra Chanaam, sorte distribuit eis terram eorum, quasi post quadringentos, & quinquaginta annos.* Initium distributionis contigit anno post exitum 40. cum Moses tribubus Ruben, & Gad, & dimidiæ tribui Manasse agros trans Iordanem in terra Galaad assignauit. Electio verò patrum alia esse non potuit, quam cum Iacob testamento suo filijs suis benedictionẽ impertijt, eos tribuum capita siuè principes instituit, & pleris que ænigmatice, quæ eorum posteritati euentura essẽt, prædixit: Vnde merito Apostolus, cum mentio fieret distributionis, annos ab eo tempore numerauit, quo Iacob filijs suis tribuum patriarchis eam prædixerat. Si 17. annos è numero 430. subduxeris, (Iacob enim post ingressum anno 17. condidit testamentum) quos habitationi filiorum Israel tribuimus, supererunt 413. quibus si addas 40. annos ante cæptam agrorum diuisionem in deserto trãsactos, inuenimus inchoatam fuisse terræ distributionem anno 453. postquam Iacob prædixerat eam, quam summam vocat Apostolus annorum quasi 450. Hæc iuxta Genebrardum probabiliter.

§. VI.

Annos 430. non à descensu Iacob in Ægyptum, sed à captiuitate Iosephi esse numerandos contra Genebrardum ostenditur, & quam bene consonent D. Pauli ad Gal. 3. & Act. 13. testimonia.

INter illos, qui 430. annos in Ægypto sola credunt esse transactos, nõ satis constat (vt notat Augustinus q. 47. in Exod.) vnde habitationis sumi debeat initium, alij à Iacobi descensu, vt Genebrardus, alij à prorogia Iosephi dignitate, vt Tychonius, alij ab eiusdem venditione, in

Ægyp-

Ægyptum quę abductione ſuam chronologiam auſpicantur.

Nos autem, ne à verborum propria ſignificatione Scripturam deflectamus, à venditione Ioſephi 430. annorum exordium ſumimus. Moſes namque accurrati chronologi munere ſungens, annos habitationis filiorum Iſrael in Ægypto ab initio vſque ad finē comprehendit. Ioſephus autem in Ægypto annos 23. ante Iacobi deſcenſum exegerat, cui nati ſunt filij duo, ante quam fames veniſſet, quos Iacob fore filios reputandos ipſe dixit Gen. 48. verſ. 5. Ne ergo Ioſephum, Ephraim, & Manaſſe è numero filiorum Iſrael excludamus, habitationis initium à venditione Ioſephi, nō a deſcenſu Iacob in Ægyptum ſumere neceſſum eſt, niſi è numero 430. annos illos excerpamus, quibus iam habitaberant in Ægypto Ioſeph, Ephraim, & Manaſſe.

Ex quibus, bene cohæret Paulus act. 13. Quoniam cum ab exitu Iſrael vſque diſtributionem per ſortem anni fluxerint 46. à prima filiorum Iſrael profectione in Ægyptum, ſeu venditione Ioſephi ad eamdem terræ ſortitionem 476. colliguntur anni. Equibus ſi 23. annos à Ioſephi venditione elapſos ad id temporis, quo plebs Iſraelitis (ſic appello, vt à Ioſepho iam ad proregiam dignitatem euecto reliquos Iacobi diſcriminē filios) Ægyptum incolere cæpit, deduxeris, 453. remanebunt, vt vtriuſque diſtributionis habita ratione, annos quaſi 450. numerauerit Apoſtolus. Non quidem pure vt ſonant verba interpretari poſſunt Pauli, ſi ab anno Iacobi extremo, quo filijs ſuis terræ diuiſionem prædixit, ad annum extremum Moſis, quo terra transIordanem tribubus Gad & Ruben, & dimidiæ Manaſſe diſtributa eſt, fiat calculatio. Prima enim illa terræ diſtributio extra ſortitionē fuit, per ſortitionem autem eam terræ diſtributionem, qua ſexto & ſeptimo Ioſue anno nouem tribubus ſorte diuiſa eſt Chananæa, paſſim intelligere ſolent.

Iuxta hæc eadem explicatur Paulus ad Gal. 3. ibi. *Teſtamentum confirmatum à Deo quæ poſt 430. annos facta eſt lex, non irritum facit ad euacuā dam promiſsionem.* Quæ verba detorqueri videntur, ſi nouiſsima hæc teſtamenti confirmatio, eo ipſo anno quo Iacob in Ægyptum cum tota familia migrauit, contingere diceretur. Loquitur enim Paulus non de qualibet promiſsione, ſed de ea, quæ in omnes gentes redundarit. *Vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Chriſto Ieſu, vt pollicitationem ſpiritus accipiamus per fidem.* Quamvis autem Scriptura pluribus in locis Dei referat promiſsiones, vt Eccl. 44. v. 15. *Teſtamentum confirmauit ſuper caput Iacob.* & Gen. 46. v. 3. in nullis autem verbulum reperiri poteſt, quod ſecundum litteram ad vocationem & benedictionem omniū gentium pertineat.

Renouauit ergo dictas promiſsiones, & confirmauit teſtamentum Iacob, eo anno, quo Ioſeph à fratribus venditus eſt, & in Ægyptum abductus, cum poſt Sichimenſium eladem Deus Iacobo ſibi a vicinis gentibus metuenti benedixit Gen. 35. v. 11. *Ego ſum Deus omnipotens; creſce, & multiplicare: gentes & populi nationum exterunt.* Vel vt Septuaginta. *Gentes, & congregatio gentium.* Quod de gentibus ſecundum fidem congregandis intelligit Auguſtinus, q. 15. in Gen. Hoc ergo ſigillum eſt teſtamenti, hæc nouiſsima confirmatio promiſsionum, quibus Deus Abrahæ ſe in eius ſemine gentes benedicturum eſſe promiſerat, à qua ad legem datam anni 430. Pauli computo numerantur.

§ VII.

Confirmatur, initium habitationis Israel in Ægypto sumi debere à Ioseph ibi venditæ. Noua quæ traditur expositio, quæ Paulum, & Mosem inconcordiam reducit, & annos attingit Caath.

VT nebulæ illæ, quas ex annis Caath. possent obtendere nobis contrarij, facili negotio diffl entur, & ne plures, quam in Scriptura habentur, Amramo, & Caatho tribuamus annos, in superiori expositione denuo cõfirmamus, & tunc intrasse Israel in Ægyptum, quando illic Ioseph venditus esse cæpit, vt expressè tradidit Augustinus q. 47. in Exodum.

Sic chronologiam huiusmodi possumus stabilire. Constat Gen. 46. omnes qui recensentur, aut adhuc superstites, aut iam natos fuisse, cum Iacob in Ægyptum descenderet. Si quidem vt vers. 12. *Mortui sunt Her & Onam in terra Chanaam*, qui tamen in progenie Iuda censentur. Ruben duos tantum liberos ante migrationem susceperat, Gen. 42. *Duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi*, & tamẽ Gen. 46. in familia Iacobi quatuor filij Ruben numerantur. Beniamini vix ætatis 23. annorum erat, & in eius familia vndecim recensentur, quorum aliquos eius fuisse nepotes, Septuaginta tradiderunt. Quamvis ergo v. 27. dicantur septuaginta animæ omnes, quæ Ægyptum ingressæ sunt, non tamen necesse est, eos omnes descendisse, qui fuerant superius nominati. Illa verba, quæ v. 8 leguntur. *Hæc sunt nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Ægyptum*, non de septuaginta illis Iacobi posteris, sed de filijs proprie dictis intelligenda sunt, de quibus v. 15. *Hi filij Liæ, quos genuit in Mesopotamia Syriæ*. Qui autem è filijs eius propagati recensentur, non ideo nominantur, quod iam nati fuerint, & cum Iacob in Ægyptum descenderint, sed occasione filiorum commemorantur præcipui quique, qui partim cum ipso venerunt partim post eius descensum nati, sapientiæ laude, rerumque gestarum gloria præ cæteris floruerunt. Quod nisi esset, cur filiarum nomina tacerentur cum sola Dina recenseatur, cum plures extitisse dicere teneamur? sic enim v. 7. *Venit que in Ægyptum cum omni semine suo, filij eius, & nepotes, filiæ & cuncta simul progenies*. Et in Hebræo textu *Banau oubne banau itthо, benathau oubnoth banau: filij eius, & filij filiorum eius cum ipso, filiæ eius, & filiæ filiorum eius*. Similiter ergo plures celebriores quidem filij recensentur, & nominantur, quamvis nati nondum fuerint, cum Iacob Ægyptum ingressus est.

Si ergo plurimi ex nobis contrarijs multos eorum, qui Gen. 46. referuntur, natos non dum fuisse, cum Iacob in Ægyptum descenderet, non inficiantur, quo nos testimonio conuincent, si negauerimus, nondum natum fuisse Caathum, cum Iacob in Ægyptum descendit? Demetrius Phalerius apud Eusebium libr. 9. de præp. Euãg. eum annum Caatho illuxisse inquit primum, qui fuit extremus Iacobo. Quid, si dicamus primum vitæ illius diem fuisse, anno, quo obijt Ioseph? Quod sufficit, vt cum Iacobo ingressũ dicamus. ¶ Nimirum (inquit Aug. lib. 17. de ciuit. Dei c. 40.) introitus Iacobo in Ægyptum, quando eum cum septuaginta quinque hominibus Scriptura commemorat, non vnus dies, vel vnus annus, sed totũ illud tempus est, quamdiu vixit Ioseph, per quem factum est, vt intrarent. Eodem cap. Simul (inquit) cum illo computantur septuaginta quinque, non quia simul iam erant omnes, quando Ægyptum ingressus est ipse: sed vt dixi totum tempus habetur eius ingressus, quo vixit Ioseph per quem videtur ingressus. ¶

Et

Et quæst. 47. in Exod. sic habet de Caatho ¶ Quod si quis (inquit) dicat extremo anno vitæ Ioseph natum esse Caath filium Leui, septuaginta anni possunt accedere illi summæ, quia 71. annos vixit in Ægypto Ioseph post ingressum patris sui. Qua propter etiam si septuaginta anni vitæ Ioseph ab ingressu Iacob in Ægyptum vsque ad natiuitatem Caath, si tunc ortus asseratur, & centum triginta anni ipsius Caath, & cētum triginta septem filij eius Amram, & octoginta ipsius Mosis, quadringentos & septem & decem annos faciant, non quadringentos triginta. ¶ Verum Caath non 130. dumtaxat vixit annos, sed 133. ex quibus summa 420. resultat annorum, nō 430 Verum huiusmodi telum in Genebrardum Augustinus contorsit, qui à Iacobi descensu numerare 430. habitationis Israelis incepit.

Nos autem sic à Iosepho in Ægyptum abducto annis 430. exordium tribuimus, vt optime chronologiam cōponamus. Iosephus anno 17. fuit venditus, & anno 110. obijt diem extremum, ac proinde in Ægypto annos 94. exegit, quos si à 430. detraxeris, remanent 336. quibus tres illæ generationes Caathi, Amrami, & Mosis ex 350. annis constantes optime respondent, quia anni fere 14. qui supersunt, hi sunt, quibus patres cum filijs viuere potuerunt.

Pro coronide huius difficultatis scire quis desiderabit. Quare captiuitas populi, & seruitus sub Ægypto tā obscure nuntietur, termino peregrinationis, seruitutis, & afflictionis velata, cum de Babilonica captiuitate ita clare loquatur? Respondendum iudico cum Manasse Ben Israel, ideo clare 70. annis sub captiuitate futuros clare ostendisse, vt illis suæ captiuitatis causam manifestaret, & inter alia idololatriæ, iniustitiæ, & homicidiorum facinora, transgressionem præcepti semitæ iram diuinam concitasse. Ex 610 annis, quibus Israel habitauerat terrā sanctam, illi cōtinuo negarunt requiē, cum quiescere deberet 62. annis, & ex iubilæis octo, ex quibus in summam resultant 70. anni. Volens ergo & Israel punire, & terræ quasi soluere debitum, sub captiuitate Dominus esse permisit, quo tempore quieuit terra, neque ab vllo fuit culta. Quoniam autem eiusmodi captiuitate hoc solum delictum fuit purgatum, non fuit redemptio perfecta, neque vocata *Guehula*, ideſt redemptio, sed *pequida*, ideſt visitatio. Vnde in secundo templo non omnes redierunt, sed de tribu Iuda & Beniamin, aliquando Medis, aliquando Persis, & Romanis subiecti. Neque templum, sanctitate, qua primum functum fuit vnquam, defuit enim arca, prophetia Vrim, & Tummim, ignisque cœli, qui sacrificium comburebat, & virga Aaron, & mana. Solum ergo visitatio quædam diuina fuit, vt populus in se reuersus præterita plangere posset delicta. Neque rigore afflictionis ita fuerunt Israelitæ vexati, vt à Principibus non honorati fuerint. Alia potest discurri ratio, tempus enim captiuitatis Babylonicæ breue fuit, Ægyptiacæ autem longissimum, vt si clare pateret, Israelitarum valde deprimeret animos & in desperationem adduceret. Tertia, quia captiuitas Babylonica contigit in pœnam offensæ terræ irrogatæ, data autem per 70. annos æquali satisfactione, cessare debuit, Ægyptiacæ autem prolongatio vel breuitas à pœnitentia illorum pendebat,

Exod. 12. Alienigena non comedet phasc.

Exod. 12. v. 19. Aduenis prohibetur fermentatus panis, qui solum phasc edentibus vetatur.

FAcilis est concordia, per aduenas enim intelligit Scriptura proselytos iustitiæ, eos scilicet, qui exquacumque fuerint gente, nomen dederint Iudaismo profitentes circumcisionem. Alienigena autem, ideſt à gente & religione Iudaica extraneus arceri præcipitur à comedendo phasc.

Ex Exod. c. 12. Neque enim erat domus, in qua non iaceret mortuus. Ac proinde in qua primogenitus non fuisset.

Difficiliter id credi potest, quoniam nulla mulier sterilis esse deberet, neque vir ipse, nullus vir viduus, nulla ve mulier. Quæ omnia iniuitate tam populosa impossibilia sunt ferè.

POsset intelligi Sacra Scriptura quod per hyperbolē loquuta sit, ac si diceret vix est domus, in qua mortuus non esset; si enim aliqua fuisset exceptio, vt si qui à paucis mensibus matrimonio fuerint ligati, pro nihilo censeri debet, vt per hyperbolem vera sit vniuersalis, vel dicendum. *Neque enim erat domus* intelligi debet de domibus, quæ liberos haberent. Nisi ad Dei prouidentiam recurramus cum D. Augustino & Lyra, quæ vt in omnibus domibus primogeniti essent, ordinauit. Quod credibilius erit in Ægypto in qua maxima mirabatur fæcunditas, & vxorum permittebatur multitudo, exquibus difficile esset nullum ortum fuisse primogenitum.

Exod. c. 12. Et petierunt ab Ægyptijs vasa argentea, quibus illos spoliarunt Ex. 2.

Deut. 5. Non furtum facies.

Vide Antilogiam istam in Genes. vbi de simulatione.

Exod. 12. Septem diebus comedetis azyma vsque ad vicesimam diem ad vesperam.

Marc. 14. prima die azymorum, quando pascha immolabant. Sētit ergo eadē die & pascha celebrari & incipere azyma, cū ergo, vt superiꝰ diximꝰ, immolatus sit agnus ad vesperā priorem lunæ decimæ quartæ, quæ ad diē 13. spectat, ab illa incipiunt azyma vnde sunt octo dies.

Si in memoriam recolamus controuersiam inter Græcos patres, atque Latinos, non erit difficile hos reperire patronos in azymis octo statuendis. Inter alia enim quæ Nizetas pro Græcis sub Leone Octauo anno 1050. allegauit, illud solum erat, quod luna decima quarta, quando Christus pascha immolauit, azyma nondum erant, hæc enim à decima quinta incipiebant. Ad quæ pro Latinis (vt videre est apud Baronium) Humbertus Episcopus Legatus ad Constantinopolitanos pro Sede Apostolica missus, solide & vere respondit. Inter alia autem decimam quartam lunam integram ad azyma pertinuisse, eo quod cum azymis agnus comederetur, statuit. Idem Sanctissimus Leo Octa. epist. 6. ad Michaelem Constantinopolitanum Patriarcham. Idem sensisse visus est Ruper. ca. 15. in Exod. Neque disentit Isid. Pelusiota lib. 3. ep. 110.

Verum quid dicendum ad Exod. c. 12. Leuit. 23. Num. 28. & Deut. 16. in quibus omnibus pro azymis septem numerantur dumtaxat? Pro ijs locis exponendis monendum est, quod notauit Baronius, diuersam, inquit, esse solemnitatem paschalem, ab ea quæ dicitur Azymorum, sicut in Leuitico his verbis notatum habetur. Mense primo, quarta decima die mensis ad vesperam Phase Domini est, & quinta decima die mensis huius solēnitas Azymorum Domini est. Septem diebus azyma comedetis. ¶ Quæ quidem duplex solemnitas ex diuersis rebus gestis, ac duplici beneficio à Deo accepto originem duxit, & quia transiliens domos Israelitarum interfecit primogenita Ægypti, & quia populus de Ægypto liber exiuit, comedit azyma. Vnde si vtramque pascha à Sacro textu quis intelligi velit, Azymorum sunt dies octo primus nempe decimi quarti, quo celebrabatur phase, & septem ad solemnitatem azymorum pertinentes. Quoties ergo septenarium numerum Scriptura designat, solemnitatem azymorum tantum comprehendit, ad quam nisi ab vltima vespera decima quarta dies nusquam spectat. cum autem in Exod. luna decima quarta ad vesperam azyma vsque ad vicesimam primam diem dicitur esse edenda, omnes ràm phase, quàm Azymorum solemnitates referuntur.

Ad illud ergo *Septem diebus azyma comedetis à vespera lunæ decimæ quartæ vsque ad vesperam vicesimæ primæ*, de vespera posteriori intelligendum existimo. Verum ibi solum de azymorum paschate Sacer textus sermonē instituit, in cuius festiuitate septem diebus ab exitu diei decimæ quartæ vsque ad vicesimæ primæ terminū azyma currunt. Neque verba illa ad agni paschalis solemnitatem spectāt, de qua superius plura locutus fuerat. Vel dicendum, quod absolute septem appellantur Azymorum dies, non quia Phase die qua celebratur, non fuerint azyma, sed quia non integre azymorū esset dies, quoniam licet ad epulas agni paschalis solus azymus adhiberetur panis, non tamen prorsus fermentatus prohibitus erat, vnde ex parte solum azymis dies dicata fuerat. Quādo ergo Scriptura septem azymos nominat, de ijs tantum loquitur, qui integre azymi sunt, quibus nullus vsus esset fermenti. Vnde de die decima quarta, quod edantur azyma monet, de alijs autem septem, quod relegetur omne fermentum è domibus cauit. Melius autem, & conformius Euangelistarum litteræ, consecrationi que Christi Domini in azymis iudico fore, si diem decimam quartam integre azymorum dicamus, eà que fermenti vsum omnino fuisse interdictum.

Exquibus constat ad Marcum, & Euangelistam Matthæum intelligentia, cum dicunt prima azymorum die agni factam immolationem, loquuntur enim de decima quarta ineunte, à vespera scilicet posteriori lunæ deci-

mæ

mæ tertiæ, qui festus non erat nisi mactatu agni, & paraſceue paſchæ: vnde ante diem festum erat, vt inquit Ioannes, præcedēs decimum quintum, qui primus erat, à quo vſque viceſimam primam, ſeptem azymorum numerantur dies, ſed octo à veſpera priori lunæ de cimæ quartæ.

Exod. 12. Non comedetis exeo crudum quid, nec coctum aqua, ſed aſſum tantum igni.

Deut. 16. Immolabis phaſe veſpere ad ſolis occaſum, coques, & comedes.

OMiſſa tamquam violenta illorum expoſitione, qui cōtempta Vulgatæ proprietate verborum, recurrunt ad textum Hebraicum, vbi verbum appoſitum pro *coques* anceps eſt ad coquere & aſſare, dicendum eſt, verba illa *coques, & comedes* non de paſchate decimo quarto ad veſperam immolando priorem, ſed de victimis, quæ illis ſeptem diebus immolari ſolebāt, de quibus Par. 2. c. 35. dicitur *Hoſtias vero pacificas coxerunt in lebetibus*, Deut. ergo c. 16. quaſi compendium feſtiuitatum fit, & de omnibus quæ ad illam ſpectant, ſermo promiſcue inſtitutus eſt. Vnde de vtroq; paſchate loquitur, & appellat phaſe, quod ipſa verba declarant. *Immolabis Phaſe Domino Deo tuo de ouibus & bobus in loco, quem elegerit Dominus Deus tuus, vt habitet nomen eius ibi.* In primo ergo Phaſe nullus taurorum vſus, ſed tātum in poſteriori, ſicut Phaſe appellātur 2. Par. c. 35. plura ſacrificia, quæ aliena ab illo, quod eſt riguroſe Phaſe decima quarta luna immolatum, non pauca referunt, vt ex verbis textus à perte conſtat: Dederunt ſacerdotibus ad faciendum phaſe pecora duo millia ſexcenta, & boues trecentos. Hæc autem omnia in agni paſchalis immolatione non ſeruari præter Scripturam exprimit Philo Iudæus in Vita Moſ. ¶ Eius menſis (inquit) die quartadecima, ſub ipſum tempus, quo luna ſuum orbem ſolet implere lumine, celebratur migrationis publica feſtiuitas, quā Chaldaice paſcha nominant, quo tempore, non vt aliàs plebeij homines victimas adducunt ad altare mactandas à ſacerdotibus: ſed iubente lege tota gens ſacrificat, dum pro ſe quiſque mactat hoſtiam ſuis manibus, tunc vniuerſo populo celebrante lætas epulas, quiſque ſe gerit pro ſacerdote. ¶ Hoc ergo capite de vtroque paſchate inſtituit, mixtaque quæ vnius, & alterius ſūt propria confundit: vnde illa verba *Non comedes in ea panem fermentatum* de vtroque verificatur, illa, *Septem diebus comedes abſque fermento* ad paſcha azymorum ſunt referenda: illa *& non remanebit de carnibus eius, quod immolatum eſt veſpere*, de agno paſchali ſunt accipienda.

Sed difficilia ſunt contra prædictam expoſitionem verba illa *ad ſolis Occaſum, quando egreſſus es de Ægypto, & coques, & comedes*, hæc enim propria ſunt immolationis agni paſchalis. Verum iudico nil retra here debere, quoniam populus die decimo quinto ineunte egreſſus eſt, vt ſuperius demonſtrauimus: decima quinta autem ineunte die immolari ſacrificium iubetur, quod duobus vitulis, ariete vno, & ſeptem agnis cōſtabat: de quo Num. Vnde de illo ſacrificio, ſicut & ijs quæ 2. Par. c. 35. per ſeptē dies conſueuerant immolari, vere dicitur *coques, & comedes*: erant enim Pacificæ hoſtiæ, & pro gratiarūm actione, quarū maior pars in vſum offerentiū cedebat. De ſecundo ergo loquitur paſchate textus, quod non ſemel appellauit Phaſe. Vide, quæ ſuperius tradidimus.

Exod.

Exod. 12. Septem diebus esus præcipitur Azymorum.

Deut. 16. Sex diebus comedes azyma.

DIcẽdum iuxta superius tradita, Azymorum pascha vt à Phase distinctum septem azymorum claudere dies. Deut. autem 16. sex dicuntur, quia vltimus qui dies erat Collectæ, de quo peculiaria dicenda ver. sequenti, excluditur. Vnde sensus est, sex diebus azyma comedetis, septimã præter hoc superaddes, quod diem festũ, in quo nil operaberis, habeas. Vide Deut. 16. vbi de Collecta.

Exod. 12. Dies prima erit sancta, atque solemnis, & dies septima eàdem festiuitate venerabilis.

Leuit. 23. Dies primus erit vobis celeberrimus. Dies autem septimus erit celebrior, & sanctior.

SEptimus dies. ¶ Sic respondet Lyra. ¶ vocatur hic celebrior, non quidem respectu primi diei, sed respectu aliorum dierum, qui interme dij sunt inter primum & septimum, in quibus non solum erat licitum præparare ea, quæ ad victum pertinent, sed etiam alia opera facere. Si vero dies sabbathi incidebat in primum, vel septimum diem, tunc in illis diebus vacandum erat, nõ solum ab omni opere seruili, sed ab omni prorsus opere, sicut indie sabbathi fieri solebat. ¶ Vel dicendum cum Pererio, comparatiua, vel superlatiua pro positiuis accipienda, sicut vti solent frequenter tàm Græci, quàm elegantes scriptores Latini. Et quidem in textu Hebræo nulla reperitur Leuit. 16. comparatio.

Exod. 12. Celebrari hunc diem inquit cultu sempiterno.

Omnia legalia & ceremonialia in conspectu Christi cessarunt.

Vide pro hac antilogia, quæ de circumcisionis, sabbathi que diximus duratione.

Exod. 12. Domibus immolari præcepit Phase.

Deut. 16. Non poteris immolare Phase inqualibet vrbium tuarum, sed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus.

FAcile dicendum, Hebræos cum primum celebrassent Phase inter Ægyptios, cum sui iuris nullatenus forent, domibus proprijs vt maiori securitate & secreto id fieri posset, religiosè immolasse. Quod aliter euenisse, cum in terram peruenissent sibi promissam, suadent verba Deut.

Quam-

Quamvis si Iosepho, atque Philoni vbi supra sit adhibenda fides, etiam cum incolerent terram Chanaam domi immolabant, vnde verba Deut. de alijs sacrificijs, quæ à decimo quinto die vsque ad 21. offerri solebant, & Phase similiter appellabantur, erunt intelligenda. Buxtorfius in sua Synagoga nunc à Iudæis Phase non celebrari, refert, ad hanc enim vt ad cæteras oblationes extra terram Chanaã, quæ sola pura, ac sancta est regio non teneri credunt. Quare proximius iudico vero circunstantiam loci, cum data fuit lex, assignatam esse, ibi que immolari agnum paschal debuissem, vbi erat tabernaculum fixum, quod sedes etiam variasse constat ex Scriptura. Sensus ergo verborum Deut. hic est, vt postea vbi in terram Chanaam venerint, statumque regimen habuerint, vrbem, & templum, in quo Deus nomen suum habitare voluerit, insederint, in nullo alio loco agnum paschalem mactent, quam illo, nempe Hierosolymis, vt eo facilius in fidei vnitate persisterent, cum quotannis Hierosolymam tamquam ad signum & caput Synagogæ vndique conuenirent. Vnde postquam eorum regimen fuit desolatum, & siuè propter bella, siuè propter alia pericula Hierosolymam venire non poterant, tunc singuli agnum paschalem domi sæpius mactarunt: vt ex lib. Regum constat, & iterum restituti Pascha magna cum solemnitate celebrarunt, vti Rex Iosias fecit, vt ibidem 2. Reg. 23. De quibus Iudæis miserrimis quidem dici optimo iure potest illud Psal. 49. Hæc via illorum mera est stultitia, quam posteri tamen ore suo laudant, cum à mille & sexcentis annis præter illos, qui altero sæculo excurrunt, agnum paschalem nec mactare, nec edere possint, politici tantum regiminis, & templi desolationẽ causam existimantes suspensionis tam longæ; oporteret autem longe grauiorem esse considerarent, propter quam in tam diuturna captiuitate languent, verum illorum oculis Mosis velamen adhuc obtenditur. Sic compatitur, & dolet Buxtorfius.

Pompam autem quam laboriosã per duas noctes in locum agni paschalis nunc Iudæi substituunt, quas præcibus implent, mensam aureis pretiosis que vasis ornant, placentas, cyathos vino generoso, rubro que plenos, armum & ovum, lectiones varias, illam que præcipue lingua Chaldæa conscriptam, quam Talmudici illo idiomate legi oportere putant, ne Dæmones illam intelligant, & ad conuiuium paschale veniant, Dæmones enim & Angeli nõ percipiũt linguã, aiũt, Chaldæam, vt in tra. de Sabb. habetur, referre vellẽ: vt ex paucis facile perspici possit Iudæos iuxta Rabbinorum suorum traditiones, quæ pluris apud illos, quã Dei præcepta fiunt, legem obseruare diuinam, merito que dixisse Isaiam. *Nescierunt, neque intellexerunt: obliti enim sunt, ne videant oculi eorum, & ne intelligant corde suo.* Verum ne alicui (si vix esse possit, nisi qui ex generatione tam praua fuerit) sint in documentum, & tam densæ tenebræ amabiles, supersedeo tradere, quæ conspectui cuiuscunque si summe non cœci posita, animum incitarent, corda que fidelium erigerent vt Deo Summo, & Optimo agerent gratias continuo, qui nos Christianos à tam horribibi diuinæ iræ flagello, qualis horum est obstinata cœcitas, misericors liberauit. Faxit Deus, vt indies corda nostra magis ac magis iustitiæ solem admittant, nos que in omni veritate, quam solatio inenarrabili profitemur, & in lauacro felices recepimus, pro sui amore conseruet.

Exod.12. Nox iſta obſeruabilis eſt Domino, quando eduxit eos de terra Ægypti.

Num.33. Profecti videntibus cunctis Ægyptijs, orto ergo Sole.

NVmeror. locum non ita intelligendum eſſe, quaſi iam illuceſceret dies, cũ exirent Hebræi de Ægypto, ſuadet pluribus Scriptura locis, vbi *videre* pro cognoſcere, & ſcire deſumitur. Vnde ſenſus eſt, ita ex omnipotentia diuina exitum Iſrael pependiſſe, vt ſcientibus, & conſentientibus ipſorum dominis, ſub quorum poteſtate viuebant, Ægyptijs, libere captiuitatem rumperent, & ſupellectilibus ſpoliatos fugerent immunes omnino. Vide ſuperiùs tempus immolationis.

Exod.13. Non eos duxit Deus per viam Philiſthijm, reputans ne forte eum pœniteret ſi vidiſſet aduerſum ſe bella.

Exod.16. Per viam, qua duxit illos cum Amalechitis, ſtatim præliandum erat. Deficit ergo ratio.

DIuerſa omnino inter huiuſmodi pugnas fuit ratio, cum Amalechitis enim non niſi poſt quadraginta circiter dies iam in fiducia diuina, poſt partas victorias, & alia miracula confirmati, ſi autem per viam Philiſthinis vicinam incederent, ſtatim dimicandum eſſet cum illis, qui alias bellicoſiores Amalechitis erant, à quibus licet Deus populum ſuum liberare potuiſſet, voluit Iſrael, ita prouidentia diuina niti, vt non ideo contemneret humanam induſtriam, ipſiq; omnem mouendum lapidem, vt pericula declinaret, vbi enim adeſt humana facultas, non ſunt expectanda miracula.

Exod.13. Nunquam deficit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem.

Ioſue 3. Iſraelitæ iubentur in traiectione Iordanis, nõ columnam ducem aſpicere, ſed arcam. Neque diceret Ioſue, vt procul videre poſitis, & noſſe, per quam viam ingrediamini, ſi illumineret columna nubis.

FAcile reſpondet Serarius, columnam nubis neceſſariam fuiſſe, cum populo eſſet per difficiles, invias, deſertas que ſemitas peregrinandum, non autem cum cultis terris eſſet habitandum, tritæ, notæ que forent viæ. Vnde numquam defuiſſe columnam inquit Moſes tempore profectionis, cum hoſtibus, periculoſis que vijs vitandis erat proficua, defecit autem Moſe defuncto in traiectione Iordanis, cum eſſent iam ſecuritate perfuncti.

Exod.14. Quid clamas, inquit Dominus ad Moſem.

Nullibi clamare declarat Scriptura.

CHriſoſtomus, Ambroſius, Hieronimus, Auguſtinus, Nycenus, atque Bernardus in Catena citati Moſem clamore cordis anxie Dominum eſſe de peccatum exiſtimant.

Exod.15. Deuorauit eos terra.

Exod. 14. Inuolutos eſſe aquis Ægyptios refertur.

VAric exponitur locus Exod.15. Euthymius primũ obrutos aqua eſſe Ægyptios, deinde ad littus eiectos hiatu abſorbtos fuiſſe. Auguſt. terræ nomine aquam intelligit, vtrumque enim elementum comprehendit, cum aqua vndique terra contineatur.

Dicendum autem eſt plures arenæ cumulis ſepultos fuiſſe, quos mare fluxibus aduexiſſe credere eſt, vel à terra deuoratos, eo quod ſub aquis in profundo iacuerint, & profundum maris terram vocari, quod litteræ textus conſonum eſt.

Exod.16. Profecti ſunt de Elim in deſertum Sin.

Num.cap.33. Egreſsi de Elin fixerunt tentoria ſuper mare rubrum, & inde caſtramentati ſunt in deſerto Sin.

DIcendum ex Elin non immediatè in deſertum Sin profectos, ſed vnam manſionem in termediam omiſſam, quæ in Numer. libro refertur.

Exod.16. Poſuitque illud Aaron in tabernaculo reſeruandum.

Neque tunc arca nec tabernaculum erant.

AN forte ideo (inquit Auguſtin. in quæſt. ſuper Exod.) de futuro dixit, *repones*, vt intelligeretur tunc ante Deum poſſe reponi, quando futura erat arca: an potius ante Deum dictum eſt, quod fit ipſa deuotione offerendi in quocumque loco ponerentur, ibi enim eſt Deus.

Exod.16. Quadraginta annis duraſſe manna.

Ioſue 5. die 14. Phaſe celebrarunt, die altero comederunt de frugibus terræ, hoc tempore defecit manna. Datum autẽ fuit in deſerto Sin 15. die menſis ſecundi, quod eſt Yiar noſtro Aprili fere reſpondens.

IN Guemara Kidusim dicitur panem ab exitu Ægypti vsque ad 15. Yiar mensis secundi, quem comedit Israel, eundem cum manna saporem habuisse, vnde 40. annis cõpletis constat durasse manna illis 30. diebus inclusis R. Elihecer Asquena inquit quamvis in Iosue dicatur cessasse 16. Martij seu Nisan manna, non ideo colligi 40. annis non comedisse, die enim vltima, qua cessauit, tot mẽsuras colligere potuissent vt 30. diebus durare possent illorum victui. Hæc facilius euanescunt, quam referuntur, cum solum colligi posset, quantum sufficeret vno die ad vescendum, neque liceret in mane seruare excepta septimam antecedente die.

Dicendum ergo est ad exactum 40. annorum calculum desiderari vnius circiter mensis spatiũ, sed huiusmodi minutias non raro prætermittit Scriptura recurrens ad numerum rotundum. Sic sentiunt alij Rabbini Abarbanel, & R. Dauid.

D. Augustinus in quæst. super Exod. ¶ Manna (inquit) edebant quoad vsq; venirent ad partes Phenices. Significauit Scriptura per prolepsim, idest, hoc loco commemorando, quod etiam postea factum est, non edisse filios Israel nisi manna. Hoc est enim, quod ait vsq; ad terram, quæ inhabitatur: idest, quæ iam non est eremus: non quia cõtinuo vt venerunt ad terram habitabilem destiterint vesci manna, sed quia non ante. Traiecto enim Iordane significatur manna cessasse, sed illud quod adiũgit. Et reposuit Aaron ante testimonium ad reseruandũ, priorem magis sensum asserit. Hoc enim modo Scriptura dixit per prolepsim, quod postea faciendũ, cum esse cæpit tabernaculum testimonij.

Exod. 26. Ederunt manna, quoad terram habitabilem; talis erat Amalec, &. Moab quas tetigere Israelitæ multo ante 40. annos.

Exod. 16. Quadraginta annis manducauerunt manna.

D. Augustinus edisse Israel manna inquit, quoad vsque venirent in terram, quæ inhabitatur, non quia cõtinuo, vt venerunt ad terram habitabilem, destiterunt vesci manna, sed quia non ante. Traiecto enim Iordane significatur manna cessasse, vbi terræ panis manducauerunt. Quando ergo ingressi sunt terram habitabilem, antequam transierunt Iordanem, vel tantũ manna vesci, vel vtroque cibo potuerunt. Hoc quippe intelligi potest quando cessasse manna non dicitur, nisi Iordane traiecto, vt supra.

Exod. 16. Manna coloris albi dicitur.

Num. 11. Erat coloris bdellij, idest, flauescentis.

Septuaginta vertunt quasi crystallus, quia erat colore albicante, color autem bdellius erat albus ad flauedinem tendens.

Exod. 16. Nullus de loco suo egrediatur die septimo.

Act. c. 1. iter Sabbathi dicitur, & Iosue, c. 6. & Deut. 16. vbi de die festo.

Vide, quæ de Sabbatho dicenda sunt, cap. 20. Exod. & Deut. 16.

Exod.16. Neq; ad colligendũ mãna permittitur egredi de loco die septimo. | *Matth.12. Christus discipulos suos defendit colligentes spicas.*

Vide Exod.20.

Exod.17. Virgam, qua percussisti fluuium, tolle in manu tua. | *Exod.c.7. Aaron Nilum percussit virga, non, Moses.*

Percussio fluuij ab Aarõ Mosis dicitur, quia eius fuit sub imperio, & auctoritate.

Exod.17. Memoriam Amalec delendam promisit Dominus. | *Pluries in libris sacris traditur Amalec & posterorũ memoria*

DIcendum memoriam deletam fuisse, quando Saul Amalecitas, Agag eorum rege capto, debellauit, vnde nullam de eius republica florente memoriam audiuimus, quam namque legimus in sacris libris fædam esse, & qui fugere debeant, dignam. Extincta ergo fuit eorum respublica, & si qui superstites fuerunt, in glorij manserunt.

Exod.17. fugauit Iosue Amalec. | *Deut.25. Extremos agminis tui cæciderit, nempe Amalec.*

ISaac Abarbanel duplicem cum Amalec habuisse Israel pugnam tradidit, & in primo congressu de quo fit memoria Deut. 25. victum Israel, victorem autem extitisse in secundo. R. Leui Ben Gerson eamdem, & vnicam recognoscit pugnam diuersis tamen euentibus, in principio autem pugnæ Amalec in præposteros sui extremos, agminis debiles milites agressus interfecit, verum populus Dei adiutus orationibus Mosis duce Iosue in fugam conuersi sũt Amalecitæ, & omnino devicti. Deut. autem c.25. cum velet Dominus in iram contra Amalec prouocare Israelitas, memoriæ illorũ recolit, quod infælicitatis plorãdæ offerre posset euẽtus. Vnde inquit: extremos agminis tui interfecit, & vt illos in maiorem concitaret vltionem, addit, cæcidisse cum residerent lassi. Sic communiter omnes expositores nostri tradentes: Mosem in Deut. cæssos per insidias milites quod Exod.c.17. omisit, supplesse.

Exod.18. cumque audisset Iethro sacerdos Madian. | *Exod.2. obtulit holocausta Domino, & hostias.*

Dauid Kimhi asserit Iethro fuisse Principẽ, & simul Madiã sacerdotẽ Idolis sacrificantẽ, auditis autẽ Dei mirabilib⁹ erga populũ, tũc primo verũ adorasse Deum,

Deum,& ex gentili Domini ſacerdotẽ effectum holocauſta,& hoſtias illi ſacrificaſſe. Proſelytum enim iuſtitiæ pene omnes recognoſcunt Rabbini.

Exod.18. Iethro cognatus dicitur Moſis

Exod.3. Socerus Iethro appellatur.

Vide Exod.c.3.

Exod.18. Vt comederent panes coram Deo.

Nondum erat arca nec tabernaculum.

AVguſtin.in quæſt.ſuper Exod.coram Deo,id accipere debemꝰ factũ,quo in honore Dei factũ eſt,inquit, vbi enim nõ Deus? Alij ibi panẽ comediſſe,quo cõueniebant ad orandũ ante tabernaculi Moſis fabricã,ſicut ante erectũ fuerat altare. Vel corã Deo ideſt in loco deputato à Moſe ad orandum.

Exod.18. Sephoram & filios ad Moſem adduxit.

Exo.4. Moſem traditur ſecum ad duxiſſe.

Vide Exod.c.4.

Ex.18. vt oſtẽdam eis præcepta Dei & leges.

Nondum data erat lex.

AVguſtinus non loqui Moſem de lege ſcripta ſed de lege æterna, quam cõſulunt pię mentes,vt quod in ea inuenerint vel faciant, vel iubeant, vel vetent,ſecundum quod illa incommutabili veritate perceperint,ait. Hæc autẽ diuina lex cordibꝰ reſidet omniũ, quorum ratio domina eſt. Alij per plolepſim aduentum Iethro referri, ſed poſt legem datam fuiſſe.

Exod.19. qui accedunt ad Dominum.

Exod.c.vlt. conſtat ante erectum tabernaculum conſecratos nõ eſſe.

PLures Aaron & alios ſacerdotes intelligi credunt qui licet tunc nõ eſſent conſecrati,per prolepſim referuntur,ſcribẽte Moſe nõ quomodo,neque ordine quo cõtingeret res. Verius dicẽdum iudico per ſacerdotes patres familias intelligi,atque primogenitos, quibus de iure tunc temporis competebat ſacerdotium, & ſingulis tribubus deſignatis aliquibus, qui vt illorum principes atque capita pro toto populo ſacrificarent.

Exod.19. ſacerdotes autem & populus ne tranſeant terminos.

Exod.24. Moſes, Aarõ, Nadab & Abiu, & Septuaginta Seniores.

DVplicem in monte ascensum recognoscere debemus, incatumē montis alterum vni Mosi soli permissum, ad montis radices alterum, vbi iam tunc incipiebat terminus constitutus à Mose, & huc licitus cuilibet ex relatis cap. 24. Exod. ascensus, solus autem Moses in verticem ascendebat. Idem dicendum de Iosue c. 24. Exod.

Exod. 19. Descendit que Dominus super montem Sinai.

Ibidem v. 3. Iam Dominus descenderat cum vocasse Mosem de monte dicatur.

DOminus descenderat primum in extremum montis verticem ita vt adhuc totus mons appareret, ex illoque vertice quasi ignis, fumus que egredi viderentur, at hic vlterius descēdit igne, fumo, & nebulâ totū montis verticem attingendo eiusque adspectū eripiendo.

Vt autem omnia, quæ hoc capite continentur, & antilogiarum concordia lumem recipiat, incompendiū vrebiter sunt ex Bonfrerio reducenda. Die quinto mane Moses vice prima in montem ascendit accipiens à Deo quæ ver. 345. & 6. habentur, populo renuncianda, inde illi renūciaturus descendit. Acceptā populi responsione iterum ad montem ascendit Domino relaturus. Deinde accepit à Deo quæ habentur v. 9. 10. 11. 12. 13. Postquam descēdit, fecerunt quæ, à Domino imperata erant v. 14. & 15. Vltimo præparationis die cæperunt prodigia quæ v. 16. & 18. habentur, post remissum bucinæ sonum Moses populum ad montis radices legem accepturum deduxit. De monte Deus Mosem alloquitur toto populo audiente, & eodem Mosem euocauit, qui tertio ascendit. Cumque Moses tertio descendisset & populo retulisset præcepta, Dominus de monte detonare cæpit decalogum.

Exod. 19. Lex data est in monte Sinai.

Isai 2. Ex Sioni exibit lex & verbū Domini inte videbitur.

ISaiæ locus de lege Euangelica intelligēdus est, exiuit enim lex Euāgelica de Sion, docuit namque Christus in templo, quod fundatum erat in monte Sion, de Ierusalem similiter & Iudea ad prædicandum Euangelium exierunt Apostoli, plures que alij discipuli. Non ergo opponuntur Moses, & Isaias cum de distincta veteri & noua loquantur lege.

Exod. 19. cum cæperit clangere bucina permittitur ascensus in montem.

Exod. 30. Perterriti longe stabant a monte.

CLangere hic productiorem sonum edere & non ita terrificum significare sentit Oleaster. Vnde sentiunt plures ascensum in montem licuisse, cum bucina minus terrificum sonum ederet, signum enim erat illa bucinæ protractio Dei recedentis à monte. Verum credibile palam est licuisse terminos transilire saltem quadraginta diebus, quibus montem nubes obte-

tegeret. Neque maioris est fidei sonum bucinæ esse auditum tempore toto, quo Moses in monte fuit. Non enim vitulum adorarent strepitu terrifico auribus insonante.

Salianus locutionem ironicam esse sub intellecto *si ausint*, dicere non recusat, vt sit sensus cum clangere cæperit bucina, si ausint, ascendant in montem, significans eos tunc ita territum iri auditu, & visu eorum, quæ tunc contingent, vt ausuri non sint prope accedere ad montem. Sic Philistæi illi qui in sua statione erant, Ionathæ & eius armigero cōclamabant, *ascendite* (sub intellecto si audetis) *& ostendimus vobis rem.* Et Micheas *ascende* (inquit) *in Ramoth Galaad.* Quasi dicat non ascendes si sapis. Verum licet expositio ista tanti sit viri, duriuscula parumque seria Mosi, grauissimo, qui intētus erat negotio, videtur. Adhuc enim concrepante bucinæ terrificeque sonante metuque populo incuso præcipit Mosem descēdere Deus, & tunc simul cauit, ne quis transiliat terminos constitutos à Mose, quod, si præcor, ascensum in montem populus ausurus neutiquam esset, ad quid præceptum de monte non ascendendo; & terminis constituēdis?

Facilius ergo dicendum, cū clangeret, & concreparet bucina deductio rem que ederet sonum, tunc licere ascensum in montem seu terminos iuxta radicis montis constitutos, ad quos etiam leuis ascensus à castris erat vt Dei vocem accipiant. Duplex ergo est in montem ascensus, & in cacumen montis soli Mosi permissus, & ascensus ad montis radices, vbi iam tunc incipiebat arduus in montem ascensus, vbi termini à Mose constituti, & huc licuit cuilibet ascendere, vt cap. 24. Aaron, Nadab, Abiu, septuaginta que seniores his quidem aliquo vsque transgressis terminis ascēdere licebat, illis vero solis in verticem montis licuit.

Exod. 19. Regnum sacerdotale populus appellatur.

Deut. Prohibetur sacerdotibus regnum.

REgnum sacerdotale insignum amoris appellat, quod pro nobili vsurpandum & pro illustri censet Salianus, ita vt sit idem quod celebre atque insigne, solam dignitatem indicans non officium, sicut Apocal. *Fecit nos regnum & sacerdotes Deo patri.* Hoc sensu & Putiphar sacerdos Heliopoleos, & Iethro Madiam dicuntur à plerisque, quia principes essēt in his locis. Reg. 2. filij Dauid dicuntur sacerdotes, cū de tribu Iuda forent, & non de Leui, quia erant in aula regia principes. Quāvis proximius iudicet veritati Salianus, quod regnum sacerdotale idem sit quod sanctum, & electum ex omnibus (inquit ipse), sicut sacerdotes ex omnibus & inter omnes electi, & eximij esse debent ad tam admirabile, & Diuinum officium. *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta*, dixit Apostolus 2. Petr. 2. Quod confirmat vox peculium, siue vt in Hæbreo *segulla* ideſt portio electa, & dilecta. Non ergo idem est futuros reges ac sacerdotes, licet tempore Machabæorum adinstar regum vixerint sacerdotes.

Exod.20. locutusque est Dominus cuntos sermones hos.

Act.7. Hic est (inquit de Mose, qui fuit in Ecclesia, insolitudine cũ Angelo, qui loquebatur eis in monte Sinà.

HInc est (inquit Gregorius Magnus Præf.in lib.mor.) quod Angelus, qui Moysi apparuisse describitur, modo Angelus, modo Dominus memoratur: Angelus videlicet propter hoc quod exterius loquendo serviebat. Dominus autem dicitur, quia interius præsidens loquendi efficatiam ministrabat, cum ergo loquens ab interiori regitur, & per obsequium Angelus, & per inspirationem Dominus nominatur.

Exod.20. Dominus dedit legem in Sinà.

Gen. Plura quæ legis sunt in obseruantia erant.

PLura quæ ante legem obseruata sunt, confirmata sunt per legem, vt suscitatio seminis fratris defuncti sine liberis pereius superstitem fratrem, & de eius ducenda vxore; verũ ex hoc non sequitur legem fuisse ante Mosem promulgatam, sed quæ tunc in obseruantia erant, ex patrum primorum traditione manasse.

Exod.20. Ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes visitans iniquitatem.

Matth.5. & Luc.6. Estote benigni sicut pater vester cœlestis, qui solem suum super bonos, & malos oriri facit.

D. Augustin. contra Adimant. Manich.c.7. quod in Exod. scriptũ est. *Ego sum Deus zelans*, tribuens filijs tertiæ, & quartæ generationis patentum peccata, qui me oderunt. Huic loco Manichæi illud de Euangelio dicunt esse contrarium, quod Dominus dicit Matth.5. & Luc.6. Estote benigni sicut pater vester cœlestis, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & illud aliud, quod Dominus ait non solum septies peccanti fratri dimittendum, sed etiam septuagies septies. A quibus tamen, si quæras vtrum Deus non puniat inimicos suos? sine dubio turbabuntur. Ipsi enim dicunt Deum genti tenebrarum æternum carcerem præparare, quam dicunt esse inimicam Deo. Et parum est. Sed eum etiam sua membra simul cum ipsa gente punitum esse non dubitant dicere. Sed cum ad capitula veteris, & noui testamenti veniunt, vt imperitos decipiant, & ea sibi aduersa esse criminentur, fingunt se nimis bonos. Sed dicant nobis, quibus dicturus est Dominus, ite in ignem æternum, qui præparatus est Diabolo, & Angelis eius, si omnibus parcit, & neminem damnat? Quare intelligendum est, & illud rectum esse, quod

quod Deus tribuit parentum peccata filijs qui eum oderunt. Exeo enim quod addidit, qui me oderunt, intelligitur eos puniri peccatis parẽtum, qui in eadem peruersitate parentum perseuerare voluerunt. Talis enim non sæuitia, sed potius iustitia Dei est, & sua iniquitate puniuntur, sicut Propheta ait, sanctus enim spiritus disciplinæ effugit fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, & corripietur à superueniente iniquitate, ideſt corripietur homo superueniente sibi iniquitate sua, cum abeo receſſerit Spiritus Sanctus. Et alio loco. Hæc cogitauerũt, & errauerunt, excæcauit enim illos malitia eorum. Et alio loco, funiculis peccatorũ suorum vnusquisque constringitur. Quibus testimonijs veteris testamenti innouo consentit Apostolus dicens. Traddidit illos Deus in concupiscientias cordis eorum. Qua concordia vtriusque testamenti satis ostenditur, non esse sæuum Deum, sed vnumquemque in se sæuire peccando. Vide quæ antilogia præcedenti retulimus.

Exod.20. Dominus Deus zelotes dicitur | *Matth.18. non solum septies, verũ etiam septuagies septies.*

Vide superiorem antilogiam, vbi conciliatur, & ista ex Parente Augustino contra Manichæos.

Exod. 20. honorare parentes quartum præceptum est. | *Ad Ephes. c. 6. honorare parentes primum mandatum est.*

Hieronymus li.3.c.6. super Paul. ad Ephes.c.6. inquit: quod hoc præceptum vocatur primum in promissione relatum ad alia præcepta, quæ post mandata decalogi data sunt populo, & secundum hanc interpretationem omne præceptum decalogi dicitur primum, D. Thomas lec.5. super hunc locum. ¶ Mandata (inquit) continentur in duabus tabulis. Prima continet ea, quæ ordinantur ad Deum. Secunda, ea, quæ ad proximum. Et hac secũda primum præceptum est de honore parentum. Primo quia in illa secunda tabula, nullum præceptum est affirmatiuum, nisi istud, quia naturale est nobis, vt parentibus seruiamus, nõ autem sic alijs proximis, ideo nullum est aliud affirmatiuum. Sed natura dictat: vt non inferat homo proximis nocumentum, ideo prohibetur. Quia ergo primum, prius, & plus habet de debito, ideo primum. Secundo quia Deus honorandus est, sicut principium nostri esse, & quia parentes sunt principium nostri esse (quia vt dicitur, & hic tria habemus à parẽtibus, scilicet esse, viuere, & disciplinam) ideo conueniẽs est, vt post mandata ordinata ad Deũ, primum esset ordinatum ad parentes. Vel primum quoad promissionem, quia isti soli additur promissio.

Exod.20.honorare parentes præcipitur filijs.

Luc.14. Qui non odit patrem & matrem ſuam non poteſt meus eſſe diſcipulus.

D. Gregorius homil.17.in Euang. ſic inquit. ¶Sed ſi vim præcepti perpendimus, vtrumque agere per diſcretionem valemus, vt vxorem & eos qui nobis carnis cognatione coniuncti ſunt,& quos proximos nouimus,diligamus,& quos aduerſarios in via Dei patimur,odiendo & fugiendo neſciamus.¶D.Auguſt. cõtra Adimant,c.6. ſic Manichæis hanc opponentibus antilogiam reſpondet. ¶ Ex quo manifeſtum eſt,& honorem parentum in ſuo gradu eſſe ſeruandum,& eos tamẽ in diuini amoris comparatione, præſertim ſi impedimento ſunt,nulla dubitatione oportere contemni. Nam & in ſcripturis veteribus habes poſitum, qui dicit patri,aut matri,non noui vos, qui filios ſuos non agnoſcit,ipſe autem cognoui teſtamentum tuum. Ergo ſi & in nouo teſtamento commendatur parentum dilectio,& in veteri parentum contemptus,ex vtroque capite duo teſtamenta conſentiunt. Ex ijs conſtat quid dicendum ſit ad id quod Chriſtus Dominus,dicenti velle primo parentem ſuum ſepelire,reſpõdit: ſinere mortuos,tu autem veni & annuntia regnũ Dei. Vide cap.citato D.Auguſtinum.

Exod.20.ſex diebus fecit Deus cœlum, & terram.

Gen.2.ſeptimo die fecit Euam.

Vide Geneſ.Cap.2.

Exod.20.prohibetur omnis imago, ſcalptile ve & Deuter.4.

Reg.3.ca.10. Salomon in trono ſuo leunculos fecit, à Moſe ſerpens erigitur.

§ I.

Imagines prohibitæ ſolũ animo idolatrandi.

IMprimis dicendum eſt non fuiſſe prohibitum lege naturæ pingere, formare imagines,atque apud ſe illas habere. Deus enim ſuper propitiatorum duos Cherubim voluit collocari, ſerpentem æneum in medicinam populi eleuari. Quod poſsibile non eſſet,ſi præcepto naturali eſſet prohibitum,

Deinde præcepto poſsitiuo non fuit Iudæis vetitum res pingere inanimas,eaſque imagines apud ſe retinere. Vnde licuit Moſi malogranata, & lilia in tabernaculo formare, & ſummi ſacerdotis tunicæ appendere mala punica,Salomoni cælaturas,& palmas facere in templo. Non ita pingi poterant ſtellæ,cœlum,& luna,quibus vitam recognoſcebant.

Prohibitum ergo fuit ſculptile, quando idolatriæ timeri periculum poteſt. Vnde animalium,hominum,& Angelorum retinere habitu,& ſtatu, qui

ad

ad cultum referri posſit non licebat, permiſſæ erant ſi eo habitu qui ignominioſus eſſet, vel ab honore deferendo auerteret homines. Conſtat hoc ex Iolepho lib.15. Antiq.cap.11. qui refert, quod cùm ab Herode illata forent trophea, ægre tulere Iudæi, putantes hominum imagines eſſe, quos nefas erat haberi, retectis autem ſtipitibus res in riſum eſt verſa. Et lib.17.cap.8. de Herode, cum aquilam aurearet ſupra portam templi appoſſuiſſet. ¶ Cum tamẽ, inquit, lex noſtra homines vetet imagines ſtituere, aut conſecrare animantium effigies. ¶ Idẽ lib.18. Antiq.cap. 4. & Bell.c.8. ¶ Ad legis noſtræ contumeliam, qua cautum eſt, ne habeamus huiuſmodi effigies. ¶ Inquit de Pilato Ieſorolymam ſignã militaria cum effigie Cæſaris inferẽte, quod tumultũ fere excitauit. Idem lib.18. Antiq.c.7. Iudæorum principes refert acceſſiſſe ad Vitellum, cum vellet tranſitum facere per Iudæam deprecantes, vt per aliam viam transferret, patrij namque ritus imagines, quales pleraque ſigna Romana præferebant, numquam permiſſerunt. Philo in Flaccum dequorundam queritur maleuolentia, qui poſtularunt à Flacco. vt in Iudæorum proſeuchis dedicarentur ſtatuæ. ¶ Petẽtes (inquit) licẽtiam numquam prius audiuiſſe. ¶ Tacitus lib.5. Hiſt. de Iudæis ſic. ¶ Igitur nulla ſimulacra vrbibus ſuis, nedum templis ſunt. Non regibus hæc adulatio, non Cæſaribus honor. ¶ Sicli Iudæorũ non debile sũt prohibitionis imaginum argumẽtum, iam enim ante captiuitatem Babylonicam litteris Samaritanis inſcripti, vnã habebant, in qua conditum erat manna Exod.16. duabus litteris ſupra poſitis *Schelomo melech*. Ideſt Salomon Rex, in altera facie virga florens Aaronis. Numini poſt captiuitatem Babylonicam in altera facie vrnam incenſi fumantem exibet, in altera etiam florentem Aaronis virgam. Nullum autem numiſma hominum, neque animalium figuras explicat. Nummus enim ille qui ex ſcrinijs Iulij Vrſini promptus refertur, incuius altera facie expreſſum eſt caput cum inſcriptione, *Salamon Rex*, & in altera templi exhibetur forma, non Salomonis fuit, ſed Herodis Aſcalonitæ.

Verum contra hæc ſunt omnes textus antilogiæ noſtræ, quoniã Deus poſt hoc præceptum ſerpentem æneũ eleuari præcepit. Num.21. duos Cherubinos in Sanctis Sanctorum collocari. Salomon 3. Reg. 6. multos alios Cherubinos, imparietibus templi depinxit. Duodecim bobes æneos, qui ſuſtinerent mare æneum cap. 7. & 10. leones, & leunculos. Quæ omnia impie edita fuiſſe à Salomone tempore, quo amabilis erat Deo, nullus dicere audebit. Hæc autẽ leuia ſunt. In æneo namque ſerpente potuit Deus diſpenſare, cum autem idolatriæ augeretur periculum, illud confregit Ezech. 4. Reg.18. Cherubim autem tàm qui in Sanctis Sanctorum, quàm qui in parietibus erant miniſterium præſtabant Deo, ſuiſque illi alis ſedem faciebant. Alij autem Cherubim, bobes in mari, & leunculi in templo ad miniſterium aliarum rerum ſeruiebant, quod vilem indicat conditionem Deo que indignam. Vnde prohibetur fieri, vel habere imagines animo eas colendi. Quando ergo dicitur. *Non facies tibi ſculptile, non adorabis*, intelligẽdum eſt ac, ſi diceret Scriptura. Nõ facies tibi ſculptile vt adores. Sicut exprimitur Leuit. 26.v.5. *Non facietis vobis Idolum, & ſculptile, & titulos non erigetis, nec lapidem inſignem ponetis in terra veſtra, vt adoretis eum.* Et ſi ergo, cùm non obſtaret periculum idolatriæ, imago licebat Iudæis Moſis attenta lege, poſterioribus vero temporibus ita proni viſi ſunt, & labiles in idolatriam, vt nullomodo quacunque fuiſſent ſpecie illas admitere liceret, & compulſi, & in uiti nummos cum Cæſaris imagine receperunt. Nullis autem temporibus ima-

imago ieuis ipsius Dei, quia vel corporeum putarent Deum, qui exprimi posse viderent sensibili imagine, vel in illa sisterent, diuinos honores tribuendo sine transitu ad prototypum. Quæ omnia non contradicunt Catholicis, non enim imaginibus, neque per eas suis prototypis diuinum cultum offerimus, vt infra dicemus.

§ II.

Non posse Dominum in idololatria dispensare ostenditur.

VErum idololatriã seu Dei adorationẽ alienis dijs permissam fuisse probat illud c.5.4.Reg. *Hoc tantum solum est* (inquit ad Elisæum Naaman) *de quo deprecaberis Dominum pro seruo tuo, quando ingredietur dominus meus templum Remnon, vt adoret, & illo innitente super manum meam, si adorauero in templo Remnon, adorante eo in eodem loco, vt ignoscat mihi Dominus seruo tuo pro hac re.* Consensit Elisæus, & inquit *Abi in pace.* Quod indicat in securitate cõstitutum à propheta, quamvis adoret Idolum.

Plures hoc loco mouentur, vt Deum dispensasse ore Elisæi in præcepto dijs alienis numquam seruiẽdi, sicut dispensauit in alijs quæ sunt decalogi. Sicut ergo Elias obtulit holocaustum in extraneo loco, quamvis reus ex terminij foret, qui extra Hierusalẽ sacrificium offerret, quibus addit Maimonides de Fund.legis illud 2. Par. c. 29. de celebritate paschatis secundo mense peragenda cõtra institutum de quarto mense celebrando illud festũ 2 Par.20. & illud 2.Reg.21. de viris per septem menses suspensis contra legem Deut.21. Onias etiam aufugiens Alexandriam splendidum extruxit templum, vbi coluit ex præscripto patriæ legis Deum Israelis, & sacrificia obtulit, ad sumptis secum Hierosolymam sacerdotibus, vt inquit Iosephus de bello Iud. lib.7.c.30. per integrum sæculum eadem colendi ratio ibi viguit contra præceptum diuinum Deut.12. & tamen Gemarici omnes, Aboda, Zára. c.4.fol.51. Minchot.fol. 109. Hæc omnia non fuisse idolatriam censent. Neque opus est dicere sacerdotes postmodũ pænã ipsi imposuisse. Similiter in suicidio Sansonis dispensauit Dominus. Quare ergo (inquiunt) non in idolatria, sicut & in obseruantia Sabbathi, 1.Machab.2.c. dispensauit cum illis.

Non placet Lyrano expositio aliquorum, qui Elisæum cum Naamam dispensasse in adorandi idoli simulatione, eo quod Neophytꝰ esset, ait. Nõ inquam placet. Tum: quia neophytus non fuit, cum non fuerit conuersus ad Iudaismum, neque Circumcisus, sed sicut alij Gentiles, Deum Israel credidit esse verum. Tum quia simulatio vt pote intrinsice mala sub dispẽsatione non cadit. Dicendum ergo est quod propheta non dispensauit, sed declarauit licere, quod ipse non expedire timebat. Munus ergo Naamanis erat regem sustentare, cum autem fieri non posset, vt rege genuflectente, ipse posset stare, vt ministerium suum posset implere, permittit, & declarat licite genuflectere posse in templo Idoli, hoc enim non erat adorationem præstare, sed satisfacere suo muneri. Exemplum ponit in puella christiana Lyra, quæ capta à Sarracenis extremitatem vestis dominæ, cuius obsequio esset deputata, portaret, æque licite intra fanum Maomethi, ac extra, ministerium impleret, dummodo intenderet hoc duntaxat. Hoc ergo ab Elisæo postulasse videtur Naamam, quod munus ab ipso in Idoli templo exequtum, extra liceret fieri, non ad aliquam Idoli venerationem, sed ne domino suo fuisset offensus. Hoc ergo Elisæus declarauit licere. Vnde recurrendum non est cum Cornelio à Lapide ad adorationem politicam, qualem Angelis præstitit Abraham, & qua dignum nõ erat

erat idolum. Sed postulauit, vt sibi liceret adorare in templo, ideſt, vt actio materialis adorationis externæ nempe, & genuflexio, qua communiter vtebantur reliqui, erga idolum venerandum ipsi liceret, vt munus suum posset implere.

Cœtera quamvis dispensari possint à Deo, non suadere poterunt simile de idololetria. Hæc ergo intrinsicè mala est, vnde sicut Dominus mentiri non potest, neque conuenire in mẽdacio, æque impossibile est, vt dispenset relicto vero Deo, idolo cultum præstari, & venerationem sibi, soli que debitam. Samson ergo proprijs manibus se interfecit, sed diuino spiritu afflatus, Deus autem cum Dominus vitæ sit, Samsoni, vt vitæ quæreret, & procuraret excidium iubere potuit, & inspirare, vnde materiam præcepti, & ipsam legem particularem variare. ¶ Cum autem Deus iubet (inquit Aug. lib. 1. de ciuitat. Dei, cap. 26.) se que iubere sine vllis ambagibus intimat, quis obediẽtiam in crimen vocet? quis pietatis obsequium accuset? ¶ Nisi quis dicat cum Caietano. Non eligitur (inquit) in huiusmodi casibus mors propria, sed per se eligitur mors hostium, & concomitans propria mors toleranda admittitur propter bonum vltionis. Perspicuũ autem est: humanas actiones mortales iudicandas esse bonas, vel malas moraliter ex per se obiecto consono, vel disono à ratione recta, quidquid sit de cõcomitãtibus: vt patet de hominem iniquum occidente se defendendo, quamvis iniqui concomitetur æterna mors in inferno, quia defendens hæc non intendit, quamvis cognoscat, sed intendit defendere se, ad quod sequitur, & mors corporis, & animæ alterius. ¶ Samson ergo per se solum intendit hostium suorum populi que sui tanquam iudex vindictam communem pro religione.

Ad locũ Machab. dicemus in ferius agẽtes de Sabbatho.

§ III.

De sacrarum imaginum cultu, & vsu in Ecclesia recepto.

PRimus, qui bellum imaginibus sacris indixit, fuit Xenaias, postea, mutato nomine, Philoxenus appellatus. Leo Isauricus imperator factus Christi imaginem euertit, & de imaginibus vastandis publicauit edutum, successit Imperio & Leonis simul impietati Constantinus eius filius, Stercoreus, ab stercore, in sacrum fontem, cum baptismo abluereturr, emisso, concilia bulum aduersus imagines earumque cultores coegit, post hunc & Leonem filium, qui annisquinque regnauit Constantini cæpit imperium, cum Iræne marre. Quibus imperantibus, generalem synodum habitum iri Tarasius Constantinopolitanus Patriarcha stipulatus est de cultu sacrarum imaginum restituendo, hæreticis autem episcopis reclamantibus in sequentem annum prorogata est, quo Nizæam Bythiæ vrbem profecti patres, Nizenam Synodum auspicati sunt ordine septimam. Euersores autem imaginum sunt quotquot Iconomachorum dogma amplectuntur, qui non solum adorationem prohibere, verum abolendas, & de basilicis relegandas putarunt. In Occidente Claudius Taurinensis Episcopus indiscrecto celo succensus, narrat sic Ionas tom. 4. Bibl. Patr. col. 538. picturas, & cruces materiales à basilicis penitus abdicauit, in quem Apologeticum se ostendit Theodomirus Abbas, & mox infestissimum sensit ad versariũ & petulantem. Omnium autem venena in se collegerunt Iconoclastæ.

Imaginum pius cultus in Ecclesia

ipſius exordio miraculis diuinitus eſt conſecratus, S. enim Petri vmbra, quæ eſt corporis illius imago, in veneratione fuit infirmis expoſitis, quos tranſiens virtute diuina curabat. Confirmatur deinde antiquus imaginum vſus ex actis Silueſtri, quæ refert Adrianus. Cumque & his ſimilia (ſic recitant acta Adriani) Auguſto diceret Papa, interrogare cæpit Auguſtus, vtrum ſcilicet iſtos Apoſtolos haberet aliqua imagine expreſſos, vt expictura diſceret hos eſſe, quos reuelatio docuerat. Tunc S. Silueſter miſſo diacono, imaginem Apoſtolorum ſibi exhiberi præcepit, quam imperator aſpiciens, ingenti clamore dicere cœpit: ipſos eſſe quos viderat. Tertulianus libr. 4. de pudicitia capit. 7. & 10. ab ipſis Apoſtolorum temporibus in Sacris calicibus Chriſti imaginem ſculpi ſolere geſtantis ouem deperditam ſuper humeros ait. Et quod magis eſt Chriſto viuente Saluatoris imago Panneade, Syrophiniſſa muliere ære fuſſa conflari iuſſa eſt, quæ 300. annis Iuliani Apoſtatæ vſque tempora perdurauit, quam intactam ſeruari paſſuri non fuiſſent fideles per tot curricula temporis, niſi illis in veneratione fuiſſent imagines. Euſebius deſcribit hiſtoriam libr. 3. hiſt. c. 14. maginis Chriſti ad Abagarum miſſæ, celebrant Græci memoriam 17. Kal. Septembris vt ex eorum Menologio conſtat. Quinto autem Idus Nobembris celebratur Beryti in Syrea commemoratio imaginis Saluatoris, quæ à Iudæis crucifixa, tam copioſum emiſit ſanguinem, vt Orientales, & Occidentales Eccleſiæ exeo vbertim acceperint. Cuius hiſtoriæ in Concil. Nicæno 2. act. 4. fit memoria, miraculum que contigit tempore Conſtantini Iunonis.

Antiquitatis imaginum in Eccleſiam teſtem neque leuioris fidei reddit Criſpi Conſtantini filij ex ære numiſma apud Horatium Tigrinum, Chriſti præferens imaginem in ſella ſedentis, in illa verbis his ſcriptis. *Salus & ſpes Chriſtus Reipublicæ.* Simile huic teſtimonium refert Baronius. In agro namque Verano inuentum eſt ſimulacrum Hippoliti imaginem habens. Is vſque ad Alexandri Imperatoris primum annum temporum canones ſcripſit, Chriſti anno 225. meminitque illius Hieronymus de Script. Eccl. in Hipp. Hæc autem omnia teſtes fideles ſunt antiquitatis Chriſtianæ, qua ſanctorum virorum effigies ſculpi ſolebant.

Præter hæc autem concors eſt ſanctorum patrum pro imaginibus traditium. Aug. lib. 1. de conſ. Euang. ca. 10. Chriſtum cum Petro, & Paulo pictum fuiſſe demonſtrat, & ſerm. 49. tom. 10. pag. 567. depictura S. Stephani loquitur, & Abrahami filium ſacrificantis commemorat lib. 12. contra Fauſtum cap. 73. Ambroſ. in epiſt. 53. Pauli effigiem coloribus expreſſam fuiſſe docet. Hieronymus in cap. 4. Ionæ de Apoſtolorum imaginibus loquitur. Greg. Nyſſenus tom. 2. pa. 908. meminit ſacrificij Abrahami in tabulis depicti. Aſterius Amaſeæ epiſcopus tabulam S. Euſemiæ depictam refert, templum illius deſcribens. S. Paulus & Seberus Sulpicius picturis baſilicas exornarunt, Theodorus in vita S. Simeonis Stylitæ erectas illius imagines prædicat. Nilus Abbas Ioannis Chryſoſtomi diſcipulus in epiſt. ad Olimpiad, vti Crucis effigie veteris quę teſtamenti, templum exornet, imaginibus ſuadet, Greg. Magn. lib. 7. epiſt. 5. veneratione dignas iudicauit, Beda lib. 5. c. 25.

Capitalis, pro veneratione ſacrarum imaginũ, ex ipſius Nicænæ Synodi, & Æcumenicæ ſeptimæ decreto, de ſumitur catholica defẽſio. ¶ Statuim⁹

in-

(inquit synod. 7. Act. 7. pag. 819.) cum omni exacta cura & diligentia, similiter ac Sanctæ Crucis, & viuificæ figuram, venerandas, & sacras imagines palam proponi, quæ coloribus tessellis ve constant, aut alia quauis idonea materia, in Sanctis Dei Ecclesijs, in sacris vasis, & vestibus, nec non parietibus, & tabulis, ædibus, ac vijs: nempe tum Domini, ac Dei, & saluatoris nostri Iesu Christi imagines: tum incontaminatæ Dominæ nostræ sanctæ Dei genitricis, nec non honorabilium Angelorum; ac sanctorum omnium, & piorum virorum. Quanto enim frequentius per imaginatam expressionem videntur, tanto magis qui illas intuentur, ad prototyporum recordationem, desiderium excitant, & vt ipsis osculum, & honorariam adorationem deferãt, non tamen verum, secundum fidem nostram, latriæ cultum, qui soli diuinæ naturæ conuenit. Sed eodem modo veneremur, quo figuram preciosæ, ac viuificæ Crucis, & Sancta Euangelia, ac cætera sacra donaria; tum vt suffitus, & lumina ad illas honorandas adhibeantur: quæ fuit antiquorum religiosa consuetudo. ¶ Hæc Synodus. In quibus primum sancitur erigi & consecrari sacras imagines, contra eos, qui veluti idola demoliendas esse iactabant, Dei venerationem, & cultum statuit, ac ab illo qui ipsi Deo debetur, discernit, honoremque imaginis ad prototypum transire decernit, vt voluit Basilius de Spir. Sanct. cap. 17.

§ IV.

Ab exordio Ecclesiæ ostenditur vsus imaginum.

IMprimis Ecclesiæ exordijs memoriam sacrarum imaginum, defeciſſe gentilium suadet illa ex probatio apud Minutium Felicem. ¶ Cur nullas aras habent, templa nulla, nota simulacra? ¶ Cui Octauius respondet. ¶ Putatis autem nos (inquit) occultare quod colimus, si delubra & aras non habemus? Quod enim simulacrum Deo fingam, cum, si recte existimes, sit Dei homo ipse simulacrum? Templum quod ei extruam? cum totus hic mundus eius opere fabricatus eum capere non possit, cum homo latius maneam, intra vnam ædiculam Deum tantæ maiestatis includam? Nonne melius in nostra dedicandus est mente? ¶ Orig. item 8. cont. Cels. pag. 405. ¶ Abhorremus (inquit) abeo, vt vitæ totius largitori inanima, & mortua templa constituamus. ¶

Hoc autem leuiter Iconomachi fisi sunt. Cum enim gentilium superstitio initio Ecclesiæ viguerit, plura primis illis temporibus supprimi, omittique satius visum est, ne periculum offensionis inferret externa quorundam rituum species, vnde tunc ne Christi, & sanctorum imagines, veluti idola haberentur, quibus plures rudes præcipue assuefacti fuerant; in venerationem non vsurpauit Ecclesia, nisi cum idololatriæ nullum periculum foret, vnde pace, & libertate cum gauderet Ecclesia percreuit imaginum vsus, alibi citius, alibi tardius, prout qui populis præerant, expedire indicauerant. In principio Ecclesiæ templa idolorum cum ipsas solo æquari placitum fuit fidelibus, postea vero populis in fide magis firmatis, perpurgata templa in sacras basilicas conuerti satius esse visum est, vt Gregor. libr. 9. capit. 71. decreuit. Ne ergo superstitionis gentilium vmbra teneræ Christianorum infantiæ offensionem afferret, ipsis nefandam idolorum detestantibus religionem, ideo parcius quatuor illis temporibus templa, & imagines recepta sunt, à

quinto autem sæculo adepta plenitudine libertatis palam ab Ecclesia, & proposita & venerata sunt.

Difficilius esset in nos Illiberitanum can. 36. ibi. ¶ Placuit picturas in Ecclesia esse non debere: ne quicolitur aut adoratur in parietibus depingatur. ¶ nisi superius dicta recolamus. Quoniam vt inquit Nicolaus Sanderus lib. 2. de cultu imag. c. 4. imagines prohibuit in templis pro oportunitate temporis, atque loci, periculum autem immincbat, ne nos adorare lapides, atque ligna gentiles existimarēt. Vel quia periculum erat ne imagines persequutoribus. (tempus enim fluctuandi erat Ecclesiæ vt ex can. 25. constat: ibi enim de litteris commēdatitijs pro lapsis ad Episcopos à confitentibus in persequtione fidem, fit memoria) forent incontumeliam. Alanus Copus in dial. lib. 5. c. 16. prohiberi ibi imagines, quia tamquam dijà fidelibus cæperant adorari. Alijs sentiētibus, quod imagines in tabelis pictas permittit Illiberitanum, nō in parietibus, vbi facilis erat corruptio, vel humore parietum, vel situ, eadem enim ratione, ne Crux impabimentis sculperetur, fuit olim vetitum, ne facile conculcaretur.

Contra venerationem imaginum celebris est Epiphanij locus epist. 60. ad Ioannem Episcopum Hierosolymitanum. Ibi refert Epiphanius quod cum peruenerit ad Villam, quæ dicitur Anablatha, inneniſſet que in eius Ecclesia velum pendens in foribus eiusdem Ecclesiæ tinctum, atque depictum, & habens imaginem quasi Christi, vel sancti cuiusdam, cum ergo hoc vidissem (inquit) in Ecclesia Christi contra authoritatem Scripturarum, hominis pendere imaginem, scidi illud. ¶ Et inferius. Precor de inceps præcipere in Ecclesia Christi, istiusmodi vela, quæ contra religionē nostram veniunt, non appendi. Quo nihil clarius contra religionem imaginum. Quod in Nicæno posteriori Concilio e libello Gregorij Iconoclastæ testimonium allatum est.

Huiusmodi autem clausulam suppositiam fuisse, indicat Baron. tom. 4. Tum quia si tamquam hæresim adorationem imaginum Epiphanius æstimasset, illam, quæ suo tempore & Constantini viguit, sicut & aliàs impugnasset. Tum quia non est credendū, Ioannem Hierosolymorum Episcopum nō obiecturū, quod corrigeret in sua diæcesi, & Ecclesia, quod libri in aliena displiceret, cum ipse quidem epist. ad Theod. adorationem imaginum abolere non potuisse fateatur, & vt testificatur Damasc. de imag. orat. 5. ipsa Epiphanij Ecclesia vsque ad sua tempora sacris exornata imaginibus perseuerauit. Idem de Epiphanio scriptis ijs suppositis cēset Damas. ¶ Scito (inquit de imag. orat. 2.) sermonē illum alterius cuius piam fictitium: qui vt sæpè fit, S. Epiphanij abusus est nomine. ¶ Tum quia si Epiphanius sic abhorreret imagines, non est credendum discipulos eius sic insanire, vt in templo illius imaginem collocarent, vt refertur in Cōc. 2. Nicæno act. 6 & ibidem sic concluditur. ¶ Verum à falso discernite, quia additiones istæ nō sunt beati istius Patris, sed potius Manichæi.

Quamvis autem concedamus Epiphanij verba relata germana fuisse, cum Baronio ad saniorem sensum reducenda sunt. Velum depictum habēs imaginem quasi Christi vel sancti cuiusdam, sic accipiendum esse inquit, vt ipse iuste scanduerit improbum facinus, quo alicuius profani hominis imago in sacro velo depicta, quasi Christi esset, vel alicuius Sancti Religiosi, ad limen fuisset appensa. Quo sensu verba illa accepta Iconoclastas potius impugnant, quam faueant: Catholicos vero redarguant, si quando ornatus caula in Ecclesia suspendunt aulæa, quæ profanas, & sæpè Gentiliū, vtinam interdū nō inhonestas, imagines habeāt,

quem

quem de teſtabilem, prauumque vſum iucuria miniſtrorum compluribus in locis inuoluiſſe debemus. Quam autem moleſte tulerint maiores, & huius ſæculi homines in Eccleſias inferri profanas imagines, declarant quæ dicta ſunt ſuperius de Donatiſtis in Paulum atque Macarium obloquentibus, quod poſituri eſſent in Eccleſia imaginem Conſtantis Imperatoris. (ſolebant enim gentiles in Sacris thus adolere propoſita Imperatoris imagine, dum ſacrum facerent) conſueuiſſe autem huiuſmodi profanas imagines poni pro titulo alibi diximus. Quod igitur hominis alicuius profani, (ſi finxerimus eueniſſe factum) quaſi Chriſti vel ſancti alicuius in velo Eccleſiæ Epiphanius vidiſſet imaginem effigiatam; tamquam neſas id deteſtatus, illud ipſe velum, diuino percuſſus zelo, diſcidit. Hæc Baronius. Verius autem eſt verba fictitia, Epiphanio que ſuppoſita eſſe ſuperius relata. Si enim illius reuera forent non leues Baronij expoſitio pateretur difficultates, ex verbis, quæ Epihanij referuntur pollulantes.

§ V.

Explicantur Hieronymus, & Epiphanius, traditur vera imaginis, ſed tantum relatiua adoratio, & quid de ſymbolica ſenſerint patres atque concilia.

HIeronymus ſuper Daniel 13. ſic loquitur. ¶ Cultores Dei imagines adorare non debent, ergo iudices, & principes ſæculi, qui imperatorum ſtatuas adorant, & imagines, hoc ſe facere intelligant, quod tres pueri facere nolentes placuerunt Deo. ¶ Balthaſar Hiemairus his verbis contra adorationem imaginum vtitur, Ambroſij auctoritatem anectitur, ex orat. fun. in Theodoſ. vbi ſic dicitur. ¶ Inuenit ergo Helena Crucem Domini, regem adorauit, non lignum vtique quia hic gentilis eſt error, & vanitas impiorum, ſed adorauit illum, qui pependit in ligno ſcriptum in titulo Crucis, Greg. Magn. epiſt. 9. ad Seren. libr. 9. illum redarguit quod fregiſſet imagines. Et quidem (inquit) quia eas adorare vetuiſſet omnino laudauimus: fregiſſe vero reprehendimus.

Germanus Conſtantinopolitanus Patriarcha in ep. ad Ioannem Synadenſem Epiſcopum præiudicium non nullum inferre viſus eſt veritati. ¶ Non enim (inquit) inuiſibilis Deitatis imaginem, aut ſimilitudinem, aut figuram, aut formam aliquam exprimimus, quam ne ipſorum quidem Angelorum ſublimis ordinis, neque intelligentia completi, neque inueſtigare penitus poſſunt. ¶ Origines lib. 6. contr. Celſum Epicureum pag. 292. At tamen ſi quidam eorum (gentilium) idola iſta Deos eſſe negent, ſed verorum expreſſas ſimilitudines eſſe dicant, eorumque ſymbola: nihilominus etiam iſti in ſordidorum opificum manibus diuinitatis imitationem eſſe fingentes ſibi, imperiti ſunt, & mancipia. ¶

Verum his atque alijs Patrum teſtimonijs perperam hæretici imagines demoliri contendunt. Imprimis Hieronymus de ſtatua regis Aſſyriorum, imaginibus que gentilium loquitur, quas non ſolum dœmonibus ſuis, ſed etiam regibus, & principibus ſuis viuis atque defunctis erigebant, & adorabant, nõ vero piorum ac Sanctorum virorum imaginibus cultũ negat, ſicut neque Ambroſius qui tom. 5. col. 124. ¶ Sapiens (inquit) Helena, quæ Crucem in capite regum leuauit, vt Crux Chriſti in regibus adoretur. Pro Ambroſij, & Gregorij intelligẽtia aduertendũ eſt:

quod præcipua gẽtilium ea fuit superstitio, vt ipsi in ipsas effigies intenti, diuinam excellentiam recognoscebant, eas, terminata ibi adoratione, venerantes, quod Damasc. orat. 3. de imaginibus deificare imagines appellat. Hanc ergo idolatricam superstitionem Iconoclastæ Catholicis obiciebant, & illam negant Amb. & alij Patres. Imagines enim si absolute, & non relatiue considerantur, nullam in se continent excellentiam, cui cultus, & veneratio respondeant. Vnde adoratio nostra non in ipsa terminari, sed ad prototypum referri debet, & sic latria, & in spiritu vera adoratio creaturæ neque tribuitur, neque creatori negatur. Quã vis enim corporis inclinatio præstetur imagini, vna & indiuisa est adorandi actio ex interno, & externo cultu coalescens, referenda in prototypum, quin cultus vllus in figura ipsa vel effigie terminetur, qui vnice prototypum nõ spectet. Expresse hoc declarat Trid. Concil. sess. 25. referens etiam Synodũ Nicænam secundam, Hadrianus Papa epist. ad Imper. Leontius Neapolis in Cypro Episcopus lib. 5. Apol. in Act. 6 Syn. 7. pag. 633. ¶ Christiani nos (inquit) Crucis figuram adorantes non ligni naturam honoramus: sed velut si gillum, & annullum, & characterem Christi, illam intuentes, per hanc salutamus eum, & adoramus, qui in illa suffixus est. ¶ Sic Germanus supra relatus epist. ad Claudiopolitanum Episcopum. Patres autem imaginibus negantes adorationem, cultum latriæ soius diuinitatis proprium relegare contendunt, non autem honorariam venerationem, externum, & interiorem cultum, qui per imaginem in prototypo defixus est.

Pro declaratione Originis, & Germani Patrum citatis locis, memoria recolendum est, plerosque, veterum rerum corporis expertium imagines condemnasse, solas vero Christi, & hominum Sanctorum venerandas iudicasse. Sic Greg. secundus Romanus Pontifex epist. prior. ad Leon. Isaur. Germanus, & Origines vbi supra Amb. ad Psal. 118. Aug. lib. de fide, & Symb. c. 7. tom. 3. Quamvis autem antiquitus plurium fuerit Patrum iuditium nefas esse proponere Dei, & Sanctissimæ Trinitatis imagines, iã cõmuni Catholicorũ assẽsu inueterauit opinio. Vnde posse dicim⁹ Deum sub externa specie figurari, qua aspectabilem se præbuerit hominibus, sic solitum specie colũbæ Spiritum Sanctum depingi, sicut & Angelorum imagines colendas decreuit septima Synod. act. 4. pag. 682. & Tarasius contra Ioannem Thessalonicensem defendit. Greg. Nacian. Orat. 23. Niceph. Constantinopolitanus Patriarcha, tom. 4. pag. 2. Bib. Col. 1141. omnes isti patres sunt pro veneratione imaginum rerum spiritualiũ, licet Germanus, & Origines contrarium senserint.

Ad verba Gregorij constat ex ijs quæ superius diximus. Ea enim, cur Gregorius de imaginibus non adorandis fuerit solicitus, causa fuit, quod pluris in ea prouintia degerent gentiles, qui idolorum implicati superstitioso cultu, difficile poterant abstinere, vnde post religionem Christianam receptã plurimi in pristinum, visis imaginibus, in errorem lapsi sunt, vt ijs latriæ venerationem tribuerent. Ideo cõmonendos populos censuit Gregorius: ne quẽ idolis antea præstabant cultum, deferrent similiter imaginibus. Confirmat huiusmodi expositionem, imago quam ipse Gregorius Secundino, qui poposcerat, misit, & quemadmodum debeat colere, scribit lib. 7. epist 54. sic interpretatus est Gregorium Adrianus primus in Apologia ad Carolum Magnũ pro Synodo Septima.

Contra hæc omnia sunt illa, quæ Bosius. Quoniam non solũ idololatria dicitur, cũ homo à religione recedens alium colere Deum audet, sed cum in creatura, vt in symbolo diuinum numẽ re-

repræsentante cultus præstatur, sic enim inquit Aug. Psal.113. quod gentiles cũ acussabantur idololatriæ, respondere solebant, se non colere simulacra, sed numen quorum symbolum erat. Ipsi enim plura simulacra erigebant, cum Iouem recognoscerent vnũ & solum, Iulianus item Apostata. ¶ Non simulacra (inquit) & aras, nec non æterni custodiam ignis, & vt vno verbo dicam, cætera id genus omnia Deorum præsẽtiæ signa maiores nostri cõstituerunt: non vt ista Deos esse credamus: sed vt ipsos per illa veneremur. Etenim quoniam nos incorpore degẽtes cõsentaneum corpori cultum adhibere dijs oportebat, ijdem porro corporis sunt expertes: primum nobis illi simulacra monstrarunt: quod est secundum à primo genus Deorum, quod circum cœlum vniuersum in orbem voluitur. Sed cum ne istis quidem corporeus cultus attribui possit, nam suapte natura rei nullius indigent: tertium interris inuẽtum est genus simulacrorũ, in quod cultum nostrum impendẽtes, Deos nobis propitios reddim⁹. ¶ Hæc Iulianus in 1. par. op. pag. 337. Mox, ipsa simulacra Deorũ effigies esse statuit, vnde Deorum amatores, atque cultores pari in illorum simulacra ferri voluntatis affectu. Exquibus videtur quem gentiles simulacris præstarent cultum, eumdem, & nos reddere Dei imaginibus.

Patrocinium sibi præbuisse Scripturã. Exod. 31. censet Ioannes Bosius lib. de Idolatr. Ibi enim, cum expostularunt Deos. *Fac nobis Deos qui antecedant nobis*, id egerunt, vt symbolum numinis veri possent habere, vt signo hoc præsenti & præunte, veri numinis repræsentati adorarẽt diuinitatẽ, neq; aliud, quam verum numen in vitulo colere, Israelitæ desiderarunt. Comprobant id eorum verba. Exod. 32. Hi sunt dij tui Israel, quite eduxerunt de terra Ægypti. Peccarunt ergo non quia verum Deum non colerent, sed quia illũ contra legis præscriptum adorarunt in symbolo. Neque obstat quod *dij tui* dicatur, Scriptura enim plurali loco singularis pluries vtitur. Tum etiam. Quoniam dixerunt, *Cras solemnitas Domini est*, & Iudic. 17. *Sacrificaui hoc argentum Domino, vt faciam idolum*. Velle autem Micham in simulacro colere Deum Israelis indicant verba illa. *Nunc scio quod bene faciet mihi Deus habenti Leuitici generis sacerdotem*. Hunc autem domi suæ recepit, vt idolo (sic legitur Hebraice pro Therafim) sacrificaret. Apertius indicant idololatriã, qua adoratio symbolica gaudet, vituli, quos Ieroboam in Dan, & Bethel constituit. Regum enim 3. ca. 12. hosce vitulos habuit Deus pro idolis cap. enim 14. *Feciſti* (inquit Deus) *tibi Deos alienos, conflatiles, vt me ad iracundiam prouocares: me autem proiecisti post corpus tuum*. Et tamen verum Deum coli præcepit in vitulis Ieroboam, Iehu similiter 4. Reg. 10. cum Baalis seruos necaret, ac tolleret statuas. *Vide* (inquit) *Zelum meum pro Domino*. Idem autem, non solum sustulit, qui Deum in vitulis adorarent, sed etiam seruos Domini appellat, quasi Baalis sacerdotes forent. Ieroboam verò ministri verum in vitulis colerent Deum. Quod & si crimen idolatriæ pœnitus non abolerent, leuius peccabant cum eorum adoratio, non ad hæresceret symbolo vitulorum, sed transiret ad prototypum.

Certum nihilominus in fide est, symbola debere, & posse adorari, dummodo in illis nulla diuinitas collocetur, sed propter illos colantur, & honorẽtur, quorum sunt vera repræsentatio. Psal. etenim 95. *Adorate scabelum pedum eius* (dicitur) Matth. 5. *Nolite iurare per cœlum, quia thronus Dei est, neque per terram, quia est scabellum pedum eius*, ne contumelia inferretur ijs creaturis propter relationem ad Deum. Dicendũ ergo est duplex Deorum fuisse genus, quos populus ado-

ra-

rabat. Populus namq; cuius maior est rudior pars inter gētes, simulacra siuè argentea, siuè aurea colebat, existimans diuinitatem habere. Alij etsi politiores in symbolis suis effigiebus, Deum colebant, cuius erant repræsentatio, symbolum autem erant creaturarum, in simulacro Solis stantis in curru Solem alij adorabant, & sic dicitur de Iosia, quod abstulit equos, quos dederant Reges Iudà Soli 4. Reg. 23. (Non rectè quidem R. Salomon, & Dauid Kimhi dixere, eo respexisse, quod Reges ante Ortum Solis suis curribus ocurrebant Orienti, vt quantocius illum adorerant) ex eoque sumptam à Poetis fabulam Solis, sed melius à raptu Eliæ propter mutuam nominum conuenientiam, *Elias*, & *Elios*, quod grecè idem est, quod Sol. Camporum ad minus nomen Eliseorum ab Elia desumi dubitauit nullus, apud omnes namque fuit fama indelitiosum paradisum fuisse translatum. Illustres viros adorabant alij, Ianum nempè qui fuit Noe, de quo alibi. Vulcanum qui fuit Tubal Caim. Alij Dagom, seu piscem, Dœmonem alij. Vnde non solum simulacra, sed prototypi etiam eorum fuerant creaturæ; in quo illud eueniebat, vt seruirent creaturæ potius quam creatori. Ex quibus constat fides, quæ execrando Apostatæ est adhibenda.

Et quidem certum est Gentiles Deos simulacra appellare, Dan. 5. *Bibebant vinum, & laudabant Deos suos aureos, & argenteos*, & Sap. 13. *Appellauerunt Deos opera manuum suarum.* Æquè verum est Israeliticum populum non adorasse in vitulo Deum Hierem. cap. 2. *Ambulauerunt post vanitatem* (idest post idola) *& non dixerunt, vbi est Dominus, qui ascendere nos fecit de Ægypto.* Deut. 32. *Deum qui te genuit, dereliquisti, & oblitus est Domini creatoris tui*, & Psalm. 105. *Fecerunt vitulum in Horeb, & adorauerunt Sculptile, & oblitisunt Deum, qui saluauit eos, qui fecit magnalia in Ægypto.*

Quod si quis cum Vossio duplicem recognouerit obliuionem, vnam, qua species abolentur ex animo, alteram, qua illæ non recoluntur, vt oportet, nempè animo circa alia magis intento, sicut mulier oblita dicitur fœderis coniugalis, quando illecebris pellecta se se alteri prostituit, ac homo dicitur Dei oblitus, cum in Symbolo interdicto colere Deum præsumit. Hæc propriè non est obliuio, sed quasi obliuio, quia homo se componit quasi oblitus, vocatur autem in Scriptura obliuio, sicut, qua tenentur ingrati.

Quamvis ergo hæc dicantur, neque vnde facile huiusmodi expositio redarguatur habeamus, nequit loco Ierem. applicari, qui de obliuione rigurosa loqui videtur. Quoties autem loquitur Scriptura de adoratione, & Dei obliuionem exprimit, adorationem alieni Dei intelligit, vt Psalm. 43. *Si obliti sumus nomen Dei nostri, etsi expandimus manus nostras ad Deum alienum.* Idem ergo est Deum obliuisci, ac alienis tradere cultum Israelitas. Ipsos que in vitulo Deum verum non adorare innuit, quod si signum corporeum quærerent, cur nubem, ignis que columnam non elegerunt, quæ melius ducerent, quam vitulus ipse? Ideo ergo vitulum potiùs, quàm alia, coluere; quoniam magnum Ægyptiorum Deum viderant, qui vitulus erat niger maculis albis insignis, & Apis appellatus à suis. De quo Cicero lib. 1. de nat. Deor. & August. lib. 18. de ciuitat. Dei, cap. 5. Herodotus, Diodor. Plutarc. & Plinius. Idem non obscure intelligitur Iosue cap. vltim. ibi enim optio datur Hebræis, an dijs alienis, quibus Thare, & Nachor, an Amorrhæorum, an Deo Israel seruire velint. Non ergo in idolis Deum Israel adorabāt. Reg. item 3. cap. 18. Elias Baal contraponit Israel vero Deo, dicens: si Domi-

minus est Deus, sequimini eum, si Baal est Deus, sequimini illum. Non ergo in simulacro Baal verum Deum recognoscebant. Vnde dicendum ad Exod. c.31. populum Israelitciũ tam barbarum esse, vt facile, exitum de Ægypto non Deo Mosis, sed Api Deo Ægyptiorum attribuisse, credamus.

Ad locum Iudicum de idolo Michæ verius iudico Lyranum atque Burgensem, quam Caietanum, quem Vermilius & Cytræus sequuntur, exposuisse, dum falsum Deum à Micha adoratum censent, licet veri Dei nomine insignitum. Gentiles enim veri Dei etiam nominibus suos sacrilege afficiebãt. Nomen enim *Optimi & Maximi* proprium solius Dei Ioui tribuere gentes, sicut & *incommunicabilis* dederunt lapidibus, atque lignis. Sap. 14. Neque mirabile videbitur cuiuis, Micham, eiusque matrem hoc scelere contaminari, cum Salomon sapientissimus 3. Reg. 11. æque insanierit Dœmonis arte & astutia illusus. Vnde benemeritum se iudicavit de suo falso Deo, non de vero, quem in idolo adoraret.

Idem dicendum de vitulis Ieroboam, quorum reus habetur 3. Reg. in illis enim non verum, sed vitulũ Ægyptiacum adorandum Ieroboam præcepit. ¶ Videtur mihi (inquit Hieronym. lib. 1. in Hose c. 4.) id circo & populũ Israel in solitudine feciſſe sibi caput vituli, quod coleret, & Ieroboam filius Nabat vitulos aureos fabricasse, vt quod in Ægypto didicerant, qui sub figura bobum coluntur, esse Deos, hoc in sua superstitione seruarent. ¶ & lib. 3. c. 10. ¶ In Bethauen ideſt Bethel (inquit) vaccas aureas coluerunt habitatores Samariæ; quàs cum irrisione, non vitulos sexus masculini, sed vaccas, ideſt fœminas appellauit: vt videlicet Israel nõ Deos vitulos solum, sed Deas vaccas coleret. ¶ Vitulos ergo Ieroboam adorandos proposuit, qui Apin Ægyptiũ repræsentarent.

Exodi 20. Non facies omne opus in eo, in sabbatho scilicet.

Iosue c. 6. Israelitæ perambulabãt cum é castris, quæ Hierichunte aberant 10. stadijs accedebant ad vrbem, & circuitionibus operosis septenis laborabant.

---

§ I.

Proponitur quæ ex Hebræorum nugis, & brutis animorum excœcatorum commentis die sabbathi prohibentur, & quæ superstitiose obseruant ex ijs, quæ in Talmude exstant.

QVoniam Hebræi in Talmude tr. de sabbatho frequẽter inculcant, quod quicũque sabbathum, vt decet, obseruat, iuxta omnes ritus & consuetudines suas, peccatorum suorum veniam consequitur, quamvis se se idolo Iatria polluerit, variæ stupidæ quidem omnes suppositæ, & indies adinuentæ sunt ceremoniæ, vt digne dies sabbati celebretur; sed à Sacro Textu, & à lege Mosis alienæ. Imprimis die veneris ante noctẽ, quidquid per sabbathum comedere volunt, coquere solent, & tribus epulis diẽ sabbathi honestant, die veneris noctu, ineunte sabbatho, & vespere sabbatho exeunti altera. Hanc legem ex Exod. 16. extorserunt. Vbi ter loquens de manna scribitur *hodie* inuente Mose ter manna sabbatho epullis comedendum.

Nul-

Nullus autem, quamvis plures ancillas haberet aliquid in honorem Sabbathi non laborat, vt decernitur in Talmude fol. 119. & in tract. Kidduschim cap. 2. Vngues die veneris resecant, non sine superstitione, digito intermedio transmisso: incipientes vero à sinistra, vestibus in honorem Sabbathi destinatis induti, mensaque strata linteis mundis, & albis, Sole montium, & arborum cacumina iam occupante, lucernas, quas *Sabbathi* appellant, mulieres accendunt, ambas manus, quam primum ardere incipiunt, expandentes versus lucernam, inquiunt: Benedictus tu Domine Deus, qui nos præceptis tuis sanctificasti, & candelas accendere, præcepisti. Quis non rideat, vnde hæc ceremonia ortum habeat? nolente namque Adamo (inquiunt) de ligno edere, ramum decerpsit Eua, ictuque illum afflixit, quousque simul cum illa ederet, atque peccaret, & Solis, qui antea maximè collucebat, post vtriusq; peccatum, lumen extinctum est. Ideo mulieres qui lucem perdiderant, accendere candelas institutæ sunt.

Deinde orationibus vacant, bonũ, & malum Angelos iudicantes assistere Synagogæ, illo, si attenta fuerat oratio, dicente: vtinam proximo Sabbatho se res sic habeant, tenetur iste, *amen*, respondere, si contrarium euenerit. Angelo malo dicente: proximo Sabbatho sic se res habeant, tenetur etiã bonus inuitus dicere, *Amen*. Quis hæc non deridebit? sicut & quod defunctorum animæ die Sabbathi in aquas se se proijcientes paululum refrigerantur, & ideo his temporibus aquam exhaurire interdicunt, nec quidquam refrigerij subtrahatur miserrimis animis? Postea domum redientes mensæ accumbunt, vinum consecrant, & puerulo degustandum tradunt. Duos panes accipiunt, eo quod duplum die veneris collegerint manna. Et Sabbathi diei maior felicitas in edere, bibere, & delitijs abuti consistit. Hæc est eorum (ò quam sancta, & quam reformata) religio. Pro qua comprobanda pluribus Talmud. scatet fabellis, cap. 26. fol. 119. & in tract. dei eiunijs, cap. 3. fol. 10. & cap. 16. fol. 118. Quoniam autem Sabbathum delitiarum, voluptatum que abusu celebrant, consulunt Rabbini, vt mariti nocte illius diei esse præcipuè meminerint, & Sabbatho nuptias celebrẽt. Quid autem secundis, & vltimis epulis agant Iudæi, preces quas fundunt, pulcherrimas cantiunculas Sabbathi, quas cantillant, & alia referre difficile foret; inferius miscebimus plura, sed non nisi vana, & superstitiosa.

§. II.

Quod itineris spatium deambulandum licite foret ex Rabbinorum placitis traditur.

CVM Iudæus die veneris peregrinatur, & via, siuè ad diuersorium, siuè domum, maior termino, qui Sabbathi deambulationi conceditur, supereſt, in medijs agris, siue in media sylva subsistere debet, omni furum periculo, & cibi, potus que penuria post posita: Mendatijs referta hoc comprobat historiola Sepher Hammaase hist. 138. Quis autem terminus itineris sit in Sabbatho? non est apud omnes compertum. Ex Samaritanis plures sacræ Scripturæ simplicem sonum amplexi, quo loco, quo habitu, qua positione quis esset repertus Sabbathi initio, sic toto die manendum existimauerunt. Alij in Orach Chaijm num. 301. viris, mulieribus que Sabbatho currere interdicunt, nisi præcepti diuini exequendi causa, passus etiam duobus pedibus maiores facere prohibitum. Si tamen adolescentes currant, vel saltem animi Sabbatho recreandi causa, in honorem Sabbathi concessum est. Omnes quidem, Samaritas

ritanorum superstitionem si excipias, distantiam aliquam itineris recognoscunt. Duplex autem est Sabbathicorum interuallorum genùs, alterũ maius, quod legi Scriptæ coæuum est, atque Mosaicum poterit appellari. Alterum minus, quod ex Scribarum scitis, moribus que superinductis manauit. Prius autem fuisse dicunt 12. milliarium. Posterius cubitorum bis mille, quod æquale est milliario Italico. De minori intelligitur illud Act. cap. 1. vbi iter sabbathi pro distantia, quæ inter montem oliuarum (sic inquit Seldenus) & sacram ciuitatem intercedit, substituitur, vel bis mille pedum: sic ex Hebræis Hieronymus epistol. 151. ad Algas quæst. 9. ¶ Præterea (inquit) quia iussum est, vt diebus sabbathorum sedeat vnusquisque in domo sua, & non egrediatur, neque ambulet de loco, in quo habitat, si quando eos iuxta litteram cæperimus arctare, vt non iaceant, non ambulent, non stent, sed tantum sedeant, si velint præcepta seruare, solent respondere, & dicere, Rabbi Akiba, & Simeon, & Hillel magistri nostri tradiderunt nobis, vt mille bis pedes ambulemus in Sabbatho. ¶ Hæc ille.

Qui autem iuxta Talmudicos vltra terminum vrbi præstitutum exibat, vapulabat, iuxta id quod habetur in lege: *nõ egrediatur vllus è loco suo die septimo*. Locus hic (inquiunt) est terminus vrbi præstitutus, seu spatiũ vltra quod nõ erat egrediendũ. Nã & sic iussit Moses magister noster, aiũt, non esse egrediendum è castris. Cæterum & Scribarũ ex scitis manauit illud, quod non liceret homini, vrbe exire vltra bis mille cubitos, scilicet, spatium illud, pro sub vrbio habetur. Sic Maimonides Halach sabbath. cap. 27. Quæ sic interpretantur, vt fas sit, dicant homini in sabbatho totam vrbem peragrare, etiam si fuerit amplissima etiam vt Niniue. Idque siue muris cincta esset. Atque etiam fas fuisse ex vrbe egredi per bis mille cubitos in quamlibet plagam. Deinde adijciunt, si bis mille cubitos excederet, nec tamen duodecimum lapidem attingeret, flagris puniebatur, eis, scilicet, qui Scribarum scita non obseruarent, debitis. Cæterum si vltra duode cim ab vrbe lapidum distãtiam exiret vsque ad cubitum vnicum, vapulabat ex lege sacra. Eo spectat illud Iosue de arca; *Longitudo erit inter vos, & illa, quasi mensura duum mielium cubitorum, nec appropinquabitis ad eam, quatenus, scilicet, sciatis viam, per quam incedatis*. Vbi Salomon Iarchius ad Exod. cap. 16. sic inquit. ¶ Vt potueritis ire, & precari coram Domino etiã in Sabbatho. Contra hoc difficilis est locus Deut. cap. 16. *Mane que consurgens vadet in tabernacula tua*. Ibi videndum.

§. III.

Superstitiones Iudæorum aliæ proponuntur, quæ in Sabbatho prohibentur.

IOsephus lib. 14. cap. 8. patrij moris fuisse, vt si hostes sabbatho pugnam inciperent, ipsos que Iudæos adorirẽtur, ij se se defenderent ait. Sin vero aliud quid molirentur, nihil agere debere Iudæos. Id cum Pompeius cognosceret, fossis, & turribus diebus sabbathi factis, Hierosolymam totam cum templo deuastauit. De Asinæo Iudæo (inquit Iosephus.) ¶ Legi magis consentaneum censuit, vires ob necessitatem exercere, arma que corripere, sicque, si mori oporteret, supplicium de hostibus sumere, quam nihil agendo mori, sicque ipsis etiam hostibus gaudij materiam suppeditare. Irruere nihilominus die sabbathi in inimicos improbum iudicatur est. Vide Iosephum [illegible] 27. He expresse hab[illegible] rum, cap. 2

legem sabbathi tanto necessitatis extremo, vitæ que periculo non obligare censuerunt, sic legem interpretante Pontifice Maximo Mathathia, apud quem ius explanandi præcepti residebat. De quo videndus D. Thomas 2.2. q. 40. art. 4.

Ex ijs conspicuum apparet, quam superstitiose in obseruantia sabbathi nunc Iudæi religiosiores se gerant. Nulla enim viro arma gerenda sunt, neque gladius, neque lancea, neque lorica, sartor cum àcu vestibus suis inhærente domo egredi nõ debet. Claudus, mancus, paralyticus, qui sine baculo, vel scipione ambulare nequeunt, baculum, quo innitãtur, gestare possunt: cœco vero prohibitum. Iure autem meliori, quam in antiquiores, in hos diceret Plutarchus, quod custodiendo sabbatho, septimam ætatis partem vacãdo perdunt, & Seneca apud Aug. lib. 6. de ciuit. cap. 11.

Pro maiori expositione eorum, quæ supra retulimus, & simul textuũ nostræ antilogiæ, audite Tertulianum lib. aduer. Iudæos c. 4. ¶ Dicturi sunt Iudæi, ex quo hoc præceptum datum est per Mosem, ex inde obseruandum fuisse. Manifestum est itaque, non æternum, neque spiritale, sed temporale fuisse præceptum, quodque quando que cessaret, denique adeo non in vacatione sabbathi, ideſt, diei septimi, hæc solemnitas celebranda est, vt Iesus Naue suo tempore, quo Hierico ciuitatem debellabat, præceptum sibi à Deo diceret, vti populo mandaret, vt sacerdotes arcam testamenti Dei septem diebus circumferrent in circuitu ciuitatis: atque ita septimi diei circuitu peracto, sponte ruerent muri ciuitatis. Quod ita factum est, & finito spatio diei septimi, sicut prædictum erat, ruerunt muri ciuitatis. Ex quo manifeste ostenditur in numero istorũ [illegible] septem dierum [illegible] triſſe diem sabbathi [illegible] ndecunque initium [illegible] i diem secũ concludant necesse est, quo die nõ tantum sacerdotes sint operati, sed in ore gladij præda facta sit ciuitas ab omni populo Israel. Nec dubium est, opus seruile eos operatos, cum prædas belli agerent ex Dei præcepto. Nam & temporibus Machabæorum sabbathis pugnando fortiter fecerunt, & hostes Allophyllos expugnauerunt, legemque paternam ad pristinum vitæ statum pugnando sabbathis reuocarunt. Nec putem aliam legem eos defendisse, nisi in qua de die sabbathorum meminerat esse præscriptam. Vnde manifestum est ad tempus & præsentis causæ necessitatem conualuisse, vt non ad perpetui temporis obseruationem huiuscemodi legem ijs Deus dedisset. ¶

Idem Tertulianus libr. 2. contra Marcion. cap. 21. ¶ Sic & in cæteris (inquit) contrarietates præceptorum ei exprobas, vt mobili & instabili, prohibentis sabbathis operari, & iubentis, arcam circũferre per dies octo ideſt etiam sabbatho in expugnatione ciuitatis Hiericho. Nec sabbathis enim inspicis legem opera humana, non diuina prohibentem. Siquidem sex, inquit diebus operare, & facies omnia opera tua. Septima autem die sabbatho Domino Deo tuo, non facies inea omne opus, quod vtique tuum. Consequenter enim est, vt ea opera sabbatho auferret, quæ sex diebus supra indixerat, tua, scilicet, ideſt humana, & quotidiana. Arcam vero circumferre, neq, quotidianum opus videri potest, neque humanum, sed rarum & sacro sanctum, & ex ipso tunc Dei præcepto vtique diuinum, quod & ipse, quid significaret, edisserem, nisi longum esset figuras omnium argumentorum oratoris expandere, quas forsitam neque admittis. Sed plus est si de absolutis reuincamini simplicitate veritatis, non curiositate: sicut & nunc certa distinctio est sabbathi, humana, non diuina prohibentis opera. Ideoque qui sabbathis lignatum ierat, morti datus est.

Suum

ſuum enim opus fecerat lege interdictum. Qui vero arcã ſabbathis circumtulerant, impune geſſerunt: non ſuum enim opus, ſed Dei, ex præceptõ ſcilicet ipſius adminiſtrauerunt. ¶ Et contra eundem lib. 4. c. 12. ¶ Etiam ſi deſtruxiſſet (inquit de Chriſto) ſabbathũ merito, quia dominus magis ille qui inſtituit, ſed non omnino deſtruxit quà Dominus, vt hinc iam apparere poſsit ne tum quidem in arcæ circumlatione apud Hierichuntem ſabbathum à creatore deſtructum. Nam & illud opus Dei erat, quod ipſe præceperat, & quod propter animas diſpoſuerat hominum ſuorum indiſcrimine belli conſtitutas. ¶ Vide Epiphanium hæreſ. 66 contra Manichæos. Ex quibus conſtat conciliatio Antilogiæ, & ex dicendis clarius conſtabit.

§ V.

Iudicia legalia non exercita eſſe ſabbatho, exponitur, & quid de ſupplico illius, qui violauit, Moſe iudice, ſabbathum.

IVdicia legalia prohibita eſſe indie ſabbathi, & alterius feſtiuitatis, cõſtat ex Exod. 12. & 20. illic enim nihil operandum præcipitur præter ea, quæ ad victum neceſſaria erant, quando autem in lege vnum excipitur, cætera cõprehendi certiſsimum eſt. Hic autẽ neque opus aliud in ſabbatho admittit. Comprobat idem illud Act. Herodes enim cupiens placere Iudæis poſt paſcha producendum reliquit, mortẽ autem eius nuſquam differret, ſi die feſto iudicia licerent Iudæis. Philo lib. contra Flaccum præſidibus non inſolẽter adminiſtrantibus morem fuiſſe, in neminem damnatum animaduertere, donec ſolemnes celebritates, Auguſtorũ que natalitia feſta prætereant, tradit. Romani Kalendis Ianuarij feſtis que diebus vincire reos, atque damnare, nefas ducebant. Vnde Tiberyum ſæuitiæ Suetonius arguit, quod neque Kalendis Ianuarij abſtinuiſſet à cæde. Et quidem Plutarchus, vrbi impendentium malorum viſum præſagium, teſtatur, quod Marius Kalendis Ianuarij ciecerit Licinium de ſaxo. Eadem memorat Liuius lib. 5. & Cicero lib. de leg.

Quid autem iure canonico ſtatutũ ſit de Dominica die à Patribus imitari volentibus ſabbathi feſtiuam ſolemnitatem, habemus in Concilio Tarraconenſi c. 4. nullum tam epiſcopum, quam preſbyterum auſum eſſe, cuiuſcumque cauſæ iudicare negotium. Matiſcon. 2. can. 60. nullum cauſarũ actionẽ exercere. Idem Arelaten. 4. cap. 16. Nicolaus 1. ad conſulta Bulgarorum cap. 12. cap. 1. de ferijs lib. Decre. tit. 9. ¶ Omnes dies Dominicos à veſpera in veſperam cum omni veneratione decernimus obſeruari, & ab omni illicito opere abſtinere, amercatu, placitis, ſententia ad mortem, iuramento, niſi pro pace, aut alia neceſsitate. ¶ Idem habetur ſtatutum in lege *Omnes* Cod. *de ferijs*, ibi. ¶ In quibus parem neceſſe eſt habere reuerentiam, vt nec apud ipſos arbitros, vel à iudicibus flagitatos, vel ab ipſis electos vlla ſit cognitio iurgiorum. ¶ *Et L. 2. §. fin. D. Si quis cautionibus*, ibi. ¶ Is qui citatus ad diem non reſpondit, excuſatur, ſi dies feriatus fuit. ¶

Verum contra hoc ſtare videtur illud Num. cap. 15. vbi homo qui ſabbatho colligens ligna comprehenſus eſt, ſtatim ipſius ſabbathi die lapidibus obrui præcepit Dominus. Verum hoc non magni roboris habet in contrarium, Tertulianus lib. 2. contra Martionem. ¶ Diſtinctio (inquit) eſt ſabbathi humana nõ diuina prohibẽtis, ideoque qui ſabbathis lignatum ierat, mortidatus eſt, ſuum enim opus fuerat lege interdictum. Qui vero arcam ſabbathis circũtulerant, impune geſſerunt. Non ſuum enim op⁹, ſed Dei ex præcepto ſcilicet

ipsius adm iniſtrauerant.¶ Deus ergo lege à ſe ſa ncita, vt omnes ſupplicio terreret, voluit diſpenſare, ex quo non licebit cuiuis iter agere cõtra legem, ſicut qui legis dominus eſt.

Neque licet ex alijs verbis ipſius loci difficultas inſtaurari potuiſſet, ab intelligẽtia prædicta nos dimouebit. Sic enim inſtauratur vis præcedentis difficultatis, quoniam ex ca.15. Num. conſtat hominẽ, qui collegerat ligna, prius comprehenſum recluſiſſe, ad tribunal Moſis adductum, ac tandẽ à Domino lapidibus obruendum damnatum. Ex quibus deducitur, ante ſententiam diuinam, prius miſerum reum cõprehenſum fuiſſe, ac recluſum impune. Id ergo licuit hominibus, & non Domino legis tantum. Dicendum nihilominus eſt (& ſit altera loci, & quidem non violenta intelligentia) in Num. c. 15. non dici lapidibus hominem in die ſabbathi obrutum. Refertur ibi hominem recluſum, ad Moſem delatum, illi cõſulenti, vt lapidibus obrueretur Dominum reſpondiſſe: id tamen executioni ipſo die ſabbathi deditum minime memoratur. Potuit ergo ſequenti, accuſari, & lapidari, luce. Quis enim credat, niſi expreſſum eſſet in textu, legiſlatorem ſic ſeuere ſabbathi præcipientem obſeruationem, vt qui neque ignem accendi permitteret eo die, vt velox haberetur ad iram, pœnas luente miſero reo, lege diſpẽſare voluiſſe? Audite Maimonidẽ lib. vlt. Iadſect. 5. quæ inſcribitur Sãhed. ¶ Iudices (inquit) rerum capitaliũ nõ iudicãt in paraſceue ſabbathi (ab hora intellige aqua feſtum incipiebat) aut in paraſceue diei feſti, quia non debet id fieri, & reus occidi poſtridie non poteſt. ¶

§ V.

Feſtiuis diebus vendere, emere que non licere, & quid de Dominica ſtatutum à Patribus, & Concilijs?

SAbbatho vendere, & emere non licuit. Hoc expreſſum eſt in Scriptura, Eſdræ enim 2.c.13. ſic habetur. *Eſdras ergo ex Perſide reuerſus hæc curauit circa obſeruationem ſabbathorum. In diebus illis viri Iuda calcantes torcularia in ſabbatho, portãtes aceruos, & onerãtes ſuper aſinos vinũ & vuas & ficus, & omne on⁹, & inferẽtes in Hieruſalẽ die ſabbathi. Et cõteſtatus ſum, vt in die qua vendere liceret, venderent.* Et paulo inferius clariora. Idẽ autem dicendũ eſt de alijs feſtiuis diebus. Quoniam ſabbathi nomine feriati omnes dies intelliguntur à cõmuni ſabbathi appellatione iuxta illud Leuit.23. *A veſpera vſque ad veſperã celebrabitis ſabbatha veſtra.* Præterea ſuadet id edictũ Aug. Cæſar. quod refert Ioſephus lib.16. Antiq.c.10. ¶ Placet mihi de communi iurati Senat⁹ ſententia, Iudæos vti proprijs ritibus, ac legibus, neque cogi ad præſtanda vadimonia ſabbathis, aut pridie ſabbathorũ poſt horam nonã in paraſceue. ¶ Hæc Auguſtinus. Ex quibus ſabbathi, & feſtorum diebus prohibita ſimilia opera conſtat. Eadem ſentit Philo lib. de legatione ad Caiũ, & lib. de mũdi opificio: vbi nil operis licuiſſe præcipuè quæſtus gratia, aſſeruit.

Hoc ſimiliter ex canonum ſtatutis compertum eſt, Concilium Turonenſe 3.c.40. ¶ Item interdicatur (inquit) ne mercata, & placita vſquam fiant die Dominica, qua oportet omnes Chriſtianos à ſeruili opere in laude Dei gratiarũ actione vſquè ad veſperã perſeuerare. ¶ Idem ſtatuit Moguntiacum anno 1313.c.37. Remẽſe can.35. Aquiſgran.2.in cap.3.can.17. Arelat.4. cap. 16. Altiſiod.capit.16. allegatum à Burchardo lib.2.decretor.cap. 82. in quo omnia opera ruralia etiam, & venatio prohibentur, ſicut & in Meldenſi can. 77. ſub Sergio.2. Pariſienſe lib.1.c.50. Concilium in Scotia ſub Innocentio 3. eadem obſeruari decreuere. Ea autem regulari voluere in Concilijs Sanctiſsimi Patres erga Dominicæ obſeruationem conformiter omnino ad id, quod lege diuina ſtatutum eſt

à

à Domino in sabbatho, cui Ecclesia substitui diem Dominicam voluit.

§ VI.

Plura religionis gratia die sabbathi esse permissa, & Euangelistarum aliqua testimonia exponũtur.

EMptionem, & venditionem licuisse pietatis, & religionis ergo in die sabbathi, non quæstus gratia, iudico: & idem de collectione fructuum in stante necessitate, vt quis vnde ali posset, haberet. Primũ suadetur; quoniam iuxta plurium & fere communem sententiam luna decima quarta ad vesperam posteriorem diei 14. & priorẽ diei 15. qui primus azymorum, ac perinde festinus erat, celebrauit Dominus pascha. Tunc autem Christo Iudæ dicẽte. *Quod facis, fac citius: quidam* (inquit Ioannes) *enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus: eme ea, quæ opus sunt nobis ad diẽ festum.* Paulo inferius. *Erat autem nox.* Licuit ergo illa nocte, & luce sequenti cibos, & alia religionis emere causa. Deinde quia eo, quo passus est Christus, die, iuxta plures festiuo, à Iosepho ab Arimathia emptã syndonẽ scribit Marcus. Maimonides in Hilchot Sabbat. omnia officia atque ministeria cũ sabbathi violatione coniuncta præstari posse ægro, sæpius inculcat, vnde emptionem alimenti, vel medicinæ, si necessitas vrgeat. Quod similiter fateri debet de collectione fructuum, cum vitæ alendæ necessitas vrget, cum ipse (vbi supra) posse, & debere manus impij regis fugere die sabbathi Israelitã potuisse, dicat.

Exquibus patet intelligentia Lucæ cap. 6. vbi Christus discipulos suos defendit cõtra Pharisæos notantes, quod collegerint die sabbathi spicas. Irrationabiliter ergo calumniantur discipuli Christi. Tum quia comparare sibi, quæ necessaria erant victui, poterant in sabbatho secundo primo, quia vt inquit Isidorus Pelusiot. dicitur sabbathum primo secundum, quia secundũ erat solemnitatis paschæ, primum autem azymorum. Neque mireris, secundum diem sabbathũ appellari. Iudæis enim totum paschalis celebritatis festum sabbathum appellare legitimum erat. Quare alicubi festum hoc sabbathum sabbathorum appellatur. Eadẽ inquit Theophylactus. Tum, & intento nostro proximius cum Lyra, quod est lege prohibitum, effici potest licitum propter imminentem necessitatem. Sicut Dauid, qui legitur sanctus, manducauit panes propositionis: quod lege veti tum erat sæcularibus, quin nec sacerdos offerens, nec Dauid accipiens reprobentur, opus vtriusque necessitate sanctificante. Sic in præsenti, dato quod nõ liceret spicas fricare, rectum gererent propter famis necessitatem. Verum, vt diximus, hoc sabbathum vnum ex paschatis diebus esse dixim, ex Isidoro, quibus ea parare quæ necessaria arbitrantur ad victũ, licebat, vt patet Exod. 12. et si non ex propria sententia sabbathum illud vnum ex diebus paschatis azymorum asseruerimus, cum difficile sit die 15. Martij spicas esse maturas. Quid autem dẽ hoc, alibi. Tũ quia, vt ibidẽ inquit Christus, *Dominus est filius hominis etiã sabbathi* vnde in sabbathi obseruatione dispensare, sicut inquilibet lege, potest. Vide Exod. c. 20. vbi de idololatriæ impossibili dispensatione. Tum quia vellere spicas, vt mãducẽt & non quæstus gratia, nõ est prohibitum. Quid autem dicendum de mãna, quod die sabbathi colligere non licebat, iam diximus.

Ea autẽ, quæ religionis ergo fiebãt, sabbatum nõ violare, exprimit frequẽter ipsa Scriptura. Sabbatho nãq; victimas sacerdotes mactabãt, pelles detrahebant, intestina lauabant, ligna findebãt, ignẽ accẽdebant, pueros circumcidebãt, vt Hieronym°, Chrysostom°, & Euthymius exponunt. Ex quo confirmatur, vt inquit Maldonatus, de festis nostris vulgaris sententia, non violari

ſcilicet feſtum, cum ea infeſto fiunt, quæ ad eius celebrationem ſpectant, nec alio tempore fieri poſſunt, & quæ ad ſalutem animæ ſunt neceſſaria. Hoc enim maxime Apoſtolos excuſabat, quod in prædicando, miraculiſque operandis ita occupati forent, vt nec parare, nec capere cibum poſſent. Hoc eſt miſericordiam volo, non ſacrificiū. Vlterius autem interrogatus, ſi licet ſabbathis curare? reſpondet affirmatiuè dicens *quis erit ex vobis homo, qui habeat ouem vnã, & ſi ceciderit hæc ſabbathis in foueam, non ne tenebit, & leuauit eam? Quanto magis melior eſt homo oue?* Quaſi hæc licerent die ſabbathi iuxta legem.

Verū contra huiuſmodi veritatē exſtat illud Luc. *Et reuertentes parauerunt aromata, & vnguenta, & ſabbatho quidē ſiluerunt ſecundū mandatū.* Quaſi prohibitio emptionis die ſabbathi etiã pietatis gratia caderet ſub præcepto. Dato quod non liceret ſepelire, neq; vngere mortuos nihil cõtra nos. Quoniã nulla maior erat pollutio vetita à Moſe, quã ipſe contactus mortui. Quod ipſius Thobiæ ſuadet exẽplū, quo plures, vt nõ licuiſſe ſabbatho mortuos curare, probẽt, mouẽtur. Ibi enim pollutionem traditur contraxiſſe, qui mortuū cõtigerat, quare nõ audet ingredi domū ſuã. Alia antẽ pietatis opera vetita ſabbatho nõ videmus. Quod ſi licuiſſe funera accurare illo die dicam⁹, ſic intelligẽdus eſt Lucas. Siluerunt quidẽ mulieres nõ ſecūdū mandatum, hoc eſt legẽ, ſed ſecundum traditiones Phariſæorū, quas gẽs barbara, aut ſimplex, ignaruſq; populus tãquã legis rigoroſū mandatū obſeruare cogebantur; immo ſuperſtitioſius ipſa diuina lege, vt videre eſt in Rabbinis ſupra cœlū oralẽ ſuã eleuantis legẽ. Lucas autẽ ſe accommodat in loquendo eorū intelligentiæ: ideoque mandatū ipsã ſuperſtitioſam traditionẽ appellat. Quantum autẽ hæc diſtet à vera obſeruantia præcepti, quis non videt? Philo enim lib. 2. de vita, Moſis nec ramū nec fronem, nec folium demere fas eſſe aſſeuerat, quod æque ſuperſtitioſū eſt, ac exẽplū, quod ex Saxonicis annalibus producit Munſterus de Iudæo, qui ſabbatho cum incloacam decidiſſet, propter ſabbathi religionem renuit educi, Epiſcopus autem ſequenti die, propter diẽ Dominicæ, qui ſacer Chriſtianis eſt, extrahi noluit permittere. Hinc in deriſum tam ſtultæ ſuperſtitionis illud.

Sabbatha noſtra colo, de ſtercore ſurgere nolo.
Sabbatha noſtra quidem Salomon celebrabis ibidem.

Ex quibus concluditur iuxta Talmud ſtatui ouem cadentem in foueam extrahi non poſſe, ſed in ea cibū dandū eſſe, donec præterierit ſabbathum; ſi vero imū foueæ profunda operiatur aqua, nec beſtia, quæ decidit cibari poteſt, ſtramen illi, & alia ſupponẽda ſunt, ne, ſi modo fieri poſsit, ſubmergatur; ſi ipſa foras erumpat, reus non eſt Iudæus, neque ſabbathum violauit. Sic ſunt cætera, ſicut & quæ ſuperius retulimus.

Ex iis impius ille ac ſceleratus Rabbi Lipmanus in execrãdo illo & impuro libro, quem in quatuor Euangeliſtarum hiſtoriam ſub Triumphi titulo anno Chriſti 1459. conſcripſit, impudenter falſi inſimulat Chriſtū, qui iuri ſuo contraria, & conſuetudini ipſorum repugnantia affinxerit. Sed (vt inquit Buxtorfius) Chriſtus Dominus ipſa veritas eſt, ac proinde nil niſi veritatẽ loquutus: Nil vnquam falſi, nil doloſi in ſacroſancto illius ore inuentum eſt. Ipſe autem Iudæus cum patre ſuo diabolo mendax eſt. Verum quidem eſt hodiernum Talmudicum ius ſic præcipere, vt inter alia comprobat exemplū, quod adducit Munſterus. Hoc verū eſt quod verbis Chriſti repugnet, ſed à principio res nõ ita ſe habuit. Nil enim huic ſimile in illorū veterum cõſtitutionib⁹ inuẽtum eſt, ad quarum normam regulabantur tempore adhuc ipſius Chri-

Christi. Indicium maximum veritatis verborum Christi silentium est Pharisæorum; non enim tacuissent, si eorū traditionibus repugnarent, & iuri vulgo recepto. Qua ratione ergo in hodiernum illorum ius irrepsit? Respondemus nouellam esse constitutionem, à Rabbinis & Talmudis auctoribus in Guemaram, seu deuteroseon complementum, Noui testamenti & Christianæ fidei odio, aliquot à Christo nato sæculis, intrusam, & ex veteris cuiusdam traditionis consequentijs, disputandi tantum gratia, fabre factam, & excogitatam, vt ex ipsorum Talmude manifeste videre est.

Ex horum ergo nouellis constitutionibus, & indies introductis consuetudinibus ridiculis, atque vanis pullulant infinitæ prohibitiones & si minimorum laborum. In summa triginta nouem omnis laboris articulos habēt, ad quos omnes, qui cogitationem etiam humanam subire possunt, referuntur labores, exempli gratia. Primus articulus generalis *est arare seu colere agros*. Huc pertinent fodere, foueas replere, hortum pastinare; herbas trasplantare, arbores plantare, pampinare, herbas teneras irrigare. cubiculum aqua irrigare, ne puluis excitetur sabbato concessere, sed scopulis euerrere, ne vllus scrobiculus in cubiculo repleatur, vetuerunt. Item agrum pastinarum transire non licet, ne fouea aliqua conculcatione repleatur. *Frumentum secare, vel metere*, est secundus, quo referuntur fructus decerpere, apibus mel subtrahere. & id genus alia. Vi huius articuli offensi fuere Iudæi, quod Christi discipuli spicas sabbatho euellerent. Tertius articulus est *triturare*. Quo spectant lanam excutere, prælo vel torculari quidquam subijcere, pannos madefactos exprimere, mulgere. Si infans nutricem stercore vel vrina sabbatho inquinauerit, quidam censent (stupescite subtilitatem quæstionis) manus illam supra rem inquinatam abluere debere, donec aqua manibus decidens spurcitiem abstulerit. Rabbi Iose id prohibuit, veram lotionem censens. Plura alia æque futilia longissimum esset referre, de quibus omnibus sic vaticinatus est, Esaias 1. & ore eius Deus affatus est. *Incensum abominatio est mihi, Neomeniam & sabbatum, & festiuitates vestras non feram, iniqui sunt cœtus vestri, Kalendas vestras, & solemnitates vestras odit anima mea, facta sunt mihi molesta, laboraui sustinens.*

Exodi 20. præcipitur obseruari sabbathum à seruis, & ancillis Israelitarum.

Exod. 31. de sabbatho dicitur: pactum est sempiternum inter me, & vos quasi solis Israelitis obseruatio licuisset.

---

§. I.

Quid de sabbathi singulari obseruantia tradiderint exteri auctores, locus Ouidij male ab Abul. intellectus.

Iudæi in Deut. 12. nil magis, quam legis Mosaicæ corpus hereditatē Ecclesiæ Iacob, & peculium esse, insonant, atque repetunt, vnde intra suam ditionem gentibus omnino prohibitam tenent. Et ideo institutum ieiunium ad diem octauum Tebet respondentis nostro fere Decembri credunt, quoniam sub Ptholomæo Philadelpho à Septuaginta interpretibus Pentateuchum Mosis est versum. Vnde cū scripta est lex græcè (inquiūt) diebus Ptholomæi regis, tenebræ triduo per totum orbem sparsæ sunt. Nefas namque est, legem sibi peculiarem cū gentibus alijs per eiusmodi versionem cō municari. De sabbatho quidē sic Rabbi Jisa in Zoh ad Elle-semoth fol. 63. Etiam synagoga, seu Ecclesia Israeliti ca (inquit) sabbathum nūcupatur, quoniam ei concors est, & sponsa, nam scriptum est. *Obseruabitis sabbathum, quoniam sanctum est vobis*, vobis, non gentibus reliquis, atque hoc est quod intelligitur verbis illis *inter me, & filios Israel.* Vnde etiam habetur peculium hereditarium perpetuo Israelitis.

Sabbathi obseruationem singularem fuisse Iudæis, neque communē incircumcisis, fuit indubitatum Tacito hist. 5. De Seneca sic D. Aug. lib. 6. de ciuit. Dei c. 10. reprehendit etiam sacra Iudæorum, & maxime sabbatha inutiliter eos facere affirmans, quod per illos septem interpositos dies, septimam fere ætatis suæ partem perdant vacando, & multa in tempore vrgentia non agendo, læduntur. Subdit itē. Illi tamen causas ritus sui nouerunt, & maior pars populi facit, quod cur faciat, ignorat. Accedit Ouidius lib. 5. de arte amandi, vbi amoris candidatum monens, sic inquit.

Nec te prætereat Veneris ploratus Adonis,
Culta que Iudæo septima sacra viro.

Et paulo post.

Culta Palæstino septima festa viro.

Septimi diei sacra Iudæo, qui Palæstinus Græcis, atque Romanis dicitur, facit propria, alijs que gentibus nō communia. Non sic, neque recte Ouidium intelligit Abulensis. Explicat ita: Terra Palæstinæ, quæ comprehendit partem terræ Chanaā, est culta, idest habitata septimo viro: idest Iudæo, quī septimus appellatur, quia de septem in septem dies sabbatha facit, vnde appositum est *Septimus* adiectiuum tamquam proprium gentis Hebrææ connotatum. Falsum quidem est nomine septimi Hebræum solere appellari; sed tantum septimi cultum diei fuisse peculiarem Hebræis.

§ II.

Quid de sabbatho Græci, atque Romani scriptores.

Apud alias, præter Iudæos, gentes sabbathum solitum obseruari, suadet Clemens Alexandrinus Strom. 5. ¶ Septimum quoque diē (inquit) sacrum esse, non Hebræi modo verum etiam Græci agnoscunt. Quam diem (addit) vti sanctiorem ipsæ quoque Solonis elegiæ mirum in modum prædicant, Hesiodus, Prima, quarta, & septima dies sacra est, inquit. Suetonius in Tib. cap. 32. de Diogene grammatico (inquit) disputare Sabbathis Rhodi solitus venientem,

tem, (Tiberium) vt se extra ordinem audiret, non admiserat, ac in septimũ diem distulerat, hunc Romæ salutandi sui causa pro foribus adstantem, nil amplius, quam vt post septimum annũ rediret, admonuit. De Vtruriæ originibus Guilielmus Portellus pag. 210. Quod erat ipsis Iudæis (inquit) & patriarchis in primo præcepto, & vsu, hoc est, sabbathum, illud fuit etiam Romæ vsitatum: licet enim non esset forsam eadem dies, quæ apud Iudæos obseruari solita est, tamen sicuti nos in Solis die, Pseudo Iudæi Ismaelitæ in Veneris die, eamdem atque Iudæi in Saturni, Sabathi ve die septem intelligentiarum, quæ cælorum motrices sunt, mentionem religiosam facimus ad Summi Dei, Creatoris que laudem. ¶ Apud Ciceronem videre etiam est (vt inquit Guilielmus) in sacris legibus, & apud Halicarnaseum, & Dion. Historicum lib. 37. eiusdem sabbathi diem, qui apud Iudæos erat, ad Græcos, Romanos que fuisse translatum.

Accedit Ouidius de remedio amoris, vbi sabbatha à Romanis ex Iudæa accepta fuisse, tradere visus est. Sic inquit.

Sed quantominus ire voles, magis ire memento:
Perfer, & inuitos currere coge pedes.
Nec pluuias opta, nec te peregrina morentur.
Sabbatha, nec damnis Alia nota suis.

Peregrina sabbatha dici possunt, de quib⁹ Festus sic. ¶ Peregrina sacra appellantur, quæ aut euocatis dijs in oppugnandis vrbibus Romam sunt conlata, aut quæ ob quasdam religiones per pacẽ sunt petita, vt ex Phrygia Matris Magnæ, ex Græcis Cereris. ¶ Sic ergo peregrina sabbatha intellexerit forte quis pro sabbathis, seu more sabbathico, qui hebdomaticus erat, ex Iudæa accepto à Romanis, ad quos verba dirigebat Ouidius, sicut sacra illa è Græcis Phrygibus Epidauris. Et coniunguntur hic à poeta sabbatha infaustissimo die cladis Aliensis, qui sub medium Iulij recurrit (vt notat Seldenus, qui dedit verba) perinde ac si ita sint sabbatha in vsu, ac ille dies Romanis, parilisque de vtrisque ratio mouendi amatorem delirum, ne dies illi, rebus agendis nequaquam idonei, præpedirent illius discessum, quemadmodum vbi de puellæ primo captandi tempore rudimenta docet, eosdem dies coniungit, quibus licet alias rebus agendis nusquam idoneis, ansa tamen amoris conciliandi auidè iuuentuti Romanæ arripienda. Inquit Ouid. ita lib. 5. de arte amandi.

Tunc licet incipias, qua flebilis alia luce.
Vulneribus Latijs sanguinolenta fuit:
Quoque die redeunt rebus minus apta gerendis.
Culta Palæstino septimo festa viro.

Tertulian⁹ Apolog. c. 16. ¶ Alij (inquit ad Gentes) plane humanius, & verisimilius Solem credunt Deum nostrum, ita æquè si diem Solis lætitiæ indulgemus alia longe ratione, quam religione Solis, secundo loco ab eis sumus, qui diẽ Saturni otio, & victui decernunt, exorbitantes & ipsi ab Iudaico more, quẽ ignorant.

§ III.

Triplex dierum diuisio, iuxta disciplinam Romanam. Binæ dierum atrorũ acceptiones, & veteres plures auctores expositi.

PRo expositione huiusmodi auctorum notanda est apud gentiles distributio dierum. Primi generis erant,

erant, (vt scribit Seldenus) in quibus mos fuit sacra curare cum laborum intermissione solemni, veluti Panathænea, Eleusinia, Thalysia, & alia apud Græcos, Saturnalia, Lupercalia, & alia apud Latinos, in quibus non omnimodo opere erat abstinendum, iuxta Romanam disciplinam; immo & plura licuisse, sentit Virgil. Georg. 1.

Quippe etiam festis quædam exercere diebus,
Fas, & iura sinunt, riuos deducere, nulla
Religio vetuit, segeti prætendere sepem.

Secundi generis fuerunt, quibus scilicet, opus aliquod facere per leges, & mores ex auctoritate publica licebat. Tertij generis dies sunt infausti, atri, & inauspicati, quibus licet nulla foret festiuitas, ab opere tamen abstinebant, velut mali ominis infortunium superstitiosius verentes: quorum duæ fuerunt species, aliorum, qui ex auctoritate publica, seù ex instituto ciuili infausti habebantur, dicebantur ea notione sacri, qua sacrum execrandum, detestandum, tristique omine notatum significat, non qua dijs dicatum, aut cultu celebrandum. Eorum altera, qui nec ex auctoritate publica, nec ex instituto ciuili, sed ex priuatorum hominum opinione, obseruatione, seù disciplina secretiori sic habiti. Prima species visitur in eo, quod apud Romanos institutum est diebus postriduanis, quoniam scilicet, Sulpicius militum tribunus apud Gallos pugnaturus rem diuinam fecerat postridie Idus Quintiles, item apud Cremeram, multisque alijs temporibus, & locis post sacrificium die postero celebratum male cesserat conflictus: ideo iusserunt Patres, vt ad collegium Pontificum de ijs religionibus referretur. Pōtifices igitur statuere postridie omnes Kalendas, Nonas, Idus, atros dies habendos; vt hi dies, neque præliates, neque puri, neque comitiales essent. Sed & Fabius Maximus Pontifex negat lib. 12. oportere atro die parentare, quia tunc quoque Ianum, Iouemque præfari, necesse est, quos nominare atro die, non oporter. Itaque tã hæ infaustorum dierum species, quam genus festorum, opus, & laborem non admittebant ex auctoritate, instituto que publico, sed diuersa ratione, festi ob sacrorum curam, & deorum cultum; atri autem, ne male diceret opus inceptum ob malum dici omen, neque illis rectè sacrificium peragebatur. Exemplum posterioris atrorum dierum speciei habetur apud Agg. Noct. Att. 5. cap. 17. Ante diem quartum Kalendas, vel Nonas, vel Idus, tamquam in ominalem diem pleriq; vitant. Eius obseruationis an religio vlla tradita sit, quæri solet? sed nos nil super ea re scriptum inuenimus, nisi quod Claudius annalium quinto, cladem illam vastissimam pugnæ Cannensis factam refert ad quartum Nonas Sextiles. Dierum autem dictorum tàm generis secundi, quàm primi, & tertij dies sacræ dicebantur, sed dissimili quidem ratione. Primi generis dies ita dictæ, quia dijs sacræ, atque sanctæ. Cur autem genus tertium? iam diximus supra. At secundi generis dies, ideſt, pro rebus agendis præ alijs idonei, siuè ex ratione Astrologica, siuè alia ratione habebantur. Vnde obseruant Grammatici apud Homerum, sacrum notione communiori non solum accipi pro eo, quod dijs sacrum est, sed etiam pro illo, quod suo in genere præstabilius, seù pro illo, quod singulari deorum beneficio humano generi vtilitatem affert insigniorem, vnde farina sacra, vrbs sacra, tellus sacra appellari solent.

Ex ijs lucem auctores superius re-

capiunt. Clemens namque non nctitate,aut diei ſeptimi loqui- ultu,ſed de ſingulari numeri ſep- rij loquitur dignitate. Tam æci (inquit) quàm Hebræi ſciunt, numerum ſeptenarium eſſe ſacrum, per quem, aut ſecundum quem totus mundus circumagitur,eorum quæ viua ginmuntur,& omnium,quæ producuntur,quod dicere ſolent Aſtrologi, quibus mundi gubernatores nuncupantur planetæ ſeptem. Eodem ſenſu capiendũ eſt,quod de elegijs Solonis, inquit, palam enim eſt,elegias illas de annis Climatericis, ſeu ſeptenaria ætatis humanæ nutatione hebdomadum nomine Ariſt. Pol.lib.7.alijs que ſæpè denotatas. Sic etiam intelligendus venit Suetonius. Quoniam vt Nundinæ ex origine Latina nouum diem, ita Sabbatha ex origine Hebraica, lingua que Helleniſtica, quæ apud Iudæos, Ægyptienſes, Græcienſes, Romanenſes in vſu, in Romanorum linguam recepta, non ſolum Iudæorum omnes ſolemnitates denotant, atque feſta, verum etiam ipſos dies ſeptimos, qua ſeptimi fuere. Affine namque ſunt *Sebai*, quod ſeptem eſt,& *Sabbath*,ſeù *Sebath*.quod ſabbathum,ſeù requies eſt. Quoniam autem die,ac ſeptimo anno requieſcendum erat,ideo ipſum vocabulum requiem, ſeù ſabbathum denotans lingua Helleniſtica,ſicut & Orientalium alijs, ipſisque Iudæis ſubinde ſeptimum reddebatur. Exod.enim 20. pro eo quod eſt: *Id circo benedixit Dominus diei Sabbathi, & ſanctificauit eum* habent Helleniſtæ. *Id circo benedixit Deus diei ſeptimo*, ſicut, & Vulgata, & R. Saadias Gaon in verſione ſua Arabica. Sabbathum ergo non ſolum ab opere, & labore ceſſationem, quæ pars feſti ſingularis eſt habita,ſed etiam diem ſeptimum ſignificat. Inde per Synedochem totam hebdomadam appellamus ſeptimanam,& fædere nouo feriæ, prima, ſecunda,& tertia ſabbathorum, vt prima ſabbathorum dominica, nominãtur. Hinc factum,vt gentiles, quorum in linguas ſabbathi hæc notio per Iudæorum conſuetudinem, ſiuè Helleniſticos libros irrepſerat,diem quemlibet in ordine hebdomatico diem ſabbathicum vocarẽt,ac ſi diem hebdomadicum ſignificarent. Vnde in Sabbatho diſputare,foret tantum in hebdomadæ recurrentis aliquo vnico die,quem ſibi præſtituerat, diſputare. Quare neque ex quo Sabbathis diſputare ſoleret Diogenes, inde inferre licebit,Rhodijs diem ſeptimum fuiſſe cultum. Dio autem (quidquid dicat Portellus) nil præter id,quod eſt dierum iuxta planetarum ſeptem in eis numerandis ordinem ab Ægyptijs acceptum paſsim inualuiſſe, maxime apud Romanos, quod ad vnam in hebdomade quieti conceſſam nullatenus ſpectat.

Heſiodus itidem,poſtquam diem ſeptimum ſacrum dixit,reddit rationem expreſsè,eo ſcilicet,quod Apollinis natales inciderint die ſeptimo: vnde vniuscuiusque menſis ſeptimus ei ſacer eſt, ſicut octauus Neptuno, Mercurio que quartus. Apollinis feſtum apud Athenienſes celebrabatur laurum geſtantes,caniſtrum coronantes, himnisque laudantes Deum. Ideo ergo ſeptimus dies ſacer dictus vltima hac notione, qua quod vtiliſsimum eſt, ſacrum dicitur, non vero, qua cultus aliquis deſignatur. Neque contrarium oſtendit locus Ouidij: ibi enim ſolum monet amantem, vt amoris loca,quibus ipſe cum amica ſimul aſſueuerat, diligenter fugeret, idque adeo ſolicite,vt nec dies in auſpicatiſsimi, alijs reb⁹ agẽdis nõ idonei,adeoque itineri,eũ laqueis amoris nõdũ extricatum morarentur. Quinã illi? dies Saturni, ſabbatha ab Hebræis Romæ cultra, ideoque peregrina dicta,dies etiam cladis Alienſis infauſtiſsimus. Peregrina enim feſta,

alia

alia fuerunt, quæ Romanis ex auctoritate publica e regionibus exteris inuecta, qualia memorat Ausonius: alia, quæ peregrinis ibi degentibus, plerumque licet non semper permissa, nec Romanis ex more, aut iure Romano communia, qualia Ægyptiaca fuere, & Iudaica. Sic Suetonius de Tiberio cap. 36. externas cæremonias Ægyptios, Iudaicos que ritus compescuit, coactis, qui superstitione ea tenebantur, religiosas vestes cum instrumento omni comburere. Sic etiam Tacitus ann. 2. Inter huiusmodi Sacra, peregrina que festa fuit sabbathi cultus Romæ, non inter ea, quæ ex publico decreto recepta; nam sabbatha illa tunc Romæ celebrare Iudæos, cum scripsit Ouidius, tradidit Philo lib. de legatione ad Caium: vbi dicitur, Augustum rationem indistributionibus suis menstruis Iudæorum ita haberi voluisse, vt si liberalitas illa in sacrum diem septenum incidisset, qua illis nec dare, nec accipere licuit, die postero beneficium illud acciperent. Ouidius ergo sabbatha, & septima festa ad diem Saturni, non ad ipsos diei ritus sacros denotandos, memorauit. Cum enim dies Saturni ex disciplina per multis recepta inter dies atros numerarentur, dubitauit Poeta: ne facile posset contingere, vt diebus illis discessum differret amasius: inquit ergo, non solum dies non te morentur, qui ex disciplina Mathematicorum habentur in fausti, verum nec illi, qui ex instituto publico rebus faciendis minus idonei serio fiunt, veluti cladis Aliensis: ideſt, nullius diei, aut temporis vtcumque alias in fausti qualitas discessum tuũ differat. Audi Lipsium Sat. lib. lib. 1. cap. 5. ¶ Triste Saturni sidus, & maleficum, quále ingenium inferorum. Inde, Saturni diem viæ non faustum, fuit superstitio, quæ omnia Saturni septimum que diem indicant inauspicatum, sicut & sidus Saturni apud Astrologos maleuolum passim legitur. ¶ Vnde solum Iudæis, proselytis que iustitiæ dies ille festus erat ex instituto, Romanis quidem, sed non omnibus ex Mathematica disciplina obsideris dominantis maleuolentiam in faustus habitus est, cuius Astrologica obseruatio plurimũ apud vulgus inualuit.

Ad Tertulianum dicendum, de septimi, ideſt, Saturni diei otio locutum, qui rebus agendis disciplinæ Astrologicæ causa haberetur minus idoneus ex disciplina plurium, qui huic superstitioni indulgentiores forent, non autem de sacro cultu. Dicit namque secundò loco ab eis sumus, qui diem Saturni otio, & victui decernũt, ideſt ab eis, qui ex disciplina sibi recepta id faciũt, qui cum gentiles sint, non est quod solis diei lætitiam nobis obijciatis magis, quam ipsis. At vtroque loco exorbitare ipsos ait, altero à Iudaicis moribus, quos ignorabãt, altero à suis ad alienas religiones, nõ tamen cultus causa fuisse introductũ otium illius diei, sicut apud veteres sensu vulgari accipi ex dictis patet. Sed licet demus, gentiles sabbatha ipsa etiam qua Iudaica religione, imitari, nil contra nos. Credibile est namque Romæ vbi indultu principum sacra Iudaica Hebræis ipsis per quã numerosis permissa fuerunt, non defuisse ex paganis, qui licet in ritus Iudaicos non transirent, ritus nihilominus eorum, veluti, & aliorum ibi degentium ita imitarentur, vt moribus suis illos commiscerent, & religionem Iudaicam venerarentur, licet nõ profiterentur. Horum ex genere fuisse Aureliam Soteriam existimat Saldenus; de qua marmor vetus, quod Polæ in Istria visebatur ex Iano Gutero in Thes. pag. 721. n. 11. adducit.

Aur

Aur Soter &
Aur Stephanus
Aur Soteriæ
matri pientiſsimus
regionis Iud
aicæ metuenti.
F.

Metuentem ſabbattha,& metuentem ius Iudaicum pro ipſo Iudæo,ſeù proſelyto iuſtitiæ ſumi ex Iuv. Satyr. 14. conſtat.

§. V.

Explicatur Ioſephus.

EX omnibus ijs lucem accipit Ioſephus,qui lib. 2. contra Apionem, ſic inquit: ¶ Neque eſt ciuitas Græcorum vlla vſquam, aut barbarorum nec vlla gens, ad quam ſeptimanæ, in qua vocamus, conſuetudo minime peruenerit. ¶ Ex dictis namque triplex hebdomadis,ſeù diei ſeptimi habetur ratio,prima,qua ſeptimus ex inſtituto publico colitur, ſecunda,qua infaſtos, Kalendaria, ad publicas temporum rationes (citra ſacras rationes) admittitur, tertia, qua ſeptem dierum, ſiuè apud Mathematicos,eorum que in rebus gerendis ſequaces, ſiuè apud alios ſic qualitercumque, (ſed citra inſtitutum ciuile,& publicum) numerantes periodum die proximo ſemper inſtaurandam. Tertio modo vſus erat hebdomatis paſsim inter gentes Ioſepho cognitas,auditas ve omnes, & etiam ſecundo apud gentes ſaltem aliquot præter Iudæos orientales, licet Græcis,& Romanis non admiſſus, modo vero primo nullibi Ioſephi ſæculo præter Iudæos, ſi naſcentem tunc Eccleſiam Chriſtianam excipias. Vſus ſcilicet dies tunc per ſeptenarios diſtribuendi, tum ſignandi nominibus planetarum iuxta modum tertium paſsim inualuerat,ita vt ſeptimo præeſſet Saturnus,ſicut Sol primo. Senſus ergo Ioſephi talis eſt. Vſus ſeù cõſuetudo diei ſeptimi velut termini redeuntis dierum periodi,nulla ciuitate, nulla gente barbara, ſiue Græca non reperitur,*Vſus* ergo ſeù *conſuetudo* non ad celebrationem Sabbathicam,feſtiuitatem ve aliquam, quæ Iudæis ita ſingularis fuit, ſed ad periodi ſimilis eodem die deſinentis obſeruationem aliquam Mathematicam,ac chronologicam gentibus cæteris iam communem ſpectat, in loco Ioſephi Quod ſi aliqui ſabbathum primo ſenſu ſeruarunt,idem dicendũ, quod de alijs ritibus Iudaicis, quos etſi extraneos imitari ſolebant ceteræ gentes. Legatur Ioſephus loco ſuperius relato,vbi expreſsius hæc eadem repetit.

§. VI.

Exponitur antilogia,& vera traditur conciliatio.

NON ſolum de proſelyto iuſtitiæ intelligimus Exodi locum; verum de proſelyto domicilij,ac ſeruo incircumciſo,& omnino extra ſynagogam. Sed inde non colligitur teneri huiuſmodi ſeruum ad ſabbathi obſeruationem. Hoc enim præceptũ ceſſationis ab opere in ſabbatho imponitur Iſraelitæ domino ſervi in circumciſi,vt non ſit in cauſa, vt ſeruus eius operetur in ſabbatho, vnde non ſeruo, ſed domino præceptum imponitur. Sic ſentit Ioſephus Caro in Shulcam Aruct. lib. Orach Chlim tit. Sab. Imperatum eſt vnicuique (Iſraelitæ ſcilicet,) vt ſeruus eius ſabbathum obſeruet, (inquit) qui ſcilicet circumciſus fuerit, & baptizatus & in ſe receperit præcepta, quæ ex more ad ſeruos pertinebant; at vero, ſi non fuerit circumciſus, & baptizatus,ſed in ſe receperit ſeptem Noachi-

chidarum præcepta, ei, quoniam erat plane vt proselytus domicilij, fas erat opus facere in sabbatho. Fas etiam huiusmodi seruo opus facere in sui ipsius vsum, seu commodum, non in sui domini, & similiter vniuscuiusque Israelitæ, etiam si non fuerit dominus eius. Vnde ipsi Israelitæ ex præcepto sabbathico tenebantur, non solum non imperare seruis in sui vsum aliquid facere, sed nec vti poterant beneficio, & operis commodo in sabbatho à gentili in vsum Israelitæ præstiti durante sabbatho. Sic Maimonides Halac de sabb. cap. 6. ¶ Illicitum est (inquit) iubere gentiles opus facere in sabbatho, tametsi illis nõ sit imperatum sabbathum, & tametsi iubeat ante sabbathum, & tametsi vsus eiusmodi operis expectandus fuerit vsque dum transiret sabbathum. Hoc vero è Scribarum scitis manauit, tum ne apud gentiles vilius haberetur sabbathum, tum ne ipsi vltro id præstarent, si gentilis in sabbatho opus vltro fecerit, id que in Israelitæ vsum. ¶

Exod. 20. Memento diem sabbathi sanctifices. Ex quibus infertur, lege Mosis fuisse sabbathum institutum.

Exod. 10. Gen. 2. Benedixit diei septimo: Deinde Exod. 16. sabbathũ obseruatum est in deserto Sin, quo accesserunt mẽse 2. & Deut. 5. ante legem quæ data est mense 3.

§ I.

Quid senserint Rabbini refertur.

EX dictis superius constat sabbathi obseruantiam sub præcepto fuisse, & sub mortali obligasse, tum ex grauitate materiæ, tum ex fine legislatoris, tum ex magnitudine supplitiorum, quæ minatus est Deus transgredientibus Ierem. 17. & pœnæ etiam in dictæ colligenti in sabbatho ligna.

Nunc autem sub lite est, quando à Deo acceperint de sabbatho obseruando præceptum. Manasses Ben Israel lib. de creat. prob. 8. ¶ Dico (inquit) quemadmodum traditio creationis mundi penes Abrahamum, & eius posteros tantum fuit, ita etiam ex dictamine legis naturalis sabbathum ab his solis cultum fuisse dicit Script. Gen. 26. *Obseruauit cultum meũ*, quo loco custodia sabbathi intelligitur. De Iacob idẽ affirmant veteres ex eo loco, quo dicitur, venisse ad Salem, & castra posuisse è regione vel ad conspectum ciuitatis: quia enim sabbathũ (inquiunt) instabat, non licebat ei vlterius proficisci, sed sub sistebat ante vrbem. Idem asserunt de Iosepho, quando dicitur iussisse seruis suis, vt mactarent & præpararent, id propter sabbathum abeo factũ fuisse. Ad hæc refertur in Semoth Rabba, Mosem petijsse à Pharaone in Ægypto, vt afflicto populo suo permitteret vnum diẽ cessare à laboribus, eo que impetrato, ex traditione elegisse sabbathum. Ex his omnibus colligitur, sabbathum ante datam legem obseruatum fuisse. ¶ Occurrit in Semoth Rabbat parash, 1. eiusdem, verba sunt. ¶ Sunt qui aiant, Mosem, cum videret, nullam eis esse laboris intermissionem, ad Pharaonem se contulisse, eique dixisse: seruus, cui labor non intermittitur vnico in hebdomadæ die, morietur, hi serui tui sunt, qui nisi permiserit ipse vt vnico in hebdomadæ die requiescant,

cant, itidem morientur. Respondit Pharao, abi, fac illis, vt dixisti. Abijt Moses, & ordinauit illis diem sabbathi, quo requiescerent. ¶ Vbi adnotat Ishacar Ben Neptali edit. Crac. fo. 118. ¶ Atque hinc est, (inquit) quod à posteris in ritualibus habetur. Lætabitur Moses ob datam sibi sortem, lætabitur, scilicet, eo quod elegit Deus Opt. Max. eundem ipsum diem, quo requiescerent Israelitæ, quo ipse eis elegerat. ¶ Audite iterum Manasem vbi supra. ¶ Quid quid (inquit) ea de re sit, certum est, eos omnes, qui per traditionem à maioribus suis creationem mundi acceperunt, etiam obseruare sabbathum. Et quamvis alij quidem illo die adhibitis quibusdam ceremonijs ad Deum fuderint preces, nihilominus tamen alij quoque illo die quieuerunt, & feriati sunt. ¶ Aben Ezra apud Bolducium, septimum diem sacrificijs illis post dies conuiuiorum celebrasse Iobum, sentit. Huiusmodi expositio fundamentum habere videtur in littera nostri textus: vbi obseruationis sabbathi traditur ratio. Quoniam sex diebus fecit Dominus cœlum, & terram, & in die septimo quieuit. Vnde Maim in More Nebochim p. 2. quæst. 31. ¶ Ideo (inquit) præceptum sabbathi institutum, vt eorum animis perpetuaretur fundamentum illud de mundi creatione, ad quam septimi diei in ipso præcepto toties relatio fit, vt interrogati de præcepto sabbathi præsto responderent: quia sex diebus fecit Deus cœlum & terram. ¶ Vnde illud Aben Ezra ad Exod. 20. Quis quis opus fecerit in sabbatho, abnegat ille opus creationis, quamtumvis non abneget ipsum D. O. M. quo spectat, quod benedixit Deus diei septimo, & sanctificauit illum. Tam altas ergo radices obseruantia sabbathi habet, vt cũ ipso mundi principio sabbathi ortum fuerit principiũ. Rabbinos relatos sequitur Carherinus ad 2. cap. Gen. cui accedit Corn. à Lapide pro se referens Philonem, Riberam, & alios.

Primum fundamentum, atque eorum opinionis motiuum id fuit, quod superiùs Rabbinos mouisse tradimus. Ex Gen. nempe 1. *Benedixit diei septimæ, & sanctificauit illum.* Quoniam verborum clarus, sincerus que sensus est, quod Deus septimum diem abexordio mundi festum instituit, eius que obseruationem Adam, & posteris eius præcepit. Huius expositionis duo sunt, & quidem non infirma fundamenta. Primum est, quod sanctificari apud Sacram Scripturam, idem, quod a profano vsu aliquid separare, sonat, ad cultum que Dei destinare. Quo in sensu sanctificari dicebantur primogenita, vasa, vestes sacerdotales, atque Leuitæ. Idem ergo est, septimum diem fuisse sanctificatum, ac quod ab alijs profanis diebus hebdomadæ destinatis laborifuerit seuocatus, vt sacer, & religiosus, & destinatus ad cultum. Secundum est: quod quoties Sacra Scriptura de obseruando sabbatho agit, verbo sanctificandi explicat obligationem atque præceptum. Sic Exod. 16. *Hoc est quod locutus est Dominus: Requies sanctificatæ est Domino cras* Ex. 20. *Memento, vt diem sabbathi sanctifices.* Cum ergo Scriptura initio orbis diem septimum fuisse sanctificatum dicit, ex tunc sabbathi hominibus imposita fuisse obseruantiam, non innuit obscure.

Secundũ huiusmodi opinionis motiuũ, oritur ex eo, quod non modo Hebræi, sed etiã longe distantes gentes sacratũ esse non ignorarunt, quod non leue inditiũ est, nõ fuisse solis Hebræis sabbathi impositam obseruantiã. Deinde, quoniam huiusmodi præceptum nil aliud continere videtur, quã cultum externũ, quo pro beneficio creationis rependimus grates, hoc autẽ iuris naturalis non transgreditur metas, vnde

cum hominis exordio natum præceptum dicendum est, sicut quæ ad naturalem legem spectant.

§. II.

Elegitur verior sententia, & sabbathi statuitur initium, & fit satis oppositæ fundamentis.

VEro nihilominꝰ veropropinquiꝰ existimamus ante Mosem non fuisse sabbathũ obseruatum. Huic subscripsit Eusebius lib. 1. hist. cap. 2. Iustinus aduersus Triphon. Damasc. lib. 4. de fide cap. 24. Tertul. lib. aduersus Iudæos cap. 2. Beda in Exam. Abulens. Perer. Constat hoc.

Tum, quia præter prohibitionem arboris scientiæ nullũ præceptũ Adamo datum constat ex Scriptura. Neq; sabbathi præceptum necessarium tunc poterat recognosci, cum nihil hominis quietem, nec diuinarum rerum contẽplationem interpellasset. Tum, quia argumentũ, quod Ioan. 7. fecit Christus, hoc indicat. Christus namque legem, quæ erat de circumcisione opponit legi de sabbatho, illam à Mose, inquit, seruari, quia à Patribus, Abrahamo nẽpe diuino iussu esset præcepta, hanc autem, vtpotè à Mose datam, esse illà de circumcisione posteriorem. Vt ergo inferat Christus, sibi licuisse hominem in sabbatho persanare, tradidit, quod seruando Moses legem circumcisionis lege sabbathi priorem, quæ puerum die octauo circuncidi disponit, die sabbathi (si octauus incidat dies in illum) circumcisio fieri licet: non ergo circũcisione violatur sabbathi lex, cum Moses sua lege de sabbatho non videatur aliquid legis circumcisionis mutasse, vtpotè prioris, & antiquioris; non ergo lex de sabbatho præcesit legem circumcicisionis. Deinde ostenditur ante Mosem sabbathum in obseruãtia non fuisse, quoniam si primi homines à Domino hoc accepissent præceptum, eius obligatio per traditionẽ mnnasset ad posteros, & saltem sanctissimi Patriarchæ, qui præcesserũt Mosem, illud obseruasse referrẽtur, sicut de Ieuiratus constat instituto; nil autẽ de huiusmodi obseruantia cõstat, sed obuolutũ extat in Scriptura silentio, quæ non semel Patriarcharum sanctorũ virtutes, & religionem commemorat. Neq, ante Mosem promissiones, quas post illũ obseruantibus Dominus sæpè facit, vt colligitur ex Leuit. cap. 23. & Isaiæ 58. reperiuntur. Neque supplicia, aut cõmunicationes, quæ post legem datam, transgressoribus sabbathi intimantur, ante Mosem leguntur. Quod creditu difficile est, si esset ante Moẽ sabbathi obseruantia præcepta.

Locum Gen. 2. explicat simul & benedictionem diei septimi Salomõ Iarchius. Benedixit ei (inquit) per Mannã seù in Manna, quoniam in cęteris diebꝰ septimanæ descendebat vnicuique gomera, sexto vero pariter quantitas dupla. Sanctificabat item per mannam: quoniam (eo die) ea non descendebat. Et quod hic scriptum est, ad tempus attinet futurum. Vnde benedictionem ibi à Mose memoratam ad benedictionẽ, quæ post tot sæcula in Mara euenit, ait spectare. ¶ Docuit R. Israel (inquit in Beresith Rabba parash. in f. 13. Mosses Bar Nachman) benedictionem fuisse per mannam, & sanctificationem itidem per mannã, benedictionem in eo, quod cum in cęteris diebus septimanæ descenderit gomera vnicuique vnica, pridie sabbathi descẽdebant binæ gomerę: sanctificationem in eo, quod illo die nihil omnino descendebat; ex sententia vero Rab. Natham benedictio quidem in manna erat, & sanctificatio in ipsa benedictione. Quin & R. Isac adstipulatur, & benedictionẽ eius in manna collocat. ¶ Quo tẽdit solutio illorũ, qui ea, quæ de benedictione, & sanctificatione septimi diei dicta sunt, per anticipationẽ relata esse, neque referẽda ad primũ orbis nascẽtis sabbathũ, ita vt sensus sit: *Benedixit, & sanctificauit*

cauit diem ſeptimum, quando legem de cuſtodiendo ſabbatho tradidit. Sic Abulenſ. Perer. nec longè Suarez.

Diſplicet tamen ſimilis expoſitio Maimonidi, Abarbanelı in Pirush Tora, fol. 21. ob tanti temporis anticipationem. Vnde varia definiunt de benedictione diei illius in Bereſith Rabba parash. 11. R. Bechai in eo ſtatuit, quod nulla diei ſeptimo acceſſerit nox, ſed ex perpetua conſtiterit luce, ita benedictam diei lucem, ac tandem ſanctificationem ſequutam, eo quod ita à ſex diebus fuerit deſcriminatus, ait: vnde Iſraelitas, quos ſibi ſeparauerat Deus, ſanctos nuncupatos, ideſt, ab alijs diſtinctos. Rabenu Niſsim, ſanctificationem, benedictionem que recognoſcit, eo quod exiſtimauerit, vanc quidem, ſeptimo die vires homini augeri, ſabbathi ergo ſanctificatio eo ſita eſt, vt mens humana rei non incumbat profanæ, ſed rebus ſanctis: ideo incrementũ bonitatis appellant, qui non tantũ mẽtem, ſed corpus humanum cenſent die illo viribus creſcere. Alij benedictionem ad creaturas, quæ formatæ ex nihilo erant, iudicant pertinere, ſicut illud Iob 3. *Maledixit diei ſuo: & pereat dies, in qua natus ſum.* Maledictio diei ad ipſum, qui in eo natus eſt, ſpectat, ſic Iſac Abarbanel. ¶ Sanctificauit, ſegregauit (inquit,) & ſeparauit in honorem, & gloriam Dei ſeptimum, quoniam in eius aduentu perfectum eſt, & conſummatum opus cęli & terræ, quemadmmodum etiam homo, vbi opus quod magnificum præſtiterit, poſtquam illud perfeceris, conuinium facit, & diem feſtum. ¶ Vnde natum eſt commentum illud. Adamum cantici Pſal. 92. in ſabbathum auctorẽ fuiſſe, atque ceciniſſe, ſicut & Pſal. alteri⁹ ob aliqua ad primi hominis creationis reſpicentia.

Contra iſtam autem expoſitionem eſſe videntur, Exod. 20. verba, vbi poſt latam de cuſtodiendo ſabbatho legẽ, adiecta item ratione, qua motum explicant Deum, ſic dicitur: *Id circo benedixit Deus diei ſabbathi, & ſanctificauit illum.* Non autem dixiſſet, *benedixit, & ſanctificauit*, ſi loqueretur de benedictione, & ſanctificatione, quæ tũc temporis fiebat à Deo per intimationem huius præcepti inter Dialogi alia, ſed *benedicit, & ſanctificat*. Agit ergo de benedictione, & ſanctificatione retro ante actis temporib⁹ facta, ac proinde benedictio, & sãctificatio ſabbathi non referuntur in Gen. per anticipationem. Deinde, quoniam Deus alijs diebus formationis orbis eſt impartitus ſuam benedictionem. Nullus autem benedictionem huiuſmodi explicat per anticipationem: Benedictio ergo ſeptimi diei re ipſa fuit in ipſa ſeptima die impartita. Idem dicendum de ſantificatione.

Dicendum ergo eſt ſabbathi obſeruationem ante Moſem, & legem ſcriptam præceptam non fuiſſe, ideo autem benedictum diem, & ſanctificatũ, quoniam pluribus prærogatiuis illum Dominus condecorauit, vt quod ab hoc alij inciperent hebdomadæ dies ſignari, prima, ſecunda, & tertia ſabbathi, & quod poſt varia ſæcula dies iſte conſecrandus à Domino erat beneficijs diuinis recolendis, diuinisq; ſacrificijs celebrandis; &, vt inquit Abarbanel: quia iſto die opus mirabile creationis perfectum, & conſummatum eſt.

Ad verba illa Deut. *Sicut præcepit tibi Deus*, dicendum, Deuteronomio colligi à Moſe ea, quæ ſparſim per Exodum, Leuiticum, Numeros dixerat, & frequenter repeti, vnde à Græcis Deuteronomium, ideſt, ſecunda lex appellatur, quaſi hic iterum repetatur lex ſub finem anni quadrageſimi, paulo ante mortem ſuam, priuſquam Iordane tranſmiſſo Chananæam terram Iſraelitæ ſibi vendicarent. Scopus ergo Moſis fuit conſcribere ſummam legis ſcitu maximè neceſſariã, eo quod eſſent quam plurimi, qui prioris legis donationi in monte Sinai non interfuiſſent.

Vnde verba *ſicut præcepit* non reſpiciunt tempus ante Moſem, ſed tempus, quo lex in Sinai ſancita fuit, præcedens, quo repetita fuit, & à Moſe Deuteronomium ſcriptum.

§ II.

Reſpondetur iis, quibus mouetur Manaſes Ben Iſrael, vt ante Moſem ſabbathum eſſe obſeruatum, & ſub præcepto, defendat.

AD id, quod de benedictione diei ſeptimi, præter ea, quæ diximus ſupra, reſpondet R. Saadias Gaõ apud Abarbanel in Bereſ. fol. 21. ibi benedictionem memorari, vt ad ſabbathum ipſum pertineat, non ad eos qui ſeptimum obſeruaſſent diem, cum autem ſacra creationis hiſtoria diei que memoria, qui vniuerſi natalis erat, ad poſteros tranſmitteretur inter patrum traditiones accepta, nil miri, quod plures inter Patriarchas tam celebris, feſtus que haberetur, vt creationis beneficium, ſumma que Dei poteſtas in hominum animis recoleretur. Ex quo inſtitutionem fuiſſe naturalem, atque diuinam non ſequitur, neque illius ante Moſem aliquam obligationem præceſsiſſe; ſicut ex quo plures patrum dies ſoleant celebrare natalitios. Ad illud Abrahæ, Iacobi, & Ioſephi dicendum tam ſingularem apud Hebræos præſertim Abrahæ fuiſſe in lege diſcernenda priuilegium illuminationis diuinæ, vt per anticipationem non ſolum ſabbathum, verum totam, integram que legem poſt tot donatam ſæcula obſeruaſſe vſque ad iuris Leuitici apices in corpore iniunctos. Sic Salomon Iarchius ad Geneſ. 26. Id quod refertur de Moſe, dato diem illum natalem mundi in illorum requiem elegiſſe, non licet inferre, quod ex aliquo promulgato præcepto dies ille obſeruandus eſſet. Neque hiſtoriola illa Moſis in vetuſto illo codice Rabboth recipitur Hebræis. Sic Moſes Maimonides More Nebochim p. 2. cap. 3. Neque quod de Iobo adijcitur plures admittunt. Licet Genebrardus Chron. in cont. anni diluuij 583. id fateatur. Quin nec ſatis liquet, an dies illi ſeptem eſſent continui, ac perpetuo recurrentes, an natales ſeptem filiorum anniuerſarij, an vnicus tantum in anno orbis ſeptenarius continuus. De quo Bolducius ad Iob 1. v. 4. Supereſt nunc dicendum, ſtatim poſt exitum de Ægypto ſabbathi impoſitum eſſe præceptum, vel paulo poſt, non autem, ſicut aliqui ſentiunt, in monte Sinai, vbi alia Decalogi data, accepiſſe: quoniam vt habetur Exod. 16. Hebræi obſeruauerunt ſabbathum in deſerto ſin, quod eſt inter Elim, & Sinai, vbi primum illis pluit manna, ad quem locum populum peruenisſe menſe ſecũdo, & ad Sinai, vbi data eſt lex, menſe tertio, conſtat ex textu.

Exod. 20. Præcipitur obſeruantia ſabbathi.

Eſai 1. Neomeniam, ſabbathum, & feſtiuitates veſtras non feram.

DIcendum, quod cum lex ſpiritalis fuerit, teſte D. Paulo, non tam abſtinentiam à ſeruilibus materialem intimabat, quam abſtinentiam ſpiritualem, Deo vacando, neque peccatis ſeruiendo. Oppoſitum Iudæi obſeruabant, voluptatibus & vitijs, feſtis ſuis, & ſabbathorum diebus præcipue de-

dediti. Vnde Augustin.lib.de decem chordis, melius se gesturum, quin potius minus male, si vtile aliquid exerceret in agro, quam in theatro existeret seditiosus, inquit, minus que male eorum fœminæ sabbatho apprehenderent fusum, quam tota die in Neomenijs impudicè saltarent. Displicent ergo sabbatha Domino, non quia sabbatha, sed quia sua, ideſt, quoniam festiuitates suas male obseruassent.

Exod.20. Præcipitur sabbathum, & cap.31. tamquam fœdus sempiternum dicitur fuisse.

Quomodo ergo abolitum, neque apud nos est obseruatum?

EX ijs, quæ super Genes. diximus, cum sermo de circumcisione institutus fuisset, constat, sabbathi temporaliter præceptam esse obseruantiam. Imprimis autem variabile fuisse, statuendum est. Imò, & ipsi fateri Rabbini debent. D. Hieronymus in lib. Quæst. Hebrai. cap. 4. ¶ Et consummauit Deus (inquit) in die sexto opera sua, quæ fecit. Pro die sexto: in Hebræo *die septima* habet: arctabimus igitur Iudæos, qui de otio sabbathi gloriantur, quod iam tum in principio sabbathum dissolutum sit, dum Deus operatur in sabbatho complens opera sua in eo, & benedicēs ipsi diei, quia in illo vniuersa compleuit. ¶ Legitur simile in Siphre super illud Nu. 9. ¶ *Non fecerunt, nihi hoc paschæ* Rabbi Elieser dicit Exod. 16. *Et quieuit populus in die septimo*, docet per hoc quod omnibus quadraginta annis, quibus fuerunt Israelitæ in deserto, non fecerunt nisi primum sabbathū tantum, & sic ipse dicit Amos 5. Numquid sacrificia, & oblationem obtulisti mihi in deserto per quadraginta annos? Hæc in Siphra. Idē respicit, quod habetur in Seder Olam. c. 16. dist. quæ incipit *Vchaham halu. Et populus ascendit à Iordane.* ¶ Dixit R. Iose dies sabbathi erat, quando fuit prælium in Iericho. ¶ Simile quid de non obseruatione sabbathi legitur in libro, qui dicitur *Rosch haschana* in dist, quæ incipit *Arbeha raasche schaninhen.* ¶ Propter duos menses erant soluentes, sabbathum, propter Nisam, & propter Tisri; in ijs quippe erant mittentes egredientes in Syriam, & ibi emebant necessaria; quando autem domus sanctuarij erat in statu suo, soluebant etiam propter omnes, propter, præparationem eorum, quæ erant necessaria sacrificio. ¶ Hæc in Talmud. Et lib. Sabbath, sic habetur. ¶ Rabbi Simeō dixit propter puerum vnius diei viuū soluunt sabbathum: Dauid rex Israel mortuus, non soluūt sabbathum propter ipsum. ¶ Hæc ibi. Ex quibus constat pluries solutum sabbathum à Iudæis. In libro Tanchuma super illud Num. 13. legitur Nuntio præcepti licitum est ei recedere quocumque die voluerit. Quare? quia est nuntius præcepti: nuntius autē præcepti excludit sabbathum. Hæc Glossa.

Et quidem posse variari à Domino sabbathum, solum à miseris excæcatis recētibus nūc Rabbinis negari potest. Quin etiā plurimi ex ipsis inficias non ibunt. Si namque propheta verus existimatus præceptū legis inuertere potest, quare non Deus? ¶ Si dixerit nobis propheta, (inquit Maimonides lib. de fundam. legis) de quo cōstat nobis eū esse prophetā, violandū esse vnū ex omnibus præceptis, quæ recēsentur in lege, vel præcepta multa tā leuia, quā grauia pro breui tēpore, tū mādatū est

nobis, vt ei auſcultemus. ¶ Ioſephus Albo inquit. ¶ Si dixerit (prophetа) vt violemus ſabbathum, aut tranſgrediamur aliquod præceptum pro temporis occaſione, aut in negotio, quod non euertet legis radices, æquum eſt, vt illum audiamus. Exemplum ponit in Ieremia ſupputationem menſium à Niſam deſtruente. Si ergo Dominus ore prophetæ legis præceptum inuertere temporaliter poteſt, & in æternum ſoluere, & deſtruere valebit.

§ II.

Abolitum ſabbathi ceremoniale ex conſtanti Patrum traditione, & doctrina à tempore Apoſtolorum.

IMprimis obſeruandum eſt cũ Raimũdo Mart. ſabbathũ partim morale, partim ceremoniale eſſe. Inquantum præcipitur, quod aliquo tempore quis vacet rebus diuinis, eſt morale, & cum hominis imbecillitas, vt cultui diuino vacet, exigat ab alijs ceſſare rebus, huiuſmodi ceſſatio ſub eodẽ præcepto morali cadit. Secundum quod dicit taxationem temporis, & diei, ad ceremonialia pertinet, & à iure poſitiuo diuino dependet. Quoad alia ſimiliter iuxta D. Thomam ceremoniale eſt, inquantum rememoratiuum beneficij creationis. Fuit etiam iuris poſitiui, & ceremoniale, quoad durationẽ temporis celebritatis diei, à veſpera nempe vſque ad veſperam, & quoad ceſſationem non ſolum à voluntarijs operibus, ſed etiam aliquomodo à neceſſarijs.

Sabbathum abrogatum eſſe conſtat ex illo Act. Apoſt. 15. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis nihil aliud imponere vobis oneris.* Vbi declaratur, ſicut & cætera legis Scriptæ, onus ſabbathi extirpatum. Ideo namque obſeruantia totius legis quoad ceremonias non ſolum mortua, ſed etiam mortifera fuit, ideſt non ſolum non obligabat, ſed illam obſeruantes reos culpæ faciebat, quia vmbra erat futurorum, atque figura. Sabbathorum autem obſeruantia, vt inquit Paulus ad Coloſ. 2. vmbra etiam erat adimplendorum per Chriſtum, & ſignificatio Chriſti in ſepulchro futuræ quietis. Ad ueniente ergo luce Euangelicæ legis debuit obſeruatio ſabbathi fugere velut vmbra. Idem Paulus ad Galat. 4. ſermonem vertens ad gentiles, qui cõuerſi fuerant ad Chriſtum, eos reprehendit, quod ſabbathum obſeruarẽt. *Dies obſeruatis* (inquit) *& menſes & tempora, & annos.* & ad Coloſ. 2. *Nemo vos iudicet in cibo, aut potu, aut in parte diei feſti, aut Neomeniæ aut ſabbathorum.* Vbi loquitur expreſſe de obſeruatione legalium & ne timeant monet, quamvis reprehendantur de illorum non obſeruantia, quia erat inutilis ad ſalutem. Tradidit hoc Greg. lib. 11. epiſt. 3. & in cap. *Peruenit. de conſec. diſt.* 3. contrà quoſdam hæreticos, qui Chriſtianos ſabbathizare cogebãt ab operibus ceſſando. ¶ Peruenit (inquit) ad me, quoſdam peruerſi ſpiritus homines inter vos aliqua, & ſanctæ fidei aduerſa ſeminaſſe: ita vt die ſabbathi aliquid operari prohiberent. Quos quid aliud niſi Antichriſti prædicatores dixerim? qui veniens ad diem ſabbathum, atque Dominicum ab omni faciet opere cuſtodiri. Quia nec mori ſcilicet, & reſurgere ſimulat, haberi in veneratione vult diem Dominicum: & quia iudaizare populum compellit, vt exteriorem legis ritum reuocet, & ſibi Iudæorum perfidiam ſubdat; coli vult ſabbathum. ¶ Vbi tamquam oppoſitum fidei cenſuit ſabbathi obſeruationem. Idem ſenſit Auguſt. ſerm. 251. de Temp. ¶ Ideo ſanctos (inquit) Eccleſia paſtores decreuiſſe omnem gloriam Iudaici ſabbathi in diem Dominicam transferre, vt quod ipſi in figura, nos celebraremus

mus in veritate. ¶ Vnde Conc. Lugdunense in c. 1. de consec. dist. 3. inquit, ideo nos Dominicam celebrare, ne in obseruatione sabbathi Iudaismo capiamur. Denique Ignatius epist. 3. ad Magnes. ¶ Pro sabbathizatione (inquit) diem festum celebret omnis Christianus Dominicam resurrectionis. ¶ Quam à tempore Apostolorum Ecclesiastica traditione habemus esse festiuam: vt in can. 65. Apost. de quo Turrianus ad Clem. lib. 6. de cõs. Tert. in Apol. c. 16. & de Corona militis, & Conc. Cart. 4. c. 64. vbi propter solemnitatem festi catholicum nõ habendum decernitur, qui die dominico ieiunasset. Immo & ipse Ioannes Apoc. cap. 10. memoriam diei dominicæ fecit. Denique quoniam Innocentius Papa epist. 1. ad Decent. cap. 4. ieiunandum decreuit sabbathi diem, quod perinde est, ac illius festiuitatem abrogari. Sabbathum enim lætitia, voluptate que celebrari Iudæi solebant, vnde ieiunium festiuitatem violabat sabbathi. Idem ergo est ieiunium decernere in sabbatho, ac illius abrogare solemnitatem.

§ III.

Exponuntur concilia, & quo sensu obseruari sabbathum senserint Patres.

VErum contra hæc omnia stare videtur Clemens lib. 7. instit. c. 24 ¶ Sabbathum (inquit) cum Dominica seruandum esse, illud in recordationem fabricationis mundi, hanc resurrectionis Domini. ¶ Sic etiam habetur can. 64 Apost. & in Laodiceno can. 29. vbi sic. ¶ Non oportet Christianos Iudaizare, & in sabbatho vacare, sed operari eos in eadem die Dominicam præponendo eidem diei, Si hoc eis placet, vacent tamquam Christiani. Quod si inuenti fuerint iudaizare, anathema sit. ¶ Ex quibus vtrumque diem constat abrogatum non fuisse ab Ecclesia. Dicendum tamen sabbathum antiquitus simul cum Dominica obseruatum, cum non sit in trinsice malum, nisi fiat vel ex necessitate & obligatione veteris legis, vel in significationem alicuius mysterij Christi vt venturi. Solum ergo tunc prohibitum erat, si spiritu fieret Iudaico, qualis erat Cherinti & Hebionis hæresis. De hac materia videndus Hieronymus epist. ad August. & ipse August. epist. ad Hieronymum. Nunc autem merito est ab Ecclesia prohibita sabbathi obseruãtia in detestationem Iudaicæ perfidiæ, ne illi consentire videamur. Beneficium creationis, & redemptionis die Dominica commemorantur, cum eodem die fuerit mundi creatio, vel quia eumdem venerari debemus vniuersi creatorem & redemptorem. Si autem in memoriam solius Dei creatoris recoleretur sabbathũ, nulla habita ad veterem legem relatione, seruari antiquitus poterat in Ecclesia. Vide Mendoza in Illiberitanum cap. 43. & Chrys. Bedam, & Ambr. super illud Act. 20. Clement. lib. 7. cõst. cap. 31, & Can. 8. Trullan. Rupert. lib. 3. de diuinis officijs c. 16. Cassiod. Pal. 117. Leonem epist. 81. Isidorum lib. 1. de officijs Eccles. c. 24.

(.˙.)

Exod. 20. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

Ierem. 4. Et iurabis, viuit Dominus, Paulus etiam pluries iurauit ad Rom. c. 5. & 9. ad Gal. 1. & ad Philip. c. 1.

Vide, quæ diximus in Gen.

Exod. 20. Non occides dicitur in sacro Textu.

Iudic. c. Samson se ipsum occidit. Et 3. Reg. 20. Vir quidam alium rogauit, vt ipsum percuteret, denoratus à leone, quia noluit, perijt.

NOn solum dogmate Christianorum mortem sibi ad sciscere vetitum est; verum etiam gentilibus visum est fædum, Epicteto, Senecæ, Crellio, & Silio Italico apud Plinium lib. 1. epist. 12. & lib. 3. epist. 7. Platoni lib. 9. de leg. præcipienti, se ipsos interficientes arceri ab aliorum sepultura communi. Plotin. & alijs. Parui, angustique animi esse sibi mortem adsciscere Euripides, & Aristoteles docuerunt.

Rebus in aduersis facile est contemnere vitam:
Fortiter ille facit, qui miser esse potest.

Hoc quamvis verum sit, generose ruinæ se exposuit Samson expers omnino culpæ. Quoniam à Domino motu speciali incitatus id effecit, vt inquit D. Aug. lib. 1. de ciuitat. c. 26. non humanitus deceptus, sed diuinitus iussus, non errans, sed obediens. Cum autem Deus iubet, se que iubere sine vllis ambagibus intimat, quis obedientiam in crimen vocet? quis obsequium pietatis accuset? Si autem ex speciali instinctu se interfecit, reddit non suum, cum vt inquit Lyranus Iud. c. 16. quilibet debitor est mortis ipsi Deo, immo potius vitæ, hoc autem debitum potest repetere Deus, quando vult, & quomodo vult. Vnde Samson se occidendo non peccauit, sed ex iustitia debitum soluit, sicut Abraham filium suum occidendo laudabiliter egisset, obediens diuinitus Deo, qui Isaaci vitæ dominus erat.

Aliter alij factum Samsonis liberant à peccato, quod solum intenderit directe & (vt ita loquar) perse religionis inimicorum ruinam, & indirecte solum voluerit sibi adsciscere mortem, & quasi per accidens, quemadmodum Princeps exercitus prostraturus hostes mortem propriam concomitantem non respuit. Samson autem ideo se interfecit, quia non aliter nominis diuini inimicos occidere valuerat. Hoc autem quod diximus, tam certum est, vt oppositum sustineri nõ possit. Diuus enim Paulus ad Hebræos 11. inter eos qui salui facti sunt, Samsonem collocauit, quod credibile non foret, si ruinæ expositus propriæ vitæ, deliquisset. Quæ autem reddenda sit fides reuelationi S. Machtildis dubiam asserens Samsonis salutem, ex ijs, quæ Baronius anno 604. tradit, constabit.

Exijs dicendum ad Reg. 3. ca. 20. quod à leone denoratus est, qui noluit percutere vnũ ex prophetis ictũ, quo ce-

celari posset desiderantem, propter peccatum in obedientiæ, quia eũ cognoscebat esse prophetam Domini, cui est obtemperandum in omnibus, cum sit dominus vitæ & mortis, infirmitatis & sanitatis. Verum de hoc proprio loco dicendum. Vide Exod. c. 21.

Exod. 20. Non mœchaberis.

Hoseæ c. 1. Sume tibi vxorem fornicationum, quia fornicans fornicabitur terra à Domino.

DIcendum, mulierem istam fornicariam, & omnium libidini expositam, in coniugem præcepisse Dominũ assumi à Propheta. vt tanto patientior talem vxorem ducens haberetur Hoseas, quanto ipsa sordidior esset.

Sed quomodo intelligi potest quod ex illa filios fornicationum susceperit, si esset matrimonio coniuncta? Hieronymus inquit vocari filios fornicationum, quia ex matre, quæ antea fornicaria, & meretrix fuit, nascerentur: vel quod domũ non solũ ad se vxorẽ fornicariã duxerit verũ & filios, quos ex coitu meretricio susceperat, vt filijs quoque assumptis cuiuis patere facile posset, mulierem illam fuisse fornicariam, ac per hoc ostenderetur Synagogæ ex variis vatum, & sacrificulorum generibus compositæ idololatria, & prophetæ magis probaretur patientia, qui alienæ obscænitatis voluerit alere filios. Verum hæc expositio nimis violenta videtur. Filius namque vxoris, quæ ante meretrix fuit, in matrimonium coniuntæ non est filius fornicarius. Imperatum autem est ei, filios ex illa procreare, & ipse obtemperauit vt inquit textus. *Et abijt, & accepit Gomer filiam Deblaim, & conceperit, & peperit filium.* Non ergo fornicarios ex illa genuisset filios, si meretrix non remansisset, sed vxor, vt inquit textus. Hoc enim exprimit *filios fornicationum.* Hebræi enim substantiuo pro adiectiuo vti solent, vt Ruth 3. *Mulierem te esse virtutis,* Prouer. vlt. mulierem fortitudinis habet Hebræus: ideſt mulierem fortem Psal. 20 *Præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis,* ideſt, *benedictionibus dulcibus.* Vnde idem est filios fornicationum, atque maxime fornicarios, genitiuus enim substantiui pluralis numeri vim habet superlatiui. Psal. 5. Virũ sanguinum, & dolosum, ideſt, maxime sanguinolentum. Secunda expositio eàdem leuitate fundatur: quoniam inquit textus quod illam duxerit, & ex illa genuerit filios, non ergo per adoptionem assumpsit.

Vnde dicendum, tàm vxorem quàm filios fornicarios dici, eo quod ipsi sicut mater idololatriæ dediti forent, in quo coniugio tamquam signo repræsentabatur populi idololatria futura illis verbis: *quia fornicans fornicabitur terra,* non ergo filij fornicarij fuerunt corporali fornicatione, sed mentis, quæ est idololatria. Sic enim vocat Scriptura idolorum cultum. Vnde vbi c. 2. ait, *filiorum illius non miserebor, quoniam filij fornicationũ sunt,* vertit Chald. *quia filij qui idololatriam perpetrant, sunt.* Sic Lyranus, Rupertus, atque Hieronymus. Exquibus constat quam leui fundamento Caramuel nixus sit, vt hoc testimonio probet posse Dominum huic præcepto dispensationem præstare.

Exod.

Exodi 20. Non mœchaberis.

Reg. 2. cap. 15. reliquit Dauid, vt custodirent domum, decem concubinas.

DIcendum, ex ijs, quæ iam Genes. tradidimus, concubinam non eãdem fuisse atque meretricem. Rabbi namque Salomon tàm concubinas quã vxores tradit esse desponsatione coniunctas, vxorem cum desponsatione, & instrumento dotali, concubinam cum desponsatione sine litteris, seu instrumento dotali, duci solere. Quare promiscuè vxor, & concubina vocari, quæ matrimonio cõiuncta est, solet in Scriptura, vt Iud. 19. Leuitæ vxor pluries cõcubina appellatur. Vnde scribit Maimonides. ¶ Qui rem habet cum muliere nomine scortationis sine sponsalibus, vapulat ex lege Hoc docet concubinas desponsatas fuisse: quia Israelitis concubinæ fuerunt permissæ: absque hoc enim liberi illarum fuissent spurij. ¶ Idem Abarbanel, quod si concubina Leuitæ non esset matrimonio copulata, Gibeonitæ (inquit) qui concubuerunt cum illa, rei mortis non forent, neque rem habuissent cum alterius viri vxore. Vide quæ diximus de Thamar Gæn. 38. Iniuste similiter Ruben mulctatus fuisset à pãtre concumbens cum eius concubina. Rabbini enim specialem non recognoscunt malitiã in concubitu mulieris, quam cognouisset eius pater extra coniugium, sicut nec qui cognoscens aliquã sui sororem, ex qua suscipit filiam, si postea cum hac congrediatur, in secundo concubitu reatum specialem non recognoscunt. ¶ Qui rem habet cum sorore sua (inquit Maimonides) quæ est filia legitime ductæ patris sui, is duplicem reatum habet, vnum propter retectam nuditatem sororis suæ, alterum propter retectam nuditatem filiæ vxoris patris sui, sed si pater ipsius violauerit, aut blanditijs seduxerit aliquam, atque ex eã filiam susceperit, & cum hac congrediatur, non habet nisi vnum reatum, respectu scilicet prioris de sorore non ducenda, quia filia violatæ mulieris non est filia vxoris patris. ¶ Hæc enim ducenda est per desponsationem secundum ritum Iudaicum.

Exod. 20. Non dices falsum testimonium: vbi omne mendacium prohibetur.

Exod. 3. & 11. & cap. 12. Præcepit Hebræis, quod peterent ab Ægyptijs commodato sua bona, ibi. Dedit gratiam vt commodarent eis.

NVllo ex ijs locis Dominum præcepisse Iudæis, vt commodato peterent bona ab Ægyptijs, conspicitur. Fieri enim potuit vt Hebræis sua bona commodato reddidissent Ægyptij, non abnuentibus illis. Vel quod Hebræi, licet solum præciperetur quod peterent, vt facilius impetrari valerent, rogarent sibi commodato retribui. Vnde petitio fuit præcepta, modus autem commodati permissus. Non insolens enim hoc in Sacra pagina apparet, cum plura quæ speciem præcepti habere videntur, permissionem

nem dumtaxat significare constat. Vt Ioan.cap.23.*quod facis, fac citius*: verba enim sunt permittentis, non autem præcipientis. Simile est 3.Reg.cap.22. vbi Dæmoni pollicenti futurum spiritum mendacij in ore omnium prophetarum, inquit Deus, *Egredere, & fac ita*. Non imperium præcepti, sed permissionem continet nudam, vt inquit Caietanus. Nisi dicatur, Hebræos ab Ægyptijs & commodato petijsse bona sine mendatio, cum animum restituendi possent habere. Verum quia illi contra fidem datam sunt hostiliter infecta ti, absolutos esse à contractu, censere possent, indignos que Ægyptios bonorum restitutione.

Exod.20. Prohibetur mendacium contra proximum, neque alia redditur ratio.

Licebit ergo officiosum mendatium contra illud Psal. Perdes omnes, qui locuntur mendacium.

Vide conciliatam antilogiam Gen. vbi de obstetricibus.

Exod.20. Et omnis populus videbat vocem.

Vox videri non potest.

D. Augustinus sic respondet in Quæst. super Exo. ¶ Sed sicut dicitur, sicut modo dixi, videatur de omnibus, quæ ame dicta sunt, sic *videre* solet pro generali sensu poni, non solum corporis, verum etiam animi. Vnde est illud. *Cum vidisset Iacob, quod sunt escæ in Ægypto*: vnde vtique absens erat. Quamquam non nulli, *videre vocem*, nil aliud arbitrati sunt, esse, quam intelligere, qui vsus mentis est. Cum vero hic breuiter dicendum esset, quod populus videbat vocem, & lampades, & vocem tubæ, ac montem fumantem, quæstio maior oritur, quomodo audiebat lampades & montem fumantem quod pertinet ad sensum videndi? Nisi quis dicat, nec tam breuiter dicendum fuisse, sed vt totum diceretur, audiebat vocem, & videbat lampades, & audiebat vocem tubæ, & videbat montem fumantem. Duo quippe vocis genera erant, & de nubibus sicut tonitrua, & tuba, si tamen ipsam dixit vocem, quæ de nubibus edebatur, ac per hoc melius in ijs quæ ad sensum audiendi pertinebant, generalis sensus est positus, hoc est videndi, quo sensu subintelligitur etiam auditus.

Exod. 20. perterriti longe stabant à monte.

Exod.19. Cum cæperit clangere buccinas permittitur ascensus.

Vide Exod.19.

Exod.20. Non ascendas per gradus ad altare.

Exod.28. Facies & seminalia.

Vide Exod.28.

Exod.20. Ne ascendas per gradus ad altare, ne reueletur turpitudo tua.

Paral.c.4. Salomonici altaris decem cubitorum erat altitudo. Non ergo aliter ascendi poterat.

CVltum Belphegor hic prohiberi sentiunt plures. De quo sic Origenes Num.hom.20. ¶ Belphegor (inquit) idoli nomen est, quod apud Madianitas præcipue à mulieribus colebatur. In huius ergo idoli mysterijs consecratus est vere Israel. Inter Hebræa nomina nil scribitur, nisi quod Belphegor turpitudinis sit species, non declaratur autē, quæ, & qualis species honestati consulendo, ne auditum pollueret audientium, sed cum multæ sint turpitudinis species, ex omnibus vna resultans Belphegor appellatur. ¶

R. Salomon Iarchi ad Num. 25. cultum turpissimum istum declarat. à Pagar, inquit, venire Phegor, quod generatim significat apertionem, hic autem restringendam ad apertionem natium, vt nil aliud sit quam egerere cibi reliquias, solebant enim cultores eius coram idolo conquinisscere, & Deo excrementum offerre. Sic Maimonides in More Neboc p.3.c.46. ¶ Tu vero scis (inquit) quod seruitium idoli, quod vocatur Peor. in temporibus illis erat, vt discooperiret se homo versus eum, & id circo præceptum est sacerdotibus, vt facerent braccas, quibus cooperirent operienda in hora sacrificij, & præterea non ascendebant per gradus ad altare, ne discooperirentur. Idem in Misnah Thor.c.3. Verum nimis stulte de Madianitis Moabitis, à quibus Phegor erat cultus, & de ipsis Israelitis, qui tali idololatriæ consecrarentur, iudicant, qui opinantur, se persuadere huiusmodi posse ludibria. Quis enim existimet, vsque adeo communi sensu caruisse Madianitas, vt opinarentur, cum dij alij delitijs, & thuris suffitu caperentur, hunc summum deum suum fœdis stercoribus coli voluisse? Quanto sane aliter Romani: quos sordes huiusmodi à templis etiã remouisse, fidem facit illud Persij.

Pinge duos angues: pueri sacer est locus; Apud Plutarchum, pulchre prohibet Hesiodus, meijte, ne quis meiat influuium, aut fontem, & magis abstinendum, ad aram, & statuam Numinis. Nec enim referre, ficanes, aut asini hoc faciant, vel infantes, qui talia neutiquam attendunt, vel ad animum reuocant. Et ne putet aliquis, Orientales talium fore incuriosos, ex Herodot, lib.1. & Strab.15. Persæ, quibus aqua inter Numina foret, sedulo cauebant, ne saccato corporis humore, aquas polluerent, cogitabat namque, Deum non minori honore dignũ, quam regem, apud quem Persis, ne despuere quidem licuit. Quare difficile creditu est, Orientales aluum purgare coram Belphegore.

Vero proximius est, quod inquit Scaliger, verum Numinis huius nomen *Dominus tonitruum fuisse*, quasi Iouẽ Tonantem dicas. Hebræi autem, cum præ-

præclaro Tonantis nomine indignum censerent, per cõtemptum Belphegor nominasse, hoc est *Deum apertionis* puta natium, in emittendo ventris flatu; quo tonitrui nil æquè ridicule apponitur, qualem nominum immutationem apud Hebræos non fuisse insolentem, ait Bucerus, qui in Psalm. 105. ¶ Scriptura, inquit, videtur deos data opera fædioribus, & contemptioribus nominibus appellare: vt 2. Reg. c. 1. vocat Deum Acheron Baalzebub, id est, magistrum, vel dominum muscæ, ita existimo, & dictum Baalphegor: hebraicè enim Phegor aperire dicitur. ¶ Nisi quis dicere velit, Phegor à mõte, in quo coleretur, dici, erat enim Baalphegor Mohabitarum Deus, mons autem Phegor est in regione Mohabitarum, vt ex Num. 23. constat, quasi dicatur Iupiter Phegorius, vt apud Romanos Iupiter Capitolinus, sicut mussas Heliconiades dicimus. Vel dicendum, quod appellatur Phegor, quasi eius simulacrum aperto esset ore, simile quidem statuæ Phidiacæ Minervæ, quæ ore erat aperto. Vnde Tzetzes Chil. 8. com. 193. fecit simulacrum labrijs apertis, ac naribus eius diductis. Vel dicendum, nomen inde accepisse, quod sacerdotes eius carnes suas aperirent, vt fecerunt Baalitæ 3. Reg. 8. Non vt volunt Hebræi teste Oleastro Phegor spureum ad modum id esse putuit, cuius cultores distento podice coram idolo vẽtrem exonerarent in honorem idoli; neque id cautũ fuisse Exodi 20. erga Israelitas à Domino. Neq; libidinem fuisse in Phegor sacris constat, ex verbis Oseæ, qui obscænos mores non ad Phegor, sed ad populũ refert. Sacrificia autem, quæ in Phegor sacris comedebantur, inferiæ erant in memoriam defunctorum peractæ. Sic Psal. 106. Hic cultus, hæc idoli sacra. Apage Rabbinorum de stercore nugas.

Alij volunt teste Lyrano, hoc præceptum esse in detestationem idololatriæ, quia in sacris Priapi Sacerdotes ascendebant per gradus ad altare, & tunc in alto positi; vnde poterant à circunstantibus conspici, discooperiebãt verenda sua. Sic Villalpand. in cap. 43. Ezech. lib. 4. c. 79. Priapũ autem esse solem, scripsit Suidas. Simulacrũ Priapi (inquit) Hori nomine Ægyptijs vocati, humana forma fingũt, dextra sceptrum tenens, propterea quod ab eo, tũ siccum, siue tellus, tum mare sit monstratum. Læua vero tenens veretrũ suũ intentum, propterea quod semina, quę terra occultabantur, producat in apertũ, ac manifesta reddat. Alæ verò celeritatem motus indicant, orbis vero disci indicat rotũditatem, eundẽ enim ac Solem arbitrantur. Ex quibus cognoscimus, cur Priapus manu vna sceptrum, altera rubentem illuũ, ac pedalem teneat fascinum. Priori namq; significatur Solis imperium, atque potestas in orbem totum, altero notatur vis generatiua illius, quæ quia longe maxima sit, eo commodissimè visa est denotari membri magnitudine. Nec alia de causa Priapo asinus mactabatur, quam quia animal hoc ob magnitudinem huius partis, qua mas esset, simillimus Deo isti videretur, notum enim quantum ea parte valeant asinus, & equus. Vnde illud quod Ezec. inquit, cap. 32. v. 20.

Phurnutus, cum egisset de Pane, ac per eum docuisset intelligi omnium rerum naturam, subiungit. ¶ Forsitam hic (Pan) fuerit Priapus, per quem omnia in lucem proueniunt. ¶ Paulo post ait. ¶ Magnitudo verendorum significat abundantem in eo vim seminalem. ¶ Vnde propter vim hanc generatiuam copiam fructuum in sinu gestare, & hortis ac vineis præfectum. Inde cornu Amaltheæ esse Priapi gestamen; nulli enim melius conuenit gestare beatam pleno copiam cornu, (sic nuncupat

Horatius) quam numini illi, cuius beneficio pullulant vniuersa. Huius virtutis seminatricis symbolum erat grande illud membrum genitale. Vnde in hortis simulacrum Priapi cõstitui solebat. Vnde nupturæ (Festo teste) deduci solebant ad Mutinum Titinum (qui idem ac Priapus fuit Augustino lib.4. de ciuit. Dei cap.11.) vt a numine generationis præside post fædos quosdam ritus vim & ipsæ generandi adipiscerentur. Sic Lactantius lib.1.c.20. ¶ Mutinus, in cuius sinu pudendo nubẽtes præsidẽt, vt illarum pudicitiam prior Deus delibasse videatur. ¶ Mutinus siuè Mutunus vocabatur non à motu, sed quia membrum, quo viri sumus, latini Mutonem dicerent, & valentes ea parte Mutoniatos. Ex quibus omnibus constat plures turpitudines in Priapi sacris committi, & inter alias spontaneam membrorum denudationem, quam inhibet facer textus.

Verum hæc expositio probari nequit, quis enim crederet tam impios sacerdotij Aaronici fore ministros, tam turpes, & impudentes, vt pro palàm se nudarent, & ex superiori loco populo proponerent genitalia sua spectanda, & ideo Dei lege cautum fuisse Israelitis, quantumcumque pronis ad idololàtriam?

Quare litteræ proximius iudico, solum hic inhiberi, ne ascensus per gradus esset, quia periculũ esset, ne pedes vno gradu ad alterum transferendo, pudenda contra honestatem præsentibus, qui inferne adstarent, facile apparerent: non autem prohiberi, ne per planiciem leni ascensu ad altare iretur, idque factum Salomonico altari, vt indicatur Leuit.9.v.22. cum dicitur Aaron ab altari descendisse, fuit similiter lenis ascensus in altari Mosaico. Hoc autem in honestatis incommodum per diuersas leges fuit cautũ. Vnde postea c.28. à Deo statutum est, vt ad verenda tegenda subligaribus lineis, seù fæminalibus induerentur, & tunica inferne esse adstrictos, v.39. De quo Philo lib.3. de vita Mosis.

Exod.20. Altare fieri præcipit Dominus de terra, vel lapide impolito.

Exod.27. De lignis Setim præcipitur fieri altare holocaustorum, & 2.Par.c.4.

QVod Exodi 20. de altari lapideo præcipitur, ad ea tempora pertinuisse, cum populus, per vasta terrarum spatia, & hostili solo circumerrans, sedem religionibus stabilem, & domicilium certum non haberet, inquit Cunæus, verum qua tempestate templum secundum stetit, aram hanc quoque ex lapidibus fuisse, quam multa enim alia tunc fuerunt, in quibus servata veterum legum præscriptio non est tempore illo Reipublicæ formidoloso, cum incerta sæpè omnia metu hostium, & dissensionibus ciuicis essent, in ædificanda æde secuti dumtaxat legem aliquatenus. Hæc ille.

Verum contra hoc est expressus locus Machabæorum cap.4. vbi dicitur, Acceptis lapidibus integris secundum legem ædificatum esse altare nouum ad formam eius, quod fuerat priùs. Neque audiendus est Cunæus, cui hoc leue fuit, & Machabæorum librum, eius que authorem erroris reum facere non erubuit, & vnà cum Philone, qui hæc eadem dixit, deceptum fuisse, non sine temeritate asserere ausus est.

Alij,

Alij,ad idololatriæ destinationem referunt præceptum de altari terreo faciendo, vt non æque dediti politis altaribus forent, sicut & alij gentiles, Israelitæ,illi enim ex marmore,& metallo suis dijs construebant altaria. Verum præter quam quod in Salomonis Templo precioſum,& aureum erat altare,rationem antilogiæ, & differẽtiæ vtriusque altaris non reddunt,

Alij,eo confugiunt,quod illud tabernaculi,vel templi altare implendũ esset terra,vel lapidibus. Verum id falsum esse,constat ex cap.27. Si quidem ibi præcipitur altare fieri vacuum, & intrinsecus cauum,vt similiter cap.38. quod salvari nequiret, si eius cauitas terra,vel lapidibus esset oppleta. Neque factum est cauum,vt postea repleretur lapidibus, & iam plenum esset, cum fierent sacrificia. Id eo enim cauũ esse dicitur, vt in eam cauitatem per cratem altari impositam decidерent cineres,vel scintillæ in terram, quorũ magna copia erat,cui fini obstaret quidem lapidibus,& terra repleri.

Melius autem dicendum,non loqui hic Mosem de altari holocaustorum, quod futurum erat in tabernaculo,vel tẽplo,sed de quolibet alio altari,quod siue in deserto ante tabernaculum exciтatum,siue postea alibi tumultuario fere opere esset excitandum, siquidem Deus certo aliquo loco sibi ob causas aliquas particulares sacrificari vellet. Sicut transito Iordane erigere altare de lapidibus impolitis, quos ferrum non tetigisset,iubentur,Deo que super eo sacrificare Deut.27. Simile fuit, in quo Elias sacrificauit 3.Reg.18. Si autem in Templo altare cauum extruere vellent ex lapidibus, impoliti deberent lapides esse, quale fuit, quod Israelitæ ex captiuitate Babylonica reversi extruxerunt, vt 1.Machab.4. & quod in prioris locũ suffecerunt Machabæi ex lapidibus integris, & non resectis erectum. Altare etiam Salomonicum,qui dixerit,habuisse ex lapidibus impolitis interiorem structuram, atque parietes,non longè erit à veritate,etsi facies exterior ex ære potuerit esse. Sic etiam forte altare illud tabernaculi,postquã ad terram promissam venerunt,habuit intus contra parietes terram, vel lapides impolitos, sed in medio non absque cauitate vsque ad terram.

Exod.20. Visitans patrum iniquitatẽ dicit ut Deus in filios.

Ezech.18. Filius non portabit iniquitatem patris,sed anima,quæ peccauerit,ipsa punietur. Idem Exod.2.& Deut.24.

Vide Genes.cap.9.

Exod.20. Offeretis super eo holocausta, & pacifica vestra,oues vestras.

Ieremiæ 7. Non sum locutus cum patribus vestris, nec præcepi eis de holocaustis,& victimis.

AVdite iterum Maimonidem (alibi enim eius doctrinam tetigi) in More Nebochim. ¶ Non licet subito(inquit) & quasi momento transire ab vno contrario ad aliud,& per consequens secundũ naturã hominis fieri non potest, vt momento relinquat id, cui lõgo temporis spatio est assuetus.

Cum itaque misit Deus Mosem, vt Iudæos faceret regale sacerdotium, gentem sanctam primo in cognitione D. O. M. sicut dicitur, ostensum tibi est, vt scires. Deut. 4. Scito ergo hodie, & reuocato ad cor tuum, ad colendum eum ex toto corde tuo, & vsitata tum in mundo consuetudo erat, & cultus vniuersalis, cui omnes assueti, & in quo omnes erant educati, vt variæ animalium species in templis illis, in quibus imagines collocabant, offerrentur, coram illis procumberetur, & adoleretur, certè insuper quidam essent cultores sequestrati quasi, & ad cultum illum destinati, qui in templis illis in honorē Solis, & Lunæ extructis, exercebantur, ideo noluit sapientia, & prouidentia Dei, quæ in omnibus eius creaturis lucet, mandare, vt cultus omnes derelinquantur, aut aboleantur, huius enim rei, cor humanum, quod perpetuo ad id inclinat cui est assuetum, naturaliter non fuisset capax, ac propterea proinde fuisset, ac si quis exoriretur propheta, & diceret: Deus præcepit vobis, ne oretis, ne ieiunetis, ne quæratis salutem eius in die angustiæ, sed vt cultus vester totus sit in cogitatione, non in opere. Propter hāc itaque causam Deus retinuit cultus, eosque à rebus creatis ad nomen suū venerandum transtulit, & præcepit nobis, vt ipsi illos exibeamus, ideo præcepit, vt ipsi ædificemus templa, *& faciet mihi sanctuarium*, Exod. 25. altare pariter, & sacrificia. Similiter prohibuit, ne huiusmodi opera fiant aliis. Qui sacrificat Dijs, internecioni deuouebatur. *Non incuruabis te dijs alijs.* Consilium autem in hac diuina Sapientia fuit vt memoria idololatriæ deleatur. Vnde species huiusmodi cultus oblationes nempe sunt secundum intentionē secundum, invocationes vero sunt de primaria intentione. Vnde licet sacrificia in honorem Dei fiant, vt minuerentur, præcepit Deus ne vbique, sed certo loco, in loco quem elegerit Dominus Deut. 12. extra quem sacrificia offerre non licebat. Nec nisi certa familia sacerdotio fungi posset. Verum precatio permissa est in omni loco, & cuivis. Ideo multoties reprehendunt prophetæ homines ob nimium studium in oblationibus adducendis Reg. 1. cap. 15. *Numquid volnntas Domini est in holocaustis, & victimis, vt in obtemperando voci Domini*, quasi obtemperare voci Domini, & non sacrificia de principali sint intentione, vt habetur Psal. 50. *Audi populе meus, & contestabor, vt non super sacrificia arguam te.* Hæc Maimonides.

Ex quibus quam bene Christianorum Euangelicæ legi conueniant hæc omnia, qua instituit nos Christus. & dirigere, regere, & gubernare corda, sensus, sermones, & actus nostros in Deum tamquam verum Dominum, semper intendit, retificans voluntatem, & intellectum, sublatis vmbris sacrificiorum. Constat expresse ex Maimonide diffuse omnibus præceptis, singulis que legis, decalogi que mandatis cupiditates, desideria que inordinata exterminare, & hominum voluntates rectificare ex principali volito, Dominum intendisse, manifeste probante. Maioris namque (inquit) hominum partis vnicum desiderium in potu, cibo que immodico, & venere collocatur, in quibus omnia sunt turpia, imperfecta, & parum honesta, præcipuè, quæ tactus sensu percipiuntur, qui, vt Aristot. inquit, hominum est delubro, alia que quæ perfectioni hominis primæ sunt pernicioſa, quæque fere omnia politiæ negotia conturbant, cuius causa stolidi homines voluptatem suam tamquam summum bonum, & vltimum finem proponunt. Huic ergo pesti maturo consilio mederi voluit Deus, dum præcepta dedit, quæ cogitationes nostras inde abstraherent. Hæc ergo

go pars est generalis intentionis diuinæ legis puritas, & sanctitas, id est continentia, & abstinentia à rebus venereis. Cum enim Deus præcepit sanctificare populum ad legem recipiendam dixit. *Sanctifica eos hodie, & cras.* Itē *ne appropinquetis vxoribus*: manifeste ostendens, sanctificationem continentiam, & abstinentiam à venere esse. Ex alio capite ordinare in politia, & simul in Dei cognitione conseruare prætendit. Sic discurrit Maimonides ad singula, vt id suadeat, præcepta legis descendens. Si ergo Deus quasi inuitus, & quia aliter sui puram communicare notitiam populo rudi, & incapaci nequibat, vsum permisit sacrificiorum, cum iam adest lex Euangelica, vmbram que fugans veritas, recedere debuere sacrificia, vt vaticinantur prophetæ illorum sine ope abijcientes opera, tenebrarum, induentes arma lucis, Christo Domino redemptore, at que duce, quo viuere possimus honeste exemplar habentes ex toto corde Deo sacrati proximi, & boni communis, sicut cuiuslibet propriæ consulentes vtilitati.

Ex quibus etiam constat intelligentia ad illud Ierem. 7. per sacrificia enim à suis sceleribus probè expiari Hebræi iudicabant, putantes tam Deo grata, vt numquam permitteret aboleri per insurgentes quoscunque hostes, testificantibus sacerdotibus omne peccatum cõtra Deum, & proximum patratum, per oblationes, quæ in vsum sacerdotum cedebant, perfecte remitti. Et vt inquit Hugo Cardinalis illud Psalm. 39. *Holocaustum, & pro peccato non postulasti sacrificium, & oblationem noluisti*: idest, minus voluisti, interpretandum est, quam obedientiam. Non voluit enim Deus sacrificia, sed obedientiam, vt inquit enim Apostolus, finis totius legis est charitas. Numquam ergo delectatus est Deus in odore sacrificiorum, sed in fide, & desiderio offerentis, horum obliti Iudæi soliciti erant de sacrificijs, quibus odium, iram, & iniustitiam inseparabiles comites frequenter miscebant.

Ad locum, & verba Ieremiæ: *Non sum locutus cum patribus vestris, nec præcepi eis in die, qua eduxi eos de Ægypto de victimis*, dicit Lyranus, cum Dominus Exod. 20. præcepta decalogi populo dedit, locutus non fuit de victimis, & holocaustis. Hoc autem mihi me excludit præceptum postea datum de sacrificijs. Verum contra hoc est præceptum de agno immolando Exo. cap. 2. ante legem, cuius sacrificium vocatur victima. Exod. etiam 20. sermo fit de victimis, & holocaustis vt habetur in antilogia, quam conciliamus. Inquit ergo Burgensis, illa verba Ieremiæ, vt sonant, intelligenda esse. Tunc enim non præcepit victimas, sed victimam, agni scilicet paschalis immolationem, quæ victima erat, sed non holocaustum; postea vero cum lapsos vidit in idololatriam vituli, ne offerrent idolis, sibi mactari, & offerri sacrificia præcepit.

Verum contra hoc expresse sunt, quæ Exod. 20. & 29. dicuntur, vbi de victimis, & holocaustis loquitur Dominus: ea autem vituli adorationem præcessisse, probant Salianus, Abulensis, Cornelius, Lyranus, & fere omnes supponunt, eo ordine quo cap. 20. vsque ad vituli adorationem hæc referuntur, contigisse.

Quare tenendum est, verba illa exprimere primariam intentionem Dei, qui solum cor offerentis, voluntatem que postulabat, potius quam sacrificia, obedientiam prius quam holocaustum, ideo in tota lege, & decalogo non sacrificia, sed amor Dei, & charitas proximi audiuntur. Hæc sunt vere verba diuina, & quæ loquutum se Dominus non semel gloriatur, illa vero quibus præcepit ho-

locausti, vt populi succurreret animo infirmo prono, & facili idololatriæ, Dominus est locutus, vt rectificaretur mutato obiecto victimæ & oblationes. Verum de hoc ad Leuit. remittimus iudium nostrum.

Exod. 20. Faciens misericordiam in millia dicitur Deus.

Amos. 1. Super quatuor sceleribus non parcam.

REspondet Lyra, quod Amos in prima parte prophetizat cõtra regnum Syriæ dicens. super tribus sceleribus, ideſt, Syriæ, eo quod Damascus Metropolis erat illius regni secundum quod dicitur Isai. 7. *Caput Syriæ Damascus*: illa autem verba, *& super quatuor* sic intelligunt Rabbini, quod si homo peccauerit bis, vel ter eodem genere peccati, remissibile est, sed nõ, si quater. Quæ si intelligant de irremissione simpliciter, hoc est erroneum, cum dicatur in millibus parcẽs Deus, & misericordiæ eius non est numerus, vnde merito improbatus Cain omnino ex cæcatus, quando, *maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear*, protulit, illum ignorans, à quo Dauid: *secundum multitudinem miserationũ tuarum dele iniquitatem meam*, firmiter, & fideliter rogauit. Quorum falsitatem redarguit Rex Manasses qui pluries peccatis idololatriæ, & homicidij fœdatus, finaliter veniam obtinuit. Si autem irremisibile difficilem remissionem exprimut, verum est. Sed hæc difficultas non à diuina omnipotenti bonitate, viscеribus que pietatis, sed à prauitate peccatoris dimanat, qui sic reiterans culpam, vinculis vitiosi habitus irretitus magis, ac magis deprimitur, & diuinà misericordia, sine qua à peccato resurgere nequit, indignus redditur. Hoc sensu exponendus est Matthæus cap. 12. *Qui autem dixerit verbum contra Spiritum Sanctum nõ remittetur ei.* Ideſt, difficile remittetur. Regnum autem Syriæ pluries regnum decem tribuum afflixerat, & iniuste, victorià que sibi concessà crudeliter est abusum, ideo dignum diuina punitione, & supplicio.

Exod. 21. Septimo anno seruum futurum liberum, inquit Deus.

Leuit. 25. Iure hæreditario ad posteros transmittendos famulos, ac in æternum possidendos ab illis dicitur.

DVplex seruorum genus exponitur in Leuit. cap. 25. quoniam, vel erant origine Hebræi, & hi potius mercenarij, quam serui erant, vt ibidem dicitur, & septimo anno libertatem pristinam adipisci constat Exod. 21. Vel ex aduenis qui inter Hebræos erant, qui perpetuam seruitutem seruiebant. Et de ijs intelligitur Leuit. cap. 25. quod in æternum, ideſt, quandiu vixerint, sub seruitute futuri. Verum contra hoc est eiusdem Leuitic. locus antilogia sequenti referendus.

Exod.21. Septimo anno seruus Hebræus futurus liber.

Leuit.cap.25. De seruo Hebræo sic habetur, quasi mercenarius, & colonus erit, vsque ad annum Iubileum operabitur apud te, & postea egredietur liber.

VErum si Exodi cap.21. conside-remus, facilis est concordia: ibi enim dicitur de seruo Hebræo posse anno septimo liberũ, suæq; potestatis existere. Nihilominus, si dixerit, diligo dominum, vxorẽ, & liberos meos, non egrediar liber, ipso ad postes domus suæ, vt Deut.15. dicitur, adducto, perforabitur subula auris eius, vt significaretur, seruituti domo in illa addici, vel omnimodæ heri obedientiæ, vt ne extra limen pedem proferre se posse, intelligeret. Hoc autem coram Dijs, seu iudicibus erat faciendum, vt illis, se seruum sponte addictum constaret, herum que non esse iniurium apud se vltra annum septimum contra legis diuinæ statutum, retinendo seruum. Ex dictis constat verbis, Psalm. 39. intelligentia *sacrificium, & oblationem noluisti, aures autem perfeciſti mihi*, respicit enim perforandi aures ritum antiquum, laudat que obedientiam constantem, vt animaduertit Schotanus. Sed contra hoc stare videtur textus etiam sequenti referendus antilogia.

Exod.21. Seruus Hebræus, qui accedente septimo anno persistere maluit in seruitute, in sæculum, seu perpetuæ seruituti adducitur.

Leuit.25. Seruus iste de quo Exod. cap.21. vsque ad annum Iubileũ addicitur seruituti.

QVamvis superius exposuerimus, seruum aure perforatum ad annum Iubileum futurum seruum, non obstat huiusmodi expositioni, neque dictis hucusque Exodi locus. Quoniam verbum *in sæculum*, cui in Hebræo respondet, *holam*, pro longo supponit tempore, vt Hamos 9. siue quod præcesit, siue quod futurum est: & ita frequenter in Scriptura dicitur à sæculo, & vsque in sæculum. Sicut neque æternum non semper quod fine, principio que caret, dicitur, sed quod longissimo tempore est duraturum. Dicitur ergo seruus in sæculum seruiturus, idest, vsque ad Iubileum, vt habetur Leuit.25. sic apud Horatium accipitur æternum.

Seruisset æternum, qui paruo nesciet vti, idest, pro tota vita. D. Paul.1. ad Titum. In spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur, Deus ante tempora sæcularia, manifestauit tẽporibus suis verbum suum. Lucas etiam 1. *Sicut locutus est per os sanctorum, qui à sæculo sunt, prophetarum eius.* Ioan.9. *A sæculo non est auditũ.* Vbi sæculum non sumitur pro duratione, quo aliquo principio, vel fine non mensuretur.

Sed contra hoc validum est argumentum insurgens. Vires enim augentur Hebræis, vt sua obstinatione obcæcati, rationes, quibus Christi diuinitatem probamus, ipsi in Christianos

nos retundant, vt fecit non sine irrisione Dauid Kimhi. Ex illis enim verbis Michææ c.5. *Egressus eius ab initio, à diebus æternitatis*; siuè sæculi, vt legunt Septuaginta, non probatur Messiam fuisse antequam quid quã fieret: cum in Hebræo à principio dicatur paradisus productus. In Hebræo similiter pro diebus æternitatis ponitur *Holam* quod dies antiquos denotat tantum. Am. 9. dicitur: *Et reædificabo eũ, sicut in diebus antiquis*, in Hebræo: *sicut in diebus holam*. Vnde Propheta, solum à diebus sæculi, non ante sæculum fuisse, innuit. Poterit etiam quilibet eludere, quam desumunt rationem ex verbis Matth. capit. 25. vt contra Orig. tradant damnatorum æternitatem supplicij, scilicet, *ibunt hi in supplicium æternũ*, quoniam æternũ esse dicẽt, quod lõgo tẽpore est duraturũ.

Sed hæc nullatenus retundere Ecclesiæ arma, constat ex eo, quod geminatio auget valde, vnde licet egressus eius non probaretur sufficienter æternus ex eo tantum, quod sit ab initio, neque ex eo tantum, quod sit à diebus æternis, seu sæculi, sed probatur æternus ex eo, quod simul & abinitio, & à diebus æternitatis dicitur. De nullo enim quod cæperit aliquando dicitur in Scriptura, quod abinitio, & à diebus æternitatis fuerit. Vnde Sapientia ab omnibus recognoscetur æterna ex eo, *ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret*, dicitur de illa, & Prouer. 8. *Dominus possedit me in initio viarũ suarum, antequã quid quam faceret à principio*. Æternitas similiter indicatur, cum reduplicatur in sæculum, & in sæculum sæculi. Æternũ ergo in riguroſa significatione quod principio, fineq; caret, exprimit, quia tamen illa, quæ remotissimum finem, siuè principium habent, censeantur ac si illis carerent, similitudine quadam minus propriè ad ea significanda æternum trasfertur. Vnde ex verbis concomitantibus riguroſæ æternitatis debet accipi notio, vt cum dicitur Psal. 44. *Sedes tua Deus in sæculum sæculi* rigoroſam sine principio, & fine indicat geminatio durationem æternam. Similiter *ibunt hi in supplicium æternum* cum ex parte animæ non sit inconueniens, riguroſa æternitatis significatione accipiendum est; cum anima sit immortalis, cui par est immortalia esse premia, & supplicia. E contra cũ Am. 9. dicitur, *& reædificabo eum, sicut in diebus antiquis*, siuè in diebus *holam*, vt in Hebræo, est aliquid coarctans ad impropriam significationem æternitatis, illud enim quod ædificatũ est, principium aliquando habuit. Geminatione ergo verborum eorundem cum dicitur: egressus eius ab initio, & ante sæcula, seu à diebus æternitatis, euidenter de æternitate riguroſa loqui Scripturam, & Christum esse Deum, & ab æterno, probatur. Vide, quæ diximus Genes. de abrogatione circũcisionis, & Exod. de sabbatho.

Exod. 21. Si quis vendiderit filiam in famulam, non egredietur sicut ancillæ consueuerunt.

Deut. 15. Ancillæ quoque similiter facies. Et antea. Cum tibi venditus fuerit Hebræus aut Hebræa. Æqualis ergo erat lex.

DIfficilis est antilogia ex eo quod sicut filia, quæ in famulam venderetur à suo parente, sic ancillæ etiam alienigenæ non ob solum famulatum, sed vt concubinæ forent, vendi, & emi solebant, vel domino, vel eius filio. Quoad hoc ergo idem ius succurisse videtur ancillis quibuslibet, atque filiæ Hebræi in famulam vendi-

&

Ref-

Respondet R. Salomon, illa verba *non sicut ancillæ* seruam gentilem denotasse. Hoc enim erat inter vtramque discrimen, quod famula Hebræa nanciscì poterat libertatem, vel pretio domino dato, ita vt argenteus illud, seu siclus minimum esset, syngrapha vltro ei tradita à domino, quam manumissionis libellum vocabant, verbis ijs scriptis *ecce tuæ sis potestatis*. Denique si illi eripiat oculum, vel corrumpat, vt nostra Vulgata, vel oculos luscos faciat, vt Hellenistæ; (duobus ita expressis, quorum vnum, partium, quibus cum nascimur, alterum sine quibus nascimur, est exemplum, cætera membra exteriora quæ, si mutilata sint, nullo pacto redintegrari possunt, & ad viginti quatuor reducunt, innui volunt præter R. Salom. super Exod. c. 21. R. Alphesius tom. 2. f. 529. & ibi Rabb. Nisi sim) vel aliquod ex præcipuis membris mutilaret, sponte ex sententia fori manumittere cogebatur libello prius scripto. Serui, ancillæ ve, qui gentilissimum adhuc vestiebant, licet ex duobus prioribus titulis possent libertatem acquirere, ex vltima causa minime nanciscebantur. Verum serua Hebræa non solum libertatem in pristinam restitui, verum teneri dominum, vt damnum recompensaret, vxorem ducere, sentit R. Salom. Verum hoc ius seu pœnam domino impositam, qui seruo membrum aliquod mutilasset, tam gentilibus seruis, quam Israelitis succurrisse, fere censent omnes.

Melius Aben Ezra. Sentit ergo, quod filia, quando sui iuris non erat, sed ei patria potestas durabat, à parente poterat in famulam vendi, ante expletum annum duodecimum, & diem vnicum, quod vsque tempus minor dici solebat, nisi signa pubertatis adessent. Expleto autem semestri tempore, modo pubertatis adessent signa; finiebatur patria potestas, & tunc etiam si non seruisset sex annis, suæ potestatis erat, non sic ancilla. Nisi tam ipsa, quam emptor velint celebrare sponsalia, quod si non ita, gratis, nullo redempta pretio ante septimum annum sui iuris & domina erit. Quando autẽ Deu. 15. *etiã ancillæ tuæ sic facias*, ait, plures, verbis illis cætera beneficia, quæ perforato aure donantur, scilicet, morte domini, & Iubileo anno libertatem nanciscì, intelligi volunt, vt pariter ancillis donata videantur, sed non gentilibus, sed Hebræis, quibus ius erat, datione munerum fungi.

Dicendum ergo est, seruam Hebræam, quam vendidit parens suus in spem matrimonij, non subire conditiones easdem cum ancillis gentilibus alijs, quoniam, si desponsata sibi, vel filio suo cæperit displicere, ita vt alia eius loco super inducatur, nuptias illi commodas, vestes, & pretium pudicitiæ, aliquid nempe nomine dotis ob pudicitiam amissam prouidebit. Quæ si præstare dominus nolit, libera poterit ad parentes recedere, nullo, quo redimat seruitutem, soluto pretio.

Textus Hebræus *sicut serui* legit. Sed in eundem sensum sermo redit. Quoniam filia Hebræa in famulam vẽdita non subit easdem conditiones cũ seruis extraneis: quia isti non aliter in libertatem possunt restitui, quam si se redimant, cum ad hæredes descendãt, non sic ancillæ Israelitæ. Quod si comparatio fiat cum seruis similiter Israelitis, dicendum quod isti anno remissionis septimo egredi possunt, non sic ancillæ, quia in spem coniugij assumerentur, durum autem esset à marito, & domino suo recedere.

Exod. 21. Vxor, & filij eius erunt domini sui, & ad heredes dominium transfertur.

Leuit. 25. Egredietur cum liberis suis anno Iubilei.

FAcile conciliatur ; quoniam Leuit. locus de seruis Hebræis, qui potius mercenarij, quàm serui dicendi, intelligendus est. Exodus autem de seruis extraneis loquitur, in quibus quando post seruitutem vxorem ducunt, & non alioquin, cum veste sola, seu, vt alij vertunt, corpore solo, id est, sine liberis, & vxore, exire coguntur. Quoniam, quæ acquirit seruus domino acquirit, §. *in potest. qui sunt sui, vel alieni iuris l. 1. §. eo. ti. in ff. §. 1. per quas person. nob. acq. l. placet de acq. her.*

Exod. 21. per industriam occidens proximum suum morte moriatur, & ab altari euellatur.

Num. 35. In potestate propinqui occisi erat occidere percussorem.

Vide de vindice sanguinis Num. cap. 35.

Exod. 21. Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, convictus noxæ morte moriatur.

Re. 4. c. 4 Creditor filios debitoris liberos intendit facere sibi seruos. Poterat ergo, & vendere alijs.

PLagiarij nomen quidam à plagis, vulneribus que parentibus, & dominis ex suppressione filiorum, & seruorum inflictis de sumunt, à plagis, seu retibus alij deriuant, qualiter incidere in plagas accepit Cicero 2. in Verrem, quasi plagij dicantur, qui veluti feras retibus venatores, caperent compedibus homines. Ampliori acceptione pro quolibet, quod suum nõ est, quasi proprium declamante plagiarij accipitur vox. Sic Martialis lib. 1. epig. 20. qui sua carmina furabantur plagiarios, & fures appellat.

Hoc si terque, quaterque clamitaueris,
Impones plagiario pudorem.

Criminis huius, Platonem, quòd ea, quæ tradidit de Deo, atque mundo, de libris Mosaicis surripuisset tamquam plagiarius, Numenius Pithagoricus arguit. Vnde Ptolomæus, in hos, qui veluti sua aliena arrogauerant sempta, furti veluti plagiarios statuit agendũ. Verum in iuris rigore pro illo, qui liberum vel fecit, vel vendidit alteri in seruum, communiter accipi solet.

Pœna huius criminis olim fuit pecuniaria, *l. in fuga c. ad l. Flau. de plag.* sicut & in legibus Salicis *tit. 11. §. 1.* est solum pecuniaria imposita pœna in *tit. 44. de plag. §. 4.* ¶ Qui hominẽ (sic statuitur) plagiauerit, & vendiderit, & postea in patriam reuersus fuerit Malberg. frio faliouo, seu andelfecto 700. denar. qui faciunt solid. 200. ¶

Verum in metallum postea plagiarios fuisse damnatos, habetur in *l. fi-*

finali eod. in Plag. Delictum etiam capitale arbitratum & in aliorum punitum exemplum, *l. quoniam seru. 7. Cod. eod. & in C. Theod. tit. 18. Lex Græcorum Consi. Harmenop. lib. 6. iur. epist. tit. 8.* sic habet. ¶ Serui aut liberi homines, qui liberos, aut seruos alienos distrahunt, aut alienant cæsi & rasi manu truncator. Occidendum esse Nemonem, eo quod Pellenæum puerum ingenuum sciens dolo malo, in pristino, & vinculis habuisset. Ius Vuisigothorum, l. 3. de vsurp. & plag. tit. 3. sic disponit. ¶ Qui filium, vel filiam alicuius ingenui, aut ingenuæ plagiauerit, aut solicitauerit, & in populos nostros, vel in alias regiones transferre fecerit, huius sceleris auctor, patri, aut matri, fratribus ve, si fuerint, aut proximis parentibus in potestate tradatur, vt illi occidendi, aut vendendi habeant potestatem. ¶ Ex quibus constat quam bene iuri diuino Exod 21. explicito iura respondeant humana. Quæ Domini lex transcripta in Decret. Gregor. c. 1. de furt. videtur.

Vnde vt concilietur Antilogia dicendum est apud Hebræos solitum esse filios abducere pro debitis patris in seruos, immo instante necessitate à parentibus vendi, eà tamen conditione, vt restituto emptori pretio necessario redimendus foret: quilibet etiam egenus de Hebræis seruus fieri solebat sex annis operaturus vsque ad septimum annum, vt habetur Exod 21. Matth. 18. & Isai. 50. idem constat. Quod obseruatum olim ex *l. duodecim tab.* nam quæ debitor pauper creditori adiudicabatur, licet iam codice Iustinianeo ne personæ liberæ seruæ fiant ob æs alienum sit vetitum, *l. ob æs, C. de act. lib. 4. tit. 10. l. qui filios, quæ res pig. oblig. poss. Cod. cap. 2. de pig.* Iure ergo Hebræorum liberum erat cuiuis se, filiosque suos abducere in seruos, vt propriæ necessitatis posset redimere vexationem. Idem denotat illud Gen. 47. vbi ob famem vrgentem, Ægyptij *eme nos in seruitutem regiam, & præbe semina*, dicebant.

Facilius esset nodus Antilogiæ solutus, si quod tradunt Hebræi verum esset. Inquiunt namque, Ioram regem Israel hunc creditorem fuisse vnde tyranicè, quamvis id non oriretur ex iure, in seruos repetijsse filios à debitore.

Exod. 21. Qui percusserit seruum suũ, vel ancillam virgà, & mortui fuerint, criminis reus erit.

Ibidem. Sin autem vno die, vel duobus supervixerit, non subiacebit pœnæ, quia pecunia illius est.

SI non est reus criminis dominus propter sæuitiam, serui que percussionem immoderatam, eo quod pecunia illius est: quare, cum vitæ dominus sit, in ipsum non poterit vsque ad mortem sæuire? Qui namque rei alicuius est dominus, vt suæ, habet potestatem, imò vt abuti ea possit, *l. in re mandata C. mand. l. nemo exter. de Iudæ tit. 9. lib. 1. C.* Inde olim apud dominos necis, atque vitæ in seruos libera potestas erat. gl. l. 2. de ijs, *qui sunt sui, vel alieni iuris.*

Ab ipso Noe seruorum cæpisse miserabilem cladem, cecinit iam Alzimus lib. 4. Ioannes Saresberiensis lib. 1. Polic. c. 4. Nemrod principem fuisse, qui iura temeraret naturæ, cum consortes conditionis, & generis, quos ingenuos illa creauerat, hic addiceret seruituti, tradit. Alij Nino, qui primus finitimis intulerit bella tribuunt. In quo solim dominium tum summi iuris, tum summæ iniuriæ ita erat, vt dixerit Caius *l. 11. ad l. Aquil.* seruis ex

æqua-

æquari quadrupedes, quæ pecudum numero sunt. De quibus sic Chrysologus ser. 148. ¶ Quid quid dominus indebite, iracunde, libens, nolens, oblitus, cogitans, sciens, nescius, circa seruum fecerit, iudicium, iustitia, lex est. Imperantis ira subdito ius est, & ad libitum domini vocem non habet conditio seruitutis. ¶ Vnde in seruos fuisse ius sanguinarium diximus supra, & apud Germanos viguisse notauit Tacitus de more Germ. & apud Persas Ammianus lib. 23. Hinc autem orta varia seruorum epitetha Furciferi, Mastigiæ, Flagriõnis, Verberonis, & Crucarij. Qua potestate vsum Autronium legimus apud Liuium lib. 2. vt seruum alijs conseruis capite plectendum traderet.

Verum cum reipublicæ interfit vt quis non male sua re vtatur, cohibita fuit hæc potestas à Neruæ & Domitiani temporibus, à quibus, ne seruum libidinis, & promercij causâ dominus auderet castrare, statutum esse refert Suetonius in Domitian. Lege etiam Petronia sancitum est, ne serui à dominis tradi possent pugnaturi cum bestijs, *l. circumc. 11. §. 2. ff. eod. tit.* Quibus sanctionibus Adrianus, & Antoninus, *l. 1. §. 2. ff. de his, qui sunt sui*, addidere, dominum sine causa legibus cognità si suum occidisset seruum, æque puniendum, ac si interfecisset alienũ, vt inquit Plato lib. 7. de leg. castigandi sunt serui, sed sine contumelia, ne in iracundiam efferantur. Ideo ex rescripto Pij Cæsaris serui infami iniuriâ à dominis prosequuti vẽdi cogi solebãt, olim enim legimus apud Galenum de dignosc. cura. morb. cap. 4. famulos tum calcibus appetitos, tum graphijs compunctos: eisdem confractos dentes, oculos stylo, & calamo erutos; eosdem gladio percussos, ancillas morsu dominarum cruentas. Immanitatem huiusmodi queritur Seneca epist. 47. ¶ Nolo (inquit) in ingentem me locum immittere, & de vsu seruorum disputare, in quos superbissimi, crudelissimi, & contumeliosissimi sumus. ¶ Ideo plures nationes cladibus hominum misertæ, abominandum spectaculum arbitratæ, pares natura, & conditione similes homines, vt bruta mactare, & cum illis tamquam pecudibus agere, à seruis habendis abstinuere, vt refert Strabo lib. 15. Geog. Inter Essæos Iudæorum nullus serviebat illis teste Philone.

Ad Antilogiæ concordiam vt recurramus, dicendum est. Aliquam in eo, qui alios habet in potestate, licere seueritatem, præcipue tamen ad cohibendam seruorum nequitiam, ne dominatus, & seruitus confundantur, recognosci in dominis debet ius temperatæ castigationis, ne illis ludibrio fiant, neque in tyranidem relabãtur, & ex seruis conuertantur in hostes propter sæuitiam. Dominus noster Deus dominorum in seruos reprobans acerbitatem, potestatem necis, & vitæ penes ipsos residere numquam permisit, imò & Exod. c. 21. seruum, cui dominus oculum eruerit, dentem, vel membrum mutilauerit aliud, liberum esse voluit. Vnde qui à domino male affectus vno vel duobus superuiuens diebus, pœnæ non subiacet, eo quod præsumi debet illũ tantũ castigare voluisse, cuius licebat ius, non autem mortem quomodo libet intendisse. Voluntatem vero domini sic interpretatam non dignam pœna iudicauit legislator Diuinus. Conformiter ad hæc Constantinus *in l. 1. C. Theod. de emend. sera.* dominis pœnam iniecit, qui priuato iudicio seruũ interfecisset, quod si ad coercendam contumaciam seruorum, ipsi verberibus male affecti casu occidissent, eos liberos pœnâ statuit.

Verum temporibus postetioribus iure Ecclesiastico mitius cum seruis agendum constitutum est. Clemens Const. Apost. lib. 4. à sæuis, & sanguinarijs hominibus, qui fame, verberibus, & acerbo dominatu familiam suã ve-

vexarent, ne oblata recipiat Episcop⁹, serio decrevit. Idem statuit Concilium Epaunense sub Gelasio c. 34. & Agathense c. 62. Illiberitanum c. 5. Siqua fœmina (inquit) furore zeli accensa, flagellis verberauerit ancillam suam, ita vt intra tertium diem animam cũ cruciatu effundat, eo quòd incertum sit, voluntate an casu occiderit, si voluntate, post septem annos, si casu per quinque annorum tempora, actà legitima pœnitentia, ad communionem placuit admitti.

Quamvis autem homicidij reus haberetur in Rabbinorum sententia, qui seruum interficeret nimis sæuiens, non ideo pœnæ capitalis iudicum timebat si seruus gentilis esset. (Hebræus nãq; sicut non in rigore seruus, sed propriùs mercenarius appellabatur, & pro determinato tẽpore seruiens, ita re⁹ mortis erat, quicũq; interficere auderet.) Tradidit in Maimonides Halach Rozach c. 2. Si Israelita (inquit) interemerat proselytum domicilij neutiquam ob illã causam morte plectendus erat ex sententia forensi. Nam & in sacra dicitur lege, etsi homo machinetur in proximum suũ, multominùs plectitur ob cædem gentilis. Nolunt namque nomine proximi sui intelligere gentilem, siuè colonus eorum esset, siuè domicilij proselytus, siuè gentilis extraneus. Quoad iudicia autem discrimen inter proselytos domicilij, & Israelitas recognoscunt, & quidem non leve, illi enim, quemcũq; percuterent pœna capitali digni iudicabantur, & ad tale iudiciũ sufficiebat vnic⁹ testis, neq; illos ignorantia excusabat. Quæ ex opposito iure in Israelitas venire putabant, eosque liberos à pœna capitali constitutos ex iure, si proselytum interficerent, si vnicus testis adesset, vel ignorãtia laborasse probarent.

Verum quidquid sit, an hæc de iure fuerint Hebraico iuxta eorum legem, quam dicunt Oralem, seù antiquas Synedriorum constitutiones, sine fundamento in sacro textu adinuẽtas, quilibet intuetur. Quoniam homicidiũ gentilium comprehendi sacro interdicto innuit, neque obscure Genes. c. 9. ibi. Sanguinem vestrum de animabus vestris requiram, qui effuderit sanguinẽ hominis, per hominem sanguis eius effundetur, ex quibus tale interdictum esse Noachidis omnibus vniuersale constat. Vbi Mauritanienses sic legũt, qui effuderit sanguinem hominis, ex decreto, seù sententia hominis effundetur sanguis eius. Vide, quæ sequitur, antilogiam.

Voluntariè autem dicitur à Rabbinis, verba Gen. non accipi debere pro lege ita lata, vt vltimum supplicium sit necessario semper homicidij scelerisemper irrogandum, sed pro indicatione divina, atque expressa in sceleris odium ex designatione pœnæ grauissimæ, quam pro re nata, administrationis que publicæ varietate fas esset humano generi irrogare. Sic refert Seldenus lib. de iure Hebræo. Quę omnia voluntariè sunt dicta cum possint verba Exod. 21. eandem admittere expositionem, ita vt pro varietate delinquentiũ mulctari possit rigorosa, & grauissima pœna, si humilis, & honesto genere ortus sit homicida, levior autem pro qualitate personæ offensæ, & scelera perpetrantis. Sicut pœna legis Corneliæ de Sicarijs, illis, qui nobiliorem locum tenerent, erat in insulam deportatio, omnium quę bonorum amissio, humilioribus, bestijs immaniter subijci, vt inquit Marcel. in *l. 3. §. leg. Corn. ad l. Cor. de Sic.* in Decurionibus vt capite plecterentur debebat consuli Princeps, vt *dict. l. qui cæd. §. fin. & l. diui fratres 27. §. 1. de pœn.* Quod similiter refellitur ex Leuit. 24. vbi dicitur parile iudicium futurum Hebræis, siuè Israelita, siuè proselytus, siuè indigena foret.

Sic fædum apud omnes nationes visum est huiusmodi scelus, vt apud Germanos homicidæ voluntarij mẽbra

tim cruce ſupini diſcerpantur.vel malleis tundantur, primum que forcipib⁹ candentibus pungantur,& in aliorum terrorem per vrbem trahi ad ſupplicia iubent.Cęteri impetu,vel ira alios interficientes,gladio feriuntur lætali, vt ſanciuit Carolus Quintus Maximilianus *in conſt.cauſ.crim.ar.c.37.* Qua pœna plectuntur alij,quorum præcepto,aut conſilio alij ſunt homicidæ, & Aſſaſini,vel Arſacidæ à Paulo Æmilio lib.5. de geſt. Franc. in Lud.Iun. Aug. eo quod huius ſceleris ſectatorũ Princeps Arſacidas dicebatur,ſicut Ægyptiorum Reges Pharaones,& Cæſares à Romanis. Hi homines Perſæ erant exiſtimantes, ſe obſequium præſtare Deo,ſi quem Chriſtianorum proditorie miſiſſent è vivis,ita vt huius ſceleris convicti, ſi capitis damnarentur, gaudentes gladio offerebant vitam, quia eorum ſententia conſequebantur æternam.Huiuſmodi genus hominum anathemate invrunt Lugdunenſis Patres concilij,*C.1.de Hom.in 6.*

Verum in favorem Rabbinorum ſtare videtur illud Exod. 21. vbi ſic ſignificatur pęna Talionis,vt qui percuſſerit,percuſsionem recipere ſimul teneatur, & tamen inferiùs præcipitur damnũ ſolvere curationis ei,qui ſurrexerit ambulans ſuper baculum. Ex quibus deducitur non vbicũq; pœnam mortis,ſeu percuſsionis minatur, illã iniudicio fore infligendam, ſed aliquã do pretio redimi poſſe. Cui conſonat ſtatutum iure civili, iuxta quod non eadem pœna plectitur ſervum, ac liberum hominem interficiens,vt *l.item ſi abſtetrix 9.* eorum enim corpora, & vita accipiebant æſtimationem,& vitæ redemptionem, non ſic homo liber, qui iure civili in æſtimabilis eſt, *l.1.§. ſed cum homo, de his deiec. vel effund.* Sed de ijs inferiùs.

Exod.21.Præſcribitur pœna Talionis, vulnus pro vulnere, dentem pro dente,aduſtionem pro aduſtione, liuorem pro liuore, manum pro manu,& oculum pro oculo poſtulanda. Idem Leu.24.& Deut.19.

Ibidem v.19. Si percuſſerit quis alium,ſurrexerit tamen,& ambulauerit ſuper baculum ſuum, innocens erit, impenſas tamen in medicos reſtituat.

---

§. I.

Proponitur Rabbinorum ſententia, & fundamenta Maimonidis.

PRopter textum ſecundum noſtrę antilogiæ,& primum de muliere gravida ſentiunt Rabbini,quorum pro pluribus eſt Maimonides, quod ſi fœtus ejiciatur, vel à bortivus, ſiuè ejectus maneat ſuperſtes,ſiuè ex impeſtiua nativitate ſtatim moriatur, mulctã per iudicem eſſe imperandam,quã maritus ex æquitate impoſuerit. Adeoq; illa verba animam pro anima, dentem pro dente,non in rigore accipienda,vt oculus pro oculo, & dens pro dente eruatur.Sed quod damnum ſit pretio compenſandum. Idem que dicendum de infante ex intempeſtiua nativitate ejecto abſque vita.Quod conſentaneũ legibus Salicis eſſe videtur *tit.28. de Hom.§.5.* qui infantem vtero matris occiderit 8000. denariorum, qui faciũt ſolidos 200.culpabilis iudicatur. Cui conciliatur ſecundus antilogiæ textus,vbi cum quis percutitur, ita vt decumbat, ſi ſcipione nitatur ambulans, ſolum ceſſationis, & curationis ex-

expensas præstat, neque vlterior pœna postulatur, quam mulcta pecuniaria. Similem ergo pœnam postulasse Dominum sentit Rabbinus iste *cap. 1. Cod. Chobel Oumasiк* aliorum non solum exponens verum defendens mentem, cum inquit animam pro anima, dentem pro dente, siuè mulier gravida, siuè fœtus pereant, poscēda. Eandem expositionem habere legem Leuitic. 24. & Deut. 19. sentiunt.

Vt autem hæc compensatio adæqualitatem quoad fieri possit, contingat, omnes læsos pro servis hac in parte censeri volunt; expendunt ergo, quanti vendi persona posset, antequam (exempli causa) manus abscinderetur; quantique iam valere possit post abscissionem, & reus solvit imminutionem, quæ illius valorem imminuit, vt si antea 50. siclis æstimatus postea 40. siclis vendi possit, reus decem siclos rependat. Secundo autem dolorem compensare volunt, vbi personarum conditio spectari debet. Quoniam homo erit dives, & delicatus reperiri potest, qui vt dolorem remissum fugere valeat, maximam substantiam contemnet. Ex opposito alius assuetus laboribus erit, qui pro vno denario maximum dolorem sustineat. Quomodo autem pro diuersitate personarum fiat hæc compensatio, inquit Maimonides *tract. superius citato, cap. 2. sec. 11.* ¶ Quum manum eius, aut digitum amputauit; expendunt quantum istius conditionis homo dare vellet, vt potius quam sibi hoc membrum gladio præcideretur, id medicina tolleretur, si de ipso rex constituisset manum, vel pedem amputandum. Tum quanti sit vtriusque differentia, æstimant: idque lædens persoluit. ¶ Quæ in Gemara ex verbis, Exod. 21. *Vstionem pro vstione*, & vt ipsi *tumicem pro tumice*, deduci putant.

Sic exposita Rabbinorum sententia illam suadet Maimonides, Primum fundamentum est ex Exod. c. 21. v. 18. nostræ antilogiæ: Si surrexerit, & ambulauerit (homo percussus) super baculum suum, solum teneatur impensas in medicos restituere, nec vlterior pœna postulatur. Similis ergo compensatio erit in muliere gravida; & Leuit. 24. quando dens pro dente, & pro oculo exposcitur oculus. Secundus est ex Deut. c. 22. Vbi dicitur patri puellæ cū qua quis concubuit, quinquaginta siclos argenteos daturum reum. Si ergo hic vitium inferens alteri, damnum animique dolorem pecunia compensat, neque qui alteri vitium infert, vt Leuit. 24. fracturam, scilicet, vel membri abscissionem, ad aliam, quam pecuniariam, tenebitur mvlctam, quamvis pro fractura postuletur fractura. Eodē modo Deut. 25. mulierem, quæ contendēti bus viris alterius pudenda prehēdit, manu priuandam fore dicitur. Rabbini autem pretij compensationem recognoscunt. Tertium. Quoniam Num. 35. statuitur, qnod accipi pretium non possit pro vllo occisore. Hinc subijcit Maimon. pro occisore tantum interdicitur redemptionis pretium, sed propter membrum desectum, aut corporis vitia pretium accipere licet. Ibi enim sicut de homicidio pretium excludit, statueret pariter de alio membro, si sub mulcta pecuniaria non foret.

§. II.

Fit satis eorum fundamentis.

DVO inter alia suadet Maimonides cum alijs Rabbinis, & quod in casu mulieris grauidæ certo, quam si ex duobus certantibus vnus forte percusserit, ita vt mulieris fœtu eiecto sit exitium, recognoscunt Talionis pœnam, siuè vitam, siuè membrum aliud perdiderit, vbi dentem pro dente non in rigore sumendū,

sed pro pecunia. Et quod hoc idem Leuit.24. & Deut.19. intelligi debet, Alij Rabbini, non solum in cæteris membris redemptionem, pretij que solutionem cognoscunt, sed etiam in verbis illis, *animã pro anima, vitam pro vita.*

Imprimis animam pro anima petendam esse, & rigorosam talionis pœnam cum exclusione omnimoda pretij, conuincit expressè illud Gen.9. vbi contra homicidas statim à diluuio legem promulgauit hominibus. Num. etiam cap.35. clare mulctam pecuniariam excluſit. Quare ergo hic Exod. cap.21. à proprietate verborum est recedendum?

Dicunt Rabbini disparem esse rationem inter alia homicidia, & cædem ab altero ex decertantibus mulieri grauidæ illatam. Nam qui casu huiusmodi fortuito fœtum, cuius exitium non intendebat, perdit, eum pari pœna damnari, cum eo qui sciens, & volens interficit hominem, durum est. Quando ergo percussa muliere fœtus perijt, deficiebat animus ipsum lædẽdi, nec grauidam vllo malo afficiendi, loquitur enim de illo, qui cum alterũ percutere vellet, ictum inuitus in mulierem declinauit. Solum ergo cædis præter animi intentionem causa remota est. Verum quamvis huiusmodi ratio roboris non nil habeat, si alterius esset, nullius in opinione Hebræorum. Apud hos enim proselytus Domicilij, qui ex errore, seù casu occideret Israelitam, morte plectendus erat. Quid nisi ex malitia, animique intentione? Rabbini enim parum satagũt de intentionibus. Vnde Maimon. c.1. Chobel Oumassik sec.14. ¶ Qui animo (inquit) concipit, vt seruum dedecore afficiat, & ingenuum pudore afficit, is ingenuo solvit, quanti probrum servi æstimatur. Secũdo R. Iacob, Maimon. & Moses Mikkotsi, sævitiæ alijs casibus patrocinantur, illumque morte afficiendum putant, qui occiderit patrẽ errore.

Dicendum secũdo, quando Exod. 21. & Leuit.24. oculus pro oculo, dens pro dente postulatur, impropriè sumitur pro pecuniaria cõpensatione. Hoc nullo alio clariùs, quam textus ipsius verbis suaderi potest. *Qui irrogauerit maculam cuilibet ciuium suorum, sicut fecit, sic fiet ei, fracturam pro fractura, oculum pro oculo, dentem pro dente restituet, qualem inflixerint maculam, talem sustinere cogetur.* Non potest maiori cum claritate æqualitas postulari inter delictum, & pœnam, nimirũ vt qui alterius lacertum fregit, lædentis similiter lacertũ frangi necesse sit. Eiusdem pœnæ Talionis exprimit, exẽplo testis falsi, Deut.19. similitudinẽ, & æqualitatem, vt nempè falsus testis eam pœnam luat, quam alteri molitus fuerat.

Neque fundamenta Rabbinorum oppositum conuincere possunt. Non primum, ibi enim v.19. de altercantib⁹ agitur, qui cædes sæpè iurgijs immiscent, quando ergo ex ijs percussi decũbunt, & conualescunt, ita vt foras prodeant, voluntatẽ exprimit legislator, quod licet vulneratus postea moriatur, quia tamen eo vsque conualuit, vt prodierit in publicum, ideo morte plectendus non est. Hic enim legis scopus erat, vt reum à morte absolueret, & ideo innocens erit percussor, inquit. Sed quia absurdum videbatur, reũ ab omni pœna, ac mulcta excusari, ideo subijcitur impensas medico absoluturus, quod isti casui specialiter conueniebat. Sic respondet Constantinus Lempereur. Neque secundum: casus enim specialis est, quem de puella tetigit legislator, cuius damnum voluit compensari pecunia. Neque tertium. Deus enim etsi propter homicidij atrocitatem pœnam mortis inculcet in occisore, non est indicium in interdictis per alias leges id negligi, præteriri que velle. Nouum enim non est, quod alijs commune est in specie quadam expressius vrgeri, in qua omnium

nium maximè attendi debet. Immo etiam Leuit. 24. expressè oculus pro oculo, & pro dente dens postulantur. Quem sensum exemplum Deut. suadet, vt falsus ille testis pœnam illam luat, quam ipse connabatur inferre.

§. III.

Alia Rabbinorum expositio.

ALII Rabbini pœnam Talionis in rigore in gentibus exercendam consentiunt, ita vt si gentilem interficiant, vel fracturam, vulnus, vel livorem incutiant, impunes Hebræi sint, nisi seruus fuerit gentilis, tum enim domino illius pretium restitui debet, quando reus, atque percussus Hebræi sunt, non licere pecuniæ compensationem. Quod si gentilis Israelitæ inferat vitium, talio exerceri debet, dens prodente, & oculus pro oculo. Quantum autem simus apud Iudęos Christiani, & quotquot ab illis differunt religione, odio, non obscure indicat Maimonides in Misnam. ¶ Quum Israelitæ controversia (inquit) est cum gentili, conditio litis inter ipsos talis est, si nobis est in illorum iuribus commodum aliquod, ipsos secundum iura sua iudicabimus, ijsque dicemus, sic postulare eorum iura, quod si nobis in iure nostro appareat vtilitas, iudicabimus ipsos secundum ius nostrum, ijsque dicemus: sic postulare ius nostrum. Neque mireris hac de re, nec durum videatur in oculis tuis, sicuti dura, siuè crudelis tibi non videtur mactatio bestiarum, quamvis non peccauerint: quia cui non inest perfectio virtutum humanarum inter homines non comprehenditur revera, sed finis à sentiet ipsius est vt hominis necessitati inserviat. ¶ In Halach Rotzach cap. 4. & in Misnatit, Baba Kama, cap. 7. ¶ Sed nec fas erat (inquit de extraneis ab illis in religione) eos imminente morte liberare, veluti si quis eorum in mare caderet, eum inde subleuare. Nam scriptum est; non stabis tu adversus sanguinem proximi tui, & hic proximus tuus non est. ¶ Eorum fundamentū est, quoniam solum Israelitas verbis legis comprehendi volunt, quando expressè nominantur, vel de homine, & proximo suo loquuntur. Exod. autem 21. *Viri* apponuntur, & Leuit. 24. Qui irrogauerit maculum *cuilibet ciuium suorum*, sicut fecit, sic fiet. Vbi propriè comprehendere in rigore Talionis pœnam solos gentiles, constat.

Verum in primis constat, verba legis dirigi in Israelitas dumtaxat. Tum quia Leuit. 24. dicitur loqueris ad filios Israelis, postea immediatè subdit; *qui blasfemauerit*; *qui percusserit*. Tum, quia illa verba, *qui percusserit, & occiderit hominem, morte moriatur*, de pœna, quam luere debet etiam ipse Israelita, intelligunt omnes, neq; ibi compensationem admittunt pecuniæ. Tum, quia Leuit. 24. v. 22. Æquum iudicium sit inter vos, siuè peregrinus, siuè civis peccauerit, dicitur. Inique ergo accipitur pœna Talionis in gentilibus cum rigore exequuta, & in Hebræis mulctà compensatur pecuniaria.

Fundamentum alterum est, quod superiùs est indicatum. Quoniam gentiles, atque Christiani proximi non sunt habendi, imò numero solo bestiarum, sicut & nos Christiani, sunt reputandi; parum ergo refert, quod legis verborum rigor in ipsos sit convertendus, non sic inter Hebræos, ex quibus reo lex credenda est ignoscere velle, & mitiorem exposcere pœnam, scilicet, pecuniariam. Verum quam falso nitantur principio, vt nos tamquam hominum secundum genus respiciant, ostendit Dominus Num. 19. præcipiēs peregrinum amare. *Diliges eum sicut te.*

Præterea quoniam cum in lege siue fauorabili, siuè odiosa dicitur *proximus*, non debet strictè accipi pro Israelita, sed extendi debet ad peregrinum. Quod ex ipsis Rabbinis manifestè conuincitur. Ipsi enim in Gemara *ad Cod. Baua Kama fol.* 38. circa illa verba Exod. 21. v. 35. *Si ferierit bos viri bouem proximi eius, ita vt moriatur*; sic legitur in Hebræo. In hæc, inquam, verba, sic Rabbini. ¶ Quid cogitas? si dictum *proximus eius* accipiatur præcisse, bos peregrini cum cornu fecit bouem Israelis, absoluendus est, sin vero *proximus eius* non præcisè accipias, etiam si bos Israelitæ feriat bobem peregrini, tenebitur. ¶ Id est, si *proximus* non extendatur ad peregrinum; ergo bos peregrini non interdicitur bouem Israelitæ ferire: quia sicut Israelita non est proximus peregrini, ita neque iste proximus Israelitæ: si *proximi* vox ad peregrinum latius extendatur, sequitur quod si ab Israelita bos eius lædatur, possit actionem habere, cum iam Israelitæ proximus sit. Obiectio Talmudica ista ipsis insuperabilis est, quoniam, & bouem peregrini bouem Israelitæ ferientem non absoluendum, & alias bouem Israelitæ, si perigrini bouem feriret, impune feciſſe, volunt. Sane quidem nisi nomine proximi peregrinus similiter comprehendatur, cum alter alteri inferre iniuriam prohibetur, nulla est ratio vetans iniuriam, quam Israelitæ inferret gentilis: ac proinde cum in Decalogo, dicitur: *Non concupiſces vxorem proximi tui*, si nomine proximi Israelita solum intelligatur, illius vxorem licebit concupiscere ipsi gẽtili, cum hic illius non sit proximus, non enim censeri Israelitæ proximus potest gentilis, nisi vice versa ipse Israelita proximus sit gentilis. Vnde apud Vulgatam, vbi Hebræus legit *proximus* vertit *alter vnus*.

Quod autem proximi vox ad peregrinum etiam extendi possit, constat, quoniam Genes. 11. quando Israelitæ non erant legitur. *Dixitque alter ad proximum suum*. Deuter. 22. de puella vim passa in agro, sic loquitur: *Puella nil patietur, quoniam sicut latro consurgit contra fratrem suum, & occidit animam eius, ita & puella perpessa est, sola erat in agro*. Hoc exemplum indefinitum est, de omnibus qui à furibus opprimuntur. Non enim soli Iudæi vitam alijs eripiunt. Exod. etiam cap. 11. aperte dicitur: *Loquere nunc* (sic in Hebræo) *vt petat quisque à proximo suo, & quæque à proxima sua, & ab hospita domus suæ instrumenta argentea*. Quibus intelliguntur Ægyptius, & Ægyptia inimici. Proximus ergo ille intelligitur, quo cum versatur homo. Quod constat ex Luca cap. 10. v. 33. Et quidem tam latè accipitur, quod ad irrationale extendatur Esdræ 34. v. 14. & Iob 36. v. 33. *Annuntiat eam* (pluuiam) *proximis ipsius*, ideſt, tonitrum indicat simul imbrem secuturum. Pro omnibus contra Iudæos sit R. Dauid Kimhi, qui ad Psalm. 15. v. 3. Socius (vel vt vulgo proximus) eius, & propinquus eius (inquit) est cum quo intercedit illi commertium, aut conuersatio, aut est vicinus ipsius. Præterea præceptum nouum explicans, sic inquit. Proximum tuum, quia commertium, & conuersatio alicuius, & eiusdem cum ipso habentur. ¶ Firmum ergo maneat, pœnam Talionis verificari, latam que fuisse pro Israelitis præcipuè, sicut & legem diuinam, solum que inter seruos, & ingenuos quoad aliqua indicare discrimen.

§ IV.

Proponitur vera expositio.

IGitur dicendum est, dentem pro dente, oculum que pro oculo postulandum, intendisse legislatorem tam Exod. 21. quam Deuter. & Leuitic. capitibus iam memoratis, quamvis penes iudicem fuerit in pecuniariam mulctam corporalem pœnam mutare. Quod à paritate constat alterius legis, qua præcauetur v.29.dominū bobis cornupetæ,de quo aliqui sint contestati, si hominem interficeret, cum bobe morte plectendum,& nihilominus in mulctā pecuniariam similem pœnam esse mutabilem, paulo inferius legislator decreuit,fieri que potest alternatio pœnæ grauioris. Similiter Deut. 25. vbi mulierem,quæ contendentibus viris, alterius pudenda prehenderit, quo, ne maritum percutiat, eum retineat, manu mulctandam statuitur. Illam autem legem sic exponit Aben-Ezra. ¶ Vt oculus pro oculo, si eam manum non redimat. ¶ Non quod pecuniaria mulcta directe illic præcipiatur,sed quod tantum permittatur.

Idem olim leges apud Romanos receptæ decernebant. Vnde in legibus duodecim tabularum talio stabilitur,*Si membrum rupit,ni cum eo pacit,talio esto.* Cum qua conuenit dictū *l.fin.t.2.l.9.Cod.* Nec impunitam fore nouerit licentiam mentiendi,cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicij. Verum pœnam talionis postea iuris prætorij reuocauit clementia,vt legitur,*§.pœna autem.* ¶ Sed pœna quidem iniuriæ, quæ ex lege 12.tabularum introducta est,in desuetudinem abijt:quam autem Prætores introduxerunt,(quæ etiam honoraria ppellatur) iniudicijs frequentatur. Et quidem,dum talio vigebat, sæpè mansuetudinis gratia in pecuniam mulctam mutari solebat. ¶ Quæ ista acerbitas est,(inquit Gellius Noc. Att.l.20.c.1.) si idem fiat in te,quod tu te in alio feceris: præsertim cum habeas facultatem paciscendi; & non necesse sit,pati talionem,nisi eam tu elegeris? quod edictum autem prætoriū de æstimandis iniurijs probabilius esse potest? Nolo hoc ignores,hanc quo que ipsam talionem ad æstimationem iudicis redigi necessariò solitam. Nam si reus,qui depaciscinoluerat, iudici talionem imperanti non parebat:æstimata lite iudex hominem pecuniæ dānabat. Atque ita si reo pactio grauis, & acerba talio visa fuerat,seueritas legis ad pecuniæ mulctam redibat. ¶ Eandem formam in Hebræo foro seruatam merito suspicamur, vt talio iure exigeretur,si lædens minus atrociter peccasset, aut depaciscinollet, mulcta tamen pecuniaria sæpè reus satisfacere posset,vel alia ratione, qua acquiesceret reus, sicut in lege bouis cornupetæ superius relata,& Ex 21.v. 30.prolata,quasi hæc sit expositio illius,quæ v.25.continetur, & crimen respicit leuius. Vt in vtraque talio exigatur,& mulcta pecuniaria permittatur dumtaxat.

Verum pro suo iudicio,& vt probent pecuniariam mulctam semper intendi,vrgent Rabbini. Illam in commodum esse talionis,& quam expostulat,æqualitaris,quæ in talione vix potest seruari. Nam, si quis ob vulnus illatum vulneretur, & oculus eruatur, periculum est, ne mors subsequatur. Quæ ratio apud Thurios legem Charundæ talioni similem fecit alia lege emendari. Correcta namque fuit,quoniam monoculus est conqueſtus,quod sibi eruto vno oculo, quo solo tantū videbat, vnus dūtaxat reo erueretur, & sic delicto non æquaretur pœna.

Verum hæc talionis lex,quam Pythagorici, & Rhadamanthus defendunt,immo à Deo statura,iustam continet repassionem,pœnam scilicet cōdig-

dignam crimini secundum proportionem geometricam non autem æqualem arimetice, sicut Deut.25. Pro mensura peccati erit & plagarum modus, & in iure Pontificio *c.ex litter.de const.* commensuranda pœna delicto. Horatius tradidit pariter.

Regula peccatis quæ pœnas irroget æquas,
Nec scutica dignum, horribili sectere flagello.

De quo videndus Petrus Greg. Syntagm.Iur.lib.31.c.10. Ad incommodum, quod sequi censent Rabbini, nisi à legislatore diuino directe pecuniaria mulcta intendatur, facile respondetur, quodlibet esse imputabile reo, qui illius pœnæ grauitatem perspectam habens, contra expressum Dei operatus est interdictum. Insuper si dissimilia incommoda, quæ vtrobique deprehendi contingat, ad pœnam pecuniariam legislatorem mouere debent, nos que ad similem legis intelligentiam, inducerent pariter ad eandem pœnam interpretandam in voluntario homicidio. Pater familias namque, cui plures sunt liberi, qui ipsius vita ad suam conseruandam indigeãt, cuius que opera esset reipublicę necessaria, si occideret cœlibem, bono communi ineptum, imò & noxium, & morte plectatur, magna incommoda homicidæ supplicium sequentur, reipublicæ detrimentum, liberorum que ruina, quæ non sic in altero. Ob hæc autem incommoda quis rescindendam legem de homicidio dicet?

Exod.21. Occidere prohibetur.

Exod. 22. Fur impune occiditur.

Vide Exod. 22.

Exod.21. Oculum pro oculo dentem pro dente, manum pro manu, pedem pro pede.

Matth.cap.5. Christus Dominus, qui legem integre impleuit, percutienti maxillam, offerri præcepit alteram.

Vide pro huiusmodi Antilogiæ concordia, quæ diximus Genes. cap.14. & dicemus Leuit.24.

Exod.22. Occidens per insidias alterum subire præcipitur mortem.

Reg.2.cap.3. Ioab occidens Abner non punitur à Dauid.

Dicendum est prudenter egisse Dauid non parcentem Ioab, sed vt fine periculo puniretur, supplicium occasione expectata callide differentem: vt enim ipse dixit, delicatus, & vnctus rex erat,

filij

filij autem Saruiæ duri erant atque dolosi, Ioab milite strenuo indigebat, à quo, ne contra ipsum populum concitaret, posset timere. Illum autem sibi reconciliatum, si ducem præficeret castris, & bellis, quibus Dauid implicitus erat, posset inimicis terrorem incutere. Præcipue autem homicidiũ tolerabat Dauid, quoniam nondum in solio regni sedebat securus. Vnde Salomoni, qui plena pace, summa que dignitate pollebat, vt ipsum interficeret, moribundus præcepit, iuxta consilium politicum à D. Isidoro regibus traditum, cui non acquiescens Ludouicus vndecimus Gallus recens solium adeptus, in se conuertit cunctorum nobilium animos non sine periculo propriæ ruinæ.

Exod.21. Ab altari euellendum esse, qui interfecerit alium præcipitur.

Nondum erat altare.

Vide Exod.33. vbi quæ de tabernaculo, dicenda sunt de altari.

Exod.21. Ab altari meo euellendum vt moriatur præcipitur alium interficiens: Non ergo ibi pœnam luẽ dam, & homicidam intsrficiendum voluit Dominus, ne polluretur altare, locus que sacer. Neque asylli locus erat homicidis voluntarijs,

Reg.3.cap.2. Ioab homicida confugit ad altare. Quod irrationabiliter egisset, si locus refugij nõ esset in volũtario homicidio. Vnde de nolente egredi renuntiauit regi Banaias. Tandem apprehenso cornu altaris interfectus est, vt constat ex illis. Fac sicut locutus est.

DIcendum, quod Ioab ad tabernaculum non confugit timens supplicium à Salomone propter homicidiũ Abner, illius enim oblitus erat, & sibi dimissum credebat, tanto tempore impunitum esse respiciens. Refugit autem, quia post institutionem Salomonis declinauerat post Adoniam, admonitus enim quod hoc Salomon cognouisset periculum imminens fugere videbatur, si cornu apprehendisset altaris. Credendum autem est, inquit Lyra, violenter auulsum fuisse ab altari, & sic interfectum, licet vt placet Cornelio à Lapide ex quo ibi capite plectere tur nullum inconueniens sequatur, cum ex tali facto non polluere tur locus sacratus. Vide Num.35.

Exod.21. morte plecti præcipitur interficiens alium.

Nu.25. Phinees Zambri cum Madianitide occidens à Deo præmiatur.

Posse à quolibet zelo ducto, reum, in ipso dum committebatur momento fa

cinus, interfici impune, sentiunt omnes Rabbini. Sic ti. Sanh. ca. 9. §. vlt. Guem. Babyl. fol. 81. & Hierosolym. pariter. ¶ Qui sacrilegium commiserat, (dicitur ibi) qui per idolum maledixerat, qui coitu se miscuerat cum fœmina Aramæa, (id est gentili) Zelotis fas fuit incurrere in eum. Sacerdotem in immunditie sua sacra obeuntem, non erat necesse, vt sacerdotes cæteri inforum deducerent. Sed sacerdotes, qui per ætatem nondum ministerio sacro pares erant, eum extra atriũ protrahebant, & cerebrum eius fustibus elidebant. ¶ Hoc ergo singulare fuit ius zelotarum. Kanna indiceb ãtur de quorum numero fuisse Simonem illum cognomento Zelotes Act. 1. habetur

Ex hoc iure 1. Machab. 2. Mathatias Iudæum quendam Græcis se ritibus polluentem occidit. Trecenti alij Iudæi à popularibus suis occisi referuntur, vt dicitur in l. 3. Machabæor. Inde instituta lapidatio in Stephanũ; & coniuratio in Paulum. In Essenorũ disciplina apud Ioseph lib. 2. de Bello c. 12. ita in summa veneratione legitur apud eos Mosem haberi, vt si quis in ipsum conuitium effutiret, morte damnaretur. Neque ad aliud quam Zelotarum ius referri potest, quod inquit Philo de Androgyno sexum adulterante impune occidi, nec diem aliquam, aut horam viuere permittendum, vt pote & sui, & familiæ, & patriæ dedecus, adeoque totius humani generis. Quamvis nil huiusmodi in Zelotarum genere apud Rabbinos occurrat. Inde impius zelus illorum, quo in pietatis, & sanctitatis exemplar accensi sunt, vt coram Synedrio, & Summo Pontifice Christum Dominum, quod se filium Dei profiteretur, reum blasfemiæ in faciem spuebant, & quia ex ministris cuidam non reuerenter se gerere coram Caipha visus est, colapho cœditur. Cui Dominus: *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo, si autem bene, cur me cœdis?* ac si ex zeli iure, eum, qui Summi Pontificis sanctitatem, quæ velut & templi est, irreuerenter violasset, cœdere quis debuisset. Actor. Apos. 23. Ananias Pontifex ira in Christianismum percussus Paulum cœdere iubet, Paulus autem iuris Iudæorum peritus. *Sedes* (inquit) *vt iudices me secundum legem, & contra legem iubes me percuti?* ac si nefas esset quẽ à zelo accensis percuti, nisi propter Numinis, vel templi, seu gentis sanctitatẽ violatam.

Hoc Zelotarum ius ex traditione Mosis è Sinai originem sumunt: certũ quidem est, statutum à Mose ab illo tempore, quo Phines zelo diuino accensus Zimiri principem tribus Simeonis, & Cozbi filiam Zur principis Madianitarum in stupo palam comprehensos hastà traiecit. Ex inde ergo, quia hoc fuit propitiabile Deo, Zelotarum ius à Numine iam approbatum, dispositum que à Mose tunc incepisse, & non antea, quoniam hominem ligna in sabbatho colligentem, ignorabant quam pœnam subire deberet, qui reclusus incarcere mansit, quousque à Domino moniti lapidibus obrutum interfecerunt. Si ergo ius Zelotarum tunc iam vigeret, primus, qui sabbathum violari videret, statim percutere posset. Ex hoc iure motꝰ est Christus Dominus personam priuatam oculis hominum repræsentans, vt ementes, & vendentes in templo, & mensas nummulariorum euerteret, vt Matth. c. 21. & Mar. c. 11. Vnde citra reprehensionem illorum, qui maxime ei inuidebant, efficere potuit, quia ex Zelotarum iure manabat,

§ I.

Explicantur Euangeliſtæ, & refertur quod ex eruditione Hebraica plures tradunt.

NOn poſſum non exponere difficultates, quas patitur locus ex Euangeliſtis relatus, an ſcilicet ad ius Zelotarum ſpectet, quo in numularios Dominus irruit. Pro quo ſciendum eſt, quod monẽt Talmudici, quotannis per vrbem, & oppida primo die menſis Adar populum de annua penſitatione dimidij ſicli moneri, & eiuſdem menſis decimo quinto ſedebant Menſarij, ſeu Nummularij in qualibet vrbe, & cum vaſculo flagitantes, ab omnibus, qui ſoluebant, accepere, quo tamen tunc nullum ſoluere cogebant, differentes in diem vigeſimum menſis Adar, quo etiam ab eis, qui non ſoluerant, exigebant. Sic Maimon. in Miſna: vbi tredecim diſtinguntur arcæ inſtar tubarum. De quibus intelligitur illud Miſnæ, tredecim fuerunt tubæ, totidem que menſæ. Deinde certum eſt, ad montis templi partem orientalem, ſeu atrium gentium, ad intermuralis partem exteriorem, ſedem vendentium ſi tam eſſe. Cum quo compatitur, quod dixit Dominus, *Nolite facere domum patris mei domũ negotiationis*: mons enim ille locus orationis erat gentibus. Quo columbas, alia que animalia adducta fuiſſe: vt in ſacrificia publica, atque priuata conuerterentur, non leuis eſt coniectura.

His ſuppoſitis occurrit difficultas ſtatim. Quoniam eiectio illa facta eſt iuxta legem, & morem eorum, qui Chriſto inuidentes reum violationis præcepti deſiderabant, ac proinde Dominus zelo accenſus tamquam in piaculum, aduerſus nummularios irruere dicendus eſt. Hoc autem falſum eſſe videtur, quoniam ex more patrio ſolemni, ac licito oriebatur, vt Nummularij, & menſarij vendentes ibi ſederent. Non ergo veſtigium eſt, vt ſanctitatẽ templi polluiſſe arbitremur. Ad hæc autem dicendum, ſimplex nummulariorum, & menſariorum in ſiclis recipiendis munus loci ſanctitatem non polluiſſe, ſed negotiationis illicitæ ſocietatem cum vendentibus ibi inierãt, & fraudes in vendendis animalibus, & emendis in ſacrificia miniſterium illud comitabantur, quibus locum ſanctum profanabant, ab illo que eijci digni erant. Quin inter illos credibile eſt, columbas volare docentes fuiſſe, à Talmudicis infamia notatos, quos ſicut & aleatores, fœneratores, quæſtũ facientes ex anni ſeptimi frugibus, à iudicijs ob infamiam arcere ſolebant. Quoniam nefas eſſe ſuſpicabant hominẽ in vitæ ſuæ ratione rebus alijs incumbere præter legem, & beneficiorũ retributionem, ſeu charitatem, aut mercaturam, aut artificia, atque opera bono publico vtilia, ad quæ quatuor hominum illa genera non conducunt.

Verum quid quid fuerit de eruditione Talmudica, præferenda eſt quã tradit Hieronymus. ¶Et hoc primò ſciendum, (inquit) quod iuxta mandata legis, auguſtiſsimo in toto orbe Domini templo, & de cunctis pene omnibus regionibus Iudæorum illuc populo confluente, innumerabiles immolabantur hoſtiæ, maxime feſtis diebus, taurorum, arietum, hircorum; pauperibus, ne abſque ſacrificio eſſent, pullos columbarum, & turtures offerentibus: accidebat plerumque, vt qui de longe venerant, non haberent victimas, excogitauerunt igitur ſacerdotes, quomodo prædam de populo facerent, & omnia animalia, quibus opus erat, ad ſacrificia vendebãt, vt & venderent non habentibus, & ipſi rurſum empta ſuſciperent. Hanc ſtropham eorum crebra venientium inopia diſsipabat, qui indigebant ſumptibus, & non ſolum hoſtias non ha-

habebant,sed ne vndè emerent quidẽ aues,& vilia munuſcula. Poſuerunt itaque & nummularios, qui mutuam ſub cautione darent pecuniam, ſed quia erat lege præceptum, vt nullus vſuras acciperet, & prodeſſe non poterat pecunia fœnerata, quæ commodi nil haberet,& interdum ſortem perderent, excogitauerunt & aliam technam, vt pro nummularijs colybiſtas facerent,cuius verbi proprietatem lingua latina non exprimit. Colyba dicuntur apud eos,quæ nos appellamus tragemata,vel vilia munuſcula,verbi gratia frixi,ciceris,vbarum que paſſarum,& pomorũ diuerſi generis. Igitur quia vſuras accipere non poterant, colybiſtæ,qui pecuniam fœnerati erant, pro vſuris accipiebant varias ſpecies, vt quod nummo non licebat, in his rebus exigerent,quæ nummis coemũtur.

Exod.22. Homicidam caſualem ex errore occidentem exilij damnat. Deut. 19. idem ſtatuitur.

Deuter. 25. Culpæ pœna menſuratur, homicidium autem caſuale culpa non eſt, neque voluntarium.

HOc homicidij genus exilio plectendum ſtatuiſſe Græcos conſtat ex *l. aut facta 16. §. euentus ff. de pœnis*,& ex Demoſth.orat.contra Timocrat.Quam ex Platone, & Pauſania ad ius Atticum ſic propoſuit Samuel Petitus lib.7.tit.1. ¶ Qui aliũ caſu fortuito necaſſet,annum extra fines patriæ exul eſto.Similis in Ægypto mos erat,cædis namque reus apud Gymnoſophiſtas exul debebat ire, neque fas in patriam redire,niſi prius ab eis abſolutus. Apud Romanos exilij quinquennalis mortis caſualis damnabant reum,vt apud Quintilianum lib. 7.inſt.c.4. Vnde inquit Hieronymus: qui caſu occidit,quantum ad gratiam innocens, quia voluntatem non opus requirit,quantũ autem ad leges reus eſt,quia opera lex quærit. Hæc reſpiciens Numa Pompilius,reum caſualis cœdis pro capite occiſi arietem offerre ſanxit. ¶ Subijci aries dicitur (inquit Feſtus Pompeius) qui agitur,vt cædatur,quod fit,vt ait Cincius in lib.de officio iuriſconſulti, exemplo Athenienſium,apud quos expiandi gratia aries exigitur abeo, qui ſcelus admiſit pœnæ pendendæ loco.

Non ſolum apud exteras gentes, iure ciuili, verum etiam Eccleſiaſtico attento, ſuis pœnis plectendum mortis caſualis reum iudicarunt Patres, per quinque annorum tempora prædictæ cœdis reum arcendum Illiberitanum ſtatuit,quod confirmauit Epaunenſe cap.31.& Ancyranum ſeptennis pœnitentiæ ſpatium impoſuit.Nannatenſe c.18. etiam in ſanis pœnam impoſuit ſi homicidium perpetrarent. Alijſque in voluntarijs delictis pœnæ reſpondent ſecundum Pœnit. Rom. apud Ant.Aug.tit.5.cap. 3. Bedam in Pœnit.cap.12.

Certum nihilominus eſt, homicidium caſuale culpam non eſſe, cum liberam voluntatem non ſupponat. Vnde ius ciuile in clementiam pœnam huiuſmodi homicidij conuertit, *Lege eum qui V.C.ad L.Corn.de Sicar. Nouel.Valent.de Homic. caſu facto*: vt ibi enim inquit Valentinianus, fortuna poteſt ſola culpari, cui nullus legiſlator imperare poteſt. Vnde exilium non tã pœnam Deus impoſuit homicidij inconſulti reo, quam ſolatium largitus eſt propinquis,& filijs, quos parente, & proximo orbauit calamitas. Imò in commodum occiſoris,ne interfecti imprudenter eodem remanens loco inſi-

dijs

dijs cognatorũ pateret, inter Hebræos præsertim percupidos, & ad vindictam maxime pronos. Moses Maimonides ex Buxtorfio rationem exilij redit. ¶ Vt eius (inquit) qui sanguinem vlcisci parat, pacetur, interea temporis, animus; dum eum, qui cædem fecit à conspectu remotum non videt. Eius vero exulantis pendet in patriã reditus, ex hominis illius morte, qui cæteros omnes dignitate antecellit, summeque ab Israelitis omnibus amatur, ideoque consentaneum est, luctuoso eius interitu dolorem sedari omnem, quem è propinqui sui cæde propinquus sanguinis vindex hauserat. Etenim ea hominum conditio, vt qui acerbiore aliquo malo afficitur, is si aut par, aut etiam maius euenisse alteri videat, minus iã de suo ipsius dolere incipiat. ¶ Vnde manifeste infertur, exilium, vrbesque refugij non pœnam esse inconsulti occisoris, sed vt animus propinquorum sedaretur, neque pugnis, belliſque priuatis inter occisoris, & interfecti cognatos daretur.

Ex his facile est concilijs expositionem præstare. Patres namque facinus, quod publicum erat, publicà pœnitentià mulctabant, non ob culpam, sed vt quos exemplo ad vitia quodãmodo impellerant, emendationis testimonio ad recte agendum prouocarẽt, & vt proni ad peccandum seuerà Ecclesiæ pœnà arcerentur à peccando, cùm magis fugiendum esset homicidiũ voluntarium fidelibus, qui grauiter inconsultum puniri viderent, qua ratione motum legislatorem diuinum ad exilium cædi imprudenti statuendum, credi debet, vt sic à populo illo longius exularet voluntarium.

Solum se offert difficilis Genes. c. 4. locus ex quo Lamechi homicidium maiori pœna plecti videtur, quam Cain in fratrem flagitium, cum hoc ex voluntatis libera actione procederet, illud casuale, & præter considerationẽ omnino. Sed de hoc videndum quod cap. 4. Genesi iam tradidimus. Et pro ijs, quæ tota antilogia retulimus vide ndi Scipi. Gentil. lib. 1. Parer. c. 31. Vossius pater lib. 1. inst. orat. cap. 9. §. 8. Balsam. can 110. D. Basil. ad Amphil.

Exod. 22. Agrum lædere, seu vineam prohibetur.

Deut. 20. ad satietatem in vineis alienis comedere permittitur.

FVrtum natura turpe, sicut adulterium existimauit Vlpianus, & tradidit Paulus Iurisconsultus, & iure ciuili infami a notat illius reum vt in *L. furti do ijs qui notan. infamia.* Vnde, vt probat Varro lib. 1. de ratio. voc. & Gell. lib. 11. cap. 18. à furuo dicitur fur tũ ideſt nigro, & obscuro, quasi illius reos nigros infamia, obscuri que nominis reddat, quamvis à ferendo alij deducant, nescio qualiter ij componere possint res immobiles sub furto comprehendi, vt reuera furtiuæ sunt: inquit enim Sabinus lib. de furtis, condemnatum furti colonum, qui fundo, quem conduxerat, vendito, possessione eius dominium interuertisset. Et quidem merito apud omnes Lacedæmones male audierunt, quod laudi duxere callide, & plura furari, vt refert Cœlius Rhodiginius lib. 3. c. 13. Apud Ægyptios fures etiam permissos, & lucrum ex iure aliquod eis prouenire refert Diod. Siculus lib. 2. Bib. capit. 3. Lex enim apud eos erat, quod nomen apud sacerdotem scriberet volẽs

furari,& apud eum furtum referret. Quibus autem res esset erepta, sacerdotem convenire debebat,& diem & horam qua res illi defecit nuntiare,sic facile invento furto,qui rem amisisset, quarta parte mulctabatur, latius lato re legis ducente,cum impossibilis furti foret exilium, potius alicuius portionis,quam tot usiacturam pati.

Verum legislator Divinus omnino relegari furtum intẽdens lege prohibuit tàm Exod.20. quàm 22. cuius religiosos,& observantissimos pios viros Sacra pagina manifestat. ¶ Videte (aiebat Tobias) ne hædus furtivus sit,reddite eum dominis suis, quia non licet nobis,aut edere ex furto aliquid,aut contingere. ¶ Sic Tobiæ 3. Apud omnes ergo gentes pœna scelus furti comitabatur, ne impunitas daret animum delinquendi. Videamus nunc,quid iure Hebraico sit introductum.

In Guemar.Babil.tit. Sanhed. c.7. discrimen inter Israelitas,& gentiles statutum in ordine ad furti delictum volunt. ¶ Noachides (inquit) furti tenebatur,siue res gentilis, siue Israelitæ furatus esset.Neq; discrimen erat, siuè palàm,siuè clam surripuerat, siuè bona, siuè personam, aut mercenario mercedem detinuerat, aut quid eiusmodi aliud fecerat. Quin si dum operarius esset comederat (fructus scilicet vuas) alio tempore,quàm quo ipse operabatur,reus item erat furti. Et in omnibus hisce pro fure habetur. Quod non ita obtinet in Israelita,quin reus erat, si tantillum furatus fuerat, vt nec Prutà seù nummulo,quo minor nullus,id valeret.¶

Oppositum autem tradit Maimonides Hal Gabiba cap.1. ¶ Quisquis (inquit,& loquitur de Israelitis) clàm surripuerit bona,quæ nummulo minimo Prutà dicto,aut pluris valent, interdictũ de furto violat.Nam & scriptum est non furaberis. At vero non vacabit huius interdicti violati nomine, quoniam scilicet, quod ablatum est restituere debet,& restitutio ei à lege expressim præscribitur. Neque is qui Israelitæ bona furatur, differt ab eo, qui furatur bona gentilis,etiam si idolatra fuerit. Parile ius, siuè quis hominem maiorem, siuè minorem furetur.Furtum nempe omnimodum prohibetur à lege. ¶ Hæc Maimon.quamvis contraria varijs locutus fuerit locis.

Ratio,qua moventur Talmudici, vt Deuter.23. explicent de Israelitis dumtaxat, ea est, quod Deus gentium, qui præcepta Noachi filijs data non observant, bona proscribit, & occupantis effecit. Quoniam vt inquit Salomon Isacides cap.33. Deuter.Esau filijs priùs obtulit legem, vt acceptarent, nolentibus ijs, exhibuit eam filijs Ismaelis, & ijs renuentibus etiam, venit tandem ad Israelitas, vnde licitam fecit eorum pecuniam, proscripsit que bona. In quorum proscriptione Idumeorum bona contineri, est constans ex Rabbinorum sententia. Verum quis non videt, quantum repugnet cum textu Sacro. Deuter.namque 2. *Videte,* (dicitur) *ergo diligenter ne moueamini contra eos, neque enim dabo vobis de terra eorum, quantum potest vnius pedis calcare vestigium. Cibos emetis ab eis pecunia, & comedetis, aquam emptam haurietis, & bibetis.* Quæ verba non permittunt Rabbinicum figmentum in odium,quo Gentiles,& nos Christianos prosequuntur, & in dies augent, inventum,sicut,& alia quæ in Christi sequaces vrget Maimonidẽs,& Abraham Peritsolida in Vichovad Hadath libro illo, quem contra Christianos formavit.

Convincitur falsitatis similiter hæc expositio,quatenus Deut. caput de Israelitis dumtaxat intelligit. Quoniam Iosephus Archæo libr.4. cap. 8. lege illa non solum viatores con-

contineri indigenas, sed similiter exteros voluit. Deinde idem ius obseruati in colligente uuas, ac in decerpẽte spicas. Videmus autem apud Euangelistas discipulos Christi Domini aristas in via carpentes, ex quibus non omnes Hebræos fuisse, compertum extat in scriptoribus Ecclesiasticis.

§. I.

Conciliatur antilogia.

QVare dicendum est pro conciliãda antilogia, caput Deut. 23. tàm de Israelitis, quàm de aduenis, & gentilibus intelligendum esse. Exodi namque 22. nemini nem alteri damnum inferre, præcipitur, neque agro læsionem, hanc autem apud nullum existimari debere, si quis, vt comedat uuas, vineam alienam ingredi velit, dummodo illas non efferat foras, sicut, & fas decerpere spicas ex proximi segete, dummodo falcem n ō leuet. Ex ijs autem nullibi, & nemini non licere furari, non sequitur. Dominium namque, quod ex iure Noachidarum tantum attento, furtum faceret ex vinea aliena colligere uuas; ex Mosaico autem habet, vt apud Hebræos furtum non sit, etenim dominium priuatum leuis materiæ, seù rerum leuium Deus noluit, ita priuatiuè esse huius, vt non migraverit in commune, & quilibet illarum dominus fuerit, & sic cui legere uuas placuerit ius habet, quia communes omnibus, vt comedant tantum, Dominus fruges fecit: sicut pro pauperibus inquit, Deut. 24. ¶ Si vendimia ueris vineam tuam non colliges remanentes racemos, sed cedent in vsus aduenæ, pupilli ac viduæ ¶ Neque ex iure domini, quod vario hominum placito subiacet, aliqua potest difficultas oriri: cum in sententia Rabbinorum etiam alienigenis tempore vendimiæ, & messis licuerit fruges legere, & uuas, ita vt partiale ius, & dominium habeant vsufructuarius, & vinitor.

Contra hæc quæ à Deo dispositа sunt in subs[illegible]m pauperum, & egenorum leva[illegible]n, stare videtur, quod Theodorus in suo Pœnitentiali, & ex illo Gregorius Nonus cap. 3. de furtis, decreuit. ¶ Si quis (inquit) propter necessitatẽ furatus fuerit cibaria, vel vestem, vel pecus, per famem, aut per nuditatem, pœniteat hebdomadas tres. ¶ Ex quibus constat, nec in extrema necessitate cibarijs alienis vti licere. Canonem enim de extrema necessitate loqui, exprimunt illa verba. ¶ Si feciſti furtum necessitatis causa, sic dico, vt non haberes vnde viueres, & propter famis penuriam, & tantum furatus es victualia extra ecclesiam, & non propter consuetitudinem, redde quod tulisti, & sex ferias in pane, & aqua pœniteas. ¶ Ad hæc autem dicendum est Ecclesiam sic furtum relegare voluisse à fidelibus, quod ne metam iniusti, & indebiti attingerent, & quæ licebant, quia prohibitis proxima erant, sub pœna statuit fugienda. Pœnam autem sine culpa, dum causa præcedat, imponi posse, dedimus, dum de homicidio casuali institueretur sermo, & statutum est *Regula sine culpa in 6.*

Exod. 22. Dijs non detrahes.

Exod. 23. Deos confringendos præcipit.

IOsepus lib.2.contra Apionem de Dijs gentium intelligit textum. ¶ Vt (inquit) neq; ridere, neque blasfemare debeam⁹ eos, qui apud alios putantur dij, aperte nobis legislator interdixit propter ipsam appellationem. ¶ Idem sentire videtur Philo lib.de Monarc.& lib.3.de vita Mosis, necnon Cyrillus lib.12.super Ioann. c.19. Verum id falsum esse cõstat ex eodem versu *Dijs non detrahes* inquit,& Principi non maledices, vbi solum innuit veneranto: esse rerum publicarum moderatores. Et ibi v.9. quidquid damnum inferre potest ad *deos* vtriusque causa perueniet; vbi iudices intelliguntur. Vnde non est quare in præsentiarum hanc expositionem fugiamus, præsertim cũ Chaldæus *iudices* pro *dijs* vertat. Decernit ergo Deus, iudices in honore habendos esse.

Hoc iure ciuili statutum similiter est: iniuria namque Magistratibus illata ingens flagitium apud omnes reputatum est, Carolus Nonus Rex Galliæ sanciuit in audentes magistratus officio fungentibus facere iniuriam absque vlla indulgentiæ, spe mortis & capitis pœnam, licet magistratum iniuriæ resistere liceat impune. Quo spectat illud Vespasiani, de iurgio quodam Senatoris, equitisque Romani, statuentis. ¶ Non oportere qui dem maledici senatoribus, remaledici ciuile, fas que esse. ¶ Sic habetur apud Suetoniũ in Vesp.c.9. Theodoricus Gothorum Rex sic (teste Cassiod.lib.1.var.epist.27. à Theodorico Specioso rescripta) sanciuit pro superioribus. ¶ Sed ne forsitan magnificos viros loquacitas populatis offendat, præsumptionis huius habẽda discretio est. Teneatur ad culpã, quisquis transeunti Reuerendissimo Senatori iniuriam inflixerit, si male optauit, cũ bene loqui debuit. ¶ Idẽ eodem lib.1.epist.31. ¶ Edictali programmate definimus, vt si atroces iniurias in quempiam Senatorum vox ininsta præsumpserit se à prætore vrbis audiendum, vt pro qualitate facti discussa recipiat promulgatam iure sententiam. Iure similiter Hebræo Summo Pontifici inbediens præcipitur morte plecti Deut.15. Quod in nouo fœdere Dominus voluit esse fixum Christianis, cum ¶ Reddite quę sũt Cæsaris (inquit) Cæsari, & Apost ad Rom.13.suadet.

Contra veritatem huiusmodi plures sunt, qui pro iustitia tuenda potestatibus resistere fas esse, sentiunt. Adducunt in sententiæ suæ confirmationem illud Pauli. ¶ Percutiat te Deus paries dealbate. ¶ Loquens cum superiori. Sed pro huius & aliorum expositione videatur Genes.

Exod.22. Fur impune occiditur.

Exod.21. Percutiens, & alterum interficiens morte plectendus.

Vide, quæ Exod.21. tradidimus.

Exod.22. Die octaua reddendos primogenitos Deo.

Leu.12. Hominis primogeniti oblatio post purificationem matris, vt in Christo Domino apparet.

Facilis est expositio, statuit namque Deus, ne ante octauum diem

diem Deo offerretur, ante illum enim diem animalia valde imperfecta erãt, nimis tenera, & esui inutilia. Non autem sancitur quod non possit diutius eorum oblatio differri, vt in homine, & animalibus etiam, si eorum locus natiuitatis maxime distans foret. Vnde illa deferebant, cum diebus aliquibus festiuis conueniissent.

Exod. 22. Aduenam non contristabis, neque affliges eum.

Deut. c. 7. Septem populos persequi præcipit Dominus.

Dicendum, exceptionem firmare regulam incontrarium, vnde Dominus excipit hos populos, cum quibus societatem Israelitis numquã permisit, sed bellum: cum cæteris autem bene se gerere præcipit, neque afflictionem pati voluit ab illis, vt in præsenti capite dicitur manifeste.

Exod. 22. Qui immolat dijs, occidetur, inquit Deus.

Lex solum obligabat Hebræos: non ergo Noachidæ propter idololatriam occidendi.

Vide caput Exod. 12. & 20.

Exod. 22. Viduæ, & pupillo non nocebitis.

Exod. 23. Pauperi non miserendum præcipit Dominus.

Diuus Augustinus hæc habet pro conciliatione huius Antilogiæ, quæ nulla est si Exod. 23. locus integer consideretur. ¶ Et pauperis non miserebiris in iudicio. Nisi addidisset in iudicio, magna esset quæstio, sed intelligendum esset, etiam si scriptum non esset. Supra enim dixerat, non apponeris cum multitudine, cum pluribus, vt declines iudicium, ac per hoc, & pauperis non misereberis: posset intelligi, in iudicio: Sed cum additum est, nulla est quæstio, hoc esse præceptum, ne forte cum iudicamus, videamus iustitiam esse pro diuite contra pauperem, & nobis recte facere videamur, si contra iustitiam pauperi faueamus causa misericordiæ. Bona est ergo misericordia, sed non debet esse contra iudicium. Iudicium sane illud appellat Scriptura, quod iustũ est. ¶ Hæc Aug. si auctor est quæst. super Exod.

Exod.23. Deos & earum ſtatuas deſtruendas præcepit Dominus Deus verus.	*Exod.22. Dijs non detrabes.*

HAnc Antilogiam conciliatam vidimus cap. 22. Exodi, & ex vtriuſque loci contextu conſtat in altero *Deos* pro iudicibus vſurpandos; & pro ſimulacris in alio. Verum contra locum Exod. 23. ſtare videtur decretum Concilij Illiberitani can. 50. vbi ſic Patres. ¶ Si quis idola fregerit, & ibidem fuerit occiſus, quia in Euangelio non eſt ſcriptum, nec inuenitur ab Apoſtolis vnquam factum, placuit eum in numerum non recipi martyrum. ¶ Sed de hoc Gen. c. 27. non nihil diximus, videndus autem eſt D. Ferdinandus Mendoza, & ſpecioſe vt ſolet concollega meus eruditiſsimus vir D. Emmanuel Gonzalez in ſuis ſingularibus notis.

Exod.23. Septem diebus comedes azyma.	*Exod. 12. dicitur celebrari Phaſe veſpera poſteriori Lunæ 13.*

Vide Exod. 12. conciliatam antilogiam.

Exod.23. Non erit inter ſterilis nec infæcunda.	*Paulus 1. ad Corint. 7. laudatur virginitas.*

Vide conciliatam Antilogiam Geneſ. cap. 9.

Exod.23. Si videris aſinum inimici tui iacere ſub le babis. Vnde benefaciendum inimico præcipitur.	*Exodi 21. & Leuit. 24. Pœna Talionis ſtatuitur, & Matth. c. 5. odio habendũ inimicũ lege veteri præcipi indicatur, & fœdere nouo benefacere illi ſuadetur.*

Vide Antilogiam conciliatam, Leuit. cap. 24.

Exod.23. Non inibis cum eis fœdus.	*Exod. 23. Peregrino moleſtus non eris.*

Vide Gen. Antilogiam conciliatam.

Exod.23. Solemnitatem quoque in exitu anni, quãdo cõgregaueris fruges.	*Exod. 12. Niſam principium anni habendum.*

Vide

Vide conciliatam Antilogiam Exod. 12.

Exod. 24. Patres Synedrij Septuaginta Senes seu præsbiteri dicuntur.

Lucæ 10. designauit Dominus & alios septuaginta duos.

§ I.

Refertur opinio de Synedrij senioribus in captinitate Ægypti impugnatur, fabulosus pariter cætus ille, cuius traditur præses Lothus in porta Sodomæ sedens.

COnradus Bertramus de Repub. Iudæorum c. 5. sic inquit. ¶ De numero horum seniorum & præfectorum non ita constat, sed si coniectura valere potest, septuaginta videntur fuisse, quasi septuagenarius seniorum numerus, quem Deus in lege Num. 11. sanciuit, non tam ab eo institutus tũc, quam continuatus fuerit, sicut & alia quamplura apud patres vsitata Deus ad montem Sinai potius confirmauit, quam innouauit. ¶ Cuius numeri ab illo Gen. 46. de Septuaginta animabus descendentibus in Ægyptum deduci originem voluit, illa enim familia propagata, vnum, qui illi præesset, habere debuit, & inde Septuaginta seniorum compositus cœtus. Neque ab hoc recedit, sed potius confirmat, quod Dominus Iudicum Mosi præcipiens numerũ, quasi de re nota agẽs, quo modo sint eligendi, non declarauit. Similiter Num. 11. *Aggrega mihi Septuaginta viros, quos nosti*, inquit, quasi ad hoc seniorum & iudicum munus cleuet eos, qui eo aliquando functi. Hugo Grotius de iudicibus Num. 11. præelectis sic inquit. ¶ Placuerat hic numerus, quod totidem Iacobi liberi in Ægyptum veniissent ex eo que extitit etiam apud exules Hebræorum Ægypto & alibi paris numeri collegium. Hi autem (subijcit) de quibus hoc loco agitur 70. consilio hactenus præerant non iudicandi potestate, quam mox accipiunt, quin & secundum alios (inquit Lyranus) fuerant ijdem senes, qui prius regebant populum in temporalibus, & tunc cũ hæc imposita est eis cura, in spiritualibus, propter quod reciperent de nouo spiritum prophetiæ.

Paraphrasis Ionatanis & Salomõ Iarchi aiũt præsbiteros sacerdotes ve, quos Deus præeligendos præcepit, illos fuisse, qui ex Israelitis præfecerant lateritijs operibus sub tyranide Pharaonica Exod. 5. sic Rab Bechai in Biur fol. 171. col. 2. ¶ Tamet si enim Num. 11. dicatur *congrega mihi*, nihilominus credibile est fuisse apud Israelitas etiam in Ægypto Septuaginta animas, seu personas, quæ multiplicatis iuxta benedictionem diuinam Israelitis, supra illos essent constitutæ, quæ docere, moribus que cæteros iustis instruere possent, eo quod præ alijs sapientia præditi forent, & patrijs similiter traditionibus callentissimi, de quibus scriptum est, vade & congrega præsbiteros Israel, & illud: Moses & Aaron Nadab & Abiu, & Septuaginta è præsbiteris Israel. Quod vero Num. 11. *Congrega mihi*, dicitur, *Septuaginta viros*, intelligendum est de alijs nunc recens selectis, nam Septuaginta isti præsbiteri, qui tempore legis datæ supererant, paulo ante mortui sunt in Tabe-

ra vltionem diuinam meriti. Inde sequitur (prosequitur Rabbinus ille) necesse esse, vt dicamus hosce iã denuo, & recens constitutos, seu cõgregatos, cõgregauit autem eos per schedulas, secundum id quod Rabbini nostri memorare solent. Quod vero dicitur, *quos nosti tu esse præsbiteros populi* intelligendum est, quasi dictum fuisset, quos nosti tu esse ex numero illo, qui dum præfecti erant in Ægypto populi causa vapulabant, adeo que à tempore quo descenderant in Ægyptum septuaginta illæ personæ, non desijt inter Israelitas numerus hic, ne quidẽ in deserto, nec sub templo primo, nec sub secundo. ¶ Hæc ille.

Verum ante institutum diuinum, nullum, quod 70. iudices illos fuisse, in Sacra Scriptura vestigium est, neque præsbiteros seu senes Exod. 24. relatos, cum illis qui Num. 11. eliguntur, coincidisse, vllum est testimonium conuincens. Tum, quoniam tempore, quo 70. illi referuntur seniores, vnicus tantum iudex memoratus est Moses, & de singulari iudicatura amouenda à Iethro socero suo instructus, & monitus est. Tũ quia si etiam in Ægypto præfecti erant alijs Septuaginta seniores, hoc ideo fuisse credendum est, quia à patribus forte accepissent iudicandi similem formam, quod creditu difficile erit, cum Iudas referatur vnicus iudex viuicomburij Thamarem damnans. Neque quod de Loto tradunt Rabbini fulcimẽ habet. Sic enim legitur in Beresith rabba Parasch. fo. 56 ¶ Eodem die constituerunt eũ principem iudicum, quinque nimirum fuere in Sodoma iudices primarij, seu alijs iudicibus præminentes Katz Sha-Kar, (Kau-sha Ker alijs) Rab Sha Kar, Rab Misterin, Rab Gabal, & Kala Pindar. Lotus autem erat summus, seu princeps iudicum ibi vniuersorum. Quoties diceret ille, ea quæ ijs placerent, dicebant ad eum illi, secede illuc ideſt ascende in suggestum, quoties autem, quæ is displicerent proferret, dicebant ad eum illi, hic vnicus huc aduenit; vt apud nos peregrinaretur, & iam iurisdictionem exercet. ¶ Quamvis autem apud Sodomitas plures iudices, quibus Lotus præesset, forent, quid ad Æbræos, posteros que Iacobi? Tum. Non enim credibile est sub Tyrano, crudeli que Pharaone iuridicam potestatem esse permissam, neque vllam conseruatam auctoritatem in Israelitis vexatis & supra modum afflictis.

§ II.

Ostenditur Synedrium fuisse in republica Hebræa, cuius in probatis historijs & scriptoribus memoria habetur.

QVidquid autem sit, an hic, an alibi Num. nempe cap. 11. iudices sint electi, quod vlla sine controuersia iudico verum, certum similiter est fuisse iudicum in republica Hebræa Synedrium. Mirum quidem est, & omni littera aliàs prædito viro indignũ, quod tradidit ipse Pererius (vt vidimus Genes. cap. 49.) negans tale Synedrium probata scriptorum auctoritate stabiliri valere. Indignum, inquam, cum præter Abulensem, Baronium, Salianum, Serarium, alios que plures recentiores auctores, Rabbinicæ que eruditionis callentes Burgensem, Lyranum, Synedrij, licet non sub hoc nomine memores sunt Philo, & Iosephvs lib. 14. antiquit. c. 17. cum de Herode iudicibus coram causam dicente, egisset. Illius nomine *concilij* in Euangelijs & actis Apostolorum perquam obuia memoria est, & nomine etiam *Senatus, Præsbyterij, Auditorij*, seu *Domus iuditij*. Sub nomine autem Synedrij apud Græcos fit mentio in Proverb. cap. 20. ver. 22. cap. 22. ver. 10. c. 24. ver. 8. cap. 26. ver. 26. cap. 27. vers. 22. A Targumistis Sanhedrim perinde

vsur-

vſurpatur Hieroſolymit. Exod. vlt. de quo videndus Buxtorfius Lexic. in Talmudico corpore titulo Sanhedrin, omnia, quæ ad iuditiariam rationem ſpectant, continentur. In C. Theodoſ. *lib.* 16. *tit.* 8. *l.* 29. ¶ Iudæorum, dicitur, Primates, qui in vtriuſque Palæſtinæ Synedrijs nominantur, vel in alijs prouincijs degunt, quæcunque poſt exceſſum patriarcharum penſionis nomine ſuſcepere, cogantur exſoluere. ¶ Edictum eſt Theodoſij Minoris, & Valentiniani ad Ioannē Comitem ſacrarum largitionum, Florentio, & Dionyſio conſulibus, anno Chriſti 429. Inreſcripto Arcadij, & Honorij ad Meſſalam Præfectum *Archiſinagogi* ſeu Præsbyteri Iudæorum nuncupantur, qui in Theodoſiano *Primates*, Guido Pancirollus in Comite Orient. (de quo etiā Iuſtinian. Nouel. 103.) ¶ Cum populo (inquit) opibus que abundaret, prius ſub Iuliano Apoſtata conſularem habuit, deinde ſub Gratiano Proconſulem, quo tempore in duas prouincias diuiſa fuit. Siquidem Theodoſius in vtraque Palæſtina Iudæorum Synedria ſeu ſeniorū, ac Magiſtrorum collegia fuiſſe ſcribit. ¶ Iſidorus apud Comeſt. in Hiſt. Eccleſ. Reg. 3. cap. 15. ſic inquit. ¶ Synedrijs ſedebant auditores in conſiſtorio, & dicebantur Synedria, quaſi conſeſſus. ¶

De voce *Sanhedrim* ſic aliqui in Peſiktha Zotertha fol. 45. *San.* denotat legem, vt pote quæ data eſt in Sinai. Hedrin autem ex eo quod repetebant (id voce hedrin innui poteſt) legem, eam interpretando, locumque Scripturæ alterum cum altero explicando. Obadias Battenorius ad tit. Sota c. 9. §. 11. Sanhedrin, inquit, nomen eſt Iudicum, & ideo dicuntur, quoniā odio habent acceptationem vultus, ſeu perſonarum in iuditio. Verum origines iſtas, tamquam ab Ebraiſmi linguarumque Orientalium genio diſſonas prorſus reijciendas exiſtimauit Seldenus. Vnde vocem eſſe dicendum eſt è Græcis in Hebraiſmum receptam & idem Sanhedrin eſſe ac que conſeſſum. Supponit ergo pro iudicibus pluribus, ſi ſic ſint, vt ſedeant.

Triplex igitur conſiſtorium apud Hebræos fixum erat in Iſrael Gemar Babyl. titul. Sanhed. fol. 88. ¶ Synedrium ſeptuaginta vnius virale, inquit, conſidebat in conclaui ſaxeo, & binorum illic Synedriorum vigintitrium viralium, alterum ſedebat ad introitum montis templi, & alterum ad introitum atrij ¶ Inqualibet vibe, ſi ciues 120. habuerat, collocabatur Synedrium 23. virorum. In pago, ſeu oppido minori tres virorum. Conſiſtorium magnum immediate conſuli non ſedebat. Prius enim quis ſuæ ciuitatis conſiſtorium adibat, quod ſi ab illo reſponſum non recepiſſet, conſulebat Synedrium, quod erat ad portā montis templi, quod ſi neque ab eo, quod erat in atrio templi conſulebatur, quod ſi neque ab illo, omnia ad conſiſtorium ſupremum, quod in Camara Auguſta reſidebat, quorum iudices à tempore iugis ſacrificij matutini vſque ad ſacrificium, quod inter duas veſperas immolabatur, dicere ius ſolebant. Diebus autem ſabbathi aut feſtiuis ſentiunt aliqui, quod in intermurali, id eſt inter montem templi, & atrium mulierum ſedebant ob angustiam Cameræ Auguſtæ, quæ concurſum capere non potuiſſet, (neſcio an componere poſsint conſeſſum ſimilem, qui iuditia diebus exerceri feſtiuis, negant. Vide Talmud. lib. Sanhed. c. 10.

§ III.

Statuitur numerum ſeniorum Synedrij fuiſſe ſeptuagenarium.

NVnc autem videndum eſt, an fuerint 72. tam ſeniores Exod. 24. relati quam Num. 11. præelecti.

Sep-

Septuagenarium numerum iudicum amplexi sunt Abul.ad Num.11. q. 62. Raimund.Mart.Pugione fidei, Porchetus contra Hebræos part.1.cap. 2. Galatin. de arcanis Cath.verit. lib. 4. c.5.Bongus de numer.mist.signif.pa.2. fol.117.Bertramus Polit.iud.c.5. Carolus Sigon.de Rep.Heb.lib.6.cap.7. Cunæus de Rep.Heb.lib.1. capit. 12. Menoch.de Rep.Hebræ c.5.quam sententiam tanquam traditionem constantem amplexi Rabbini, sic enim R. Menahem Recanatensis inquit. ¶ Accepere per traditionem Rabbini nostri,quod omne Synedrium magnũ considens in domo Domini, in loco quem ipse ad habitandum elegerit, constare debuerit ex septuaginta, quibus præficiendus Princeps, quemadmodum Moses magister noster super quem sit pax,atque ità fiebant septuaginta vnus. ¶ Hæc ille. Millies autem id in corpore Talmudico inculcatur.

Hanc opinionem veritati,Scripturæ que Sacræ magis consonam præfero.Num.enim.11.*Congrega michi* (inquit Deus) *Septuaginta viros de senioribus Israel*.Exod.similiter 15. paulo post exitum veneruntin Elim,vbi duo decim erant fontes aquarum, & septuaginta palmæ.De quibus sic Philo lib. de Profugis. ¶ Laudat etiam Moses septenarium numerum denario multiplicandum,nunc septuaginta palmas ad fontes memorans,nunc septuaginta solos præsbyteros, quibus datus est Spiritus Dei propheticus. ¶ Ac si numero palmarum præsbyterorum numerus responderet.RabbiElihæzer Modæus. ¶ Cum crearat, inquit,Deus ille Sanctus,ac Benedictus mundum suum,creauit etiam duodecim scaturigines,seu fontes respectu duo decim tribuum Iacob, & 70. palmas respectu 70. præsbyterorum.

Dicit ad hæc Maldonatus in Luc. c.10.qui 72.præsbyteros fuisse defendit.Obuium passim in Scriptura numerum rotundum seu cardinalem, vt ipse appellat cum D.Aug.poni solere pro eo qui amplior fuerit. VndeNum. 11.septuaginta pronuntur pro 72. sicut Septuaginta illi duo interpretes Ptolemaici, de quorum numero nullus dubitat,sæpè tantum 70. appellantur numero ipso rotundo,vt inquit D. Aug.lib.18.c.43.simile est in Centum virorum numeroRomæ,& iudiciorum Centumviralium apud Ciceronem vsitatissimo Orat.1.pro Cecina, & apud Quintilianum lib.4.ca.1.& Iurisconsultos *D.tit.de inofficioso test. L. 17.C.de liberis præteritis L.vlt.*Paul. *sen.5.tit.16*.Ouidium,qui centum vir fuit,*De Ponto lib.3.Eleg.5.*

Vtque fui solitus, sedissem forsitan vnus.

De centum iudex,in tua verba, viris.

Lucanus ad Pisonem.

Et firmare iubet centeno iudice causam.

Et tamen reuera non centum, sed centum & quinque viri erant. Sextus Pompeius sic in Centum viralia iudicia. ¶ Cum essentRomæ triginta & quinque tribus terni ex singulis tribubus sunt electi ad iudicandum,qui centum viri sunt appellati, & licet quinque amplius quam centum fuerint, tamen quo facilius nominarentur, centum viri sunt dicti. ¶ Numerus ille postea ad centum octuoginta apud Plinium lib.6.epist.33.creuit, semper tamen numeri rotundi suum conseruauit nomen,quo ipse Plinius lib.1.epist. 5. Varro de lingua Latina 5.vsi sunt. Sic pariter in præsenti de numero septuagenario pro 72. recipiendo Num. cap.11.

Verum quàmvis hæc de numero rotundo expositio,si generaliter intelligatur,explodenda non sit, præsenti quidem paginæ textui adaptari nequit.Quoniam semel iam institutis iudici-

dicibus si quis de ijs loqueretur, septuaginta appellare posset numero rotundo comprehendente inferiorem, cum tamen quot eligi iudices debeãt Mosi intimatur male 70. pro 72. ponerentur. Sicut cum Scriptura loquitur de septuagenario illo siclorum numero, quo vsi sunt tribuum principes in phialis tabernaculo cõsecrandis, quis inficias cum nostra Vulgata ibit septuaginta dumtaxat significare. Philo pariter antiquissimus Iudæus scriptor lib. de migratione Abrahæ loquens de numero Septuagenario, vt ab alijs numeris condistincto. ¶ Numerus hic, inquit, est Mosi sapienti illi familiaris, nam Optimates ex omni numero condistincto inficiabitur accipi.

Accedit contra hoc Sixti Quinti de Cardinalũ numero constitutio. ¶ Vt veteris (inquit const. annal 1586. Bull. Cherub tom. 2. in Sixto Quinto const. 50.) Synagogæ figura Sanctæ, & Apostolicæ veritati respondeat, sequi cupientes mandatum Domini factum ad Mosem de congregandis septuaginta viris de senibus Israel, quos nosset senes populi esse, & magistros, vt onus secum populi sustentarent, & non ipse solus grauaretur, super quos ad ostium tabernaculi ductos loquente Domino spiritus requieuit, de prædictorum fratrum nostrorum consilio perpetuo statuimus & ordinamus, vt in posterum connumeratis omnibus cuiusque ordinis episcopis, præsbyteris, & diaconis Cardinalibus, qui nunc sunt, quique in futurum creabuntur, cuncti simul numerũ septuaginta nullo vnquam tempore excedant, ac talis numerus quouis prætextu, occasione, vel causa etiam vrgentissima minime augeatur. ¶ Hæc ille, quid clarius? Diu etiam ante Sixtum Quintum Ioannes Papa Octauus ad Cardinales suos scribens de causis, & litibus definiendis apud Baron. tom. 10. ann. 882. ¶ Quippe cum, (inquit) sicut nostram mansuetudinem Mosi, ita & vestram fraternitatem septuaginta seniorum, qui sub eodem causarum negotio diiudicant, vicissitudinem gerere certum habeamus. ¶ Sic habetur è codice Bibliothecæ Vaticanæ vetusto. Exquibus patet de numero præsbyterorum, atque seniorum. Quidquid sit de Cardinalibus de cuius numero liberum est Pontificibus definire, vt inquit Alberic. de Rosate in Rub. D. tit. de statu hominum, & Martinus Laudensis de Car. p. 2. q. 2.

Confirmat nostram sententiam, quod statuitur à patribus Nicænæ Synodi tom. 1. Conc pag. 554. apud Nicolinum, & apud Binium tom. 1 Cõc. pag. 336. Edition. 1618. ¶ Similiter statuimus, (sic aiunt) vt omnes archiepiscopi semel per annum apud patriarcham suum conueniant, & in eo concilio faciant ad eum modum (canone præcedenti præscriptum) in omnibus rebus, & in peccatis, quæ in locis eorũ contingunt, faciant que hoc, ne iniudicio suo sit fraus, sed potius tale sit, quale erat iuditium septuaginta seniorum cum filijs Israel, qui causas suas Moysi proponebant. Simile consistorium episcoporum in veteri Occidentali Christianismo, cuius numeri mentio fit in Codice Theodos. lib. 11. tit. 36. De quo Baron. tom. 4. anno 369. ibi enim Valentiniani, Valentis, & Gratiani Augustorum huiusmodi habetur edictum, ad Claudium Præfectum vrbis. ¶ Quoniam Chronopius ex antistite idẽ fuit in tuo, qui fuerat in septuaginta episcoporum ante iuditio, & eam sentẽtiam prouocatione suspendit, a quâ non oportuit prouocare, argentariam mulctam, (librarum scilicet argenti 50.) quam huiusmodi facto sanctio generalis imponit, cogatur expendere. ¶

Neque ex quo numerus rotundus 70. alicubi pro 72. receptus extet, probat ratio vlla, hic pro 72. sumi debere. Dixerit ne quis per 70. iudices in Tapobrana, (de quo Plinius natural hist.

6. c. 22.) qui de rege post appellationē à 30. rectoribus, cognoscerent 72. esse intelligendos, quia numerus hic alicubi pro 72. accipitur? Certe non maiori ratione (inquit Seldenus) quam si 30. ibi 32. significare autumaret. Denique quia cum Synedrio aliquis præficere debeat, ex 73. constare fateri tenētur, qui numerus Hebræis tàm insolitus, quàm passim 71. pro Synedrio magno receptissimus. Et quidem nil magis inculcatum, quam Synedrium non æqua lance libratum fore, vnde non ex paribus, sed imparibus constare debere. Sic Gemar. Babyl. ad tit. Sanhed. c. 1. fol. 3. & fol. 14. & ad tit. Sota ca. 9. fol. 44. & Misna tit. Sanhed. c. 5. Mekil ta fol. 35. Moses Mi Kotz Præc. Negat. 195. & Affirm. 98. Buxtorf. filius Lexi. Chald. Talmud. col. 2513.

§ IV.

Proponūtur rationes in oppositum inclinantes, & numerum 72. ex D. Luca c. 10. in Synedrio, Magno à Mose institutum fuisse.

PRobat Maldonatus numero 72. constare Synedrium, eo quod aliter fieri non posset populi eius nimia æmulatione considerata, & qua pollue batur inuidia: Vnde ex qualibet tribu senarius numerus eliciendus, vt sic æqualiter omnes in iudices cooptaren tur, & sine alicuius tribus reclamatione ex 72. Synedrium componeretur. Tum ex illo Lucæ c. 10. vbi alios septuaginta duos in discipulos elegisse constat, & sicut, vt vmbræ veritas responderet, pro duodecim tribus, duodecim vocauit Apostolos, sic pro 72. præsbyteris seu senioribus Mosis, totidem 72. in discipulos dicendum est elegisse.

Verum in primis locus Euangelistæ licet conuincat discipulos Christi fuisse 72. non autem conuincit totidē in Synedrium præsbyteros esse cooptatos, neque vt ijs in numero responderent, discipulos 72. designasse, cum satis potuerit esse pro ratione sua voluntas, vel si istius numeri apud Lucam desideres congruentias, plures obtulit Beda, sine præiuditio septuagenarij Synedrij iudicum numeri. Quod si dicamus ad instar Synedrij, discipulorum numerum Dominum instituisse, & apud Lucam referri, nondum satis esset à nostra vt reuocaret sententia. Quoniā, vt inquit Canus de locis Theologicis, pluries librariorū incuria mendum Sacram Scripturam irrepsit, vt ipse pluribus manifestat. Neque septuaginta interpretes 72. legerūt alios que vetustissimos codices Græcos sic habere. *Post hæc autem designauit Dominus alios septuaginta*, constat. Sic etiam legisse Originem ipse ostendit, hom. 7. namque in Exod. sic inquit. Ibi enim arbores reperientur 70. palmarum, non enim solum duodecim Apostoli fidem Christi prædicauerunt, sed & alij septuaginta missi ad prædicandum verbum Dei referuntur. Sed huic secundæ expositioni nimis non fido. Quoniam sicut in nostra Vulgata, 72. legitur in Vaticano, & in Harmonijs vetustis Græcis Taciani c. 67. & Amonij c. 117. Arabica etiam versio Romæ ann. 1591. edita habet similiter *duos & septuaginta*. Et Epiphanius qui floruit sub annum 380. vsus est codicibus, quibus erat numerus idem. Hanc ergo lectionem antiquitus esse receptam ex Aug. Quæst. Euang. lib. 2. cap. 14. & lib. 1. de Mirabilib. Sacræ Scripturæ ca. 9. liquet.

Ad fundamentum, quo mouetur Maldon. facilis est euasio, sicut enim Deus contempta populi æmulatione tribum Leui alijs relictis elegit in sacerdotium, potuit Moses postposita aliorum inuidia, quos probatæ virtutis & dignitatis, ad munus que Synedrij magis idoneos recognouisset, odio & amore liber iudices designare, sicut

ſicut ſingulariter in ſui conſortium vt proprius propinquius que alijs montem aſcenderet & accederet, prætulit non ſemel Ioſue. Vel ſi hæc præcedentis tuta defenſio non ſit, recole quæ obuia ſunt in Hebræis, vt inuidia tribuum non reclamante, electio iudicum pacifica foret, & nos tradidimus Geneſ. capit. 49.

Deinde numerum ſeptuagenariũ & binos alios comprobat illud Num. 11. Quoniam præter ſeptuaginta ſeniores illos quos deſignare præcepit Deus, conſtat duos alios in caſtris relictos eſſe Eldad & Medad, ſuper quos requieuiſſe ſpiritum Domini, inquit textus, quod, ſigmum eorum qui iudices electi ſunt, certum erat. Quo, Spondanus, Baronius, & Hugo Grotius Heldad & Medad inter præsbyteros referri, mouentur. Verum ex eo nihil contra numerum ſeptuagenarium licet referre, quoniam donum prophetiæ iudicum ita proprium non erat, vt alijs, qui Synedrij non forent, conuenire non poſsit, vt Moſis indicant verba. *Quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus ſpiritum ſuum.* De ijs autem duobus ſic habet Gloſſa Talmudica. Bini ex ſeptuaginta illis qui addibant, vt ſortes tollerent, ſuſtulere manibus ſuis ſchedulas puras, & relictæ ſunt ſchedulæ binæ in ſcriptæ in pixide, illæ autem ad Eldad, & Medad ſpectarunt, qui non ad fuere, vt ſortes tollerent timentes nimirum, ne ſibi non obtigiſſent puræ. Atque hoc eſt, (ſubdit) quod ſcriptum reperirur, & relicti ſunt viri bini qui erant è conſcriptis, quaſi dicerent, inſcriptæ ſchedulæ (binæ ſcilicet) ad eos in pixide ſpectarunt, ſed non adueniebant, vt eas inde tollerẽt, adeoque aſſerunt inter conſcriptos.

Aliter de ijs duobus tenet Peſichtha fol. 46. Ideoque (inquit) dicitur, & hi fuerunt in conſcriptis, ſeu inter conſcriptos, quoniam nempe erant in vrna inter eos, quibus *Præſbiter* inſcriptum eſt, in manus autem eorum aſcenderunt ſchedulæ puræ, ideoque non dicitur fuiſſe eos conſcriptos, ſed inter conſcriptos. Palam namque eſt conſcriptos duplici notione ſumi debere, aut de primis conſcriptis 72. vnde 70. ſeligerentur poſtea, aut de conſcriptis nomine *Præsbiter* ſolis 70 Eldad autẽ & Medad fuerunt ex conſcriptis 70. non autem ex conſcripis nomine *Præſbiter* neque ex ſelectis.

Quoniam numerum ſeptuagenarium iuxta doctrinam Hebraicam eſſe diximus, ſcrupulus vnus reſtat. Quoniam in corpore Talmudico reperitur locus expreſſus in Miſnaioth tit. Iadin ſeu de manibus lauandis ca. 4. §. 2. fol. 157. in Talmud. Babyl. ¶ Dixit Simeon Ben Aizai accepiſſe ſe à ſeptuaginta duobus præsbyteris, ſeu ſenioribus, tempore quo collocarunt R. Eliæzer in conſeſſu ſeu cathedra, ſua omnes victimas comeſſas, etiam nomine ſuo haud rite immolarentur, legitimas quidem eſſe, ſed dominis ſuis ſeu immolantibus nil prodeſſe, eo quod nomine ſuo rite immolari debuiſſent, exceptis tamen paſchate, & hoſtia pro peccato. ¶ Huiuſmodi autem teſtimonium refert parum, quominus reuocet nos a propoſita opinatione, & ſi ſola Rabbinica eruditione niteretur. Diſtinctum namque eſt recognoſcere ius, cum integra a Moſe tradita Politia manebat, iuris que ſui erant Iudæi, aliter acciſsis ſæculis, Hebræorum que rebus ſub imperio Romano, illius priſtina Synedrij euaneſcente continuatione. Hoc enim ſtatu veterum tribunalium velut vmbras ſolum habuere, talia erant in vtraque Paleſtina Synedria, vtroque codice memorata, *L.* 29. *C. Theod. libr.* 16. *tit.* 8. *L.* 17. *C. Iuſtin. tit. de Iudæ*, de quo Cuiacius lib. 7. Obſer. 30. Interim enim inſtitura non tam regiminis imperij, aut iuriſdictionis cauſa, ſeu vt tribunalia vera, quam doctrinæ gratia aut ſcholæ. Ex quibus propter ſummã

erga doctores reuerentiam oriebatur imitatio quædam imperij & iurisdictionis, ciuilisque obedientiæ, quæ potius scholastica, quam forensis erat. Vnde talis confessus etiam nomine non solum Cathedræ, sed Synedriorum appellabatur, quibus sæculis numerus seniorum & præsbyterorum incertus erat, nec iuxta pristinam terræ sanctæ dum sui iuris erant, disciplinam obseruatus, pro varia temporis, loci ve circunstantia variatus.

Exod. 24. Moses, Aaron & 70. seniores ascendere præcipitur.

Exod. 19. Sacerdotes, & populus ne transeant terminos.

Vide Exod. 19.

Exod. 24. duodecim titulos erexit Moses.

Leuit. 26. Nec titulos erigetis.

ALiqui asserunt *titulum* pro altari accipiendum esse, sicut Gene. 35. cum Iacob titulum lapideum erexit, loco, quo locutus fuerat ei Deus, oleum, super eum & libamina fundens, quæ libatio super altari fieri debet. Verum hoc cum textu non facile compati potest, alias non altare, sed duodecim altaria Moses ædificasset, quibus pro qualibet tribu immolarentur hostiæ, & sic necessarium illud, extra duodecim à Mose relatum altare non foret. Maxime autem tunc id inconueniens esset, cum populus rudis duodecim altaribus immolans pluribus dijs sacrificare forsam poterat existimare.

Dicendum ergo est Mosem altare prius ædificasse, deinde duodecim lapides erexisse in memoriam duodecim tribuum. Hoc constat fieri absque inconuenienti potuisse ex illo Iosue qui iratus, quòd duæ tribus quæ ante transitum Iordanis acceperant hæreditatem, altare nimiæ magnitudinis constituissent, vbi quis intelligere posset, voluisse sacrificium offerre, contempto intra atrium desiguato sacrificandi loco in Silo collocato, comperto, quod in memoriam posterorum fecissent, placatus est cum alijs tribubus, quæ iam parauerant bella, vt habetur Iosue capit. 22. Nisi quis dicat, quod sicut Iosue cap. 4. lapides duodecim magnos de alueo Iordanis extractos vnum componere altare præcepit in memoriam duodecim tribuum Israel, sic ex illis duodecim lapidibus siuè titulis fieret vnum altare, eos quæ ad mutuam inter se concordiam prouocaret vnio duodecim distintorum lapidum in altari, & sanguis super illud effusus pactum & fœdus cum duodecim tribubus Israel confirmaret, vt habetur de sacrificio Eliæ 3. Reg. 18. Ex ijs conciliatur antilogia, quoniam titulus qui Leuit. 26. prohibetur, erat lapis positus in signum cultus, quo coram inclinati seu genuflexi adorabant idolatræ, vnde lapis erat insignis, non sic lapides quos in titulos Moses erexit, maxime si constructum ex illis foret altare, quod ex lapidibus rudibus & informibus fieri præceperat Dominus, ne in sculptura lapidis periculum esset ido-

idololatriæ & lapis offensionis Iudæorum fragilitati, ideo non constat nomina tribuum lapidibus illis insculpta, sicut in rationali & Ephod, quæ ornamenta vestium sacerdotalium erant

Exod. 24. Viderunt Deum Israel.

Exod. 33. Non videbit me homo, & viuet.

DIcendum est, quod viderunt ij de quib⁹ Ex. 24. Deũ Israel, quatenꝰ nubem quandam valde lucidam, vbi Deus sedẽ habuisse innuebatur, intuiti sunt, & sic vidisse Deum dicuntur, cũ montem fumantem, nubem que caliginosam & ignem erectum in cœlum cõspicerent, Deut. 5. Hominem autem videre diuinam essentiã & viuere impossibile (potentiam ordinariam intellige) esse inquit Deus Exod. 33.

Sed dicere aliquis posset, quod Num. 12. sic dicitur: *Ore ad os loquor ei, & palàm, & nõ per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Sed de ijs. Num. 12.

Exod. 24. Et sub pedibus eius quasi opus lapidis Saphyrini. Vbi Deum in aliqua figura apparuisse, cõstat, cum pedes illius distinctione clara cognouerint.

Deut. 4. Nullam vidistis similitudinem in die, qua locutus est Dominus vobis in Horeb de medio ignis, ne forte decepti faciatis similitudinem & imaginem.

ARgumentum Mosis inefficax foret, si alicubi & non solum in Horeb vidissent similitudinem, vnde dicendum est hic non visum sub aliqua similitudine; In corporibus ergo proprie reperiuntur positiones *Superius & inferius, ante & retro.* Illa ergo nubes pro parte superiori correspondenti quoad situm capiti, in habentibus partes, erat lucida, magis inclinans ad naturam lucis quam coloris, pro parte inferiori, quæ densior erat, coloris alicuius naturam induebat. Pars autem inferior nubis compa ratur vt pedes. Cum autem populus ille rudis intra nubem Dominum contineri cogitarent, in parte superiori capitis, & pedum in inferiori partes distinguebãt, vt super extremitatem nubis versus terram starent Domini pedes, & altera versus cœlum extremitate reliquum totum corpus.

Exod. 25. Qui offert vltroneus, accipietis eas. Hæc sunt quæ accipere debetis, aurum & argentum.

Exod. 38. Omne aurum quod expensum est in opere sanctuarij, & quod oblatum est in donarijs 29. talentorum fuit & septingentorum triginta siclorum ad mensuram sanctuarij.

DIfficultas antilogiæ consistit in eo, quod aurum quod à populo oblatum est in opere sanctuarij ex pensum, fuit ex dimidijs siclis eorum, qui transibant ad numerum, quos ex iure soluere tenebantur. Exod. autem

24. ſpontanea dicitur auri oblatio. Dicendum nihilominus eſt prius ſolutionem ſiclorum Moſem accepiſſe, cum tabernaculum propoſuit faciendum, ex quibus ſumma illa talentorum conſtabat, quæ licet ſatis ſanctuario fuiſſet, non ſic viſa eſt artificibus, & ſic denunciatum eſt, quod offerret quicumque vellet, ſed cum iam ſuperabundaſſe compertum eſſet, ſpontanea oblatio interdicta eſt. De nullo ergo auro ſanctuarij opera facta ſunt, niſi de ſiclis aureis, illud autem quod ſpontanee obtulerunt, ad vſus tabernaculi depoſitum eſt.

Exod. 25. Subter coronam erunt circuli aurei.

Exod. 37. Contra coronam menſæ poſuit quatuor circulos aureos.

DIcendum, quod *contra coronam* idem valet ac *ſubter* vt cap. 37. vbi habetur contra coronam, verſu 27. habetur ſubter.

Exod. 25. Craticulam que in modum retis æneam, per cuius quatuor angulos erunt quatuor annuli æni; quos pones ſubter arulam altaris: erit que craticula vſque ad altaris medium.

Exod. 38. v. 4. Craticulam que eius in modum retis fecit æneam, & ſubter eam in medio altaris arulam. Non ergo craticula, ſed arula erat in medio altaris.

VT hæc antilogia concilietur, exponendum eſt, quid, & ad quem vſum, vbi que fuerit arula illa. Deinde quid per medium altaris intelligatur. Quæ omnia ſic explicat Bonfrerius. Pro arula in Hebræo vox eſt *Carcob* ſicut, & in capit. 38. ponitur. Septuaginta pro hac voce *craticulam* repoſuerunt. Hebræi *ambitum* vertunt. Craticula ergo non implebat totum illud ſpatium quinque cubitorum in quadrum in ſuprema altaris parte, ſed partem illius exteriorem ſolum ſolidam, forte ad cubitum vnum, intra quam deinde reciperetur craticula, quæ mediam partem illius ſupremæ ſuperficiei occuparet, vt proinde recte dictum ſit hic craticulam eſſe debere vſque ad altaris mediũ. Nomine igitur *arulæ* iſta pars ſolida exterior intelligi debet, poteſt ſiquidem iſti parti ambienti craticulã optime, & arulæ & ambitus nomen cõuenire. Conſequenter per medium altaris intelligitur non mediũ illud alti-

tu-

tudinis altaris intra cauitatem illius, sed medium planitiei superioris, seu eius quod quasi mensæ loco erat, & res immolandas sustinebat: siquidem non bene per medium altaris hic illud medium altitudinis intra cauitatem intelligas, nemo enim dicat craticulam eo vsque depressam interius fuisse, & si verisimile sit aliquantulum versus medium inclinatum fuisse, vt eo omnia ligna & prunæ defluerent. Vnde nil aliud intelligi valet cap. 37. per medium altaris.

Vt autem textus antilogiæ omnino concilientur. *Subter eam in medio altaris arulam* sic exponendum est, vt pronomen *eam* non referat craticulam, neque *arulam* referatur ad *fecit* quod antecessit, sed ad id quod sequitur, *fusis quatuor annulis*, & regatur à præpositione *subter* vt fiat hic sensus. Craticulam eius in modum retis fecit æneam, fusis subter eam arulam, quæ in medio altaris est, hoc est versus medium altaris, quatuor annulis. Itaque iuxta hanc sententiam particula *&* Hebraico more superfluit, *& eam* referetur ad *arulam* quod sine violentia fieri potest, maxime sub intellecto relatiuo *quæ*. Hinc vbi positi & fixi annuli sint, constat, nempe in quatuor extremitatibus retis seu craticulæ, erat enim arula pars craticulæ, eam terminãs, vnumque corpus efficiens, ita vt vnum ab alio diuelli non potuerit, & quod in arula seu sub arula erat, idem in extremitatibus erat craticulæ, hæc autem cum sua arula ad deportandum potuisse & debuisse ab altari reliquo separari, quãdoquidem suos proprios vectes habebat. Habuit autem altare suos annulos proprios, & vectes à lateribus altaris, vt hic dicitur v. 6. & 7. & cap. 38. v. 6. & 7. & si ibi rem paulo obscuriorẽ faciat relatiuum, vt videatur referri ad vectes, de quibus paulo ante actum fuerat, & circuli, de quibus v. 7. censeri possunt ijdem cum annulis ver 5. cum tamen sint diuersi, priores nimirum craticulæ, posteriores altaris vt satis indicat tum vox *altaris* hic apposita, tum quod in lateribus altaris dicantur positi, vel figi debere, quod de craticula non est verum. In nostro ergo textu, (Hebræus enim *quos* non habens nullam patitur difficultatem) illud *quos* vectes refert quidem, sed non eos tantũ de quibus præcesserat, sed vectes altaris in genere, vt non mirum sit mox subiungi, vt vectes ij altaris lateribus inducerẽtur ad illud portandum, quia de vectibus craticulæ iã paulo ante satis insinuatum fuerat, nõ enim alibi ij induci poterant, quam vbi fixi erant sub arula in extremitatibus craticulæ. Sic Bonfrerius.

Exod. 25. Arcam compingite, cuius latitudo habeat duos & semiscubitos.

Exod. 37. Fecit arcam habentem duos semiscubitos in longitudine.

CVbitus pedem & semis continet, vocatur ab Hebræis *amma*, & definiunt sex *tephachim*, tephach palmus minor est, seu quatuor digitorum mensura. Vnde *Amma* est viginti quatuor digitorum, seu duplicis Zereth mensura, Zereth autem ipsis palmus maior est, quantum spatij continetur intra digitos extremos, quoad fieri possit, expansos, cõtinet autẽ id spatiũ tres palmos minores seu duodecim digitos.

Quando autem Exod.37.duos ſemicubitos habere dicitur, mediare debet copulatiua,& inquit Abulenſis, ac ſi diceret quod contineret duos cubitos, & ſemis.

Exod.25.ſponte offerri oleum præcipitur.

Exod. 27. Præcipe filijs Iſrael vt offrant oleum.

Vide Exod.cap. 27.

Exod.26.Tabernaculi non præſcribuntur niſi 30.cubiti in longitudine 10. in latitudine.

3.Reg.6. Domus habebat 60.cubitos longitudine,& 20. latitudine.

DIcendum ex Tirino quoad aliqua diuerſum à templo Salomonico Moſis tabernaculum eſſe. Hoc enim ſolum habebat longitudine 30.cubitos,latitudine 10,& altitudine 10.Salomonis templum duplicatis omnibus longum erat 60.cubitos,latum 20.altum in Sancto Sanctorum 20.in anteriore templo 30. Non ſolum velo,qualiter tabernaculum, ſed & muro ſolido,in quo duo oſtia maiora,& in maioribus iſtis duo oſtiola minora, quibus ex anteriore templo, (quod ſanctum,vel ſanctuarium vocatur,erat que longitudine 40. cubitorum) ingreſſus patebat in interius templum,quod erat oraculum, longum latum,& altum 20.cubiris & quadratum,conſtabat. Vnde non in omnibus conueniebant templum Salomonis,& tabernaculum Moſis.

Exod.27. Altare holocauſtorum habebit quinque cubitos longitudinis & latitudinis.

Exod.30. Altare Thymiamitis habebit cubitum longitudinis.

HOc altare holocauſtorum diuerſum ab altari Thymiamitis fuiſſe conſtat ex Exod.cap. 27. & 30. Holocauſtorum altare ab holocauſtis,quorum præcipuum erat vt in illo altari tota comburerentur. Thymiamitis autem altare non ad victimas immolandas, ſed ad odores incendendos deſeruiebat. Quo autem loco Thymiamitis eſſet altare,conſtabit ex dicendis Exod.c.30.

Exod. 27. Facies & altare de lignis ſetim.

Exod.20. Altare de terra facietis mihi.

Vide conciliatam Antilogiam,Exod.cap.20.

Exod.

Exod. 27. & antecedentibus, & 30. capite vbi referuntur metalla ad vsum tabernaculi, & atrij deseruientia mentio ferri non fit.

Num. 31. Primicias Domino de auro, & ferro præcipitur offerri.

FAcile componit ita Abulensis. quoniam, etsi primitiæ de auro, & ferro offerantur, non in vsus tabernaculi convertendas præcipit Dominus, sed quod Deo, ideſt, sacerdotibus offerantur, vnde ibi Num. 31. partim Eleazaro sacerdoti, partim Levitis distribuendas primitias constituitur, sicut nunc decimæ præstitæ ecclesiæ, præter partem, quæ fabricæ supervenit, reliquæ inter eius ministros distribuuntur.

Dicet aliquis non in vsum sacerdotum, sed vt ipsi Domino dumtaxat deserviret, præcepit Iosue omne ferrum, quod reperiretur in Iericho, in thesauris Domini reservari. Verum quamvis ferrum in aliquo opere tabernaculi non expenderetur, necessarium tamen erat ad tabernaculi vsum. Levitæ namque debebant tabernaculum, & atrium eius deponere, atque figere, ad hoc autem malleis indigebant, vt ad figendos paxillos, & similia. Necessarium etiam ferrum erat ad faciendas secures, cætera que scindendi instrumenta varia, vt ligna pro sacrificijs scinderentur: nam ignis ardebat perpetuus in altari, cui subijciebat quotidie sacerdos ligna, & quia multa necessaria erant, cum ignis foret continuus ad vsum sanctuarij multi cæsores, ferrea que instrumenta tabernaculo poterant deseruire; licet immediatè non applicaretur metallum ferri illi. A Mose autem solum describitur, quod immediatè attingit partes tabernaculi, illudque construit. Sic Abulensis.

Exod. 27. Et collocabunt eam Aaron & filij eius, vt vsque mane luceat coram Domino: extingui ergo mane solebant. Idem 2. Paral. 13. v. 11. & expresse 1. Reg. 3. Lucerna Dei antequam extingueretur, Samuel dormiebat.

Exod. 27. v. 20. Vt ardeat lucerna semper. Leuit. 24. Ad concinnandas lucernas iugiter.

CVM ex primo loco positis textibus non stet lucernas extinctas esse aliquando, dicendum est ly *semper*, & *iugiter* non accipi pro sine intermissione ardere; sed pro eo, quod idem est ac quotidie singulis noctibus, sic vt nulla dies naturalis præterflueret, qua cultus iste religiosus non exhibeatur. Sed vero similius est semper lucem illam noctu, diu que inextinguibilem esse, indecens enim videtur tabernaculi locum sacrum lumine omnino privari, & Deum continue quasi convivari mensa illa propositionis in tenebris, cum à Sole tam exiguum subintraret lumen in tabernaculum, in quo nullæ fenestræ erant, velo anteriori aliquantulum à terra distante. Neque Scriptura huic expositioni est contraria, neque textus relati-

lati. Mane enim solebant lucernas cõponere, & fungos emungere, vt purius arderent, vespere autem deponere, vt purgarent; ellychnium, & oleum necessarium ac sufficiens in diei sequentis vesperam adderent, vnde vertit vbi nostra Vulgata *collocare* bonifacere. Vt sensus sit, quando Aaron meliores efficiet lucernas vt purius, scilicet, luceant, quod fit dumtaxat, fugos, & excrementa, quæ lucem impediunt, tollendo. Illud *vsque*, sicut, & *donec* non semper spatium, quo res debeat fieri, significat intermitti, vt ex pluribus Scripturæ locis constat. Neque illud 1. Reg. 3. vim aliquam infert.

¶ Oportebat enim (inquit Iosephus 3. Antiq. cap. 9.) oleum purificatum ad lucernas servare, quarum tres in sacro candelabro, per totam diem Deo lucere oportebat, reliquæ sub vesperam accendebãtur. ¶ Credendum autem est idem tẽplo Salomonico fuisse observatum, ac tabernaculo Mosis, cuius fidelis testis Iosephus haberi debet, in cuius sententia omnes lucernæ ardere noctu debebant, aliquæ autem extinguebãtur mane. Vnde dicuntur accendi vespere, illæ, scilicet, quæ mane extinctæ fuerant. Sic conciliat Bõfrerius: optimè quidem.

Exod. 27. Centrum altaris distabat ab ostio 35. cubitis.

Exod. 29. Sacrificium est ad ostium tabernaculi.

Vide Exod. 27.

Exod. 27. Præcipe filijs Israel vt offerant tibi oleum.

Exod. 25. Sponte offerri præcipit argentum oleum, & alia.

HIC verbum *præcipe* non in rigore accipi debet, sed pro exhortare dumtaxat. Vnde in Hebræo *commenda*, vel *admone* filios Israel habetur, quod ad imperium non spectat.

Exod. 28. Super humerale seu Ephod proprium Summi Sacerdotis, de nullo enim alio dicitur, quod in Vrim, & Thummim consuleret Dominum, nec rationale gestaret, quod non distinct a vestis, sed pars inseparabilis super humeralis, & Ephod est.

2. Reg. cap. 6. Ephod applicatur Dauid, & cap. 14. Achias portabat Ephod, hunc autem non esse Summum Sacerdotem constat ex 1. Reg. cap. 21. vbi non ille, sed Achimelech Achitobo successit.

EPHOD propria significatione sumptum vestimenti genus est, à verbo *aphad*, quod idem ac iungere est. Magister historiæ Ephod non ita proptium Summi Sacerdotis existimauit vt non posset alijs applicari, vnde illo indutum esse Samuelem asseruit. Verum contra textum hæc dicta, cum Ephod, quo vestitus incedebat Samuel, non polymitum, quale summi

Sa-

Sacerdotis indumentum, sed lineum atque vulgare. Vnde dicendum duplex distingui debere Ephod, aliud pretio summo, polymitum ex auro, hyacintho, purpura, cocco, & byssо intertextum proprium Summi Sacerdotis. Vulgare aliud lineum, simplex & candens, quo Sacerdotes minores indui possent, vt 1. Reg. 22. vbi Doeg. Idumæus trucidasse dicitur 85. viros vestitos Ephod lineo. Leuitæ similiter, vt de Samuele 1. Reg. cap. 2. imò, & laici dum aliquo ministerio sacro, divino que obsequio occuparẽtur, sicut Dauid cum accintus Ephod saltasset coram arca. Huiusmodi differentiam D. Aug. q. 46. vet. test. & 41. in Iud. D. Hieron. ep. 128. ad Fab. & 130 ad Marcellã, Rupertus lib. 4. in Exod. cap. 21.

Dices, quod Ephod applicatum, vt Dominus responderet, Summi Sacerdotis vestis polymita erat, & nihilominus eã portasse Achias constat ex 1. Reg. cap. 14. qui Summus Sacerdos non erat vt ex 1. Reg. cap. 21. potest deduci, quia Achitobo successit in summum Sacerdotium eius filius Achimelech cap. enim 21. Achimelech dicitur non solum filius Achitobi, sed etiam Sacerdos, non solum inferior, sed Summus, vt omnes volunt. Non ergo Achitobo successit in Summum Sacerdotium Achias. Deinde, quia cũ occideretur pater suꝰ Achimelech, & tota domus vsque ad 85. viros vestitos Ephod, ipse inter fratres fugiens euasit, vnde Sacerdos minor erat, sicut alij. Abiathar etiam qui portabat Ephod, non erat Summus Sacerdos.

Dicendum Achiam binomine fuisse, & appellatum similiter Achimelech, vel quod post mortem patris fuerit Summus Sacerdos, eo tamen sine liberis decedente ad Achimelechum iuniorem fratrem transijsset.

Ad secundum similiter potest responderi Abiathar Summum Sacerdotem fuisse, quoniam licet viuente parẽte suo Achimelech Ephod lineum portaret Abiathar, sicut & reliqui fratres, eo autem cum tota familia interfecto, Abiathar superstes succedebat Summo Sacerdotio, vnde Ephod, & vestimenta omnia Sacerdotalia sibi applicuit, & præciputè Ephod cum rationali, vt consuleret Dominum in afflictione. Hoc suadetur ex eo quod 3. Reg. 1. & 1. Paral. c. 24. Summum Sacerdotem videmus, licet & Sadoc cum eo ex diuina prænũtiatione assumptus sit. Vnde Ephod illud Summi sacerdotis peculiare indumentum, nulli neque inferiori Sacerdoti, Leuitæ neque laico commune fuit.

Exod. 28. Vt Sacerdotio fungantur mihi, & v. 43. vti vestimentis præcipit, quando ingrediuntur tabernaculum, vel appropinquant ad altare.

Num. 19. Extra castra vitulam rufam vestibus Sacerdotalibus immolabat indutus.

---

§. I.

Robertus Sheringamus impugnatur.

FAS non fuisse Sacerdoti gregario sacris indui vestibus nisi dum sacris operabatur, fere omnium fuit Rabbinorum. ¶ Sacerdotibus (inquit Maimon. Halach Cele Hammikdash cap. 8. §. 5.) vulgaribus, seù minoribus faciebant vestes mutatorias complures. Et nonaginta sex arcæ erant

erant in templo, vt in illis relinquerentur, seu reponerentur vestes illæ. Quatuor scilicet cuique custodiæ, seu Ephemeriæ, & nomen cuiusque Ephemeriæ inscriptum erat arcis suis, quæ cunctæ clausæ. Et quando Ephemeriæ ministri introibant ad operandum in hebdomadibus suis, recludebant arcas suas, singulis hebdomadum suarum diebus, instrumenta illa vestiaria sibi tollentes. Et cum egrederentur reponebant vestes illas in arcis suis, illasque claudebant. Ratio autem, cur fierent quatuor arcæ cuilibet Ephemeriæ, erat, ne instrumenta illa seu vestes confunderentur. Adeoque vt femoralia omnia arca in vnica continerentur, inscripta nomine femoralium, vt item cingula cuncta arca in vna inscripta nomine cinguli, & pilei omnes arca in vnica, & demum tunicæ arca itidem in vnica. Pontifex autem summus relinquebat vestimenta sua aurea in conclaui suo nocte, ac tempore quo egrediebatur è templo. ¶ Hæc ex Guemara ad titu. Ioma c. 7. Maimon. visus est deduxisse. Ibi. ¶ Vestibus sacerdotalibus induto in vrbem seu foras prodire nefas. Eis autem in sanctuario seu templo vestiri sacerdoti licuit, siuè hora ministerij, siuè extra horam illam, quoniam vestes sacerdotales datæ sunt vt earum esset ibi vsus, nec tamen in vrbe seu foras. ¶

Verum Robertus Sheringhamus aliter vertit. ¶ Prohibitum est (inquit) quemvis vestibus sacris indui, cum abeat in prouinciam, sed hoc in sanctuario, & in vrbe Hierosolyma licitum est, tum eo tempore, quo non ministrant, quia vestes sacerdotales datæ sunt, vt ex ijs vtilitas caperetur. Ex ijs apertum est (addit) si ex Iuris pandectis Hebræorum res sit decernenda, vsum vestium sacerdotalium gregarijs sacerdotibus concessum esse eo tempore, quo ministerium altaris non obierint, & hoc quidem non solum in sanctuario, sed etiam cum è sanctuario in vrbem prodirent. ¶ Addit autem ex Buxtorfio in suo Lexico Magno nomine sanctuarij Hierosolymitanum cum tota vrbe intelligi.

Nihilominus fatemur, quod Hierosolyma frequenter sancta vocetur, vel quia in ea Salomonicum dedicatũ est templum, vt vult Maimon. Halach. Bith habechira c. 6. vel ob alias, quas varie Gemarici discurrunt, rationes, similiter domus Dei appelletur, quod templi proprius est nomen, vnde domus Dei nunc templum, nunc vrbẽ Hierosolymitanam significat, vt ex illo Matth. 23. *Ierusalem Ierusalem, ecce relinquetur domus vestra deserta.* Sic Grotius super illud. ¶ *Locus iste in quo vos ò Hierosolymitæ habitatis in solitudinem vertetur.* Vrbem enim magis intelligi, quam tẽplum solum. Neque mirum est quod *sanctum* sicut & *sacrum* ad vrbem translata sint, cum de palatio regio dicatur, & omne, quod suo genere magnum est, sacrum consueuerit dici, vt in nomine Osis sacri apparet, morbum enim illum sacrũ plures appellatum voluerunt, quia quid in eis latebat diuinum, & potius expiationibus, quam medicamentis curandum, alij acerebro, quod sacrum est, nominatum, alij à singulari affectu syderum volunt. Quamvis hoc ita verum sit, quod per participationem sanctuarium & eius nomine simul Hierosolyma comprehendantur, verum Gemaræ verbis nullum est quod vestibus sacris induto extra locum sanctuarij per vrbem incedere leuiter indicet ex iure licuisse. Quin imò vtraque Gemaræ gloſſa expresse opponitur illi, & aperte conuincit extra sanctuarium, seu tabernaculi locum prohibitum esse indumentis sacris vestiri. Sic in Thosiphtha ad tit. Ioma. R. Ioseph Karo in Gemar. tit. Erakin c. 1. Cui consonum est illud Misnæ tit. Thamid. c. 1. de sacerdotibus in excubijs somnum capientibus conclabibus suis. ¶ Non dormiebãt in vestibus sacris, sed exue-

bant

bant illas, ponebant que subter capita sua, vestibus suis tunc induendis. ¶ Eadem Maimon. Celi hamikdash c. 7. Mikotzins Præcept. affirm. 173. Iosephus Archæol. lib. 3. cap. 8.

§. II.

Ostenditur Summum Sacerdotem extra Sanctuarium indutum vestibus Sacerdotalibus incedere non licere.

PLura sunt in Scriptura sacra quæ huiusmodi veritatem convincũt. Exod. enim cap. 28. de vestibus sacerdotalibus loquens, inquit Dominus: *Vt faciant vestes, in quibus sanctificatus ministret mihi*, & vers. 43. *Et vtentur eis Aaron, & filij eius quãdo ingredientur tabernaculum testimonij, vel quando appropinquant ad altare, vt ministrent in Sanctuario.* Deinde, quia Exod. 28. indumenta plura erãt sacerdotibus heterogenea ex lino, & lana confecta, quidquid de hoc Rabbini sentiant. De cingulo tenent omnes acu pictum esse lana colorata. Leuit. autem cap. 19. lex generalis erat de heterogeneis vestibus non induendis. Circa quod sic Maim. Halach. Kelaim cap. 10. §. 29. ¶ Quum viderat quis (inquit) vestem heterogeneam ipsa lege interdictam super proximum suum, etiam si in platea incederet, insiliebat in eum, ipsamque dilacerabat illico super eum, idque etiam si esset magister suus, qui sapientiam eum doceret.

Deinde hoc convincitur clare, quoniam pro munere suo domos visitare, & an plaga lepræ in parietibus esset? tenebantur considerare non solum domos contaminatas, Leuit. 13. verum etiam leprosos respicere, an plagæ verus affectus foret. Si ergo hæc, vestib⁹ induti sacerdotalibus facerent, illas deberent labare, sicut immolans vitulam rufam extra castra Num. 19. ad conficiendos cineres emũdatorios totius Israel in aqua lustratorios vestimenta sua lababat, vnde vsque ad vesperum, & commaculatus dicebatur, & castra ingredi non licebat.

Aliquis forte dicet in expiatione vestimenta Sacerdotis non esse necessario labanda. Sacerdos enim cum Semel in anno Sancta Sanctorum decima die Septembris tempore expiationum se totum lababat, non autem vestimenta sacerdotalia, imo tanquã purus, & non immundus expletis omnibus ceremonijs in altari holocaustorum iterum immolabat, vt Leuit. 16. Dicendum ergo est immolantem intra sancta sanctorum tempore expiationis vestibus sacerdotalibus esse indutum, non sic immolantem extra castra vitulam rufam.

§. III.

Fit satis difficultatibus, quæ videntur ostendere sacerdotes extra Sanctuarium incedere indutos sacerdotalibus vestibus.

COntra certam verisimam que doctrinam, aliqua difficultatem videntur ingerere. Aaron namque Num. 20. in monte Horeb vestibus sacris indutus erat, quo mortuo & eis spoliato, in summum sacerdotem eius filius sacratus est. Illa refert Ioseph. ¶ Exuit (inquit) vestes pontificias, quibus Eleazaro filio, cui ob ætatem in Pontificatum debebatur successio, traditis, mortuus est. Licebat ergo sacerdotem extra tabernaculum vestibus sacris indui. Deinde, quoniam Galterus Alexandreidis lib. 3. refert Summum sacerdotem Alexandro Ierusalem inuadere conanti, vestibus sacris indutum occurrisse, eoque viso pedibus eius obuolutũ esse. Verum ijs non difficilis est euasio. In pri-

primo enim casu Dominꝰ præcepit Aaron, vt extra sanctuarium vestibus sacris indutus, illis spoliaretur & vita, vt expresse cõstat ex textu. In secũdo credendum est id inspiratum summum sacerdotẽ egisse, neque tunc casus teneri, interpretasse. Sicut Dauid immolauit in area Iebusæi vt 2. Reg. ca. 24. & Elias in monte Carmeli 3. Reg. 18. & si Leuit. 17. & Deut. 12. immolatio extra tabernaculum non licuerit, quia inspiratione diuina excitatos id egisse credendum est. Neque id à Rabbinis alienum est. Sic, Mit Kotius. ¶ In titulo Talmudico Ioma, cap. ibat antecitato, traditur, vestibus sacerdotalibus induto nefas fuisse prodire in vrbem, nisi magna eueniret necessitas, vt cum Simeon iustus occurrebat, Alexandro Macedoni. Sed intra sanctuarium seu templum fas fuit indui, non solum ministerij hora, sed & extra eam. ¶ Intra templi septa intelligit posteriora relata verba, vt constat ex ipso.

Exod. 28. Facies & feminalia linea, vt operiant carnem turpitudinis suæ.

Exod. 20. Non ascendas per gradus ad altare, ne reueletur turpitudo tua.

SI ratio, qua Deus ascensum per gradus prohibet, est ne reueletur turpitudo hominis, institutis feminalibus vsque ad renes pertingentibus, poterit ascensus per gradus altaris fieri, & non consistet præceptum.

Aliqui dicunt quod præceptum de feminalibus non statutum erat, cũ lex de non ascendendo per gradus promulgata est, neque tunc, quod cum feminalibus ministrarent, Dominus intendebat. Non enim inconueniens est quod leges variari possint, sicut in nouo testamento plura, quæ instituta sunt in fœdere veteri, variantur, *vt extra de consanguinitate & affinitate cap. non debet.* Verum hoc non sine difficultatibus potest dici. Quoniam leges vel mutantur, quoniam iniustitia aliqua, quæ inearum conditione latebat, apparet, vel quia variato tempore, inconueniens resultat vt exequantur, sicut *extra de cons.* Leges autem diuinæ, politiæ, cui Deus sancit, iustissimæ, vtiles que maxime sunt. Tempus alias quod inter vtramque intercedit legem vix decem dierum spatium est, vel ad summum iuxta alios, quadraginta. Quod ergo tempus, quo in vsu esset, & absurda ex eius exequtione secuta apparerent, fluxit, vt prudenter aboleretur? Numquam quidem in vsu fuit ante legem de femoralibus in ministerio altaris habendis, cum ante istam nondum fuerit altare, neque sacerdotes consecrati, præsertim, quia hæc omnia præcepta in deserto data sunt ad terram Chanaam.

Quare tenendum est, legem illam de non ascendendo per gradus ad altare nunquam abolitam esse, sed semper cum alia de femoralibus in veteri fœdere seruatam esse, neque motiuo vnius alia repugnat. Turpitudo namque licet præcipue pro pudendis supponat membris, accipi similiter debet pro ijs coniunctis pariter partibus, vnde turpe esset, quod viderentur crura, maxime in hominibus qui honestatem valde debuissent colere. Vnde prima turpitudo cauetur lege de femoralibus, secunda, illa, quæ ascensum per gradus prohibet. Si namque talis ascensus non vetaretur, partes pudendis coniunctæ reuelarentur, quamvis non ipsa.

Exod.28. Pones autem in rationali iuditij doctrinam & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino. Vbi omnes intelligunt hæc ad consulendũ Dominum deseruire iuxta illud 1. Reg.c.23. Applica Ephod.

Primo Reg.14. Applica arcam, dicitur, vt Dominus consuleretur, & oraculum captaretur.

§ I.

Exponitur quid sit Vrim, & Tummim.

NOn solum post tot curricula tẽporis in expositione rationalis iuditij variant impræsentiarum auctores, verum etiam Iosephus atque Philo Iudæi non maxime sibi conueniunt, omnes autem ignorantiam non erubescunt fateri. Sic Rab Camius, Rab Alphes, & R. Azarias. Sed quid miri? cum D. August. q. 117. in Exod. & D. Cyrillus lib. 11. de ador. eius intelligentiam fugere confiteantur.

Ex difficultate orta est varia opinandi libertas. Aliqui enim rationale iuditij quid a gemmis pectoralis esse distinctum existimant. Et ij quidem variant. Philo namque inter eos lib. de Monarch (licet aliter lib. 3. de vita Mosis sentire videatur) non tam inscriptas voces velit, quam duplicem texturæ in rationali fuisse diuersitatem, quibus hæc nomina Vrim & Tummim fuerint imposita. Alij inter duplicem illam texturam duplicem laminam, auream, argenteam alteram fuisse, in quibus nomen Iehoua esset scriptum, vt placuit R. Salomoni, neque Vatablo, & Eugubino displicuit. Vel vt delirant R. Abraham & R. Aben Ezra instar astrolabij, aquo inuentionem acceperint ex tunc astrologi. Quod manifeste Abulensis refellit in Exod. cap. 28.

Verum, Vrim & Tummim nil aliud a gemmis esse, constat. Quid enim causæ esse posset, vt altum silentium de eo haberetur in Sacro textu, cum minutissima de alijs ignobilioribus se offerat longa descriptio? Si tradit Dominus omnium lapidum sculpturam, ordinem, atque nomina, cur memoriæ non prodidisset similiter sculpturam, nomina que Vrim & Tummim?

Dicendum ergo est cum Oleastro *Vrim & Tummim* non esse à lapidibus illis distinctum, sed dici Vrim, quia fulgebant, Tummim vero sine completos aut perfectos. Vrim enim illuminationes, Tummim perfectiones significant. Addo autem esse duodecim illos lapides, quatenus per illos futura prænunciauerit sacerdotibus consulentibus. Suadet Scriptura Exo. 39. quoniam relatis omnibus, quę ad vestes sacerdotales spectant nil de Vrim & Tummim indicauit. Signũ ergo est, nil esse distinctum à gẽmis, cum præter mississe aliquid tanti momenti decens non sit Scripturæ. Deinde, quoniam Num. 27. vbi dicitur, *Pro hoc si quid agendum erit, Eleazer sacerdos consulet Dominum*, in Hebræo dicitur. *Interrogabit illi in iuditio Vrim*, ideſt consulet Dominum per Vrim ideſt per lapides rationalis. Deu. 33. vbi *Perfectio tua, & doctrina*

tua viro sancto tuo, quem probasti intẽtatione in Hebræo est, Vrim & Tumim tui viro sancto tuo.

Neque conuincunt contrarium verba illa. *Pones autem in rationali iuditij doctrinam & veritatem*, quasi hæc lapidibus aliquid superpositum essent. Quoniã prius rationale duodecim lapides exornare præcipit Dominus, exponit deinde vsum illorum virtutemque illis specialem in esse quasi diceret pones in rationali Vrim & Tũmim, ideſt prædictiones futurorum quoties oporteat efflagitabis, ita vt lapides, qui oraculi forent ornamentum duntaxat, nunc tamquam futurorum signa & prædictiones habebis. Neque in particula *autem* difficultas apparet, in Hebræo enim copulatiua legitur capax variarum expositionum, sicut in textu Vulgatæ particula *autem*.

§ II.

Exponitur modus oraculum interrogandi.

CIrca modum, quo oraculum solebat interrogari, præsens sacerdoti debebat esse, & stare versus sacerdotem faciem vertens, vult Dauid Kimhi, licet Rambam post sacerdotem stare voluerit interrogantẽ. Deinde Rambam sentit non sola cogitatione, neq; clara voce, sed eo modo quo Ana Domino loquebatur 1. Reg. 1. interrogare debuisse. Verum cum sacerdos vultu respiceret arcam, vel in Occidentis partem conuerso deberet aduersus interrogans esse, cum eodem, quo sacerdos, aspiret vultu, & simul vtriusq; in Deum vota & orationes ferrentur, oculi, & vultus. Neq; alia, quã clara voce vsum interrogantem, dici à Rabbinis potest cũ Talmud. Hierosol. & Perush in Ioma c. 7. fol. 731. & contrariũ sit à ratione alienum, cum aliàs neque exaudire neque neq; intelligere quæstionẽ eius valeret. Dicendum ergo est voce clara, & sensibili rem fuisse propositam sacerdoti, vt Dominum eadem consuleret voce.

Sed contra hoc plures sunt Scripturæ textus, quibus non sacerdotem, sed interrogantẽ, apparet, Domino proponere dubium, Saul enim 1. Re. 14. Dauid c. 23. à Domino, quod scire desiderant, sciscitantur, & ipsi loquuntur. Verum hoc falsum est, alias non Põtifex sed Deus consuleretur, neque sacerdos interrogaretur contra illud Num. 27. vbi Eleazarum præcipitur interrogare Iosue. Vnde solum cõsulu isse, eaque verba Saulẽ Dauidem que fuisse locutos, farẽdũ est, quarenº medio sacerdote Dominũ loquebãtur, id enim quod alicuiº nomine fit eidẽ attribui solet.

Quo autẽ modo oraculũ præstitisset responsum non omnium est idẽ iuditium. In primis autem falsum est euentũ aduersũ ex lapidũ nigro colore, sicut ex purpureo si fuerint fælicia cognosci. Verum iste specialis fulgor satis nõ esset si pluribº respõsio nũciãda foret, sicut petenti Dauid an in aliquã ascenderet ciuitatem? dictum est *in Hebron*. quod nullus lapidum fulgor significasset. Vnde dicendum præter lapidum illum fulgorem, opus esse in eius respõsis, vel Dei vel Angeli sẽsibili voce, vel interna: qua illuminaretur sacerdos, vt interrogãti daret responsum.

Ex ijs quid dicẽdũ pro cõciliatione antilogiæ patet. Etenim sacerdos Dominũ cõsulturus, sanctum sanctorum vbi Deus residere credebatur, captabat oraculum, rationale tamen seu lapides præstans. Cum autem arca extra tabernaculum foret coram illa oraculum captare licebat. Sic ergo contigit 1. Reg. 14. vbi ait Saul. *Applica arcam* ideſt vt Hebræus vertit *approximare fac arcam*, quasi diceret, conuertere ad arcam, vt exquiras oraculum. Vnde quod simpliciter, vt sic loquar, necessarium erat, vt Dominus interroganti sacerdoti daret respõsum,

erat

erat Ephod seu rationale, siuè consuleret coram arca à tabernaculo separata, siuè coram tabernaculo solo. Erat enim Summus Sacerdos & tabernaculum in Nobe, à quo aberat arca, quò fugit Saulem Dauid 1. Reg. 21. pro quo Summus Sacerdos consuluisse innuitur cap. 22. Suadent idem verba 1. Esdræ 2. & 2. Esdræ 7. quia arca à Ieremia abscondita, nec recuperanda in æternum, miseri Iudæi sacerdotem sperant, qui Deum consulere possit. Oraculum etiam captari posse cum solo Ephod tabernaculo & arca non præsentibus constat ex 1. Reg. 23. & cap. 30. Vide plura in Seldeno lib. 3. Syned.

Exod. 29. Carnes autem vituli, coreum combures foris extra castra, eo quod pro peccato sit.

Leuit. 4. & 5. in sacrificio pro peccato Principis, vel personæ priuatæ non extra carnes efferebantur, nec cremabantur, sed comedebantur.

DIcendum: quod carnes vituli cõburi debent extra castra, eo quod sunt carnes vituli immolati pro peccato, & hoc vniuersaliter est verũ. Non enim in omni sacrificio pro peccato carnes extra castra comburi debent, sed solum in sacrificio pro peccato sacerdotis, pro quo semper vitulus immolandus est, sicut & pro peccato totius populi, & in vtroque casu extra castra carnes vituli comburendæ. Pro peccato autem Principis vel priuatæ personæ carnes capræ quæ immolantur, extra efferri non licebat vt comburantur.

Exod. 29. Pectusculum consecratum & armus cedent in partem Aaron & filiorum eius.

Exod. 29. ver. 25. Hæc omnia cremanda erant. Præterea pectusculum consecratum in partem Moysis cedebat.

DIcendum: quod hic statuuntur iura, quæ filijs Aaron ex sacrificijs subuenire debebant. Non ergo intelligenda sunt verba illa, quasi pectusculum & armus illius arietis, qui iam immolatus & combustus esset, cederet in partes eorum, sed de alijs quæ in posterum offerrentur, quidquid fuisset. Vnde pectusculum & armus, quæ in hoc ariete separata sunt, neque in partem eorum ceserunt, in alijs sacrificijs hostijs que pacificis dari debebant. Quod denotant verba illa iure perpetuo.

Exod.29. Alienigena ideſt qui de tribu Leui non fuerit (ſic exponitur ab omnibus,) panes ſanctificatos comedere prohibetur.

Primo Reg.25. Dauid petijt, & edidit propoſitionis panes.

EXtrema neceſsitas, qua grauatus panes propoſitionis petijt, edidit que Dauid, honeſtum reddit actū, neque vlla in expiationem dāda opus fuit hoſtia, cum nullum eſſet delictum. Quamvis vt res ſacroſanctas vſurparet, eſſet neceſſaria mundities. Quod indicat 1. Reg. 21. Dauid à Pontifice interrogatus de puritate, & mundicie.

Exod.29. Erit Sanctum ſanctorum, omnis qui tetigerit illud, ſanctificabitur.

Num.19. Sequeretur leproſum ſanctificandum, ſi accederet, & aliud quoduis immundum, è contra accidit cum polluant tabernaculum.

ALiqui ad victimas referunt, ita vt omnes, quæ tetigerint illud altare, ſanctæ reddantur in illo ſemel oblatæ, neque ab alijs poſsint, quam à ſacerdotibus edi. Verum hoc patitur expreſſam inſtantiam, nam victimæ pacificæ impoſitæ altari holocauſti, eiuſque attactu sāctificatæ vt Deut. 12. dicitur, ab alijs quam ſacerdotibus edebantur. Alij dicunt ex attactu altaris ita omnia ſanctificari, vt quamvis profana ſint, non liceat conuertere ad vſus profanos. Sed hoc difficile eſt, cum concedere ij teneantur, immundum quodcumque ſiue leproſum, coluber ſit, ſiuè porcus, vel quodlibet prohibitum animal, altare ſacrilego attingens contactu ſanctificandum fore.

Dicendum ergo eſt: illa verba ad hortationem ſacerdotibus factam, indicaſſe, quo ſanctius poſſent, accederent ad altare, neque attingi poſſet niſi à ſacerdotibus ſanctis, ita vt altaris ſanctitas, ad eorum ſanctitatem procurandam debeat ſacerdotes mouere, ſaltem penes carentiam immunditiæ legalis. Neminem etiam ad altare accedere audere, qui non ſit conſecratus ſacerdos, indicat textus, & ſic non exhortationem, ſed potius præceptum continent. Idem, vbicumque reperiuntur hæc verba, indicatur, ſicut Leuit. 6. *Omnis maſculus de genere ſacerdotali veſcetur de carnibus eius, quia ſanctum ſanctorum eſt.*

Vel dicendum explicari debere de ijs rebus, quæ lex altari inferri permitteret, vel accedere ad altare, cuiuſmodi ligna cineres. Vel de ijs, quæ cū profana eſſent, illud attigiſſent caſu, vnde illud, *omnis qui tetigerit illud ſanctificabitur* cum diſtributione accōmoda accipiendū eſt. Alias explicari non poſſet cum Num. 19. pollutus ſu-

ſuper mortuo, aqua luſtrationis non adſperſus polluat tabernaculum, ſi illud ingrediatur, & Leuit. 16. expiatio ſit neceſſaria, quoniam contaminatum eſſet, & feſto expiationis generalis fiebat, vt omnes immunditiæ occultæ expiarentur.

Exod. 29. Sacrificium eſt ad oſtium tabernaculi.

Exod. 27. Diſtabat centrum altaris holocauſti ab oſtio 35. cubitis.

NOn in oſtio tabernaculi intelligendum eſt, ſed quod non ante nec procul ab hoſtio. Vnde ſeptuaginta *iuxta oſtium* legunt.

Exod. 30. Quando tuleris ſummam filiorum Iſrael iuxta numerum, dabunt ſinguli pretium pro animabus, non erit plaga in eis, cum fuerint recenſiti.

Reg. cap. 24. Mortui ſunt 70000. ob populum numeratum.

§ I.

Impugnatur manaſſes Ben Iſrael.

POpulum numerari Dominum præcepiſſe, vt infirmitas, quæ faſcinatio appellatur, exularet ab Iſrael, ſenſit Manaſes Ben Iſrael, quam ſic vitam hominum infectari Talmudici dicitant, vt ex centum, centum vno minus moriantur, de quo contagio, cum ab infirmitate ſe liberaturum promittit Dominus populum, cenſent intelligendum. Qua propter (inquit Rabbinus ſuperius citatus) à ſapientibus diutius hominem campum alienum videre interdictum eſt, ne faſcinationis periculũ immineret. Ex quibus Rabbi Moſes Gerundenſis deducit Dominum Moſi numerare populum præcepiſſe, ſic tamen quod faſcinationis periculum vitaretur & ſic medijs ſiclis vt illis numeratis hominum ſumma cognoſceretur, in numerũ voluit reduci, prohibuit ergo populum numerari in ſingulos oculis fixis propter faſcinationis contagium. Hoc quidem fuiſſe peccatum Dauid, quod contra præceptum Domini populum numeraſſet.

Verum hoc etiam ipſis Rabbinis ſine fundamento dictum exiſtimatur R. Iſac Abarbanel expoſitionem primo impugnat. Quoniã ſi hoc foret præceptum, vnum eſſet de 613. ab Hebræis recognitis vnanimiter, quod non ita eſt. Secundo, Saul enim lapidibus numerauit, non ſiclis. Pariter in Harbot Moab à capitibus ſunt numerati, & Leuitæ non medijs ſiclis. Quare non tam vt ſummam hominum Dominus recognoſceret, quam vt tabernaculo prouideret, numeratus eſt populus.

Alij ſupplicĩ illud, nõ propter populũ numeratũ, inflictũ cẽſẽt, ſed propter Vriæ mortẽ, eiuſq; vxoris offensã. Verũ quã diſtãs à veritate, quis ſtatim nõ videt? cũ illud remiſsũ foret & in filij morte punitũ, proprieq; vxoris profanatione. Alij non pecaſſe Dauid, ſed populum, cum Dauid filium Iſai non habere in Iſrael poteſtatem, per ig-

nominiam iactabant, vnde à populo numerato occasionem Dominus sumpsit, eos in virga ferrea puniendi. Sic Isac Abarbanel contra textum.

§ II.

Conciliatur antilogia, & modus sicli pensitationis soluendæ declaratur.

DIcendum ergo est numerare populum non esse prohibitum absolute, sed potius licuisse propter imminens bellum, vel vt à singulis capitibus censis dimidium sicli in tabernaculi sumptus daretur, vnde Num. 1. & alibi numerari populum præcepit Deus. Quæ omnia non sic seruata sunt à Dauid, quoniam populum numerauit gratia vanæ curiositatis, vt quot princeps ac dominus foret, cognosceret, vel oblitus Dei spem in suo exercitu fixit.

Medius ille siclus annuum tributum fuit, & ex more deinceps perpetuum mansit, per singulos annos soluēdum. De hoc tributo locutus est Titus oratione ad Iudæos habita. ¶ Quodque maximum est (inquit Halosios lib.6.c.34, in Græcis: in Ruffino lib.7.cap.13.) ¶ Tributum capere Dei nomine, ac donaria colligere vobis permisimus. Eaque offerentes neque monuimus, neque prohibuimus, vt hostes nobis efficeremini ditiores, nostra quę pecunia vos contra nos instrueretis. ¶ De illo loquitur Tacitus hist.lib.5. Primo ergo die Adar edicto publico per tribus vniuersas in vrbibus, tractibus que monitum est, vt quisque siclum suum in annum futurū pararet, solueret que post dies quatuordecim. ¶ Trapezitæ passim (inquit Maimonides Halach Siklim c.5. §.9.) per vrbes & prouincias commorabantur, ac canistro seu vasculo aliquo siclos poscebant. Qui dederit ab eo accipiebant. Qui vero non dederit, eum non cogebant dare. ¶ Vigesimo autem quinto mensis Adar Trapezitæ commorabantur in tēplo ad exigendum tributum illud, atque ab illo tempore, quicunque non daret, eum id facere cogebant, scilicet qui non daret eum prehendebant, pignus que ab eo capiebant, etiam amictum eius. Trapezitas autem neminem cogere siue prehensione, siue pignoris capione nisi ex auctoritate Synedrij, ad quod sicut & alia iuditia, sic annuæ sicli pensitationis ius spectabat, Hebræis consonum est. Quod autem sub anni exitum pensitationis supererat, pro arbitrio Synedrij in sacrificijs altaris secundis insumendum erat. Vide Gemar. Babylon. ad titul. Cethuboth cap. 13. & Maim. Halach. Si Klim cap. 4.

Mosem Mi Kotzium Præc. affirm. 45.

(?)

Exodi 30. præcipitur fieri altare, super quo adolendum incensum mane, & vespere. Hoc autem esse intra sanctuarium constat tum ex Paulo ad Hebræos 9. ibi. Tabernaculum, quod dicitur sancta sanctorum aureum habens thuribulum, id est altare aureum, & arcam testamenti. Tum, quia Exodi 40. præcipitur quod ara supra quã adolebatur incensum coram arca testimonij collocetur.

Leuit. 16. Ne omni tempore ingrediatur sanctuarium & Paulus ad Hebræos c. 9. Secundum tabernaculum semel quotannis solus Pontifex ingressus est non sine sanguine.

SIgonius verba Leuitici sic exponit. Quod semel quotannis ingrediatur adyta sanctuarij solus, at quotidie cum alijs intrauerit. Huic affinis est Augustini expositio. Pontificem quidem quotidie Sancta sanctorum ingressum, vti thura adoleret, quod autem semel dumtaxat introiuisse dicatur, id ad anniuersariam expiationem retulit, quæ sanguine purificationis fiebat. Vnde Leuit. 16. dicitur nisi hæc ante fecerit. Verum, quamvis sola auctoritas D. Aug. eruditione & sanctitate maximi expositionem probabilem reddat, litteræ textus non ita conformari videtur. Vnus enim dies in anno præscribitur Leuit. 16. vers. 29. quo hæc, quæ hic præscribuntur, facienda erant, scilicet decima dies mensis septimi, qui & dies Expiationis dicebatur, quo generalis populi expiatio fiebat, & quo solo licitus erat in sanctuarium sacerdoti ingressus. Conueniunt in hoc omnium Talmudicorum iuditia, quæ in patrijs ritibus, & ceremonijs essent immerito contemnenda. Sic Maimonides in Halacha Beth Habbechira cap. 7. sanctum sanctorum (inquit) est sacratius reliqua parte templi, quia nemo illud adit nisi Pontifex, die expiationum, ipsa sacrificij hora. Iosephus lib. 6. Belli cap. 6. ¶ Illa vero (inquit) si quando adyta intrabat: solus autem neque semel in anno intrabat, quo die cunctos ieiunare mos erat. ¶ Philo lib. 2. de Monar. & libr. de legatione ad Caium. ¶ Templum (inquit) omni prædicatione est pulcrius, vt quidem ex ijs, quæ apparent, colligi potest, nam quod ad ea pertinet, quæ in penetrabilibus sunt, ea nemini visuntur nisi vni, hoc est Pontifici Maximo ¶ Addit ibidem. Atque huic tamen omnia cernere licet, cum quotannis, & semel dumtaxat intrare fas sit. ¶ Alibi D. Aug. idẽ sensit.

§. I.

Explicatur Paulus ad Hebræos 9. & statuitur altare extra Sanctuarium fuisse & Exod. 40.

D. Augustinus quæst. 133. & 136. & sequenti in Exodum, Orig. Hom. 9. in Exod. & Rupert. lib. 4. 9. in Exod. exeo, altare intra adyta sanctuarij senserunt, tum quia Paul. loco citato nomine thuribuli aurei, quod intra sanctuarium collocat, altare intellexit, quod magni cuiusdam thuribuli aurei instar erat. Quoniam si Paulus aram seu altare nomine thuribuli non intellexerit, nullam de ara fecisse mẽtionem, quod credendum non est, cum accurate describat ea omnia, quæ erãt in-

in Tabernaculo,& ommittere non deberet aram,quæ vna erat exprimarijs Tabernaculi partibus. Tum, quia 3. Reg.6.vers.22.hoc altare vocatur altare oraculi,quod intra adyta erat.

Dicunt aliqui,Paulum thuribuli nomine significare voluisse, thuribulum illud,quo Summus Sacerdos sancta sanctorum, semel in anno ingrediens incensi nebula totum sanctum sanctorum implebat.Quoniam vt inquit Villalpandus, thuribulum illud, quod Pontifex in sancta sanctorum intulerat,ibi in sequentem annum relinqui solebat, quò aliud cum prunis & thure substitueretur. Verum hoc falso dictum sit,quia sacerdos thuribulum foris assumebat,ac cum eo in sancta sanctorum intrabat vt Leuit.16.indicatur.Neque decens esse videtur in sacratissimo loco, & religioso coram arca toto anno cineribus plenum thuribulum vllo absque vsu relinqui,Paulumque istius memoriam fore factum,habita nulla de altari,vel ara.

Paulus ergo,altare hoc intra sanctuarium fuisse non docuit,sed solum sancta sanctorum habuisse arcam atque altare. Non enim solum dicitur sanctuarium habere quod intrinsice ab illo continetur, sed quod extrinsice(vt sic loquar) cum ipso coniunctũ est.Sicut templum altaria & cæmeteria dicitur habere, diuersimode tamen.Sic à Paulo dicitur sanctuarium habere arcam & altare, aliter tamen, illam intra se,hoc extrinsice & sibi cõtiguum in priori nempe parte sanctuarij,vicinum tamen omnino velo,quod sancta sanctorum à reliqua parte sanctuarij diuidebat;medium quidem inter candelabrum quod erat in parte Australi,&mensam propositionis,quæ erat in latere septemtrionali, atque adeo in medio latitudinis ipsius templi,non tamen in eadem serie:nam altare illud erat multo vicini⁹ oraculo, quam mensa vel candelabrum. Sic Bonfrerius,Quamvis autem (vt sic 3. Reg.3.fiat satis) altare hoc dicatur altare oraculi,non ideo esse in oraculo dicendum est.Dicitur enim oraculi altare ad distinctionẽ altaris,quod erat in atrio, cuius comparatione merito potuit dici oraculi altare, cum ipsum proxime contingeret oraculum, & ad transfundendos in ipsum odores constructum esset.

Ex his facile refellitur, quod tenuit Pineda,extructo nẽpe Salomonico templo,noua que incensi ara fabricata,priorem illam à Mose factam in sancta sanctorum fuisse inclusam, & asseruatam.Facile ergo repellitur hęc expositio.Paulus namque non de Salomonis templo,sed de Mosis loquitur tabernaculo.

Ad illud Exod. 40. dicitur quod locus ille in quo erat ara incensi separatus velo ab ipsis adytis fuit. Vnde cum Leuit.cap.16.Sanctuarium quod intra velum est,appelletur ipsum adytum,cõtra de incensi,& suffituum ara dicitur Exod cap.triceſimo fuisse eã ante velum illud, vt in medio oppansum velum inter adytum aramqùe suffituum esset.Ara ergo incensi ante velum erat,at velum ipsum ante arcam testimonij,vt aram incensi ab arca testimonij,atque ab operculo propitiatorio distinxerit veli interiectio. Quãdo autem cap.30.& 40. Exod. *contra velum* ponendum dicitur esse altare, explicari debet *ante velum*, in Hebræo enim habetur *liphne*, quod significat *ad faciem, in conspectu, è regione coram, ante*.Sicut paulo post vbi dicitur *coram Propitiatorio* in Hebræo est *liphne* quod ante propitiatorium altare fuisse explicant omnes. Quamvis autem Exod 40. quod ara incensi aurea coram arca testimonij collocetur, dicatur, quod expressum ibi non est, postea paucis interpositis additur, aram auream intentorio conuentus ante velum esse positam. Iam rem totam conficiamus,quin amplius argumentis opus non sit.Exod. enim cap. 30. cornua

nua aræ præcipit Deus ſemel quotannis vituli ſanguine rigari die illo expiationis, prius autem ſanguinem illum in ſancta ſanctorum inferri, ac mox exire illinc Pontificem, & conſpergere aræ cornua neceſſe fuit. Sic etiam ſancitum Leuit. 16. ſi ergo exire ex adytis Pontifex debuit ad rigandа aræ cornua, aram eam in adytis non fuiſſe certum eſt.

§ II.

De Summo Pontificatu Zachariæ Ioannis Baptiſtæ agitur.

EX his accipit lumen illud Lucæ 1 Aug. namque in Ioan. tract. 49. Amb. in Luc. 1. Beda ibidem & Euth. in Luc. 1. Summum Pontificem Zachariam ea ratione ſuadere nitũtur, quod in intima templi ingreſſum iudicauerint, ipſo que adolente incenſum, populus ſtaret foris expectans. Quibus reſpondet tempus, vt inquit enim Baronius in apparatu ſuo decima die mẽſis ſeptimi de cõceptione Ioannis præmonitus eſt ab Angelo, quo tempore & ſemel in anno, die nempe expiationis Summo Pontifici adyta penetrare fas erat. Omnia ergo, quæ Exod. 30. & Leuit. 16. de Summo Pontifice refert Scriptura, optime ijs quæ Lucas inquit de Zacharia, adaptari videntur.

Verum ijs, quæ retulit Lucas, Zachariæ euaneſcit Summus Pontificatus. Præterquam quod illum ſacerdotem tantum appellat, cum cap. 22. agẽs de Summo Sacerdote & alibi Principem Sacerdotum nominauerit Act. 23. ex eo, quod ſorte ei obtigiſſet, vt adoleret incenſum, excluditur à Pontificatu, & legitimo Summo Sacerdotio, cum functio Summi Pontificis ſorti non fuerit ſubiecta. Neque ſortem, quæ obtigit Zachariæ ad Summi Sacerdotij inſtitutionem referre, ſed ad incenſum adolendum, Lucæ permittunt verba. Et ſi hoc ita eſſet (vt voluit Beda) difficile crederetur, cum nullibi neque in Scriptura Sacra neque apud ipſum Ioſephum, Summum Sacerdotium ſorte cuiuis venſſe reperietur, vnum ſi excipias Phanum nomine, cui ſorte obtigit, vi Anania Summo Sacerdote de poſito temporibus Veſpaſiani Iudæam cunctam deuaſtantis.

Vnde ex dictis, fit ſatis verbis Lucæ. Quia vt inquit Philo lib. de vict. offerentibus duo erant altaria, alterum in atrio poſitum extra primum velum ad immolandas victimas, alterũ ad adolendum incenſum, iuxta dicta ſuperius. Populus autem non ſolum à ſecundo tabernaculo (ſic vocat Paulus) quod erat ſancta ſanctorum, ſed à primo erat ſecluſus. Vtique quemadmodum ſanctum ſanctorum ſacerdotes non recipiebat, ſed Pontificem ſolum & hunc quidem ſemel tantum in anno, ita ſanctum in quo ara ſuffimentorum erat, plebem arcebat, & ſacerdotes ſolos vna cum Pontifice admiſit. Hæc manifeſta redduntur, ex ijs, quæ de templo Ioſephus ſcripſit. ¶ Templum (inquit) quatuor porticus habuit in circuitu, & harum ſingulæ propriam ſecundum legem habuere cuſtodiam. In exteriorem itaque ingredi licentia fuit omnibus, etiam alienigenis: mulieres tamen menſtruatæ tranſire prohibebantur. In ſecundam vero porticum cuncti Iudæi ingrediebantur, eorum que coniuges, cum eſſent ab omni pollutione mundæ. Intertiam maſculi Iudæorum mundi exiſtentes, atque purificati. In quartam autem ſacerdotes, ſtolis induti ſacerdotalibus. In adytum vero ſoli Principes ſacerdotum propria ſtola circumamicti.

(§)

Exod.30. Altare thymiamatis habebit cubitum longitudinis.

Exod.27. Altare holocaustorum habebit quinque cubitos longitudinis.

Vide Exod. 17.

Exod.30. Caro hominis non vngetur ex illo.

Ibidem oleo isto præcipit Aaron & sacerdotes vngendos.

DIcendum: illis verbis, oleum illud, quia Deo sanctum, in profanos vius conuertendum non esse præcipi, vt ex præcedentibus, verbis que sequentibus constat.

Exod.30. Medium sicli qui transit ad nomen præcipitur dare.

Nehem 10. Tertium sicli præcipitur dare.

R. Aben Ezra tertium sicli à Nehemia impositum Israelitis aliud esse à pretio animæ, exactione que imposita Exod. 30. Tributum enim Nehemias ibi populo postulauit rebus aliquibus necessarijs comparandis, cap. 10. numeratis. Vnde præter dimidium sicli ad quod tenebantur ex lege, tertium sicli nouiter impositum exigebant. Moses Gerundensis ex eodem profectum iure, quo sicli dimidium, tradidit esse tertium, neque inæquale tributum ideo impositum fuisse. Tempore namque Mosis viginti erat granorum siclum, tempore Nehemiæ triginta. Idem ergo est tertium sicli constans decem dumtaxat granis Nehemiæ tempore, ac Mosis dimidiũ eadem decem continens grana. Sed de ijs, suo loco, Deo largiente, dicemus.

Exod.30. Aaron singulis diebus mane præcipitur adolere incensum.

Leuit.15. Qui tetigerit mulierem, vel à quo coitus egreditur semẽ, immundus vsque ad vesperum erit. Vnde fas nõ erit tabernaculum ingredi. Ille ergo qui quotidie adolere teneretur incensum mane, rei vxoriæ non posset operam dare.

DIcendum: non solum Aaron, alijque Summo Pontifici qui adolere deberet incensum, sed eius in persona alijs præcipitur sacerdotibus inferioribus, sicut & parare lucernas. Vnde Exo. 27. dicitur Aaron & filijs eius. Vide quæ Exod. 30. diximus de Zacharia Baptistæ parente, & sacerdote inferiori.

Exod.

Exod. 31. Ecce vocaui Beseel filium Vri nepotem Hur, & Mariæ Mosis sororis, quia Hur accepit Mariam in vxorem, ille de tribu Iuda, ista de Leui.

Num. 36. Nullum extra tribum ducere vxorē decernit Dominus.

ALiqui asserunt Leui tribum, & tribum Iuda mixtas fuisse, matrimonijsque mutuis confusas propter vtriusque dignitatem, vnius sacerdotalem, alterius que regalem. Vnde Aaron de tribu Leui Elisabet sororem Naasam filiam Aminadab, parentis & fratris de tribu Iuda, vt Matth. 1. & Lucæ 3. Num. que 7. constat, in vxorem accepit. Verum hoc falso ex dignitate tribuū deducunt, cum ante sacerdotiū in domo Aaron constitutum, iam is haberet vxorem, filiosque simul consecratos in sacerdotium vt Num. 3. & Leuit. 10. palam habetur, ex qua, Elisabeth nempe, Nadab, Abiu, & Eleazar nati sunt, vt Exod. cap. 6. Quare dicendum pro nunc, licere tribubus omnibus ducere extra tribum vxorē, quin hoc in priuilegium tribui Leui, & regali Iuda reducendū sit, quousque Num. 36. quemlibet de tribu sua ducere vxorem decretum est. De hoc autem suo iuditium, loco dicemus proprium.

Exod. 32. Primitias de auro, & ferro offerri præcipitur.

Exod. 27. Referuntur omnia quæ offerri debent, non autem ferri fit mentio-

Vide Exod. cap. 27.

Exod. 31. De Sabbatho, pactum esse inter Deum, & homines sempiternū, Israelitas nempe dicitur.

Exod. 20. A seruis & ancillis præcipitur obseruari.

Vide Exod. cap. 20.

Exod. 31. Sex diebus fecit Deus cœlum & terram.

Eccles. 18. Omnia fecit simul.

Vide Genes. caput primum.

Exod. 31. *Videte vt sabbatum meum custodiatis.*

Matth. 12. *Sacerdotes sabbathis sabbathum violant.*

Vide Exod. cap. 20.

Exod. 31. *Fabricare in tabernaculo sabbatho non licet.*

Leuit. 6. *Accendere ignem eiusque quotidianum fomentum præcipitur.*

DIcendum: quod omnia, quæ aliàs vel permissa, vel præcepta à Domino non sunt, sabbathi die prohibentur, fabricatio autem vetita est in præsenti, cum eorum cõstructioni per sex dies prohibitionem in sabbathis addat. Vnde non est idem de igne, quem accendere Deus præcepit quotidie. Sic intelligitur illud Matth. 12. Sacerdotes sabbathis sabbathum violant, materialiter nempe, quia decoriare pecora, ignem que fomentare, si alius domi suæ faceret, violaret, non sic sacerdotes, quibus præceptum erat.

Exod. 31. *Oleum vnctionis facient dicitur de artificibus.*

Exod. 30. *Homo qui tale compposuerit, peribit.*

ALiqui oleum vnctionis prohibitum fieri sentiunt, dumtaxat quãdo componitur, vt gentili vendatur vt indicare videntur verba quæ subsequuntur. *Et dederit ex eo alieno.* Verum idem præceptum de oleo, atque de Thymiamate Dominus promulgauit, hoc autem non solum prohibitum est vt alieno detur, sed si quis illius frueretur odore. Non ergo nefas erat oleum componere ad sacerdotes, vestes que illorum vngendas, sed conuertere tantum in vsus profanos, suam si quis vngeret carnem.

Exod. 31. *Oleum dicitur facturos artifices.*

Exod. 25. *Populus offerebat oleum*

ALiud erat oleum simplex, & hoc offerebat populus, de quo etiam cap. 27. aliud erat oleum vnctionis ex pluribus confectum, quod potius vnguentum appellabatur, & de hoc, ab artificibus confectum dicitur Exod 31. Neque ex quo vnguentum offerri à populo addatur Exod. 25. colligitur oppositũ, offerebant enim aromata ex quibus confici poterat, & sic æquiualenter offerebant vnguentum, sed non confectum, quod ex c. 35. constat.

Exod.32. Hi sunt Dij tui, qui te eduxerunt de Ægypto. In Hebræo Heloim tã pro singulari, supponente, quam pro plurali, vt patet Genes.1. Deut.5. Isai 19. & alibi, quasi in vitulo tamquã in symbolo verus Deus coleretur, sicut à nobis in sua imagine, quod esse piaculum non videtur.

Exod.32. Peccauit populus tuus, dixerunt hi sunt Dij tui Israel, qui te eduxetunt de terra Ægypti.

Vide Exod.20.

Exod.32. Mosi congregati sunt omnes filij Leui tamquam innocentes, vt interficerent delinquentes, ergo innocens Aaron congregatus est qui de tribu pariter fuit Leui.

Exod.32. vers.21. vt induceres super eum peccatum maximum, inquit Moses Aaroni. Deinde, Consecraſtis manus, vnusquisque in filio; & in fratre suo, ergo aliqui, nempe, fratres, & filij horum qui iustitiæ fuerunt minùs stri peccato pollutisunt. Non ergo omnes filij Leui innocentes fuere.

DVas huiusmodi antilogia continet partes. Alterã Aaron innocẽtiam, mortem, filijs, fratribus ve suis à Leuitis inflictã, vbi plures de hac tribu idololatria tabuisse indicatur, alterã.

Circa primum, aliqui ideo Aaron à peccato purgare contendunt, quod populi voluntati acquiescens Aaron vitulum, ideſt Cherubinũ alatum formauit, vnum nempe ex ijs, qui à Mose super arcã sunt efformati, quales Ezech. c.1. describit. Hunc Mosi Deus promisſit, ideſt arcam, in qua Cherubin essent, & illum vituli forma populus more impatiens Mosis ab Aaron postulauit, postea tamẽ pronus in idololatriam peccauit. Verum præterquam quod sine Scripturæ, patrum que fundamento hoc confingitur, hoc falsi conuincitur. Cum Deus enim Angelum populo suo promittens, spiritum pollicebatur Angelicum, qui signo sensibili aliquo viã ostenderet per desertum. Angelus autem, vel ipse Deus, antequam arca fuisset, dicitur Israelitas anteceſsisse Exodi c.13. & 14. Tum quoniam, quando Deos, qui ipsos præcederent, postulabant, nulla arcæ, nulla Cherubinorum mentio fuerat. Non ergo, qua forma arca Cherubinini que fuerint constituẽdi, populus posset scire, cum Moses nõdum e monte redijsset. Neque Cherubinos Deorũ nomine appellari, neque ea constitutione efformatos esse, vt ad venerationem sui prouocarent, sed potius submissionem, ministerium que Deo exhibendum indicarent, Scriptura tradit alicubi, neque Cherubinos vitulos appellatos. Ommitto alia, quæ vt Aaron liberent à peccato Rabbini somniarunt, apud Abulensem videnda, & affero illum graviter deliquisse vt expresse reprehẽdit hic Moses, & habetur Deut.9.v.20.

ibi enim iratus dicitur Deus propter vitulum contra Aaron. Dicendum ergo pro huius antilogiæ partis concordia, *Omnes* ibi non comprehendisse Aaron quem excipit textus expresse, illum Mose arguente peccati. Ideo autem inter alios gladio non perijt, quia non directe peccato idololatriæ, sed indirecte occasionem præbendo, seu non impediendo, cum teneretur ex munere.

Circa secundum. Rabbi Salomon nullum de tribu Leui iudicat obnoxiũ idololatriæ. Vnde verba illa *occidat vnus quisque fratrem* ad alias tribus referri censet, omnes enim Hebræos fratres aliquando appellari deficiente vinculo proximo sanguinis, constans est, neque insolens Scripturæ. Et si illud obijcias, quod sequitur *Consecrastis manus vestras vnusquisque in filio, & in fratre suo*, filium, inquit, vt solet Scriptura pro nepote, qui si nepos erat ex filia, non necessario erat de tribu Leui. Et per fratres vterini intelligi possunt, ex eadem matre nati, ne viro Leui, alteriusque tribus marito nubere posset. Verum Deut. 33. v. 8. memini non solum filij, fratrisque, sed etiam patris, & matris, quo quad patrem scilicet effugium concluditur omne.

Quare dicendum est, *Omnes* non significare neminem rigorose ex Leuitis à ministris ab fuisse iustitiæ, sed quod pars maxima omnium cõcurrit. Neque hoc sine fundamento confingitur, cum Iudic. 20. Iabes Galaad viri defuerunt, & tamẽ filios omnes Israel, quasi virum vnum egressos esse, ibi dicitur. Nisi dicatur, omnes filios Leui, qui sermoni Mosis tunc aderãt, congregatos esse, delinquentes rutem etiã de tribu Leui Mosem fugere spar sos sicut aliæ tribus per castra. Vel dicendũ omnes, quotquot in vindictam Mosi sunt congregati, de tribu fuisse Leui, non autem sensum *Omnes* fecisse, quasi nullus abesset de tribu Leui, nullusque reus foret peccati.

Exod. 32. Ceciderunt in die illa quasi triginta tria millia hominum,

Paul. 1. ad Corinth. c. 10. Neque fornicemur sicut quidam eorum fornicati sunt, & ceciderunt vna die viginti tria millia.

QVamvis aliquibus in exemplaribus, *Triginta tria millia*, legatur, in Biblia tamen correctiori Sixtina, *viginti tria millia*, legitur. Idem penes Hebræum non est.

Exod. 32. Tollite in aures aureas de vxorum, filiorum que, filiarum vestrarum auribus.

Viri in aures non habent. Sint procul à nobis iuuenes, vt fœmina compti inquit Ouid. epist. Phedræ ad Hippol.

DIcendum morem antiquum esse, viros, aliquibus, quibus fœminæ, ornamentis abuti, quæ certe homines dedeceb ãt, vt vidim⁹ ex Ouid.

Exod.

Exod. 32. Placatus est Dominus.

Exod. 32. vers. 35. Percussit Dominus populum pro reatu vituli.

DIcendum: quod Dominus placatus est, ita vt populum non destrueret omnino, & simul, quod indicat verbum *delebo*. Cum hoc compatitur luere singulos pœnam, qui peccauissent. Vnde propter delictum vituli à Leuitis percusi sunt, hanc enim strâgem verba illa respiciunt. *Percussit Dominus populum pro reatu, quasi totius narrationis epilogus sint, vt inquit Lipomanus.*

Exod. 33. Moses tabernaculum tollẽs tetendit extra castra, & ingredita bernaculum dicitur.

Exod. 4. Constat cum Moses Exod. 33. dicitur tollens tabernaculũ, non dum esse.

DVplex distingui tabernaculum debet, tabernaculum enim de quo cap. 33. loquitur Moses domus ipsius erat, quam habitabat in medio populi, & postea, de monte descendens, tabulas que legis propter vitulum frãgens, extra castra transtulit, & collocauit duræ ceruicis populum fugiens. Anno vero sequenti fabricatum fuit tabernaculum, & Domino consecratum.

Veritati autem conformius iudico esse ante tabernaculum, cuius idæam Dominus dederat, quoddam esse quasi sacrarium, quo orationis gratia omnis confugeret populus, Moses que consuleret Deum. Nisi dicamus domum quandam esse, in quam conueniebant seniores, quæ simul domus orationis esset. Olim enim in tẽplis solebant conuentus fieri, sicut apud Romanos in æde Bellonæ Iouis Statoris, & Capitolini Senatus erant. Hoc ergo tabernaculum in signum iræ tolli de castris præcepit Deus, vt nolle se inter infami idololatriæ pollutos macula, habitare manifestaret.

Exod. 33. Facie ad faciem, & os ad os cum Domino loquebatur.

Ibidem ver. 20. Non videbit me homo & viuet.

EX ijs, quæ ver. 20. Exod. 33. referuntur constat Mosem Diuinam essentiam non vidisse. Non enim ante hoc illam vidit, alias hic non petijsset, neque illã vidisse ex verbis huius capitis colligi potest, cum illi negata sit huiusmodi gratia, illis verbis *Nõ videbit me homo & viuet*, de potentia ordinaria loquitur, sed de absoluta posibilẽ esse diuinæ essentiæ visionem nullus negabit, cũ Christo Domino permanenter donata sit, & transeunter D. Paulo cõcesa. Sic sentiunt cũ D. Aug. lib. 2. de Trin. c. 16. D. Dionys. ca. 4. de Cœlesti hierar. c. & alij patres, quos refert in 1. p. disp. 55. c. 2. Vazquius. Quando autẽ posteriora visurum promittit Deus, dicẽdũ est Deũ manifestatũ fuisse sub aliqua corporea similitudine fulgentissima, quæ lucis exuberãtiã tãtã præsefe rabat, vt pars anterior nequiret impune videri, sed sola posterior, vbi radij magis temperata luce gaudebat, min⁹ improportionata vidẽtis oculis foret.

Illa autem verba *facie ad faciem* non denotant claram visionem, sicut nec illa Num. 12. *Ore ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Vtrisque enim sola collocutio amicabilis, & iucunda indicatur, sed intenebris & non clara, neque intuitiua, sed abstractiua cognitio, illi de Deo, rebus que diuinis perfectius, & distinctius, quam alijs prophetis communicata, & intimiori familiaritate, quam quocunque alio.

Neque cum *ostende mihi faciem tuam*, inquit, Diuinam postulauit essentiam. Caietanus. Ostende mihi viam tuam, ordinem gubernandi intellexit. Lipomanus. Ostende mihi viam tuam, per quam ingredi in terram promissam populus libere possit. Omnia autem hæc eundem respiciunt scopum. Illis enim, nil aliud, quam quod Deus se ducem & directorem ostendat vt populus, omnibus periculis superatis terram promissam possideat. Et vt inuenisse gratiam in oculis Domini possit, gloriari, signis, ac mirabilibus quæ fecerat inter inimicos Ægyptios, petit, vt in posterum itinere suo populum prosequatur.

Exod. 33. Iosue puer appellatur.

Iosue vltimo, Annum fere sexagessimum agebat.

SErarius puerum pro iuuene poni in præsenti tradit, cuius nomẽ aptari posse Iosue, etiam si tunc annos 39. egisset, vt placet Abulensi, vel vt Masio, 40. constabit, si iuuentutem ad 45. protrahas cum Varron. apud Censorinum de die nat. ca. 13. vel si ad 46. producas cum Seruio Tullio apud Gellium lib. 10. cap. 28. Vero nihilominus conformius iudico fore, si vocari iuuenenem dixerimus, eo quod nondum operam dederit rei vxoriæ, sic enim cœlibes appellari non insolens est Scripturæ. Caietanus ab innocentia, candore que morum iuuenem fuisse appellatum, sicut eadem ratione filius vnius anni, cum regnare cœpisset, Saul est vocatus. Nisi puerum cum Lipomano dicamus sumptum pro discipulo Mosis in Scriptura. Iudico tamen nomine pueri ministrum significatum Iosue nimis Mosi, ac si seruus illius foret, cubmissum, vnde licet *minister eius* iam præcessisset, nomine *pueri* viuacius exprimitur famulatus. Puer enim apud Latinos frequenter supponit pro seruo. Propertius lib. 3. El. 22.

I puer, & citus hæc aliqua propone columna,
Et dominum Exquilijs scribe habitare tuum.

Martialis lib. 6. 29.

Non de plebe domus, nec auar æ vernæ cataslæ.
Sed domini sancto dignus amore puer.

Exod. 33. Non ascendam tecum inquit populo Deus,

Psa. 138. Deus vbique est. Si ascendero in cœlum illic, si descendero in infernum ades.

Dicendum: quod licet Dominus vbique sit, vbi protegit speciali labore, & miraculorum beneficientia, singulari præsentia gaudet, hac præsens antea fuerat Hebræis, quam si in post erum conseruaret, circunstantia grauificante afficeret eorum delicta sua beneficientia.

Exod. 33. Angelum, qui ipsos præcedat promittit, quasi antea medio illo Dominus non direxisset, populus dolet.

Exod. 23. Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedet te, & custodiet in via.

CErtum est Dominum per Angelos tamquam ministros in populum semper egisse, vt patet ex cap. 14. & Psal. 102. & ad Hebræos 1. Angelũque semper præcessisse Israelitas in columna nubis per diem, & ignis columna per noctem, cum ipsis tamen Dominus præcedere dicebatur, cum Diuinæ præsentiæ signa apparebant, miracula nempe diuina ab exitu Ægypti facta per viam. Post peccatum ergo non præcessurum minabatur, id est non miracula in sui defensionem operaturum, sed per Angelum motum dumtaxat columnam, neque concursum naturalem in causis secundis violatum iri. Hoc doluit populus, hoc timuit Moses, & tamquam iram diuinam auertit oratione continua, & vt illos veteri vt prius speciali beneficentia comitaretur suppliciter impetrauit. Precibus Mosis Dominus annuit, & ducatum promisit mirabilibus, sicut antea, quæ expertus populus in Cades deserti. Sin aquas mittente petra, sicut & Dominus antiquam in gratitudinem populi.

Exod. 33. Audiens populus Dominum nolle præcedere tamquam ducem depositis vestimentis, afflictus est.

Exod. 33. Quando Moses de monte descendit, tunc enim & nõ prius sermones Domini cognoscere posset, iam placatus erat, & ducatum sicut antea promisserat.

Difficultas eo consistit, quod verba Domini, quibus se populum præcessurum negabat, ante quadragesimum diem, Mosis que ante descensum dicta sunt, populus autem ante hæc omnia fleuisse videtur. Vnde ergo hæc omnia scire potuisset populus. Dicendum hæc cognouisse populum, post Mosis descensum de monte. Credibile autem est, Mosem prius, quod Deus præcedere restitisset narrasse, & postea quod Deus placatus fuerit, adhuc autem populum fleuisse, doluisseque occasionem, quam iræ diuinæ dedisset.

Exod 34. Dicitur quod scripserit Dominus tabulas, & Deu. 10.

Ibidem. Scribe tibi verba hæc.

NIcolaus de Lyra Dominum tabulas scripsisse tradit, Mosem autem verba scripturum in libro eadē præcepisse. Verum hoc falsum est, quia cum Moses de monte descendit, verba que Dei, quæ à cap. 20. vsque ad 24. sunt, populo locutus est, quo consentiente, tincto que sanguine confirmata lege diuina, in libro vniuersos Dei sermones scripsit.

Dicendum ergo est Dominum tabulas scripsisse, vt Deut. 10. constat. Moses ergo non decem præcepta, sed verba præceptorum cæremonialium scripsit, immolationem nempe primogenitorum, & solemnitatem festorum, fœdus que cum populis præcauere. Vnde immediate post hæc relata, subdit *Scribe tibi verba hæc.* Hæc autem sicut nunc data, antea non fuerant scripta. Neque obstat quod superius dicatur. *Stetit ergo* (Mosē intellige) *cum Domino* 40. *dies, & 40. noctes, panem non comedit, aquam non bibit, & scripsit in tabulis verba fœderis decem.* Ex quibus, qui stetit non comedens, neque bibens, dicitur verba fœderis scripsisse. Ille autem Moses est, Non obstat ergo. Quoniam verbum *scripsit* referendum esse ad Deum, & non ad Mosem constat ex Deut. c. 10. & initio capitis Exod. 34.

Exod. 34. Cumque descendisset Dominus per nubem stetit cum eo inuocans nomen Domini.

Exod. 40. Non potuit Moses ingredi tabernaculum operiente nube.

DIcendum: quod sicut nullus præ timore, & terrore montem ascēdere posset, cum dante Domino legem sonaret tuba, Moses autem à Deo fortitudine accepta consistere, audire, & Dominum loqui potuit, sic & coram Deo descendente per nubem stare. Cum autem nubes tabernaculum operiret, viribus suæ naturæ Moses relictus, vt sic redderetur locus venerabilior, ingredi non valebat.

Exod. 34. Non occidentur patres pro filijs.

Genes. 9. Chainam maledicitur pro suo parente.

Vide Genes. cap. 9.

Exod. 34. Ne fœdus cum eis ineas.

1. Machabæ. 11. Fœdus cum alijs à religione pacti sunt.

Vide Genes. 26.

Exod. 34. Ne manducent de immolatis gentilium dijs, prohibetur.

Paul. ad Rom. 14. distinguit inter manducantem cum credat omnia posse, & non manducantem, & vtrumque saluat. Loquens deinde de ijs quæ in cibum assumi possunt, inquit, omnia munda sunt.

COnstat ex præcendibus verbis prohibitionis dijs falsis de immolatis non accipiendis, sacrorum administrationi, victuique sacerdotũ ethnicos aliqua offerre solere. De quibus Tertulianus lib. de Idololatr. cap. 17. & ad tempora vsque Arcadij & Honorij etiã durasse constat ex Cod. Theodos. de Pagan. sacr. L. 19. Post sacrificium autem pransos fuisse ex Conc. Ancyr. cã. 4. & 7. habetur. Iuxta quod exponendus est Paulus 1. ad Corint. 8. Si quis habet scientiam in idolio recumbentem, loquitur enim de loco, in quo immolata epulari solebant.

De ijs ergo Dominus ne populus manducaret, præcauit. Neque Magistro diuino opponitur fidelis discipulus Paulus, cum 1. ad Corint. 10. dicat omne, quod in macello venditur edi posse. Si quis autem dixerit immolatũ esse idolis, nolite manducare. Quod sic prohitum est in Ecclesia, vt dixerit D. Aug. epist. 154. ad Publicol. respondens quæstioni de illo qui famis necessitate victus, nil nisi cibum in idolio positum haberet. ¶ Aut certũ est esse idolotytum, aut certum est nõ esse, aut ignoratur: Si ergo certum est esse, melius Christiana virtute respuitur: si autem vel non esse scitur, vel ignoratur sine vllo conscientiæ scrupulo in vsum necessitatis assumitur. ¶ In cõcilio autem Apostolorum primo sub Petro Ierosolymis celebrato decretum est fideles cæremonialibus Mosis non debere ligari, nisi quod à sanguine, idolisque immolatis abstinentiam profiteantur, ne viderentur dijs gentilium aliquem honorem præstare. Hoc moti sunt Illiberitani Concilij patres, vt can. 40. decernerent, ne cum rationes suas accipiunt possessores, quidquid ad idolum datum fuerit acceptum inferant.

D. Paulus ad Rom. 14. vinculum charitatis inter Romanos conuersos de gẽtibus, & de Iudæis in Christianos mutatis adstruit. Hi enim adhuc durasse cæremonialia Mosis iactitabant, alij nullum habere vigorem, illosque ad æmulationem prouocantes, obiurgabant non esse perfecte fideles, qui ritibus Iudæis adhuc irretiti forent. Hos & illos increpat Paulus, quod ingerant scisuras Ecclesiæ, cum vterque recte agere secundum suam conscientiã possit, qui omnia manducat, si iudicet omnino veterem legem cessasse, qui à cæremonialibus abstinet, si existimet iam diu extinctam esse. Nihil autem de immolatis Paulus

Verum contra hoc difficilia sunt verba Pauli 1. ad Corinth. 10. *Si quis vocat vos*, (inquit) *infidelium, & vultis ire: omne, quod vobis apponitur, manducate, nil interrogantes propter conscientiam: Si quis autem dixerit. Hoc immolatum est idolis, nolite manducare, propter illum qui indicauit, & propter conscientiam, conscientiam autem dico non tuam, sed alterius.* ¶ Non ergo prohibitum, neque contra conscientiam propriam edere de immolatis, sed abstinendum solum ab illis propter infirmitatem videntis, sicut

ad

ad Rom. 14. abstinendum à carne & vino, cum fraterna offenditur charitas, Paulus consuluit.

Dicendum ergo est comedere de dijs falsis immolatis, si hæc, nullo alio respectu considerentur, malum non esse. Si autem quis ederet, ex immolatione aliquam recipisse sanctificationem arbitratus, is nefas egisset, & venerationem dijs falsis reddere videretur. Ne ergo videns aliquem dijs immolata libere manducare, aliquam sanctificationem velle recipere, & in dijs recognoscere sanctitatem, arbitrari posset, consulens eius infirmitati, ab illis abstinendum præcipit Paulus nō propter propriam conscienciam, quia si immolata nulla habita idolorum memoria, vescantur, nullum recognoscit Paulus piaculum. Illiberitani autem, aliorum que conciliorum SS. Patres, timentes temporibus tunc recens nascentis Ecclesiæ plures non sic idololatriam fugisse, vt imminente periculo labiles maxime forent, ideo infirmitati consulentes illorum, ab immolatis se abstinere ordinarunt. Et ijs etiam, qui immolatis vesci possent viri vere fideles, nulla veneratione præstita dijs absque periculo idololatriæ, optimo iure pariter à patribus prohibiti merito est, non enim illis dumtaxat malum, sed omnis species mali fugienda erat. Stat ergo quod vesci immolatis nefas non esset ex se, & quod à Cōcilijs prohiberi posit, sicut in primo Apostolorum Concilio, quos etiam vinculum charitatis inter fideles strictius reddere tali prohibitioni statuendæ mouit. Vide Genes.

Exod. 34. Vxorem de filiabus gentilium non accipies.

Exod. 2. Moses filiam Iethro sacerdotis Madiam duxit.

ALiqui tradunt id tunc Mosi licere, quoniam lex data non erat, quæ talia connubia prohibuit. Verum hoc falsum est, quoniam plura, quæ Mosis lege instituta sunt, moribus sanctis introducta ac seruata fuere, sicut consuetudo de semine suscitando, de decimis offerendis, de discretione inter immūdos, & cibos mūdos. Vnde illud filiorū Iacob, non posse dare sororem suam viro incircumciso, dicentium. Prohibitum ergo tum inter gentilem & Hebræum connubium. Tum etiam quia Deut. 21. cum contra gentiles committerent bellum Hebræi, fas erat, fœminam pulchram oculis suis sibi coniungere vxorem. Tum. Quoniam Mahalon, & Chelion, Orpham & Ruth Mohabitidas irreprehensi duxerunt vxores. Ruth autem duxit similiter Booz de ttibu Iuda. Hæc sunt quæ pro Hebræorum mutua mixtione possunt referri, omissis, quæ expresse Dominus reprobauit, Salomonis connubijs.

§ I.

Tam ante legem scriptam quam ipsa data, & Euangelica promulgata cautum est ne fideles cum infidelibus coniugio matrimonio que copulentur.

QVāvis ante legē Scriptam præceptum expressum non fuerit de Hebræis gentilibus matrimonio non copulandis, viris tamen sanctitatis laudatæ id obseruatum est, vt ex Genes. 34. constat, filijs Iacob non posse viro incircumcilo sororem iungere in matrimonium, reclamantibus. Lege autem Scripta Exod. 34. & Deut. cap. 7 idem prohibetur. *Quia seducet* (sic habetur Deut. 7.) *filium tuum, ne sequatur me ac magis seruiat Dijs alienis.*

Exod.

Exod 34. sic. Ne postquam fornicatæ fuerint (id est immolauerint dijs alienis) fornicari vos faciant. Idem 3. Reg. 1. c. 11.

Hanc morum disparitatem non spreuisse exteras adhuc gentes, innuit Macrob lib. 1. Saturn. vbi cum peregrinis non licebat matrimonium Romanis. ¶ Libertinis vero, nullo (inquit) iure vti prætextis licebat, ac multominus peregrinis, quibus nulla esset cum Romanis necessitudo. ¶ De ijsdem coniugijs à Romanis cum exteris non contrahendis loquitur Valentis, Valentiniani & Theodosij rescriptum, *L. Vnica C. Theodos. de Nupt.* ¶ Nulli prouincialium (sic fanxerunt) cuiusque ordinis aut loci fuerit, cum barbara sit vxore coniugium, nec vlli gentilium prouincialis fœmina copuletur. ¶ Barbaræ autem nationes, quæ extra limites erant vrbis, dicebantur, vel, quod verius iudico, quæ alienæ viuendi legibus essent, vt placuit Ambiano ad Tertul. de velandis virginibus cap. 2. obser. prima. Apud Senec. lib. 4. de benef. c. 35. & Cicer. in Top. eadem obseruatur religio.

Quoniam autem eadem in veritatem est via præceptum connubiale veteris legis renouatum Ecclesia reliquit. Sic enim in 2. ad Corint. 6. ¶ *Nolite* (inquit) *iugum ducere cum infidelibus, quæ enim participatio iustitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras? quæ conuentio Christi ad Belial? aut quæ pars fidelis cum infideli? qui autem consensus templo Dei cum idolis? vos enim estis templum Dei viui, sicut dicit Deus.* ¶ Eamdem ergo, quam Dominus Exod. & Deut. connubij prohibitionis fidelis cum infideli Paulus reddidit causam. Quoniam cum finis matrimonij individua vitæ sit consuetudo, & iuris diuini, & humani communicatio, vt inquit Modestinus in *L. 1. de Ritu Nupt.* viri que vxor inseparabilis socia vt inquit Horatius 1. Cardin. Ode 1.

Manet sub Ioue frigido venator.
Sociæ coniugis immemor.

Quæ ergo societas lucis ad tenebras? vt inquit Paulus, quis non videt obliterandam quotidie fidem societate infideli? eosdem conuertet in mores, eamdem in religionem animos vtriusque individuus voluntatis consensus mutabit. Vnde Gordianus in suo rescripto ad Bassum, *L. 3. cap. de crim. expil. hæred.* vxorem, inquit, esse diuinæ & humanæ domus sociam cum marito, quasi eiusdem sectæ religionis que debeant esse maritus & vxor, vt exponit Petrus Gregor. Syntag. per matrimonium enim vxor transit in familiã mariti, vnde particeps illius sacrorum (vt inquit Mendoza in Illib.) Ea autẽ ratione Plutarc. in Præcept. connub. iubet vt vxor sit in religione mariti, neque peregrinam admittat. Et ideo vt inquit Macrob. lib. 1. Satur. cap. 15. postridie nuptiarum vxoriam auspicãs libertatem rem diuinam sacris maritis faciebat. Pater namque familias sacra domi priuata habebat, quæ, quot quot ex sua familia potestati illius subditi erant, colere tenebantur ab vxore & liberis vsque ad seruos, neque à paternis sacris dicebantur absolui, qui extra patriam potestatem non essent.

Nuptias fidelis cum infideli tamquam turpes reprobatas esse ab Eccle sia tradidere præter Cyprian. lib. de lap. cap. 2. Amb. epist. 29. ad Vigil. & lib. de Patr. Abrah. cap. 9. Hieronym. contra Iouinian. Conc. Arelat. 1. c. 11. Nicæn. can. 33. Carthaginen. 3. cap. 12. & Chalced. cap. 12. de filijs episcorum & præsbyterorum huiusmodi prohibita sunt coniugia. In Concilio Nicæno cap. 67. sic vetantur, vt patres Concilij, mulierem, quæ nupserit infideli, illum deserat, pœnitentiam agens pro matrimonio contracto, decreuerint in Spiritu Sancto. Ex quo quoad vinculum

lum

lum separari debere ab infideli vxorē fidelem receptum est in Ecclesia, vt testatur Bellarm. lib. de Matrim. cap. 23. Illiberitanum huiusmodi nuptijs præclusit aditum can. 25. similiter can. 26. cum Hæreticis, & Schismatis Christianorum matrimonio iungere filias omnino prohibuit. Laodicenum, & Charthaginense 3. can. 12. & Chaleed. can. 13. Synod. 6. can. 72. nefarias & irritas huiusmodi nuptias videtur existimare. Quæ autem auctoritas fides que adhibenda sit Sextæ canonibus Synodi, tradidit Mendoza cap. 41. lib. 2. & cap. 52. in Illiberi. Cum Iudæis specialiter coniugia Christianis prohibent Sancti patres propter eorum duritiam, & pertinatiam Illiber. can. è6. & ab illo Toletanum 4. can. 61. & 63. Tolet. 8. can. 12. Aruer. can. 6. Aurelianense 3. can. 13. Illiberitanum can. 27. idololatriam intendens à fidelibus relegare, cauit ne filias suas matrimonio Gentilium sacerdotibus copularent, quoniam sine sacrificio, & idololatria concomitante non poterant celebrari, & maiori pœna prohibuit, quam si alijs infidelibus tradidissent, his enim matrimonijs per quinquennium iniungitur pœnitentia dumtaxat, illis, etiam in fine negatur communio sacra, vt suis in notis erudite vt solet, tradidit nunquam satis laudatus concollega noster D. Emmanuel Gonzalez.

§ II.

Repelluntur qui prohibitionem nuptiarum cum gentilibus, ad Chananæos tantum protendunt.

PLures legem illam non vniuersalem ad omnes gentes, sed ad Chananeos dumtaxat, eo quod tam hic, quam Deut. 7. fiat de ijs solis mentio, nec alibi cum alijs gentilibus prohibita reperientur coniugia, vt Estheris cū Assuero, Samsonis cum Philistæa, Exquibus ad antilogiam, argumentaque superius relata constat solutio, nullo enim ex illis connubium reperietur cū Chananæa. Verum non solum cum Chananæis, sed cęteris alijs exteris cū gentibus vetitas nuptias Hebræis constat ex motiuo prohibitionis tam Ex. 34. quam Deut. 7. & Regum 3. cap. 11. *Rex autem Salomon adamauit mulieres alienigenas multas, filiam quoque Pharaonis, & Moabitas, & Ammonitidas, Idumæas, & Hetthæas: de gentibus, super quibus dixit Dominus filijs Israel: Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras, certissime enim auertent corda vestra, vt sequamini deos earum.* Omnes ergo istæ relatæ comprehenduntur sub prohibitione, eisdem verbis, quibus Deut. 7. & Exod. 34. refertur, inter quas fole Sidoniæ, & Hetthææ Chananææ erant. Deinde constat expresse ex 1. Esdræ cap. 9. vbi inter populos, quibuscum damnantur connubia, non solum Chananæi, Hetthæi, Pherezæi, Iebusæi, & Amorrhæi, qui ex Chananæis nationibus erant, recensentur, sed etiam Ammonitæ, Mohahitæ, & Ægyptij, cum quibus connubia 1. Esdræ cap. 1. abominationes, & cap. 2. transgressio & præuaricatio appellantur. Hanc similiter legem cum hac extensione receptam intelligit Philo lib. de special. legib. Iosephus item lib. 8. Antiq. cap. 2. & lib. 11. cap. 5. tumultum refert Iudæorum seniorum, quod Iaddi pontificis frater duxisset externi generis fœminam; rati patrias lèges de connubijs sic antiquari cæpisse. Cuius violationis peccatum plures eorum causam captiuitatis Babylonicæ tradunt fuisse. Et quidem vxor illa, propter cuius nuptias tumultus, Samaritana erat, non Chananæa. Tum denique, quia vt indicaui superius ratio, quam hic & Deut. 7. Dominus tradidit huius legis, seductionis periculū erat, & pertractionis ad idololatriam. Hoc autem periculum æque ac in Cha-

na-

nanæo, quocumque alio gentili populo posset timeri. Neque, quod Chananæi nominentur soli, quando lex repetitur, prohibitionem facit restringi, cum enim populi Chananæi Hebræis forent vicini, facilius, pondere quæ maiori propenderent in nuptias eorum.

§ III.

Fit satis locis quibus oppositum comprobabatur.

AD exẽpla, quibus lex de prohibitione accipiebatur restrictius, dicendum est Ruth, quã duxerat Booz, iam esse in Iudaismum conuersam, & iustitiæ proselytam factam. Audite operis imperfecti auctorem Hom. 1. ¶ Ruth pro merito fidei suæ nupsit Booz quia propriam gentem contempsit, & terram, & genus, & elegit Israel, & non despexit factum, viduam simul & peregrinam, desiderio ducta generis sui magis quam sui, Deos patrum suorum repulit, & Deum viuentem elegit. ¶ Quod confirmari posset ex illis verbis Ruth capit. 3. vbi sic illi Booz inquit, *Scit enim omnis populus, qui habitat intra portas vbis, mulierem te esse virtutis.* Quod nisi Hebræis aut ingressis in Iudaismum difficile posset aptari. Eamdem expositionem recipiunt Mosis contractæ nuptiæ cum filia Iethro sacerdotis Madian, & cum puella, quæ caperetur in bello, vt diximus supra Genes. de matrimonio Abrahami cum Sara agentes. Licuisse autem coniugiũ fidelis celebratum cum infideli, si ab errore recesserit pristino, certissimum est, cum periculum seductionis, quo legis prohibitio fundatur, omnino cessaret.

Quod etiam iure Ecclesiastico seruatum est. Concilium enim Chalcedonense can. 13. sic statuit. ¶ Quoniam in quibusdam prouincijs cõcessum est Psalmistis, & Lectoribus, vxores ducere, constituit sancta Synodus, prorsus cuique ex his non licere alterius sectæ accipere vxorem. Si quis vero præuenit, & habet iã de tali connubio filios, si forte præuenerint eos, iam apud hæreticos baptizari, debent eos offerre Sanctæ Ecclesiæ Catholicæ vt ibi communicent. Qui vero adhuc baptizati non sunt, omnimodo non posse eos in hæretica Ecclesia baptizari, nec in matrimonio iungi hæretico, Iudæo, vel Pagano nisi forte spoponderit se venire ad orthodoxam fidem, dum coniungitur personæ orthodoxæ. ¶ Similia tradidit Zacharias PP. in Synodo Romana can. 10. ¶ Si quis Christianus filiam suam Iudæo in coniugio copulare præsumpserit, nisi perfecte crediderit Christo, & baptizatus fuerit. ¶ Permittitur ergo cum Iudæo connubium, si transeat in Christianismum. Idem Basilienſe Concilium can. 20. Laodicense can. 31. Neque alicubi SS. patres catholicis prohibent cum hæreticis inire coniugia, nisi in hæresi, & errore persistant.

Quod si opponas Samsonem cum Philistæa, Esther cum Assuero celebrasse coniugia, & nihilominus, neque proselyta Philistæa vxor Samsonis, neque Assuerus in Iudaismum potest dici conuersus. Dicendum ex alijs (nostrum enim iuditium suo cuiusque loco remittimus declarandum) vel peccasse (quod non sine inconuenienti dici potest de Esther), vel id peculiari instinctu diuino factum, quia posset periculum auertere peruersionis.

Exod. 34. *Septem diebus vesceris pane.*	*Exod.* 12. *Sex diebus vesci innuitur.*

Vide Exod. cap. 12.

Exod. 34. *Rodeunte anni tempore quãdo cuncta conduntur.*	*Exod.* 12. *Nisam initium mensium & principium anni.*

Vide Exod. 12.

Exod. 34. *Septimo die arare cessabis quo exemplo omne prohibetur opus.*	*Iosue capit.* 6. *Ierico iuxta vrbem circuitionibus operosis laborabant.*

Vide Exod. 20.

Exod. 34. *Aras eorum destrues.*	*Exod.* 22. *Dijs non detrahes.*

Vide Exod. 28.

Exod. 34. *Omne quod aperit vuluam generis masculini offerri præcipitur tantum.*	*Leuit.* 3. & 4. & 5. *capræ oues, atque vaccæ offerebantur.*

Dicendum: in sacrificijs spontaneis offerre quem posse, quod libuisset, in coactis autem non sic, sed mascula tantum. Contra hoc esse videtur, sacrificium quod est pro peccato, quo, & si necessarium esset immolabatur fœmella. Vnde dicendum est ideo mascula dumtaxat Dominus offerri præcepisse, quia pro primogenitis Israelitarum, quæ in Ægypto sunt liberata, erant Deo immolanda. In Ægypto enim primogenita ab Angelo occisa mascula tantum erant. Neque obstat, quod cap. 12. Exod. dicatur nullam domum esse in Ægypto, in qua non iaceret mortuus, quod vix intelligi potest nisi de primogenitis aliquæ fœminæ occiderentur, aliàs omnes primogeniti & qui vuluam aperuissent, masculi esse deberent. Sed de ijs iam capit. 12.

Alij

Alij duo genera distingunt sacrificiorum, alterum directe ad laudem Dei terminatum, & hoc masculis constare debebat, & appellabatur holocaustorum vt Leuit. cap. 1. Alterum erat eorum, quibus creaturæ bonum, pacifica tio, remissio culpæ, vel aliud quod peteretur, in his prolibito masculus vel fœmella possent offerri. Ad laudem quidem Dei erat primogenitorum victima & sacrificium, ex masculis ergo constare deberet.

Exod. 34. Ter in anno Israelitas præcipitur apparere in Sanctuario, Azymorum, Pentecostes & tabernaculorum festiuitatibus.

Inter festum Azymorum, & Pentecostes demptis septem diebus quibus manebant in Sanctuario, sex manebant hebdomadæ. Distantes ergo 60. leucis, qui poterant ire, & redire.

ALiqui propter rationem attactã censent longe distantes solum in tertio anno, quando tertia decima pauperibus & Leuitis segregata loco Sanctuarij erat distribuenda. Vnde solum in vno extribus annis coram Deo apparere ter tenebantur. Verum hoc falsum est. Quoniam Deut. 14. decima pars fructuum tollenda erat, vel vendenda, ex cuius pecunia, aliquid de quo cum peregrinis atque Leuitis vesceretur, quis emere cogebatur, verbis quidem Deut. 14. lex non solum Hierosolymæ proximos, sed longinquos etiam comprehendit, cum de illis, quorum longior est via, loquatur. Præclu-ditur ergo expositio, quam tradit Abulensis, dispensationem diuinam longe distantes habuisse non comparendi nisi semel in anno festo scilicet Azymorum, & bis de septennio in septennium anno remissionis infesto tabernaculorum, vt coram omnibus liber legis legeretur Deut. 31. Præcluditur, inquam, cum præcepti expressa sit notio, & dispensationis nulla notitia in Scriptura. Dicendum ergo quod licet in hoc sit grauamen, impendere tenebantur, vt sic & meritum augeretur, & memoria beneficiorum, quæ illis festiuitatibus recolebantur, tenacius conseruaretur.

Exod. 34. Ignorabat quod cornuta esset facies eius.

Paul. 2. ad Corint. 3. gloria vultus Mosis prædicatur.

CHristianus Schotanus in Sulpitium Seuerum, & Eugubinus errorem impingunt Vulgato nostro, eo quod Mosis faciem esse cornutam verterit, cuius piaculum à voce in Hebræo ambigua ortum esse existimarunt. *Keren* enim cornu significat, & *Karan* radiare, vnde *glorificatus fuit ad spectus faciei eius*, Septuaginta legerunt. Verum Vulgatus noster nõ *Keren*, sed legit *Karan*, alias verteret *ignorabat, quod cornu facies sua*, & non *quod cornuta esset*, *Karan* ergo (inquit Bonfrerius) non tantum significat in morem cornuum radiare, sed etiam cornua, crassa nimirum illa, & ossea emittere. Sic Psal. 68. *Makrin cornua vertitur*. Contra vero Habacuc 3. vers. 4. vbi nos habemus *cornua in manibus eius* Hebraice *Karnaijm* R. Dauid, R. Abraham, R. Salomon, *splendore*

interpretantur apud Pagninum, quos sequitur ipse. Quin (vt Bonfrerius addit) in Laodicēsi cum Sol subito lucere desinit, dicitur *cornua retrahere*. Per metaphoram à Græcis digiti radij vocantur, & ideo Homerus Solem à multitudine radiorum Centimanum vocat. Cur ergo minus radij methaphora cornuum non intelligentur? sicut & per methaphoram sagittæ à Lucretio appellantur, *lucida tela diei* & Apollinem cum arcu, & sagittis describunt, & sicut Malach. 4. radij Solis pennæ dicuntur. Et quidem vt inquit Hieronymus in Amos. c. 6. iuxta Hebraicum, Aquilæ que editionem, *quia cornuta erat species vultus eius*, est legendum.

Exod. 35. Qui fecerit opus in sabbatho occidetur.

Leuit. 6. Ignis semper ardebit, quē nutriet sacerdos subijciens ligna mane per singulos dies. Sabbatho ergo ignis accendebatur.

Vide Exod. cap. 20.

Exod. 35. Spontanee offerendum argentum, & aurum.

Exod. cap. 38. Qui numerantur ex iure aurum tenebantur offerre.

Vide Exod. 28.

Exod. 35. Beseleel filium Vri, filij Hur. Huius pater fuit Caleb, vt dicitur 1 Par. c. 2.

Iosue ca. 14. Caleb cum exploratoribus ingressus in terram Chanaā erat 40. annorum. Eius ergo pro nepos ætatis esse non posset, vt sanctuarium construeret.

HEbræi Caleb proauum Beseleel tradunt esse, qui de exploratoribus fuit & Mariam sororem Mosis duxit vxorem, cum esset decem annorum in principio decimi, Azuba, quam duxerat prius cum octo foret annorum, mortua sequenti anno, & ætatis suæ no no. In fine decimi anni Hur genuit ex ea. Hur autem in fine decimi anni sui, qui erat vicesimus primus Caleb genuit Vri, Vri autem in anno nono sui, & tricesimo vitæ Caleb genuit Beseleel, Beseleel autem anno decimo ætatis suæ, & quadragesimo vitæ Caleb incæpit Sanctuarium construere, paulo ante ingressum in terram Chanaam, hic enim fuit tertio vel quarto mense secundi anni ab exitu de Ægypto vt ex lib. Num. constat, Beseleel autem primo anno ab exitu construi cæpit, & perfectum prima die sequentis anni vt cap. 40. Exodi.

Verum difficultatibus scatet ex positio ista. Præterquam quod quippe ridiculum est Caleb octauo anno vix rationis capacem vxorem duxisse, & continuo genuisse, incredibile est mulierem sanctam Mariam viro tam iuueni senem traditam in vxorem cum illa 65. vel quasi 70. foret annorum, cū ille dūtaxat decē, prouectior enim erat Mose soror illius a qua liberat⁹ ipse, dū in flumine pernataret scirpea fiscella, cuius prudentia

in

in veritate celanda ætatem decem annorum superabat, Moses autem cum Caleb. 40. fuisset annorum, 82. habebat, quia quando Pharaone coram locutus fuerat 80. erat annorum, vt patet Exod. cap. 7. Quibus si addas 13. vel 14. anni, quib⁹ Maria excedebat 95. constituunt, vnde sequitur cum Caleb decem, fuisse Mariam 65. Neque minus credibile est, quod Beseleel anno decimo vitæ suæ sanctuarium fabricare valeret.

Dicendum ergo est binos fuisse Caleb alium filium Esron, filium Phares, filium Iudæ, alterum filium Iephone qui fuit exploratur, vt Iosue 14. & solus cum Iosue de multitudine bellatorum superfuit vt Num. 16. & 14. Hūc impossible est proauum Beseleel extetisse non illum filium Esron de quo Paral. 1. cap. 2. cuius cognatio distincta apparet à cognatione Caleb filij Iephone, de quo 1. Par. c. 4. Deinde expresse distinctos fuisse constat. cum Caleb exploraror secundo anno ab exitu de Ægypto 40. curreret solos annos, ille autem Caleb filius Esron fuisset tunc quasi 190. annorum, quia Esron fuit filius Phares filij Iuda. Phares autem cum parente ingressus est in Ægyptum Gene. 46. Post. 17. annos gimnere posset Esron, sed in Ægypto mansio filiorum Israel fuit 215. à quibus si detrahas 17. vel 16. annos ante genitum Efron, restant 198. anni, quibus manserunt filij Israel in Ægypto post natum ipsum Esron. Vnde verisimile est, quod Phinees Esron genuerit anno vitæ suæ 25. iste Caleb anno 25. hic Hur anno suo 25. & Hur Vri anno suo 25. & Vri Beseleel anno suo 25. qui in summam eollecti 125. faciunt, quibus detractis à 215. quibus durauit mansio Israel in Ægypto restant anni 90. quos haberet Beseleel, quando incepit fabricare sanctuarium. Vnde tunc viuere non posset Caleb filius Esron, cū 167. annos haberet, quæ ætas nulli tēpore illo concedebatur.

Exod. 37. Fecit autem Beseleel arcam.

Paral. 1. c. 4. Caleb fuit proauus Beseleel. Vnde sequitur cum decem esset annorum magistrum inconstruendo tabernaculo fuisse.

Vide Exod. c. 35.

Exod. 37. Fecit arcam habentem duos, semiscubitos in longitudine.

Exod. 25. Habentem duos, & semiscubitos fecisse dicitur.

Vide Exod. cap. 25.

Exod. 37. Contra coronam mensæ posuit quatuor circulos aureos.

Exod. 25. Subter coronam circulerunt aurei.

Vide Exod. cap. 25.

Exod. 37. Fecit illi coronam auream. | *Sap. 18. Diadema appellatur.*

COrona illa lamina quædã erat totam circundans arcam in forma quadrata, ſicut & ipſa arca, tamquã labium prominens erecta, & inſurgens a parte inferiori. Vnde lamina vocatur Sap. 18. & corona Exod. 37.

Exod. 37. Duos etiam Cherubim ex auro ductili. | *Deut. 4. Omnis imago, & ſculptile prohibetur.*

Vide Exod. 20.

Exod. 38. Fecit duos annullos aureos ſub corona per ſingula latera. | *Ibidem Per ſingula latera factos annullos dicitur, ergo in quatuor lateribus quibus conſtabat, quatuor annulli erant, & quatuor vectes.*

NOn eſt intelligendum, quod in quolibet latere, vnus annullus poneretur, ſed quod in quolibet latere, in quo vectes ponuntur, duo ſint annulli & vnus vectis.

Exod. 38. In altaris medio arulam. | *Exod. 27. Craticulam quæ in modum retis æneam, per cuius quatuor angulos erunt quatuor annulli ænei, quos pones ſubter arulam.*

Vide Exod. 27.

Exod. 38. Omne aurum, quod in ſanctuarium oblatum eſt, qui tranſierunt ad numerum, dediſſe, dicitur. | *Exod. 25. Sponte oblatum dicitur.*

Vide Exod. 25.

Exod.

Exod. 38. Numerus, qui possent pugnare, 603550. inter quos recensiti Leuitæ.

Num. 1. Summa ista exceptis Leuitis traditur, & reperiuntur 603550.

Dicendũ hic nõ numeratos, sicut nec in Num. libro filios Leui. Tum quia soli computati sunt bellatores. filij autem Leui non pugnabant. Tũ quia soli numerati sunt, qui mediũ siclum sanctuario obtulerunt, qui Leuitis non est exactus. Solum autem nomine filiorum Israel intelliguntur Leuitæ, quando in ordine ad aliquid spirituale nominantur, vt cum imponendos in rationali Sũmi sacerdotis, dicitur, filios Israel, quorum esset coram Dom ino memor, intelliguntur Leuitæ, Et Apocalips. 7. eadem ratione sunt numerati.

Contra hoc esse videtur illud Reg. 1. cap. 4. de filijs Eli, qui bello, quando capta est arca, perierunt, exemplum etiam Machabæorũ, qui Leuitæ erant, & pluries pugnasse constat ex eorum libro. Sed nullius sunt ponderis hęc; sacerdotes enim & Leuitæ bello assistebant non pugnantes, sed verbis bellatores roborantes, quod si filij Eli perierunt in bello, non mortui sunt bellantes, sed arcã fortiter defendentes. Machabæi autem pugnarunt contra inimicos, sed cum respublica vltimum diceret vale. Tanto ergo calamitatis statu ministeria confundi debent, ne respublica ruat, & sacerdotes agere bellatores. Quin Machabæi, arma vt induerent, impulsu diuino, credibile est, quod sint excitati in totius populi auxilium.

Exo. 38. Bellatores numerati sunt. 603550.

Exod. 32. Occisi sunt 23. millia hominum propter vitulum.

CErtum est hanc numerationem fuisse distinctam a ea quæ Num. lib. refertur. Ista enim facta fuit primo anno exitus de Ægypto, Num. ca. 1. facta anno secundo. Ex quibus apparet antilogia. Quoniã cũ inceptum est tabernaculũ, ad numerũ iam transierãt, cum dicatur argentum & aurum oblatum fuisse ab ijs qui recensiti sunt vt fieret tabernaculum. In hoc autem intermedio propter vituli adorationem occisi sunt 23. millia hominum. Nõ ergo morula illa hi 23. millia augeri possent ex alijs, qui 20. complerẽt annos. Vel ergo in hac numeratione plures inuenti sunt, vel non tot in secunda.

Aliqui asserunt 23. millia, qui decerunt non fuisse de Hebræis, sed de vulgo mixto, quod cum Israelitis ascendit. Vnde nullus de Hebræis numeratis defecit. Verum hoc contra textum expresse est. Quia ij occisi sunt, qui peccarunt, deliquisse Israelitas nullus negabit, qui ira contra populum concitatum viderit Dominum. Israelitæ ergo fuerunt qui ceciderunt. Deinde quoniam ibi dicitur, fratrem contra proximum filium que insurgere, quo nomine non comprehenduntur Ægyptij, cum potius aduenæ, & peregrini appellentur.

Dicendum ergo est inter primam & secundam computationem non intercessisse 23. millium necem. Quod sic probat Abulensis. Lex data fuit in Sinai die sexto mensis tertij, vel vt quibusdam placuit die tertio mensis eiusdem. Deinde

Deo vocante in montem ascendit Moses, ad caliginem que accessit, & à Deo ibi assistente audiuit præcepta, quæ habentur Exod. 20. 21. & 23. deinde descendit de monte, fœdus confirmaturus cum populo, & ineadem die cum Iosue iterum montem ascendit ibi que 40. diebus mansit, die autem 17. mensis quarti descendit ad Israelitas vltione que de idolatris sumpta, sequenti die pro Israelitis rogaturum promisit populo vt Exod. 32. Ascendit iterum mõtem pro eorum peccato Dominum 40. diebus exorans, alias speràns tabulas, quibus additis diebus descendit, vel ad diem 28. mensis quinti, vel ad principium mensis sexti, & immediate locutus populum, continuo que egressa est omnis multitudo, & obtulit munera sanctuario, quod tunc inceptum est, & cum omnibus vasis suis septem perfectum mensibus. Vnde post vitulum adoratum, & vltionem de Israelitis acceptam numerati sunt Israelitæ.

Exod. 40. Applicabisque Aaron. Hic consecratio ponitur sacerdotum, quæ intra tabernaculum fieri debebat, & præsupponere tabernaculum iã erectum.

Exod. 19. Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum. Iam ergo erant.

Vide Exod. 19.

Exod. 40. Posuit testimonium in arca.

Num. 17. & ad Hebr. 9. Virga Aaronis, Manna, & liber Deuteronomius fuerunt testimonium. Hæc autem à Mose non sunt posita in arca.

HOc testimonium positum est in arca, antequam tabernaculum esset erectum, & immediate ac fuit facta, cum sacerdos Aaron non fuisset. Manna autem ab Aaron cum sacerdotio fuit functus, in tabernaculo reseruandum fuit collocatum vt Ex. 16. Aaron autem Sancta Sanctorum ingredi non valebat nisi post septem dies consecrationis expletos, nõ ergo nisi post iam tabernaculum erectum aliquot diebus. Testimonium autem, de quo hic, in ipsa erectione tabernaculi in arca positum est. Neque virga, quia Nu. 17. iam erat sacerdos Aaron, cum ex inuidia sacerdotij orta fuerit Core & Datan, & aliorum filiorum Leui reuellio. Neque liber Deuteronomius, qui à Leuitis in latere arcæ fuit collocatus Deut. 31. Testimonium autem, de quo hic, à Mose positum est. Deinde quia Deuteronomius non in arca, sed in latere arcæ dicitur collocari, quod distinctum est. Apostolus enim referens ad Hebr. 9. omnia quæ erant in arca Deuteronomij non meminit. Neque hic in latere arcæ positus est nisi quadragesimo anno ab exitu de Ægypto, quando morti proximus erat Moses vt patet Deut. 31. Testimonium autem de quo hic, cum erigeretur tabernaculum, vt iam dictum est, Moses collocauit in arca.

Dicendum ergo est testimonium, quod depositum est in arca, decalogum continentes tabulas esse, vt firmum

mum teſtimonium, vt indefectibiliter probaretur Deum Iudæis legem dediſſe. Videatur Deuteronom. 31.

Exod. 40. Operiente nube non poterat Moſes ingredi tabernaculum.

Exod. 34. Cum deſcendiſſet Dominus per nubem, ſtetit cum eo invocans nomen Domini.

Vide Antilogiam Exod. 34. conciliatam.

ANTILOGIAE CONCILIATÆ EARVMQVE TEXTVVM EXPOSITIO IN SENSV MORALI.

Geneſ.cap.1.Germinet terra herbam virentem. Hoc tempore veris probat conditum eſſe mundum.

Geneſ.8. Columba circa medium menſis vndecimi viridem ad arcam retulit ramum oliuæ.

Onciliauimus antilogiam huiuſmodi, folio 4. eo quod oliua ſuum virorem alijs etiam anni temporibus præter æſtatem conſeruat. Quare non licebit inferre Maium vndecimum fuiſſe menſem.

Sed quare in illa vniuerſæ naturæ miſerabili clade, vbi cuncta arborum genera florum, & fructuum ornamentis viduata gemebant, cũctæ que plantæ ſpoliatæ vitali vigore mundi vniuerſalẽ ruinam marceſcentes plangebant, ſola oliua ſuum cõſeruauit virorem? Quare, cum tẽpeſtate diluuij Myrrha, & Aloe, Fiſtula, & Caſsia aromaticæ ſpecies, procelloſis fructibus pereunt, Cypreſſus, & Cedrus, quarum venuſtatem nullus ventorum impulſus deponit, violenta aquarum agitatione extirpatæ ſunt, ſola autem oliua viuida ſua manſit radice? Euſebius Emiſſenus reſpondet, quoniam oliua, Dei erga homines miſericordiã deſignat. Sinè homines perſequutionum pelago fluctuare videantur, ſiue laboribus, medijs que tribulationum aquis quaſi perire, oliua miſericordiæ diuinæ deſuper ſemper natabit, neque peccatis extinguitur, neque malitia peccatorum marceſcit, ſemper virorem ſuum oliua conſeruat. ¶ Magna eſt virtus, (inquit Euſebius Emiſſenus Hom. Dom. 3. poſt Pentecoſtem) miſericordia, & omnibus alijs virtutibus ſupereſt, vnde & per prophetam dicitur, ſuauis Dominus vniuerſis & miſerationes eius ſuper omnia opera eius, vnde, & bene apud Græcos oleum vocatur, ſicut enim liquoribus oleum, ita in bonis operibus miſericordia ſupereſt, quemc[illegible]ne enim liquorem in oleum infundas, oleum ſemper

Folget in cæteris operibus miſericordia diuina.

per desuper natat, oleo baptismus sanctificatur, oleo Ecclesia conseruatur, nos quoque oleo ideo sumus toties inuncti, vt semper misericordiæ memores simus. ¶

D. Ambrosius lib. de Noe, & arca inquit, folium oliuæ in ramo repertum post diluuium generari potuisse in spei pignus, & miseri Noe procellosis aquarum fluctibus, ventorumque impulsu agitati solatium. Misericordia enim diuina, quo hominis excrescit miseria, eo maiori pondere in illum inclinat. O bonitas Dei, neque vt omnipotens Dominus sit, neque vt sapiens, infinitus, & sanctus indiget creaturis, vnde Psalm. *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non egens.* Et solum vt misericordis attributum nobis oscitanter intelligentibus manifestet, indiget quasi nostra miseria. Hæc centrum est in quod propendit misericordia diuina, non sic limitata hominis misericordia. Manifestatur veritas ista ex illo 2. Reg. 9. Dauid beneficiorum, quæ à Principe Ionatha, etiam in æqualis fortuna non semel acceperat, non immemor præter hominum morem, ex familia Saul sic aliquem requirebat: *Putas ne est aliquis, qui manserit de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiam propter Ionatham?* Nullus est, qui audeat aliquem denunciare. Loquitur tandem cum Siba. *Numquid supereſt aliquis de domo Saul, vt faciam cum eo misericordiã Dei?* Miphiboseh Ionatæ supereſſe filium statim responsum est. Quare continuo nunc reuelatur, qui supereſſet, cum primo in omnibus altum silentium fuisset? Textum audite, erat *debilis pedibus* Miphiboseh, erat miser omnino que abiectus, à nullo ergo manifestatur cum primo promittit misericordiam Dauid, hæc enim dumtaxat locutus est, *vt faciam cum eo misericordiam.* Nullus ergo tunc annuncians parum fidens de humana misericordia, quæ abiectos refugit, & numquam despectos humanitate respicit. Cum autem secundo misericordiam promisit, sic inquit, *vt faciam misericordiam Dei cum eo.* Ideo continuo audiens Siba misericordiam Dei, eius que non ignorans inclinationem, qua velocius in miseriam propendit, Miphiboseth etsi debilem pedibus, & abiectum, vt à Principe infallibiliter foueretur, denunciauit confisus. Pignus ergo spei in pelago illo, quo iustus ille Noe misere fluctuabat, ab vndis penè naufragus agitatus, à ventis impetuose repulsus, & à terra inimice receptus, obtulit oliua misericordiæ diuinæ, quando vndique pericula circumibant, semper virens in laboribus requiem promittens, & pacem in elementorum militia, vt inquit Arat. lib. 2. in Act. Apost.

Nostri que modesti
Pignus oliua fuit, dilectio semper inore
Fructum pacis habet.

Geneſ.1. In principio creauit Deus Cœlum, & terram, vocauit que Deus firmamentum Cœlum.

Geneſ.1. v.7. Et dixit Deus fiat firmamentum, & v.8. & factum eſt veſpere, & mane dies ſecundus.

CÆlum quod prima die dicitur conditum Empyreum intelligimus cœlum, (ſic conciliauimus, fol. 12. antilogiam) firmamentum, quod ſecunda die condidit Deus, ſyderum cœlum, & orbes omnes cœleſtes.

Nomine firmamenti cœlum Empyreum de aquis formatum intelligit Beda cryſtalini lapidis inſtar. Quare ergo ex terra formare Dominus cœlum non eſt dignatus, cum perfectiorem hominem creaturam condiderit vniuerſi? Hilarius ſuper Matth,17. & Greg. Mag. 12. moral. cap.11. firmamenti nomine cœlum, & aquarum ſignificatione afflictiones intelligunt iuxta illud Pſal.68. *Intrauerunt aquæ vſque ad animam meam*, quaſi lacrymarum pretio cœlum fuerit venale: & planctus vi omnia vincantur, & cadant. *Regnum Cœlorum vim patitur*, (inquit Euangeliſta Matthæus) *& violenti rapiunt illud.* Imperium non eſt, quamvis potentiſsimum, vllum, quod ruinam à violentia miſere non ſit expertum; etiam mœnia cœleſtia, neque quia pulchra venerari, neque quia ſublimia poſſe conſiſtere ſalva videntur, cum rapi à violentis iure timere valeant. Alibi nihilominus, *Niſi conuerſi fueritis ſicut paruulus iſte, non intrabitis in Regnum Cœlorum.* Hinc oritur difficultas, ſi vi armorum conquati cœlum debere dicit, ſi à robuſtis, valide que pugnantibus inuaditur cœlum, quid, in cœleſtia caſtra teneri, pueriles que annis? Vim patitur quidem cœlum à pueris atque à robuſtis, potentes namque ſi pugnant, armis cingi debent puerorum. Attendite conditionem puerilis ætatis, quorum proprium eſt, lacrymis à parentibus id aſſequi quod deſiderant, ænea planctu viſcera commouentur. Vim ergo patitur cœlum, à violentis rapitur cœlum, portas cœli reſerau peccatores, dummodo more puerorum lacrymis reſoluantur, qui obdurato corde, nigris que peccatorum ſquamis armati, diuinis inſpirationibus contradicunt, induant puerilia arma, infantiles lacrymas mittant, & Dominum ſuis votis ſuauiter compellet attentum, vi ſuaui rapiet à Deo cœlum, dulcem violentiam paſſo. ¶ Nullus (inquit D. Hieronym. ſuper Iſaiam cap.21.) ad Deum aliquando flens acceſsit, qui non impetrauerit, quod poſtulauerit, nullus ab eo beneficium dolenter optauit, qui non acceperit. ¶ Et Chryſologus in locum ſuperius citatum. ¶ Cogimus (inquit) Regnum Cœlorum, & vim quodammodo facimus non compellendo: ſed fluendo, non iniurijs prouocando, ſed lacrymis exorando. ¶

Lacrymis cœlum ab hominibus comparatur.

Mirantur, & merito expoſitores, quare ſtatim in Solis ſtatuam verſa eſt vxor Lot? Geneſ. cap.19. Dominus, qui miſericors eſt, potentiam que ſuam maximè miſerando manifeſtat, ſtatim, ſubito Loth iuſti punit vxorem? inobedientia Aaron quadraginta annis qui tolerauit, anno quadrageſimo egreſsionis Iſrael. Num. cap.33. quare in muliere, qui ſola

sola volubilitate naturæ deliquit, paulis per non distulit pœnam? Statim & subito, inquit Chrysolog. ser. 9. tulerat enim Dominus contra illas ciuitates sententiam, decreuerat iam supplicium, illarum inceperat ruina vniuersa, viderat mulier illa patriæ miserabilem cladem, silicea viscera haberet, si tacta compassionis dolore, lachrymas neque eiularet suspirijs. *Statim* versa est in salis statuam mulier, ne si illam videret Dominus lachrymantem, compelleretur reuocare sententiam. ¶ Tanta est vis in lachrymis (inquit Chrysol,) peccatorum, vt deleant omne facinus, & latam diuina promulgatione sententiam. ¶

Inclinauit spirans Dominus caput, *inclinato capite tradidit spiritū* Matth. 27. Varia misteriorum, Dei de uotione qui feruent, sunt contẽplati. Quare enim, dubitant omnes, cælum, vbi est eius pater diuinus, non respicit, sed oculos figit in terra, vbi milites non tam exterius fustibus atque gladijs, quam impudentia, odio, & inuidia in Christum erant interius armati? Quare oculos auertit à cœlo, vbi spiritus erant Angelici dolore compassionis afflicti? & terram respicit, vbi homines illudebant? S. Laurentius Iustinianus in Lign. vitæ cap. 9. ¶ O lachrymæ (inquit) benedictæ, quæ vincis inuencibilem, ligas Omnipotentem, & filium Virginis inclinas. ¶ In cœlo parens diuinus erat amore filij inflammatus, Angelicis spiritibus comitatus, in terra Maria erat, quam gladius pertransierat doloris, iuxta crucem lachrymosa, si caput in cœlum leuo, parentem video, cuius visus inenarrabiles sunt delitiæ, fœlicitas vere suprema, sed à matre dolorosa retrahitur visus, & oculi infœliciter exulant. Quo egõ me vertam? tam efficax est vis lachrymarum, vt matrem flentem in terra non possim non intueri, in illam inclinare quę caput. Ex quibus colligi valet quanti apud Deum fuerint hominum lachrymæ, quam illi delitiosus sit planctus.

Oculis si non manibus Christum ascendentes in cœlum Apostoli remorari cupiebant. *Viri Galilæi quid statis aspicientes in cœlum* palpebris, homines terrea vasa portantes, (Angelici clamabant spiritus) oculos claudite, paulisper suspendite lachrymas, *hic Iesus, qui assumptus est à vobis sic veniet* iterum redibit ad vos. Ideo reditum Christi secundum Angelos promittere, inquit S. Ildephonsus cap. 1. & Apostolis annunciare, quoniam Dominum ab hominibus iam abulsum, timebant ab Apostolis ne in cœlum ascenderet, sua uiteriri compulsum. Sed qua vi possent Apostoli Dominum remorari ascendentem? inquit eximius doctor, [illegible] ctus superius relatus. Exprobauerat Dominus incredulitatem hominum ante ascensum. *Exprobauit incredulitatem eorum, & duritiam cordis.* Planxerant ergo & humefacti Apostoli lachrymis erant. Viderant illos Angeli lachrymantes, magistri ascensum dolentes, tantam ergo vim lachrymarum recognoscentes, timuerunt ne [illegible] plangentes perseuerarent Dominum respicientes, ab illo que viderentur, in cœlum suspenderet tramitem, & terram compelleretur inter homines habitare. ¶ Christum denuo Apostolis, inquit Ildephonsus, Angeli promittunt: ne per eorum [illegible] rymas ipso in perpetuum priuentur. ¶

***
***

***
***

Genes. cap. 1. sexto die hominem Deus formauit, & fœminam vt in solamen & adiutorium illius.

Genes. 3. A muliere Adam vniuersa contigit ruina, Eccl. 25. à muliere factum est initium peccati.

SIcut plaga mortis mulier mala dicitur in Eccles. sic pariter corona viri, si forsam reperiri posset sine imperfectionibus concomitantibus sexum. De illa locutus censeri debet Philippides ille philosophus, cum inquit. ¶ Bini cum vxore iucundissimi sunt dies, alter quo ducitur, alter quo mortua affertur. ¶ De mala intelligi debet Cato. ¶ Si sine mulieribus, dicens, mundus esse posset, vita nostra non esset sine dijs. ¶ Eua à Deo creata est, adiutorium erat ad prolis generationem, quo sensu intelligunt patres Gen. locum, sed vtens libero arbitrio, & Dœmoni credens & à muliere, quæ vidit lignum, curiositate decepta, & à viro, qui vocem vxoris audiuit, ortum est, & propagatum in terra peccatum, & ruina vniuersæ naturæ misere irrepsit in mundum. Vnde ex quodam philosopho dicebat Erasmus; ¶ Tunc matrimonium esse tranquillum, si surdus fiat maritus, & cœca facta sit vxor. ¶ Hinc enim frequentia inter coniuges bella, & quia maritus vaniloquium vxoris fert ægre, & vxor, omnia quæ videt, suspicatur infirme, vt zelotypiam queratur. Maximum ergo, matrimonium, est adiutorium aliquibus, alijs summum habetur malum, sed incauti non sine periculo proprio ineunt in solamen coniugium, & postea irretiti dolent sine remedio, ideo, Socrates à iuuene quodam de matrimonio consultus inquit. ¶ Pisces, qui adhuc intra nassam non sunt, volunt intrare, qui autem iam intus sunt, volunt exire, vide ne idem tibi contingat. ¶

Mala, quæ à muliere originem ducunt.

Tentauit Christum Dominum dœmon, sed desperauit victoriam Quare? D. Ambr. ideo credidisse vincendum, quia Dominum irruit in deserto morantem, inquit. Adamum cum inuasit, credidit decantare victoriam iustitia originali præditum intellectus que luminis claritate maxime ornatum. Quare triumphum de Domino reportare non sperauit? Quia in paradiso adest mulier, à quo omnis iniquitas viro, & in deserto non aderat, (moraliter debet intelligi, si Christum Dœmon suspicatus est Deum, quem tangere nequit voluptatis venenum) Audite Amb. ser. 39. ¶ In deserto, ait, Saluator implet Dei mandatum, vt ibi Adam saluaret errantem, vbi fuerat de paradisi possessione deiectus. In deserto ergo primum homini salus refunditur, vbi non sunt epulæ, vbi desunt delitiæ, vbi, quod est omniũ malorum causa, deest mulier. Videte rem mirã, in paradiso cum Adam diabol° decertat, in deserto cũ Christo diabolus dimicat, vbique insidiatur homini, vbiq; cõgreditur, sed vbi mulierem inuenit victor abscedit. ¶

Gen. cap. 1. Sexta die homo fuit creatus.

Gen. 2. Non erat homo qui operaretur terram.

In omnibus Deum contẽplari tenemur.

HOmo iam conditus erat, sed non vt terram operaretur, erat creatus, sed vt cœlum, in quod præordinatus erat ab auctore vniuersi, contemplaretur. Quare, dubitauit Euthimius, arbores primis parentibus Dominus assignauit in cibum? *Ecce dedi vobis omnem heruam afferentem semen super terram & vniuersa ligna, &c. vt sint vobis in escam.* Illo vrebi tempore fœliciſsimo, quo pluuijs imperabat ad nutum, vapores suo arbitrio mouebat, & sine labore possent florere campi, & fructibus coronari. Quare ergo arbores, & non fata homini præfixit in escam? ¶ Vt erectis in cœlum oculis (inquit Euthimius) prouidentiam veneraretur. ¶ Qui in escam eligit fata, manibus, oculis, cunctis que sensibus operatur in terram, cum manus, serere granum, terere, terram que arare, occupatur, oculi comitantur in penso, sicut sudore laboris vili fatigatæ sunt manus, ita laborant oculi crasso exercitio simul intenti. Qui autem arborem edit, cum fatiat fructu appetitum, inter illius folia astra & sydera contemplatur, simul escam colligit manus pro corporis alimento, & oculi excitantes memoriam animæ parant escam, de arbore fructus decerpunt, & simul omnium Dominum contemplantur cœlo maxime intenti; Bruta omnino terrena de satis edant, verum rationales recti & erecti formati, quo ab illis discriminantur, continuo cum operantur, cœlum contemplari docentur. Sic Ouidius

Os homini sublime dedit, cœlumque videre.
Iussit, & erectos ad sydera tollere vultus.

Dubitat eruditus Stella, quare Dominus panem super terram produxit, & aurum in occultis humi visceribus generatur? Vt necessaria non solicite quærat, respondet. Panis vulgaris cibus, cunctis communis & omnibus est necessarius, vt ergo intelligeret homo, Dei contemplationi se totum deditum esse debere, panem super terram proponit, vt pretio ita inferiori emere possit, quod illi sollicitudine nulla sit opus, vt tempus, quod in necessarijs quærendis impenderet, Domino fructuum cunctorum auctori cum lucro spiritus valeat sacrificare. Aurum autem in imis visceribus terræ ex consulto homini abscondit, occasionem ve perditionis celauit, ne facilè diuitijs inuentis hominis cupiditas maxime foueretur, auri que veneno sauciatus, impinguatus & incrassatus, vt Dominꝰ doluit quondam, sui & omnium creatoris obliuiscatur. Quæ omnia, hominem, vt patriam cœli sine intermissione consideret, & Dominum omnium auctorem, cunctis post positis contempletur, non vt operetur in terra, indicant esse creatum. Quod in hominis fabrica ipsa Iacobus de Voragine manifestauit, cuius cor mirabiliter conditum est à parte superiori latum, & angustum à parte inferiori, ipsa prædicante natura, ad superiora, & cœlestia sinus cor humanum ma-

ma xime capaces habere, ad inferiora & terrena, nimis arctos, ea dumtaxat quorum naturæ opus est admittentes, non obscure manifestatur.

Genes. cap. 1. Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est.

Psalm. 70. Nullus est similis Deo.

Mortuus est Christus propter reformationē imaginis suæ.

EX quo Adam fœlici illo statu misere lapsus est, Dominus lignum, vt inquit Ecclesia, notauit, vt pro nobis damnum & debitum solueret, & cum non fecisset peccatum, pro homine, iudice amore, damnatus est portare peccatum. Hoc necessarium erat vt sui imaginem repararet. Formauerat hominem Deus ad similitudinem suam, vt quodammodo frueretur imagine sua mundus, deliquit, & marcescere continuo cæpere colores inæstimabiles gratiæ, renascentibus in pœnam delicti variis erumnis, & malis, frequenter naturæ nostræ insidiantibus, respexit amore feruens omnipotentis dexteræ opus vmbris opertum, primoribus perfectionum defunctum, & iterum reformare, & erga imaginem hominis munus antropographij exercere secundo, hæc enim quot patitur iniurias, & ictus à tempore, non odium, sed maiorem excitauit commiserationem in prototypo, & tot in domino multiplicauit affectus. Decernit igitur Deus imaginis eius iterum amissos suscitare colores, ideo ex pharetra Sanctissimæ Trinitatis emissum est Verbum Diuinum quasi sagitta. *Dominus ab vtero creauit me*, iuquit Isaias, *posuit me quasi sagittam.* Hebræus vertit, *quasi calamum.* O Verbi admirabilis transformatio omnibus manifestans amorem, indutus pennis, quibus Cupido solet depingi. Ad quid, vt hominem tot retro sæculis iam deffixum instauret, celeritas summa? Est non ne, quia in corde hominis, cui prouida natura duas præstitit alas, vt continua pulsatione conseruaretur ardens, tam superbæ cogitationes accensæ sunt, vt ad diuinitatem temere auderent volare? *eritis sicut dij*: O periculosum experimentum; lapsi sunt cineres, qui superbe ascenderant cogitatæ Deitates; propter huiusmodi ergo affectuum intemperantiam imago Dei fuit in homine deformata, si ergo homo, quia superbe indiuinitatem volauit, lapsu maiori ruit, Verbum Diuinum ardens amoris flama descendit de celo velociter tamquam Cupido sacer pennatus imaginem reformare, & si homo, duabus cordis affectuum pennis Icarus in mænia diuinitatis ascendit, Verbum Diuinum alis amoris impulsum terram mittitur habitare, vt non frustraretur suum homini desiderium, quo enim profundius descendit Deus, tanto altius ex tollitur homo, vt simul totum diuinatis pondus mittatur in terram, & onus vilissimum terræ eleuetur in cœlum, *posuit me quasi sagittam posuit me quasi calamum*, optima est expositio, sed ad rem proprius accedit, quæ eruditione Græca fundatur. Fuit ergo vulgare venerabili antiquitati prouerbium, *pingit sagitta inuersa*, quæ si est penicillus ex parte pingentis, percutiens est, ex alia, sagitta. Finxit

Ariſtinet. aliquem ſui imaginem delineare cæpiſſe, & ſimul illius amore captum, iſte pinxiſſet quidem penicillo, qui verſus tabellam pingentis calamus eſſet, ſed verſus pictorem amantis eſſet ſagitta, quot lineis penicello curreret manus linteum, tot vulnera in pectore aperit ſagitta pingentis, ſimul ergo depingitur & percutitur. ¶ *Amare cœpi, quam pinxeram tabellam, amor mihi ab arte venit* inquit Ariſtinet. *Me mea dextra dum pingit, figit.* ¶ A quo Epigramatis illud Latini, *ſemet ſua dextra ſagittat.*

Peniculis proprijs, vulnus ab arte venit. Idem ergo eſt, ac ſi de Verbo Iſaias dixiſſet, *poſuit me quaſi ſagittam inuerſam.* Decreuerat verbum diuinum, imaginem hominis culpa deletam nouiter reformare, ſed artis inſtrumentum attende, ſagitta enim eſt verſus hominem pingens, ſed verſus Deum amore ſuæ facturæ captum, dire percutiens, quot lineis perficit hominem, tot ab amoris in ſagitta vulnera patitur, in imagine vide colores, ſed in Deo dolcruorem, quia ſimul cum pingit, capitur amore picturæ, ſimul in homine inſcribitur *hic eſt homo à Deo redemptus*, & incarne Domini litteris inſculpitur ſanguinis *hic eſt qui vulnera recipit propter hominem*, diſcrimine tamen, quod in homine penicillus depinxit, ſed celo in Domino apertæ ſunt, pingebat namque ſagitta inuerſa, quæ ſi verſus tabelam calamus erat pingentis, celum erat verſus pictorem figentis, Ecce Adã factus eſt quaſi vnus ex nobis, inquit optime textus, quia vulnera, quibus hominem ſubiecit primum peccatum, ad Dominum imaginis redemptorem fuerunt cum alijs miſerijs tranſlata.

Non abſre erit, quæ de Cupidine refert Auſonius, Verbo diuino applicare. Mulieres vulneribus amoris fauciatæ querellas contra Cupidinem publicabant, & tandem intra nubem repertum, myrti cruce, reum ſuorum criminum iudicantes, deuinctum, & ſuſpenſum afficiunt.

Huius in excelſo ſuſpenſum ſtipite amorem.
Deuinctum poſt terga, manus ſubſtricta que planctis, &c.
Afficiunt, reus eſt ſine crimine, iudice nullo
Accuſatus amor, ſe quiſque abſoluere geſtit
Transferat vt proprias, aliena incrimina culpas.

Diuinus Verbi Cupido reus ſine crimine, vllo, tranſtulit in ſe crimina aliena libenter, vt, eius iudice amore, cunctos abſoluere poſſet, cruce que ſuſpenſus pro omnibus pœnas ſubiret factus ergo eſt Adam ſicut vnus ex nobis, inquit Deus, quoniam ex tunc in Dominum tranſtulit pœnas, quibus ipſum prima ſubiecerat culpa. Sic inquit Leo Papa ſerm. de Pent. ¶ Si homo, qui ad imaginem Dei factus eſt, in priſtino ſuo honore permanſiſſet, Creator creatura non fieret. ¶ Verbum ergo diuinum à Patris amore, lignum alcendere fuit damnatũ, ars vt artem falleret, vt inquit Eccleſia, & medelam ſeqret inde, hoſtis vnde læſerat. Dœmoni quidem conuenire videtur Iuliani Imperatoris emblema, qui aquilam transfixam ſagittis pennis eius ornatam depinxit, cum hac inſcriptione, *ab ipſa contra ipſam*, ideſt quod ab illa naſcitur, quod interimit ipſam. Peccatũ; quod ortum à Dœmone habuit, ipſi, vt incarnationis occaſio, fuit ſagitta lerhalis.

Chriſtus trãſfert in ſe noſtra crimina.

Hæc autem hominis imaginis reformatio ad Verbum diuinum præcipue ſpectabat. ¶ Conueniens fuit,

fuit, inquit D. Thom. 3. part. quæſt. 3. art. 8. vt per verbum veræ ſapientiæ homo reduceretur in Deum, qui per inordinatum appetitum ſcientiæ receſſerat à Deo. ¶ A principio à Dæmone infælix homo deceptus, ſcientiam, quam inordinate appetierat, amiſit, vnde huiuſmodi detrimenti inſtauratio fieri per Verbum diuinum debebat, quod creditur patris ſapientia, vt illam defenderet, quam, Dæmone conſulente, homo tentauerat vſurpare. Militarium ludorum propugnatores in ipſo concertationis loco præſcripto ſolere pro edicto certaminis ſuos ſuſpendere clypeos refert Paulus Oroſius apud Cartagen. quo certamen initurus accedens, clypeum illius, quocum decertare volebat, cuſpide lanceæ tangebat, quo ſigno ſe prouocatum ad prælium dominus clypei intelligeret. Inter varia Trinitatis cognomina, ſicut potentia Patri, & amor Spiritui Sancto, Verbo diuino attribuitur, & appropriatur ſapientia. Cum ergo Adamus in voluptatis poſitus paradiſo ambierit inordinate ſapientiam, quæ eſt quaſi clypeus, & ſcutum Verbi diuini, non Patrem, aut Spiritum Sanctum, ſed Verbum diuinum inire oportebat certamen. Vnde Iſai 46. audimus ſic prouocari. *Conſurge, conſurge, induere fortitudine vrachium Domini*, ipſum que certamen ſimiliter acceptaſſe. *Ego feci, ego feram, ego portabo, ego ſaluabo.*

Geneſ. cap. 2. Requieuit ab omni opere quod patrarat.

Ioan. cap. 5. Pater meus vſque modo operatur.

Deus pronus ad miſerendum.

DOmino requiei dies dicitur, habebat enim, inquit Tertullianus, cui peccata dimitteret. Hæc requies Domini eſt, hæc eſt naturalis propenſio, pondus que naturæ diuinæ. Vnde Athenienſes religioſe quidem errarunt de Deo, dicentes ad beneficiendũ, & miſerendum dexterã ſolũ habere, & cum viderent mũdum peſtibus, fame, alijs que flagellatum miſerijs, conditum à Deo negabant, incredibile exiſtimantes conditorẽ Dominum eſſe mundi, & ſimul deuaſtatorem. Tullius de dijs dicebat, ſi non peperciſſent delictis, homines dicturos valete, hi enim infortunijs oppreſsi Deum non colunt, quem inmiſerendo paraliticum eſſe reſpiciunt. ¶ Si Deus, inquit, nulla hominum charitate teneatur, valeat quid ergo dicam, propitius ſit. ¶ *Quis poterit ſtare inconſpectu Dei huius* aiunt Betſamitæ, qui arcam à Philiſteis expulſam indigne receperant religioſe, eo quod ex nobilibus ſeptuaginta, culpa neſcio qua, apparuerunt mane vita defuncti. Non ignorabant, quibus arca honorabatur miraculis, verum neque ſacrificijs curant placate, neque lachrymis temperare furorem, illam repellere tenrant, neque Deum colere volunt, quem manus habere experiuntur ad flagellandum, cor autem vt compati hominibus poſſet, & ſi quærentes, non vident.

Non manifeſtatur Deus ſicut Iupiter deſcribebatur à ſuis dextera fulmine ſemper armata, ſed veluti à Ioanne remittens culpas, & ſcelera delens. Huc tendebant Dei contra homines ponderatæ quærellæ. O populo ingrate dereliquiſti fontem aquarum viuentium; putridam fodiſti ciſternam, inquit Deus, veram gloriam Dei, decepte mutaſti

in ſimilitudinem vitili comedentis fœnum. Vitulus ille, vt inquit Ioſephus, ad ſimilitudinem Apis, qui eſt Deus apud Ægyptios adoratus, formatus erat. Non queritur Deus idololatriam præcipue, ſed quod vitulo offerrent incenſa ſimili Apis. Quare ergo? quoniam Apis, ſi credimus ipſi Ioſepho, caput ſolum habebat, præterea nihil, hoc ergo Dominus lamentatur, quod cum homines Deum eligere velent, vitulum exeriſſent, in quo nullum apparebat diuinitatis veſtigium. Quid enim vitulus idolum habebat, caput quidem, illi ergo oculi fuiſſent, habebat non ne cor? minime gentium: Poterat ergo videre culpas, ideo enim illi oculi fuerant, & compati non valebat, cum illi deficeret cor. Ad quid ergo vobis Deus oculis plenus vt videat, & ſumat de peccatis vindictam, & ſine corde vt non poſsit veſtri in afflictionibus miſereri. O quantum viſcera miſericordiæ diuinæ diſtant, Deus enim liberalitatem, ſi fas eſt dicere, excedit, & ad prodigalitatem inclinat. O prodigum ſi fas eſt dicere ſui, inquit Guarricus Abbas., *Foderunt manus meas, & pedes meos* inquit Dauid Pſal. Hoc homines attendere anxie deſidero, & ſi memoria cuncta excidant beneficia. Quare ſupra omnia huic voluit homines fore intentos? quoniam hoc beneficio exprimitur maxima Dei liberalitas. Ariſt. quærit, quare natura, quæ nihil fecit caſu, manum hominis quoad partem, ſcilicet palmam, clauſam, quoad aliam partē digitos nempe, fabricauit apertam, reſpondet philoſophus, hoc ideo feciſſe naturam, vt maiori facilitate manus operarentur. Verum ſubtilius reſpondit Seneca, vt in manu, quæ eſt inſtrumentum donandi, ſignificaretur hominis liberalitas, natura, inquit, fecit animal liberale ſecundum liberalitatem, non prodigalitatem, ideo manum, quæ ſymbolum operis eſt, & inſtrumentum donandi, nec totam apertam, nec omnino clauſam fabricauit natura, vt media procederet via, iuxta præceptum legis *media via eſt eligenda, §. pen. inſt. quibus ex cauſis manu. non licet, §. cum ex alien. inſtit. de rer. diuiſ.* Vt ergo Dominus liberalitatem excederet, neque illius terminis eſſe coartatum oſtenderet, palmam manus, quam clauſam fabricauit natura, clauis aperiri decreuit, & ſibi manus confodi paſſus eſt, vt nil omnino intra manus reſeruare poſſet, ſed volens nolens, vt ſic loquamur, omnia quæ habet largiatur, vt exclamare cū D. Petro Damiano poſsimus. ¶ O ſancte prodige, quod integrum intē natura formauit, hoc clauus aperuit. ¶ Et D. Ant. Paduan. dom. 12. poſt Trin. ¶ Cum Chriſtus in cruce manus extendit, & extenſam clauo aperiri voluit, tunc per ipſius foramen miſericordiæ theſaurum effundens, omne animal impleuit benedictione.

Deus maxime erga homines liberalis.

Geneſ. cap. 2. De ligno ſcientiæ boni, & mali ne comedas.

Gen. 2. ne forte comedat de ligno vitæ, & viuat in æternum.

QVare ſi prohibitum erat lignum ſcientiæ, cuſtoditur arbor vitæ & non lignum ſcientiæ? hoc enim primi parentis, & totius naturæ fuit origo & initium, vt inquit Baſilius. Verum arbor ſcientiæ boni & mali non eget vlla cuſtodia, ſoli arbori vitæ Angelo

gelo cuſtode fuit opus, arbor enim ſcientiæ boni, & mali diuinitatem præſtolabatur, expertus autem Adamus eſt dumtaxat fuiſſe apparentem, præterea folijs, fructu que denudauerat primi parentes (communis enim fuit expoſitio patrum ficumarborem fuiſſe vetitam) cognouerant iam ſe miſeros, quando Deos eſſe ſperabant, & poſt peccatum mortalitatis ſigna manifeſtabat, cuſtode non indigebat, cum naturaliter homines ab horrerent, ſola vitæ arbor, cuius fructus immortalitas erat, cuſtodia Angeli, ne ab hominibus tangeretur, egebat.

Secunda ratio eſt quoniam arbor ſcientiæ erat arbor vitæ ſimiliter iuxta aliquos expoſitores, quare autem cum cuſtodiri præcipitur non arbor ſcientiæ appellatur? Quoniam homines ſolum ſcientia eum pollere iudicant, qui conſulit, & quod eſt delectabile promittit. Quod etiam in ipſo ligno ſcientiæ boni, & mali manifeſtatur. Vidit mulier arborẽ primo, & ſic inquit, *de fructu ligni præcepit Deus ne comederemus*, vidit iterum lignum, quod bonum eſſet ad veſcẽdum, & pulchrum oculis, aſpectuque delectabile, antea lignum appellat ſolum, paulo poſt delicioſum bonũ, & pulchrum iudicauit. Vnde iudiciũ tam varium? quoniam cum lignum appellauit dumtaxat, fixum erat memoriæ præceptum, imò, & ipſa ſignificauit, & Dœmoni *de fructu ligni, quod eſt in medio paradiſi, præcepit Deus ne comederemus*, inquit. Fructum tamquam Tantalus reſpiciebat, appetitus inclinabat ad pomum, verum præceptum deſiderium cohibebat ligno delectari deſiderabat, verum à præcepto manus remorabatur, arbor appetitum attrahere Eua videbat, idem que lignum vt ſuberat prohibitioni, manum idemtidem retrahebat, arbor ergo quæ frangit appetitum, & deſideria, lignum appellauit dumtaxat ſine cognomine ſcientiæ. Quando autem iterum arborẽ vidit, crediderat ipſi Dœmoni, ne quaquam morituros parentes, etſi de fructu illius ediſſent, *nequaquam moriemini*, conſulenti. Vnde arborem ſcientiæ pulchram aſpexit, quando arbor ſenſui deſeruit, & applicatur affectui, & ſe attemperat guſtui ligni, ſcientiæ videtur arbor perferens fructus ſapientiæ, quod ſi prohibitionem oſtendat, etſi fuerit arbor pulcherrima ſcientiæ, animis male ſanis lignum aridum apparebit. O quã præditus ſcientia videbitur eſſe, ſi quem conſulis, iuxta appetitum, & guſtum conſilium obtulerit ſuum, & quam inſipidum lignum, ſi etſi ſapiẽtiæ vniuerſæ genere ſtrenuus dictamen ſuum non attemperaverit guſtui, ò quam eruditus videtur, qui verba, quibus blandiatur, componit, & quam ſtultus qui rationibus validiſſimis vitiorum maculas propalaverit.

Ioannes cap. 1. homines inquit lucem amplexos, & illius fuiſſe auxiliares, vnde faciliter tenebras vicit, & tenebræ eam non comprehenderunt. cap. autem 3. *Dilexerunt magis tenebras quam lucem.* Vnde tempore vrebi hoc potuit provenire affectuum diſcrimen? Textus ſacer ipſe expoſuit, *vita erat*, cap. 1. lux, radios vitales diffundere lucem inquit Ioannes inde homines lucis tunc fuiſſe auxiliares, & tenebras non comprehendere prouenit, cap. autem 3. lux illa hominum manifeſtabat maculas, & aperiebat delicta. *Opera enim eorum erant mala*, quid ergo miri, quod dilexerint magis tenebras quam lucem? Hoc ergo commune eſt inter homines, vt odio habeant, qui peccatorum maculas, vt poſsint purificari, aperiunt, & manifeſtant.

¶ Spernitur ſcientia ſi quæ delectant non cõſulit.

Genes.cap.3. Consuerunt sibi folia ficus. | *Ibidem fecit eis tunicas pelliceas.*

Commoda, quæ affert mortalitatis memoria.

MEmoriam tunicas illas pelliceas fuisse fragilitatis humana constans est apud patres, ideo folia ficus arboris adhuc viuentis vanitatis ostentantia vanum virorem, quibus se parentes induerunt, Dominus sustulit ex consulto, animalium mortuorum pellibus substitutis, vt illos mortales esse recordarentur. Quod tamen maximum beneficium credendum est, vt non nisi ex diuinis thesauris posse homini prouenire Theodorus existimauerit. ¶ Tunicas pelliceas, inquit, dedit illis Deus ex suis ineffabilibus thesauris. ¶ Memoria namque mortis fons est scaturiens innumera bona, ineffabiles thesauros, & non aliam originem recognoscens. Superbia laborabant primi nostri parentes, vnde vt mortis meditatio illis helleborum fuisset, pellibus induit mortuorum, quæ memoriam mortis excitarent, illo que præsentissimo medio, & remedio à superbiæ morbo sanarentur, sicut enim, vt inquit Schenkius, ossa humana contrita, potu que sumpta contra podagram remedium validissimum est, pes superbiæ facile potest sanari, si caluarias mortuorum, ossaque eorum assidue contemplemur. Sic enim asseruit Dauid Psalm. 71. *Non est respectus morti eorum: ideo tenuit eos superbia*, quasi hoc vitium ex obliuione mortalis procedat. Vnde Ecclesia, vt homines sapere superbe desistant, & memoriam, quam Dominus indidit primis parentibus, conseruet fixam, omnes in puluerem reducendos, fideles recolere puluere facit memoriam. *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris*, vt hinc facile cognoscere possint omnium communem esse exitum, & introitum ad vitam, vt Sap. cap. 7. asseritur, pares nascuntur, omnes pares in puluerem redeunt, mors enim, vt inquit Seneca, vbi res fortuna male diuisit, exæquat omnia. Vnde Diogenes Cynicus dum inter Caluarias volutaretur in cœmiterio, quid ibi ageret quærenti Alexandro, respondit, Philippi Mazedonis parentis eius caluariam quærere, sed hactenus non inuenisse respondit. 1. Machabeor. cap. 1. cum exaltatum cor eius referatur, cum infirmaretur adhuc viuens regnum inter pueros diuisit, adeo viua memoria mortis cerebro superbiæ vertiginibus male habenti medetur, vt homo cuius ambitioni arctus visus est orbis, ab honoribus, & diuitijs potuit animum auocare. Væcors ergo Tribonianus fuit, qui Iustiniano Imperatori, numquam moriturum persuadere coronatus est, cum quotidie vicissitudines morientium, atque viuentium ipsum refellere possent, vt inquit enim Baldus *l. 3. Cod. de Manumis.* rex mortuus aperit oculos regis viuentis. Omnes ergo morimur, & quasi aquæ dilabimur, fluuij sua nomina, *Rhenus, Rodanus*, conseruant, & quasi extra mare viuunt, quod si in mare confluxerint, nomina amittunt communi nomine aquæ marinæ indigetati, ab æquore æquati, quod est quasi mori, vnde illud Epigrammatis.

Superbiam reprimit memoria mortis.

Flu-

Flumina fluminibus distant, sic nos quoque nobis:
Dum sumus in vita, fluminis atque viæ.
Ingressus pelagum sapor amnibus omnibus idem:
Mors omnes homines æquat, vt æquor aquas.

Ardentem sed non vstam viderat Moses rubum, quare Deus vsus est mirabili illo? rogauit Theodoretus, quare non comburi curauit? ne videat cineres, inquit. Ducem Mosem eligere voluit Deus, sed non inuitũ, si autem Moses in rubo cineres intueretur, memor mortalitatis dignitatem merito recusaret. Memoria ergo fragilitatis ambitiosa cohibet desideria. *Nescitis quid petatis*, respondit Dominus Ioanni, & Iacobo dexteram, & sinistram appetentibus sedes. Ambitiose petijsse, inquit Augustinus, nil enim de spirituali cogitabant. Christus ergo Dominus mederi leniter, & fortiter volens, vulneri mortis applicauit memoriam, dicens: *Potestis bibere calicem?* Quis enim fœlicitatibus prudenter fidet, quæ quasi leues vapores morte vrebitea exhalantur? Quis enim ambire dignitates audebit ambire, quæ veluti fumus transeunt, & fugiunt velut vmbra? Optime, vana esse, quæ superbus reuoluere non cessabat, & lemmate expressit isto, *omnia*, illum significasse refert Becherius, qui lemmati apposuit, S. vnde vbi *omnia* sua vanitas finxit, apparuit *somnia*, & verius, cum, quem mors fecerit euigilare, omnia phantasmata esse cognoscet. Omnia, sicut flores egredi, & conteri, mors ostendet eius qui deditus fuerit contemplationi, vnde Isabella Aragoniæ Regina in stigmatibus florem Scelenitropos appellatum, ideſt, florem Lunæ, & alterum florem Solis Eliotropos appellatum, vt superbia conculcari nõ posset, cum hoc lemmate, *sequor, & æternum expecto*, depinxit.

Refert Becherius ex Dorotheo, Alexandro Magno paradisum quærenti, Angelum petram dedisse, quæ in statera vna librata cunctis omnib⁹ collocatis in alia magis ponderabat, verum cinere aspersa, quasi puluis leuis reddebatur. Quidquid autem fuerit de veritate historiæ, symbolũ est expressum superbiæ huiusmodi lapis, quæ, si cinerem futurum se consideret homo, euanescet continuo. Optime docuit Ægyptiorum Rex Saladinus, qui Orientem subiecerat totum, & terrorem incusserat Occidenti, & Asiæ dominabatur, morti vicinus præcipit: vt indusium superpositum hastæ vectaretur per vrbem comite præcone, qui hæc conclamaret. Saladinus Orientis flagellum, Asiæ dominus, omnium populorum terror, ex omnibus suis victorijs partis in bello, tandem Reginæ morti cedens, nil secum defert, nisi vnicũ hoc indusium, quo in sepulchro operiatur. Sero sed veram nactus est cognitionem, à qua non recessit Philippus Macedo, qui inter ludos cadens in terra. ¶ O quam minimam terræ partem natura sortiti, orbem appetimus vniuersum, ¶ inquit. Sic pariter de vana ambitione arguerunt Alexandrum Brachmani, illis petentibus, quod faceret immortales, respondisse fertur, hoc impossibile esse, cum foret ipse mortalis. Tum sic Brachmani: Cur ergo tam insana regnandi libidine flagras, ac si numquam morti tributum soluturus. Memoria ergo mortis huius Principibus communis contagij validissimum est remedium, quo, vt suos præseruent Reges, vtuntur Scithæ cum sui coronantur, spargentes puluerem, dicunt. Hæc tua est origo vi-

vide ne quid ſuperbe agas.

Dominus ergo vt primis noſtris parentibus mederetur, ſublatis ficus foljs, tunicas fecit pelliceas, vt memoriam mortis ſecum ferentes ſanarentur à libore ſuperbiæ. ¶ Tunica, inquit Iſidorus, eſt appellata, quia in motu incedentis ſonum facit. Tonus enim ſonus eſt. Primum autem fuere pelliceæ tunicæ, quibus poſt offenſam Adam, & Eua induti ſunt. ¶ Tunica ſonus erat qua primi parentes ſe mortales eſſe, quocumque incederent, recordarentur, vt cum ſuperba cogitarent, pellium animantium ſono humiliter de ſe ſentire monerentur; ſi laboribus fuiſſent depreſsi, ſpei remigio erigentes ex mundi fluctibus caput, tollerantiam, quouſque ad portum cœli rupta vitæ tella peruenirent, conſeruare docentur. Quæ omnia comprehenduntur in illus definitione philoſophi apud Becherium. ¶ Mors, inquit, eſt ſomnus æternus, diſolutio corporum, diuitium pauper, pauperum deſiderium, ineuitabilis euentus, incerta peregrinatio, latro hominis, vmbra vitæ, omnium reſolutio, laborum finis, cupiditatum clauſula, improborum carnifex, bonorum præmium.

Secunda ratio, quare de poni foliorum veſtem primos parentes Dominus voluit, eſt, quoniam verecundam nuditatem, quæ erat fructus peccati, ſimulabant atque occultabant, ideoque indigni fiebant remedio, vt inquit enim Bern. ſerm. de confeſ. ¶ Peius vere eſt confiteri nolle, quam legem contemnere; peius eſt Dei offenſam non ſatisfactione placare, quam peccando Dei bonitatem offendere. ¶ Poſt tranſgreſsionem Adam accepit folia ficus, quibus obtexit ſuæ turpitudinis peccatum, cum deſtrueret tranſgreſſionis peccatum, & deleret incruare fecit operculum peccati, ideſt, folia quibus Adam tegebatur poſt tranſgreſsionem. ¶ Sed de fructibus confeſsionis, & damnis quæ ex non propalando peccato naſcuntur, fuſsius in ſequentibus.

Geneſ. cap. 3. Adam vbi eſt.

Deus omnia cognoſcit nullum ignorat.

D. Chryſ. hom. 17. ¶ Cum ſe præ confuſione, inquit, nudatum tegeret, rogabat vbi es, non ignorans, ſed fiduciæ occaſiones illi præbens, vt per confeſsionem peccati, peccatum ipſum abluerētur, hunc enim morem habet, vt abinitio à nobis peccatorum exigat confeſsionem, vt veniam præbeat. ¶ Et quidem peccati confeſsio ſecunda eſt tabula poſt naufragium, vt inquit Auguſtin. hæc vnicum eſt peccatorum remedium. ¶ Peccata tua, aiebat S. Petr. Damianus, dicito vt deleas peccata tua, dicito in hac vita, vt requiem habeas in alia. ¶ Sed o miſeros homines peccatum non erubeſcimus & confeſsione pudore tenemur, o miſerum Adamum, qui poſtratus in terra confiteri debuerat (inquit S. Th. de Villanoua dom. 3. quod.) peccatum ſuum, & dicere Domino, miſerere mei, ſe potius cum muliere excuſauit: vnde propter impœnitentiam cum poſteritate damnatur. ¶ Et addit. Ecce quantum ob fuit mũdo nolle confiteri peccatum.

Integra peccatorũ confeſsio.

Ami-

Amice, inquit Deus Matth. 22. *Quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem, at ille obmutuit.* Tunc ait rex ministris, *mittite eum in tenebras inferiores.* Quare ergo hoc? non satis erat à domo, & conuiuio repellere? D. Gualfridus in alleg. ait. ¶ Tunc, non vbi ille sine nuptiali veste introiuit, sed postquam admonitus siluit, interrogatus noluit confiteri. ¶ Erubescere debuerat sine veste nuptiali ad sacram accedere mensam, sed non obmutescere in confessione. Huiusmodi fuit, quod Socrati Philosopho accidit, offenderat hic in vestibulo prostibuli egredientem adolescentem, qui post ostiũ se abdidit, cũ eũ videret, ei autem manu comprehenso hoc solum locutus est. ¶ Amice mi. Hunc locum intrare erubescere debueras, non exire. ¶ Ad primum lasciuum colloquium erubescere deberet fœmina, domum contagiosam intrare deberet erubescere adolescens, non exire, vulnera animæ formidare debemus, & non erubescere sanari. ¶ Sciens enim Satanas, inquit Chrys. hom. 80. ad popul. quod peccatum habet confusionem, pœnitentia vero fiduciam: ordinem commutauit, & pœnitentiæ confusionem adiecit, fiduciam autem peccato. ¶

O quot culpæ pudore grauati detractantes homini confiteri, Deum vindicem prouocant ad vltionem, & quasi parturientis dolores superueniunt vt Psalm. 40. *Tremor apprehendit eos, ibi dolores vt parturientis.* Minatus erat Dominus per Isaiam hominibus pœnam heritij, quem inquit Pierius Valerianus pinxisse antiquos, vt procrastinationis damna significarent. Heritius armatum spiris animal est, cum autem prolis partus accedit, fœmina percussa stimulis fœtus parere timens tãdiu differt partum, quousque spinis cum filio crescentibus, & doloribus, vterum maternũ dilaniat, & vrebem dolorem herinacius excussans, moritur tãdem & ipsa procrastinatione perit. Infandum mostrum, quod eloqui non audet, horret peccator conscientiam, pungitur pudore peccati, varios cogitationum patitur æstus doloris, spinis, ac morsibus laceratur, pudor & ignominia ante oculos versatur, vt in aures confessarij deponat, morte durius ac damnatione pungit, & angit, si aliquando mens peccatorem agitat, & conscientia æstimulat ad euomendum venenum, fœtum ex flagitio susceptum, & in animæ formatũ vtero retrahit præ pudoris timore. Sed omnia in vanum; vt enim inquit Lucret. *l.* 4.

Vlcus enium viuescit, & inueterascit alendo. Et cum venerit vltimus dies, vt describit Oseas 13. *Absconditum peccatum eius, dolores parturientis venient ei,* & expertus est Dauid ad nouem menses homicidij, & adulterij vlcus animo grauissimũ fouens, Psalm. 32. *Quoniam tacui, inueterauerunt ossa mea,* cum dies inquam vltimus venerit, nec iam vlterius possit differri partus, tunc superuenient omnes dolores, & quæ puduit vni committere homini, pandentur cuncta coram curia cœlesti, & vt Augustinus aiebat medit. cap. 4. ¶ Ecce coram tot millibus populorum, nudabuntur omnes iniquitates meæ. ¶ Durius ergo, vt vrebis pudoris dolor vetetur, quam herinacius dilacerabitur homo, incipiens dicere montibus. *Cadite super nos, & collibus operite nos.* Luc. 23. Videatur D. Petrus Damianus *serm.* 58. *in fest. S. And. serm.* 2. & *serm.* 69. *in Dedic. Eccles. serm.* 1. Accidit peccatori, quod elephanti, de quo Androbaldus, inquit, quod sitiens fontem aquarum quærit, anxie accedit vt bibat, cum autem in crystallis fœditas eius videtur, turbat aquam arena: videns autem aquas turbidas esse, bi-

bibere differt quousque sint serenatæ, cum iterum autem clarescunt, incipiens formam horrere repræsentatam in aquis, iterum turbat crystallum, ac tandem sitiens fugit, neque bibere audet. Sic pariter homo qui facinorum genus omne commisit, diuinis inspirationibus lacessita conscientia fontem aquarum viuentium quærit, verum cum fœditatem sui contemplatur sacro horrore perculsus turbat crystallum, & fugit à remedio, iterum exstimulatur, vt per pœnitentiam ad Dominum Deum conuertatur, scelera in memoriam reducit, horrens autem fœditatem, quam contemplatur, lingua titubat, vox hæret, nutant oculi, rubescunt genæ, pudoreq; obmutescit, quousque ad domum æternitatis, & ad solum iudicis euocatus, iacta est sine remedio salutis alea, sitietq; in æternum.

Non debet excusari. Misericordem Dominus Deus se gessit cum arbore ficus, inquit Isidorus Peluſiota, quando illam à radice succidit, quærens in illa fructus, cum non esset tempus ficorum, rigidum autem cum alia ficu, quando ab hortulano expostulatus, suspendens vindictam in columen reliquit omnino. Quis talia audiuit? succidere arborem ex misericordia potuit oriri, & ex iustitia, alteram relinquere impunem? Vtique: humano ac misericordi animo hoc illi imputatum esse, inquit Peluſiota, hæc quippè transgressionis fuit arbor, cuius foliis, qui mandatum violarunt, vsi sunt ad se tegendum. Supplicium ergo maximum foret, & cunctorum irreparabilis ruina, si habētes arborem, quæ pro fructibus ferret delicta, conseruassent, & folia, cuius vmbra possent celari. Misericordia ergo Domini fuit, quod arefieret, & folia, & rami succiderent, vt delinquentibus, qui fouissent peccata, tolleret excusationes.

De integritate confessionis.

Confessio integra debet esse. QVare Eua, quod fuerit à serpente decepta Deo respondet, & non quod comederit fructum? credere serpenti fuit nefas, sed detestabilius comedere fructum, in quo culpa fuit consummata, ex defectu igitur integritatis pariter defecit cōfessio. Præcepit Dominus in Leuit. quod Sacerdotes, quibus iudicium de lepra commissum est, lepra teneri mundissima iudicarent, qui à planta pedis vsque ad verticem capitis fuisset coinquinatus, verum qui vna, vel altera tabesceret visus est labe, immundum habitum iri. Quare ergo? Nullus qui hæsitet est, iudicium sacerdotibus commissum de lepra, iudicij pœnitentiæ commissi legis Euangelicæ typum esse. In vtroque ergo iudicio immundus habetur vna vel altera lepræ tabescens non quia plures non habeat; sed qui cum à planta vsque ad verticem leprosus sit, vnam vel alteram manifestat, hic incurabilis est, immundus habetur, qui autem sub conspectum oculorū sacerdotibus manifestat, ita facili curatur negotio, vt sanus valeat existimari. Efficax medicina Sacramentum est Pœnitentiæ, dummodo maculæ omnes pateant sacro iudici in tribunali, verum si vnam vel alteram manifestat peccator, & simulat, seù reticet alias, immundus, & incurabilis debet existimari, medicina enim sacra indiuisibiliter sanat, vel omnia labat, & mundat, vel sordescet amplius peccator.

Recognouit Ambros. hoc idem Dominū nobis consuliſſe cū inquit; *Estote prudentes sicut serpentes*, quæ de calliditate passiua intelligi verba debere, sentiunt plures. Amb. autem hic imitari serpentem in reuocatione animæ existimat præcepisse, sicut enim serpens illiditur inter lapides duros,

duros, vt veterem tunicam exuat, sic peccatores pectora concutiētes, inter lacrymas & suspiria Adami veterem vestem debent exuere, vt pulchram gratiæ tunicam induantur verum in hac renouatione imitari nos debere serpentem inquit Amb. de hoc enim animali ait Plinius, quod si aliquid pellis in caudæ extremo remanserit, totum corrumpit. Per pœnitentiam ergo ab omnibus peccatis liberi sumus, in gratiam Domini renouati, si tamquam prudentes serpentes, nil pellis, nil culpæ, nil veteris Adami, quod maculet animam nostram, remaneat.

Defecit similiter nostri primorum parentum, quoniam id quod minus est sprevit, violationem nempe præcepti, accidens autem & pœnam ex illa sequutam dumtaxat confessus est, *timui eo quod nudus essem.* Symbolum peccatorū sunt, qui gratia contemnentes leuia dumtaxat confessi sunt. Quare tu Iudæus cum sis, inquit Samaritana, aquam à me petis? Non enim coutuntur Samaritani Iudæis. ¶ Vide quam circunspecta est mulier, Christum corrigit, inquit cum irrisione Chrysost. Quare ergo irridet mulieri Chrysost. ? actus religionis erat Iudæis à Samaritanis diuortium, ex lege enim Synedrij instituta erat huiusmodi separatio. Merito irridet Chrys. quoniam quinque viris aluti inquit Dominus & tot scelerum immemor, Christum corripit, & loqui cum Iudæo formidat. Idem contingit in Dœmonibus, quod prouocauit Arnaldum Carnotensem ad iram, facultas nempe, quam petunt, vt in porcus muttātur. Non timet enim Dœmon in homines libere intrare, & non sine licentia simulat in porcus se velle mitti. O! quot omnia scelera audent, & pungunturscrupulis erga leuia.

Gen. cap. 4. Eijcis me à facie terræ, ero vagus & profugus, omnis qui inuenerit me occidet me.

Quem timet? cum nullus in mundo fuerit.

Peccator omnia timet.

SIcut seruum, inquit Oleaster, quem torue princeps intuetur, omnes persequuntur, & vno principe offenso omnes serui se offensos ostendunt, & suo modo puniunt, ita vt ianitor eo viso, iam ianuam claudat, alius vbi arridebat, iam non amplius rideat, ita eum qui Deum offendit omnes persequuntur, illique irascuntur, ita vt si Deus permiserit, omnes de eo vindictam sumerent, non mirum proinde si talem pauorem, & timorem iniqui patiuntur. ¶ Quemadmodum enim, inquit, Dionysius Cartus. mare tempestuosum & feruens, inquietum, turbulentum, & subuersiuum est nauigantium: sic homines praui & impij semper turbulenti sunt corde, & animo inquieti. ¶ Hæc patiebatur, Psal 37. *Non est sanitas in carne mea à facie iræ tuæ, non est pax ossibus meis: miser factus sum & curuatus vsque in finem: tota die contristatus ingrediebar.* Cur autem hæc omnia Dauidem exagitant? Mala conscientia est. Quo, inquit, *iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Mala enim conscientia animam lacerat, & sub flagellis habet

Mala conscientia affligit.

bet perpetuo. Pœnam hanc acerbiſſimam Iuuen. Sat. 15. deſcribit.

Nocte die que ſuum geſtare in pectore teſtem.
Occultum quatiente animo tortore flagellum.

Animus malæ conſciemiæ trepidat, ſemper in motu in metu ſemper. Statim à Caim crudeli fratricidio ſcelerauit manus, vagus & profugus exceſsit in terram *Edem* & vt inquit Hieronymus in terram inſtabilem, atque fluctuantem, tremula erat conſcientia, in animo nulla requies. De homine impio, ſic Seneca de tranquil. loquitur. ¶ Multis ſe modis ſemper fugit, ſed quid prodeſt, ſi non effugit ? ſequitur ipſe, & vrget grauiſsimus comes, velis, remis, equis, rhedis aufugias, poſt equitem ſedet atra cura. Fruſtra Cain vt ſe defenderet, ciuitatem ædificauit, quamvis enim vallo, muris, obductiſque repagulis ferales ſuos metus excludere curet, pax foris eſſe potes, ſed acre domeſticum bellum eſt, quoniam hoſtis in animi penetrabilibus habitat. Vnus in mundo Adamus erat, & Eua ſola parentes, & tamen *omnis qui inuenerit me, occidet me*, dicit formidans, & vt inquit Procopius, quem refert Cornel. Gen. cap. 4. quocumque figeret oculos, ſerpentes veneno dentibus & vnguibus vrſos; atque leones, cœlum & omnia imaginabatur armari. Refert Plutarc. Beſſum, cum patrem clam obtruncaſſet, vocatum ad cœnam nidum hirundinum deieciſſe lancea, & à præſentibus rogatum de facto reſpondiſſe. Non auditis hirundines falſa de me vociferari, & me eſſe patris occiſſorem teſtari, deinde ſceleris conuictum pœnas iuſte luiſſe.

De peccato ſic loquitur Vgo Claren. in cap. 4. Matth. ¶ Peccata dicuntur vmbra mortis, quia ſicut vmbra ducit ad corpus, ſic peccata ad mortem æternam. Et quia ſine corpore non eſt vmbra, ſic nec peccata ſine morte æterna, qui ergo vult fugere hanc mortem, euitet hanc vmbram. ¶ Quæ ergo non horrebit, quem vmbra ſequitur mortis? quibus non pungetur, qui ſcorpionem in pectore fouet.

Quare Deus, Hieronym. ad Dam. quæſt. 2. quærit, non occidendum Cainum minatus eſt ? vt vltimo terribilium puniret, reſpondet. Noluit Deus compendio mortis finire cruciatus. Vnde ait. Non ſic, ideſt, non vt exiſtimas, morieris, & mortem pro remedio accipies, ſed viuens vſque ad ſeptimam generationem, conſcientiæ tuæ igne torqueberis. Quod ſi peccatores ſtimulis non punguntur conſcientiæ, infœliciores ſunt, cum mortis æternæ indicium non leue ſit, vel quia male ſanum iudicium eſt vt inquit enim Hippocr. in Aphor. ¶ Quicunque dolent in aliqua parte corporis, & dolorem non ſentiunt, his mens ægrotat die hyemis, ideſt, iudicij, ſeu cum viuere iam deficiet, ſentiet, & ſummoperè trepidabunt. Nunc peccatores maximè de miſericordia fidentes, omnia in Chriſti ſanguine ſperant, ſed tempore mortis opprimentur terrore. *Occidet eis Sol in meridie*, inquit de peccatoribus Amos. Albertus Magnus Solem intelligit Chriſtum Dominum. ¶ Occidet eis, inquit, Sol in meridie, de quo dictũ eſt, Sol intelligentiæ non ortus eſt nobis. ¶ A meridie Sol intelligentiæ repente mutabitur ad Occaſum. Attendite diſcrimen inter ſolem, dum eſt in meridie, ac ipſũ prout eſt in Occaſu, vtraque enim poſitione atque ſitu vmbras effundit fallaces, in meridie minores, & in Occaſu maiores, & Sol de-

Peccatores qui nũc omnia in ſanguine Chriſti ſperant, mortis tempore maximè trepidabunt.

decedens crescentes duplicat vmbras. Nunc autem ad rem, *Sol occidet eis*, quid est peccatum, nisi vmbra mortis, & priuatio lucis. Occidet ergo peccatoribus Sol, idest qui Solem intuentes in meridie misericordiarum nihil trepidant, vmbras que peccatorum quasi minimas arbitrantur, *occidet Sol*, ex templo mutabitur in Occasum, & apparebunt vmbræ peccatorum maiores, falsa securitate repente interrorem mutata, quippe Solem in Occasu, vbi agit iudicis munus, respiciunt. Hoc constat in Cain manifeste, à Deo interrogatus de fratricidio respondet intrepide, neque vltorem Dominum timet, cum autem iudicis munus exercere considerat *vox fratris tui clamat ad me*, crescentes duplicat vmbras, ita maximam reputauit iniquitatem, vt remissionem non speraret.

Rupertus hæc Cainum locutum, inquit, captum diuitiarum cupiditate, sed non diuino timore. ¶ Non enim Deum sibi iratum (ait libr. 2. in Genes.) putat, sed timet ne sibi agricolari non liceat. ¶ Miserabilis pœnitentia; quæ offensa diuina contempta, temporalia timet perdere bona. Adam, cum Dominum offendisset, nudum videri timuit, sed non horruit contra iudicem deliquisse. Peccaui, dixit sicut Rex Dauid etiam Saul, hic autem salubriter non pœnituit, sicut & ille, Saul enim non diffamari coram populo timuit, Dauid ex corde Deum veritus est offensum. Hoc signo iustus differt ab homine in iusto, hic pœnam, ille vere Dominum timet. Quis vestrum me traditurus est, inquit Christus, serenitas omnium turbatur. *Numquid ego sum?* dicebat Petrus, ero numquid ita infaustus, quod à dignitatis loco sublimi ruam celeri præcipitio? Numquid ego sum? Ioannes aiebat, qui dilecti titulum merui à Domino audire? Omnes turbantur, omnes recolunt memoriam, & conscientiam singuli pulsant. Iudas solus neque trepidat, neque scrupulus pungit. Iterùm Christus Dominus memorat traditionem, intingentem cum illo in paropside panem asserens fore infidelem, & tunc subito traditor perturbatur. Vnde hæc tam subita, & repentina immutatio? Quare non interrogat simul cum alijs? Ratio est quoniam cum primùm quæreret Christus, traditionis crimen, & offensam repræsentauit, *vnus vestrum me tradet*, cum iterum commemorauit delictum, *væ homini illi*, addidit, & pœnam minatus est. Quid ergo miri, quod cæteri Apostoli, cum audiunt crudelis traditionis offensam, turbentur, & non Iudas nisi cum pœnam comperit fuisse minatam, iusti namque & innocentes offensum Deum timent, iudicem solum iniusti, hi pœnam, illi trepidant solam culpam. Iustus omnibus imperterritus est, solo timore diuino terret, sicut Eli, qui mortem liberorum, bonorum que iacturam immotus audit, cognita autem arcæ captiuitate perijt, non pro familia, sed pro arca pauebat illius cor. De margaritis refert Plinius partum esse concharum pro qualitate roris accepti, has autem, & si tempestates continuas patiatur mare, fluctibus que quotidiè inundentur, non periclitari experimur, verũ si cœlũ obnubilari contingat, & rumpere aliquando tonitrua, margaritas pallere cœ-

lo minante experimur. Non semel animam iusti margaritæ Scripturam comparare videmus, vt denotet homines, non iactura temporalium bonorum, sed solum ipsius Dei immutari debere, ac denique æternum dumtaxat turbare posse. Simulata ergo Caini fuit pœnitentia, Deum offendisse nec considerauit, nec timuit, & solum terram amittere doluit. Sub captiuitate iacebat victrix, miserè victa à Romanis, Carthago, quotannis coacta reddere imperio tributum, cum primum autem exactum est pœnis, luctus, & planctus, maxima que mœroris inditia sunt inciuitate visa, & audita, verum Anibal non potuit cohibere risum, interrogatus autem de gaudio in communi planctu, dixisse fertur, non ex lætitia, sed ex irrisione feciſſe, eo quod damnum deplorarent leuissimum, & qui neque suspirium vnicum emisere, cum Romani Carthaginem inuasissent, nunc clamoribus aerem implebant, & terram lachrymis irrigabant in exactione tributi, quod damnum præ illo, leuissimum reputari deberet.

Nil de offensa considerauit Cain, sed totus fuit in terræ bonis non amittendis, immemor fratris occisi, & Dei, quem deberet iratum timere, dumtaxat recordatus est terræ. Cum Abelum occidit inuidiæ libore correctus, neque Deum neque etiam bona perdere timens, post homicidium, damna quæ pati cœperat, doluit, atque pœnituit propter diuitiarum iacturam. O! quoties bona temporalia & (quod maius est) etiam æterna ob breuem gustum inconsiderantèr amittimus.

Gen. cap. 4. Omnis qui inuenerit me occidet me.

Non erant in mundo nisi parentes.

Inuidus aliorum bonum, suum facit inuidendo supplicium.

CAietanus pro huiusmodi conciliatione aliter legit. *Omnis qui inuenerit me occidat me*, quasi desperatè desiderauerit mortem, non timor sed vitæ fuerat fastidium, considerauit primo Cain, fratrem Abelum à Domino præ illo fuisse dilectum, *ad Abel & ad munera eius respexit*, & inuidus occidere fratrem decreuit, & facto compleuit, cum autem mortuum Abelum Domini obliuione sepultum arbitratus fuisset, audit à Deo *vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, & tam arctam cum Deo amicitiam inijsse videt, vt cum Domino vocem habeat, amicabilitèr que loquatur, & nactum patronum, ad quid ergo viuere inquit? Si sanguis, quem pro ardore inuidiæ extinguendo effuderam, clamans ad Deum iterum excitat flammam, tædet vitâ, dulcius est mori, prosperitas aliena, vt inquit Saluianus lib. 5. de prouid. illi supplicium erat, & parum est si ipse sit fœlix, nisi alter fuerit infœlix. Quod de alio dixerat Seneca Tyest. act. 2.

Relopis domus.
Ruat vel in me dummodo in fratrem ruat.

Rabidis inuidiæ stimulis agitatus Caim mori amat, vt fratri tolleret vocem quæ ideo clamat vt sumeret de fratricida vindictam, si cum Domino amicabilitèr loquitur, quia ego viuo, *ruat vel in me* moriar, omnis occidat me, vt ob-

obmutescat Abelus, vere enim Salomon inquit Prouerb. 14. *Putredo ossium inuidia.* Cant. 8. *Dura sicut infernus æmulatio.* Vnde vbi Psaltes Psalm. 17. *Dolores inferni circumdederunt me.* Aug. legit *dolores inuidiæ.* Vnde Cain vt fratrem perimeret, se ipsum perdere non dubitauit. Dœmones plures certum est aliquos nocuos in aere constitutos esse, de quibus asserit D. Bernardus pœnas intensas luere; Quare ergo in baratrum lapsi vna cum alijs Dominus noluit torqueri? Forsam, quia pœna rigidiori erant digni, cum enim Angeli boni in terram ascendant, descendant ve, hominibus ministrantes vident & inuident, & inuidia maxima inter omnes dolores pœna torquentur, alij qui minori grauitate peccarunt in baratrum retrudantur, verum qui deliquerunt intensius vt pœna respondeat delicto, durius que affligantur, perpetuo consistant in aere, vt beatorum spirituum fœlicitatem considerantes, suum que miserum statum; flammis inuidiæ, non minus quam inferni ignibus incendantur, graue enim illis malum est, est illis non ferendum incendium, quos aliquando habuere pares in gloria, videre fœlices, cum ipsi ab eodem cecidissent statu. Sic D. Bernard. serm. 54. in Cantic. ¶ Diabolus in pœnam suam, locum in aerem medium inter cœlum & terram sortitus est, vt videat, & inuidcat, ipsa que inuidia torqueatur. ¶ Quod eloquentia solita expossuit Chrysost. serm. 122. quando Epulonis perlegit querelas dicentis: *mitte Lazarum.* Maluit enim secum ignibus inferni cruciari, quam incendium temperare, ideo non se ad Lazarum mitti postulat, sed ad se Lazarum vult deduci. ¶ Lazarum mitte, inquit Chrysost. quo? ad internum de gremio, de solio sublimi ad profundum chaos: ad tormentorum stridorem de sancta quiete, de tanto silentio beatorum. Et emitte Lazarum, vt video, quod agit, non est nouelli doloris, sed liuoris antiqui, & zelo magis incenditur quam gehenna. ¶ Dura ergo est sicut infernus æmulatio. Optime ergo inquit Greg. Nazianz. inuidiam iustius & iniustius esse peccatum, ex omnibus que voluntatis affectibus inniquissimum simul & æquissimum esse, inniquissimus est, quoniam, quidem quid violentius, quam bonis alterius dilacerari, & macrescere? sed quid æquius inuidia? cum sibi ipsa sit infernus, tormentum, & pœna. Et ideo inquit Curtius libr. 8. quod inuidi homines nihil aliud quam ipsorum sunt tormentum, & Horatius lib. 8. ep. 2.

Inuidia siculi non inuenere tyranni.
Tormentum maius.

Ex quibus omnibus constat, quod inuidia nulla vnquam malignitas peior inuenitur, viscera hominis interiora corrodit, medulas viperino dente consumit, omnia que tentat vt alium in perniciem reducat. O fera pessima inuidia; quæ arbitrata est deuorasse Ioseph, vt inquit Hugo Garensis, alijs de vrso, de leone illud Iacob exponentibus Gen. 37. Hæc fera est, quæ familiam inuasit Isai, Vnde inquit Chrys. hom. 44. ad pop. inuidia homicidij mater est; at omnium sceleratissimus es, cum inuideas fratri.

Sed *ex ipsa contra ipsam* Iuliani lemma applicare possem ijsdem enim in ijs, quibus inuid' frater Abelũ ex

tinguere tentat, strictiori amicitiæ vinculo Dominovnit audiuitū nactū fuisse patronum, aduocatum, & necis vltorem. *Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Inuidia, quam aduersus Iosephum vsque ad internecionem conflauerant fratres, gradus glorioſi fuere, quibus ad tronum ascendit, inuidos & inuidiam postrauit. Inuidentia Saulis Chiliarchum primo constituit Dauid, impigrum ad belli discrimina fecit, ac tandem regali cinsit corona.

Gen. 5. qui occiderit Cain septuplum punietur.

Nullibi legitur esse Lamech punitum.

D. Theodoretus asserit pœnas luisse Cain, liberum euasisse Lamech, eo quod iste delictum confessus est, non sic Cain, qui interrogatus, vbi est Abel frater tuus? negauit: Lamech autem, *occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum*, ita confessus est. Theod. quæst. 44. in Genes. ¶ Pœnitentiam, inquit, propter peccati confessionem, & contra seferens sententiam, euitauit sententiam diuinam. ¶ Remissio namque culpæ non adest, nisi confessio præcedat. Aperto ore eius, inquit, Christus Dominus Petro, *aperto ore eius inuenies staterem.* Quare in ore, cum piscis quidquid sumpserit, continuo deglutiat? Ratio est, quoniam potestatem remittendi peccata, paulo ante conceserat Petro, *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, vt autem nunc modum, quo peccata delentur, doceret, inquit remissionem culpæ staterem, & pretium, quo nostra redimitur salus, & à captiuitate libertas in viscerib̃ non in ore piscis consistere, in ore pretium, quo venalis sit gratia. ¶ Non otiose, inquit, Amb. in ore piscis dragma inuentum est, nam ex ore tuo iustificaberis, etenim pretium immortalitatis est nobis nostra confessio. ¶ Mors & vita in manibus linguæ, mors est, cum mortifere transfigit proximum, vita est cum ore maculas patefacimus. Cain autem pœnas incurrit, interroganti enim Domino vbi est frater tuus? *Nescio* respondit: peccauit, sed non confessus est.

Quã necessaria fuerit confessio.

O quot verba ad innania, & linguam habentes, silentio laborant, loqui cum oporteret, vt vitia contra fas iactent, os habent, & labia sacerdotibus muta. Dolet magnopere Origines, clausam ianuam virginibus quinque stultis, *nescio vos.* Quare hæ solæ infælices sunt? cum dormitauerint omnes, penè que extincta in omnibus charitas fuerit. Non ne Dominus acceptator est personarum? Quare ergo & quinque saluæ sunt, cum aliæ reprobæ factæ? Quoniam, respondet Origenes, os & labia mouere, vt dicerent virginibus alijs, & erubuerunt dicere sacerdotibus. *Vnde ite potius ad vendentes*, responderunt ideſt, Origine teste, ad sacerdotes, & doctores Ecclesiæ. Optimo ergo iure dictum est *nescio vos* ijs, quæ sine intermissione cum alijs confabulantes defectus, vnde habent augeri, erubescunt dicere sacerdotibus, vbi possent deleri.

Genes.

Genes.6. Videntes filij Dei filias hominum.

Nullibi tunc prohibitum inter filios Sethi, & filias Cain reperitur matrimonium.

Damna male societatis, & amicitiæ.

FILIOS Dei nuncupari, qui Sethi ex progenie erant, sicut & filiæ hominum, quæ ortæ sunt ex Cain, diximus superius in conciliatione litterali antilogiæ. Filij ergo Dei, seù Seth ardore Dei religioneq; feruentes erant, verum vxorum consuetudine flagitiosa polluti, in omnium scelerum genera irruerunt. Nõ ijs minora generat impiorum societas damna. Ideo refert Seldenus per sanguinem Abelis à liberis iuramentum Seth postulasse de non ineundo cum filiabus Caini coniugio. Quasi acceleraſſe Iudam visus est Christus, cum inquit, *quod facturus es, fac citius.* Sed quis dicere audebit Christum stimulasse ad peccandum? Dicendum autem, quod cum à cenaculo recedere vellet, vt pro discipulis oraret in horto, timens ne cum discipulis aliquantulum detineretur Iudas, & contagio in fidelitatis reliqui inficerentur, quod facturus es, inquit, fac citius, ne periculum societatis præcipites fecisset alios. Ideo non prius Christus Crucem ascendit, quã Iudam è collegio dimisisset, ne à societate tam pesimi viri alij præuaricarent.

Nullus in occasione nõ perit.

Verum quamvis ex societate impiorum iustis maxima detrimenta sequãtur, quis cogitare posset, quot ex consuetudine mulierum contingant hominibus ruinæ? quot iuuenes, veluti culicibus similes, qui circum candelam volitant, & splendorem mirantes, tandem alas comburunt, elegantem fœminæ formam ambiunt, circum volitant, flammam, qua miserrime pereunt. Et vt Ouid. Met. lib. 8.

Cupiunt quę suum reperire periclum.

Nullus quamtumvis sanctus non periet, si à consuetudine fœminæ non abstineat, & flammas illius fugiat, alias, inquit Ambros. ¶ Erit fortitudo vestra, vt faulla stuppæ, & opus vestrum quasi scintilla: & succendetur vtrumque simul, & non erit qui extinguat. ¶ Samson validus & fortis leonem suffocauit, sed non amorem: hostium vincula solvit, sed non suarum cupiditatum nexus, messes incendit alienas, & vnius ipse mulieris accensus igniculo, messes suæ virtutis amisit. Vnde illud.

Lenam non potuit, potuit separare leænam:
Quem fera non potuit vincere, vicit hera.

Hæc enim pestis, vt inquit Bern. de interiori domo, cap. 29. eo ad nocendum prodiuior, quò ad repellendum difficilior. Subtiliter intrat, & mentem occupat, nisi subito repellatur, allicit, & incendit, inimicus est validissimus, & dumtaxat vincitur fuga. Cognouit, & confessus est Dauid suum dilectum, sed sic planctum exponit. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei*, aliter legit Ambros. *in riuos aquarum descenderunt oculi mei.* Quare fontem lacrymarum oculos fluxisse Dauid non dixit? Quare in riuos aquarum? Exposuit Climacus, lacrymis Dauid vere pœnitens, adulterij, & homicidij duo, quibus fœcatus erat, delicta delere intendit, verum vt caste planxisset, in riuos lacry-

crymas misit, sed non lacrymarum fontem, hic enim mixtas,& vnicas scaturit,sed non ita decebat, vt, sine periculo pœniteret, ideo in riuos descendunt distinctos, vt lacrymæ, quibus plangebat libidinis, & adulterij delictum,non miscerentur,quibus homicidium delebat, ita enim contagiosa est libido, vt lacrymæ, quibus plangitur homicidium,iudicentur periclitari,si à lacrymis, quibus adulterium deletur, non separentur.Si ergo periculum patiuntur lacrymæ,quid non timemus de viris etsi sanctissimis? nisi quod inquit Eccles.19. *Mulieres apostatare facient sapientes.*Stipula est homo, & sicca,vt Iob cap.3.appellauit,& mulier flamma est. Quis ergo stuppam approximabit candelæ? Sic inquit Nazianz.

Nec tantùm est stipulam rapide committere flammæ,
Nec bene cum solo clauditur aqua lupo.

Non solum stuppam, vel stipulam siccam deborat iste ignis, verum frigidam etiã materiam libidinis ignis accendet,sed consumet,& in fauillas reducet. Sepelisse Sarã in spelunca duplici Abrahã asserit Moses,quæ,vt inquit Lyranus,duplici sinu componebatur, vt singulis singuli requiescerent.Quare autem hoc? Maior non ne ostensio foret amoris, vt qui vinculo dilectionis vixere vniti, non separarentur defuncti? Excelsior non ne foret gradus amoris,& mutuo se amantium solatium, vt quorum vnũ fuit cor, eadem vtriusque cineres reciperet vrna? Vt caste requiescere indicet, duplicem speluncam in sepulchro diuisit,& nos doceret, quibus exposita sit periculis hominum cum mulieribus vnio,etsi frigida sint vtriusque sexus cadabera, & cineres congelati.Ideo spelunca illa, inquit Glossa, duplici sinu gaudebat,altero vt homines,altero vt mulieres sepelirentur,vt sic requiescerent separatæ,& nos instruerent,quanta cautione mulierum vitare teneamur consortia, cum libido tam rapidus ignis sit,vt etiam cadauera frigida timere periculum moneant. Nullus ergo periculi nil iudicet imminere, si oculos tantum in puellam pulchram conijciat, sit,iterum que conueniat, & cum ea sermones prolixos misceat, quoniam si quempiam pestilens virus inuadat,periet si hæc omnia non longè fugiat, cum cedri Libani, & viri sanctissimi ceciderint sub hac peste,vt inquit Augst.quippè occasionem contemnere vitare. Nimium præceps est, vt inquit Cypr. de sing. cle. qui transire contendit,vbi olim cecidisse conspexit.

Quare columba,quam egredi ex arca permisit Noe, iterum redit ad arcam, quærit Augustin. cum sine aquis apparuissent cacumina montium? Non sensit securitatem, respõdit idem. Montes illi semel aquis innundati fuerant, quid si iterum submergantur? Montes illi, sepulchra fuerant,vbi hominum cadabera quæ ferarum iacebant, vnde ergo securitatem poterat sperare columba? Prælegit ergo arcæ secundam captiuitatem,quam periculosam in mõtibus libertatem.

Proponuntur damna oculorum.

VNde calamitas tanta toti vniuerso prouenit,vt aquis submergeretur? nisi ex inconstantia oculorum: Vno iactu oculorum Eua perdidit paradisum.Holofernes, qui in caute Iuditham vidit,vrbem, quam penè captam existimabat, libertatem, & vitam amisit, *captus enim est in suis oculis Holofernes.* Quid autem miri,quod oculus meretricis laqueus amoris sit,cum etiam organum

num oculi tunica retiformi componitur instar retis? Vnde sic se irretitũ cecinit ille. Prop.l.eleg.1.

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis,
Contactum ante nullis cupidinibus.

Refertur 3.Reg.cap.31. hostile odiũ quod contra Saul, etsi defunctum conceperant, & inimici corde fouebant. Posuerunt arma eius in templo Astaroth, & vt constat Paralip. 1. c. 10. caput affixerunt in templo Dagon. Quare ergo caput non offertur simul cum armis idolo Astaroth? Vt exprimeret quæ Veneris fuerint trophea. Dagon enim Veneris idolum erat, quod cœteræ nationes venerabantur. Vt ergo significetur caput oculis captum Veneris esse spolia, nullumque Venerem adorare, oculis qui nob cæcutierit, ideo tẽplo Dagon siue Veneri, Saulis suspensum est caput sine lumine oculos habens, nullus enim pulchritudinem, falsamque Venerem intuetur, qui lumine non dixerit vale.

Cæsariem, oculos, perdit, & libertatem Samson Paulinus quærit; an desiderauerit oculos? Respondet autem non desideraſſe. ¶ Forsitam Samson receptis propter futurum mysterium crinibus, reciperet simul vt amiserat oculos, ideo non desiderauit, quia virtus illa internis sana luminibus corporeo non indigebat obtutu. ¶ Expertus maxima damna, quæ bibisset oculis, cum amaret, non desiderauerat lumen, cæcus interius erat, cum oculos in fallacem mulierem fixisset, sanus iam internis luminibus periculum timens, noluit habere lumen exterius, quo iterum cæcaretur. Vnde amoris fuit materia mutata, & amor profanus in diuinum mirabiliter fuit conuersus, & à priuatione luminis exterioris maximè crescens, illa namque animæ virtus, quæ currere deberet ad visum, si oculos haberet cum lumine, in corde omnino adunata Samson lumine capto, tota maneret in amando occupata, cum neque vllam, oculis vt viderent, attentionis applicasset portionem.

Hoc maximè fuit in Lotho admirabile, quod vt inquit D. Petrus 2.Pet.2. *Aspectu enim, & auditu iustus, erat habitans apud eos, qui de die in diem animam iustam iniquis operibꝰ cruciabant,* miraculum enim erat, quod inter turpitudinis flammas incombustus, & intactus maneret, oculis non fœdatis contagiõ, per visum enim inficitur anima. ¶ Alia quoque omnia mala, inquit Saluianus lib.6.de Gub.Dei, agentes, polluunt, non videntes, vel audientes. ¶ Sensualitatis autem delictum visum præcipuè polluit. Genus Seth tam sanctum erat, quod appellabatur Angelicum, sic enim Septuaginta vertunt, *videntes Angeli Dei*, & tamen omnes, quia hominum mulieres videre, in turpitudinem lapsi sunt. Hinc intelligitur illud Genes.7. *Et inclusit eum Dominus de foris*, postquam Noe fuerat ingressus arcam. Quare ergo clausit Dominus arcam, ne turpitudo, quam aqua in genere humano lababat, confugeret arcam & Noe pollueret castè viuentem, sicut quinque ciuitatibus illis cum vreretur Lothum est sequutus fugientem, & cum fœminis concubentem.

Genes.

Genes.cap.6. Eruntque dies illius centum viginti annorum.

Post centum annos dumtaxat contingit diluuium.

Non est differenda pœnitentia.

SIC explicat huiusmodi locum D.Hieronym.in quæst.Heb. ¶ Quia homines pœnitentiam agere contempserunt,noluit Deus tempus expectare decretum, sed viginti annorum spatij amputatis, introduxit diluuium anno centesimo agendæ pœnitentiæ destinato. ¶ Homines namque,qui centum annis elapsis nondum pœnitentiæ dederant signum,credibile est, etsi vixissent 120. morituros impœnitentes. Nullus ita de Domino fidat,quod differat pœnitentiam,difficile enim est, quod in vita Domini semper oblitus, cum mortis pericula instant, vt decet, pœniteat. Lacrymas Ierusalem illa misera largissimas effundebat,& nihilominus ait Ieremias. *Lacryma eius in maxillis eius,non est qui consoletur eam.* Hanc ciuitatem animam esse inquit Hugo purpuratus. ¶ Plorauit pro culpam commissa. ¶ Quare ergo Deus lacrymas non admittit? *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo,* dicebat quondàm Dauid, & Hieronym.vertit *in vtero tuo* quasi thesaurizauit Dominus, & vt non perirent,seruauit. Acceptator non nè est personarum Deus? quarè non est qui consoletur animam istam? quare Deus contemnens lacrymas eius,patitur humefactare maxillas? Dispares esse lacrymas recognouit Rupertus. ¶ Benè ergo (inquit) cum dixisset plorauit in nocte, continuo subiunxit,& lacrymæ eius in maxillis eius. ¶ Lacrymæ ergo, quæ plorantur in nocte,& cum iam occidit vitæ Sol,in cadabere sistunt, neque in libro vitæ,cum est coram iudice ratio reddenda, scribentur, difficile enim est,qui, cum viueret, ex corde non emisit vocem *peccaui* inter dolores infirmitatis,& mortis angustias, cum fructu veræ verba pœnitentiæ proferre.

Cum Raab per funem liberos dimisissent exploratores, iurarunt in illa se tacturos misericordiam, cum Dominus illis traderet ciuitatem, in signum autem dixere funiculum coccineum in fenestra ligare. Textus autem refert, quod continuò, ac signum salutis præstitum est ab exploratoribus meretrici funiculum coccineum appendit. *Dimittens que eos vt pergerent, appendit funiculum coccineum in fenestra.* Quare ergo, cum ciuitas post plures esset tradenda dies tam anticipate funiculum mulier appendit? Prudens cauta que mulier apparuit,inter strepitus namque belli armorum que confusionem,clamores victorum, & interfectorum pauidos eiulatus, turbata vel oblita,posset funiculum non appendere, ideo cum pacis tranquilitate potitur, cum sunt benè cuncta asylum funiculi confugit, continuo appendit ne salus vitæ quam plurimi mulier faciebat,periculi obliuionis exponeret, ne quæ tempore acceptato secuta erat,fieret ex procrastinatione contingens. Idem habemus apud Iosue,vt enim agnosceret, qui ex suis,qui forent ex inimicis,vocem Hebræam quandam proferre præcepit, hostes, cum enunciare nequirent gladio peribant. Sed insufficiens videtur hoc signum,vt ab amnis hostes distinguerentur. Facile enim voculam dicere posset,cum ab Hebræis possent audire. Verum infallibile fuit discretionis signum, enim hostes,cum exteri essent, pro-

tu-

tuleránt: insoliti enim proferre, etsi audirent non posset, quam numquam locuti essent, voculam enunciare. Qui numquam, delitijs traditus, vocem pœnitentiæ concepit, quo pacto ex corde emittere potest, quo nusquam peruenit? Quomodo contritionem eliciet, qui numquam cor suum attriuit? Quo pacto excitabit, & quis dolorem inueniet inter liberorum clamores, vxoris gemitus, & sensuum perturbationem.

Ferunt de Alexandro Macedone, cum vrbem aliquam obsidione cinxisset, facem accensam ante vrbis portas, hostibus conspicuam statuere solitum, & præconis voce præcepisse clamari: benignitate erga obsessos vsurum, si dum arderet fax se dedissent, ea vero extincta aditum misericordiæ præclusum. Sic Dominus cum vitæ lux ardet, clementiæ viscera non sunt præclusa, dies est paciscendi, sed vbi extinguitur, præcluditur misericordia. Misit Abner caduceatores ad Ioab, qui inducias paciscerentur, cum inter illos exarsisset grauissimum prælium. Quid ergo Ioab? *Viuit Dominus, quod si locutus fuisset mane, recessisset populus persequens*: Quare ergo, si mane locutus fuisset? quoniam inducias pactus est sub vesperam, cum animaduerteret exercitum debilitari, & cũ non nisi necessitatus fecisset. Quid dicemus de peccatoribus? qui subita deiecti corporis infirmitate, tunc pœnitere incipiunt, dum de salute desperatus à medicis est, inducias petunt, sed de paciscendo sub vesperam cogitarunt. Quid ergo audire timendum est. *Viuit Dominus, quod si locutus fuisset mane, recessisset populus persequens*? Prò! dolor, quot machinas, vitiorumque arma in Deum tamquam hostem continuo bibrasti, & quidem spreuisti inimicum, verum cum circumdabunt inimici, morbus acutissimus, qui te prosternat, vitiorum exercitus, quibus diuinam vindictam concitasti, irruent, viscera; corrodent. Quid tunc in hoc tam anxio conflictu. Peccaui, fateor, clamare suadebunt, & extremis labris hæc forte pronunciabis, sed intellectu tanta in sceleribus pertinacia obscurato, libero arbitrio debilitato, nil nisi beatum, voceque innanes formabis. Similes sunt ij peccatores talpæ, quod animal à sacrificijs relegat Deus, quare hoc? talpam enim inquit Plinius, telas habere, quibus videre impeditur, cum autem præoccupatur morte illius angoribus dilaceratur, ruptis que telis appropinquantis mortis tempore videt. Symbolum quidem est peccatoris obcæcati, & solum hora mortis intelligentis, cum visus ad vitam proficit parum, viribus animi debilitatis, sine habitibus, armisque virtutis voluntate sub vitio gemente, nisi vt sine remedio proferãt vltimum desperationis suspirium, *ergo erramus à via veritatis.*

Semper de salute æterna curandum, sed præcipuè vltima clausula vitæ.

PAcientiam diuinam præcipuè offendit, quod post tot curricula temporis, centum videlicet annos, nõ homines pœniterent, cum iustus Noe præco pœnitentiam suaderet, iamque communem cladem appropinquare clamaret. Hoc, inquam, præcipuè prouocat iustitiam diuinam, ideo Dominus solos, quarta vigilia, quos vidit ociosos, reprehendit, quoniam licet omni vigilia adolescentiæ, & cunctis ætatibus respondenti, in vigilandum sit, sed præcipuè vltima senectutis vigilia, ideo quasi miratus Dominus inquit: *Quid statis tota die ociosi?* Præcepit Saul vt apprehenderent, quem æmulabatur Dauid, interrogata Michol, vbi

ad

a desset? quod ægrotasset, respondit. Quare, quod dormiret, non inquit? Somno consopitum non ausam dicere existimo, quoniam non facile crederetur. Quis enim sibi suaderet, tot periculis constitutum, & inimicis circumdatum posse se tradere somno, nec non vigilare, qui tot hostes, à quibus posset timere mortem, recognoscebat, nisi iudicio haberetur priuatus. Quid ergo de hominibus illis debilis senectutis, quibus nil est, quod præsagire ruinam humani ædificij non curet, & tamen somno consopiuntur vitiorum? quid nisi esse de salute timendum. De paralitico illo, quem Dominus sanum fecit, inquit Euangelista, quod circumstantes agentes timuerunt. Quid ergo timent? quoniam cum senex fuisset, adhuc paraliticum vident, & adhuc vigilia vltima peccatorum.

Secunda ratio à celerationis supplitij, est contemptus iustitiæ diuinæ. ¶ Obstupescenda namque, inquit Chrys. est ineffabilis longanimitas Dei, & prodigiosa hominum ingratitudo, ecce enim quingentis annis vixerat iustus ille Noe clamans & testificans: suo nomine futurum per vniuersum orbem diluuium ob nimias hominum malitias, & ne sic à malitia abstineri voluerunt. ¶ existimantes Dominum misericordem, iudicem non timebant. ¶ Immittit, inquit Eusebius Emissenus, diabolus securitatem, vt inferat perditionem, nec dinumerari possunt, quãtos hæc innanis spei vmbra decepit. ¶ Vnde homines cum Deum non timerent in vita, in morte iudicem formidarunt.

Qui Dominum respexit misericordem dũtaxat in vita, iudicem maxime formidabit in morte.

Agnum occisum intuebatur Ioannes spiritu raptus, vidit insuper in dextera sedentis in trono librum, & ecce ex templo in leonem mutatus est agnus. Quo ergo pacto agnus Christus (sic interpretantur communiter expositores) tam facile in leonem mutatur? quare in crudelitatem agni benignitas transformatur? Ex qualitate libri oritur methamorphosis Christi. Liber erat intus & foris scriptus, verum sigillis septem signatus, tunc Christus agni sub mansuetudine libr. Apocalypsis exponitur, vix autem sigilla rumpuntur, quando inquit Ioannes, quasi leonis induere crudelitatem, *vicit leo de tribu Iuda* tam formidabilis visu, vt præ timore ceciderint omnes in terra. Libet, quem in dextera sedentis viderat Ioannes, nostræ conscientiæ bona continet & opera mala, cum est sigillis septem signatus, ideſt, extat in viuis homo, clausa quasi sunt omnia, verba, cogitationes, & opera, & Dominus agni mansuetudinem induit, fons copiosissimus profluens, auxilia, inspirationes & beneficia scaturiens, cum vitæ præciditur tela, & aperitur à Domino in trono sedente liber, eu homo? iam agnus mansuetus rugiens transformatus est leo, *vicit leo* quæres, quem existimabas agnum, sed dirum leonem reperies, de omnibus redditurus beneficijs rationem, nullum reperies patronum, quasi secundus Aman, qui audita sententia inuocans, quasi patronos Esther & Assuerum, regem & reginam inuenit *obstupuit, vultum regis, & reginæ.* Ferre nõ sustinens, nomina dumtaxat dignitatis atque rigoris, ante sententiam Esther, & Asuerus erant commiserationis capaces, habentes humana corda, cum autem reus consideratur Aman, spirantia minas nomina tremendæ maiestatis inuenit. Nunc cum liber signatus est, & corpori anima copulata, Christum, & Mariam sanctissimam aduocatos apud patrem æternum habemus, timeamus cum apertus fuerit, ne ijs quæsitis & non inuentis, nomina regis & reginæ dumtaxat reperta horreamus, vultum eorum obstupescentes.

Erra-

Cum solius memores misericordiæ diuinæ culpas examinamus, apparent lõge minora, aliter soli iustitiæ diuinæ intenti; delicta.

Erramus quidem, dum oblicti iustitiæ diuinę, & misericordiæ memores solũ abutimur Dei infinita benignitate, & illa quasi calcaribus instigati, in varia scelera cursu præcipiti labimur. Hinc oritur, quod speculãtes delicta medijs diuinæ misericordiæ specillis, apparẽt lõge minora, aliter cũ clara iustitiæ luce scrutãtur. Duplex homicidij & adulterij Dauid perpetrauit delictũ, & nihilomin⁹ vnicũ re cognouit peccatũ, *iniquitatẽ meam ego cognosco, peccatũ meũ contra me est semper à peccato meo munda me, ampli⁹ laba me ab iniquitate mea*, loquitur de ijsdẽ paulo inferi⁹ peccatorũ exercitũ, & plurima existimãs esse, sic refert. *Ecce enim in iniquitatibus cõceptus sũ, & in peccatis concepit me mater mea, libera me de sanguinibus, auerte faciẽ tuã à peccatis meis.* Vnde iuditij distantia tanta? Cum primum examinauit delicta, tã imbecillis est visus, quod duo ita crimina grauia, vnicũ reputauit, & iterũ vidẽs, nõ solũ duo, verũ longe plura sunt illi visa, & copia criminũ numerosa. Textus ipse difficultatẽ enodat. Cum vnicum plura & quidẽ grauia reputauit delictum, nullo lumine nisi radijs misericordiæ diuinæ erat eximius rex illustratus, cum sol diuinus maiorẽ pietatis spargeret lucem, *secundum magnam misericordiã tuã, & secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatẽ meã* Vix autem in solem iustitiæ minas & furorem spirantem visum direxisse refertur, *Vt iustificeris in sermonibus tuis, & vincas cum iudicaris*, quando oculorum visu confuso, illa, quæ duo dumtaxat erant peccata, numero longe plura & in malitia infinita principi continuo apparuerunt. Ex medijs enim quibus vtitur visus oritur tanta intuitionis distantia, sole misericordiæ diuinæ longe minuuntur peccata, verum si clara iustitię luce oculis offerantur, augentur in infinitum.

Hinc oritur maxima Deum erga homines vti misericordia, quando illam eorum oculis sub velamine ponit. Cum Malachias loqueretur de Christo; *orietur vobis*, inquit, *timentibus nomen meum sol iustitiæ, & sanitas in pennis.* Parua idem esse, inquit, *in* ac *sub*, ac si diceret Malachias, *& sanitas sub pennis*, maxima enim Dei erga homines ostenditur misericordia, quando pennis velatur, ne viscera pietatis manifestata hominibus peccandi laxarent habenas.

Præcepit Dominus Mosi, quod duos Cherubinos qui vtrumque latus Propitiatorij tegant, faceret, Petrus Celensis hæc verba exponens hoc idem officium esse Angelicum, inquit, vt seruent nos à malo, & conseruent nos in bono, nobisque diuinæ misericordiæ propitiatorium curant celare. Quare hoc, cum sit viam desperationi parare? Expedit, inquit, Bernarde quod celent misericordiam, quoniam ante delictum Dæmon Conditoris; auget misericordiam, labere in peccata, inquit, opus suum creator destruet? Hoc Dæmon præcipites plurimos fecit, Spiritus ergo Angelici è contrario vtrumque latus Propitiatorij tegant, & velent.

Maximam supplicium nimis de misericordia præsumere.

Ciuitas Iericho nullis ictibus, pugnisque præcedentibus, tubarum vocibus solis ruentibus muris septimo die expugnata est, & cuncti inter ruinas ciuitatis perierunt. Quare ergo pectoribus, proprijs loco murorum ciuitatem non balant? Quare hostibus non resistunt? Textus exponit ipse, tubis namque fidere, clangerunt namque tubas, quarum vsus erat in Iubilæo, pacem, misericordiam, peccatorumque indulgentiam præconizantes. Vane ergo de tubis præsumentes misericordiam, gladio perierunt incauti, si

clangissent bellicas tubas armati parārentur ad pugnā, & inter desperationis angustias sanguine hostiū nusquisque venderet vitā, sed audientes misericordiā, quā publicauerāt tubę somno sopiti, manib⁹ vanæ fiduciæ perierūt sine remedio. O! quot fœtidis & cæno sis sēsualitatis aquis summersi, cū incipiunt erigere caput vocatione interiori excitati, clangente Dœmone rubā misericordiæ, iterū grauatis oculis cōsopiūtur, & a somno, cū iā è viuis sunt, irreparabiliter excitātur, non sicut Niniuitæ, quibus post quadraginta dies subuersio minatur, & cū possent post dies triginta incipere pœnitere, cōtinuo, Iona propheta audito, signa doloris dedere erāt enim rigorē atq; iustitiam tubæ clāgētes. Magna ergo est misericordia diuina, hominib⁹ ipsā velare, vt sic securā nostrā vocationē faciamus vt, inquit D. Petr. Triginta & quinq; repetit locis nomē agni, quo Christū Dominū appellauit D. Ioann. in suo Apoc. & semel tātū nominauit Leonē, vt innueret, quod si semel Dominū leonē horrem⁹, super triginta & quinq; agnū māsuetudine reperiem⁹. E contra tamen si in vita misericordē, agnū & parentē speram⁹, vt in scelera liberi⁹ & sine timore labamur, cū sol occiderit vitæ crescent timores, & horroribus cruciabimur.

Qui, plus insto, dum viuit, de misericordia præsumit, maxime iustitiam diuinam horrebit.

Animaduertens Iacob, in occursū venire Esau, legatos misisse, inquit textus, *misit nuncios ad Esau in regionē Edon*, & ante omnia dixisse illis, hæc verba intimatū iri. *Hæc dicit frater tuus Iacob*, nō recordatur ab illo Esau offensū, & benedictione iureq; primogenituræ priuatū, & enormiter læsū, sed solum fratrem esse. Redeūt legati dicētes: properare Esau in occursū, & *timuit valde*, inquit textus. Vbi tota illa fratris fiducia? Quare nunc timet, & horret? Desijt iam frater eius esse Esau? Quare vocis *fratris* fiduciā fundantis sicut antea nō recordatur? Quoniā cum misisset legatos, *in terrā longiquā, in regionem Edō*, existimauit lōge à regione sua distare, memoriā ergo obscurauit dī stātia, & solū recordatur Esau fratrē esse iniuriarū, quibus lacessitū Esau cōsiderare deberet, omnino oblitus. Quando vero rediere legati in occursum inquiunt venire; *En properat in occursum*, omnia horret, timoreque fatigatus, *fratris* cognominis, quod posset fouere fiduciā, & spei clypeo ipsū reddidisse protectū, immemor, timuit valde, memor iniuriarū dumtaxat. O! quot Iacobo similes viuim⁹ semper gaudentes, nimisq; de misericordia fidentes, numquā iudicē Dominum formidam⁹, neq; iniurijs toties lacessitum timem⁹, omnia speramus, dumtaxat memores; fratrē nobis Christum Dominum esse. *Hæc dicit frater tuus*. Quoniā & si versⁿ regionē, vbi residet, iter direxisse videamur, *in regionē longiquā*, tēdere, longeq; distāntē credim⁹. Cum autē per ægritudinis molestias iā mortē esse vicinā designat, cum iudicē properare monemur, & desperati de salute à medicis iudicamur. Quid tunc? Omnia timor anima exire de corpore trepidat, & quē contēpsisse meminit, iudicē formidat, vt inquit Greg. *timuit valde*, neque fratrem esse Christum Dominum recordatur.

Gen. cap. 6. Pœnitet me fecisse hominem.

Psal. 109. Iurauit Dominus, & non pœnibit eum.

DOlore tangitur Deus, quoniam sceleribus nostris compulsus punit, & vti cogitur vindicati na iustitia, viscera nāq; misericordiæ diuinæ, si cōpellatur peccatores punire, extant dolore maximo lacesita.

Re-

Pœnitet Dominū affligere homines.

Refert Matt. c. 26. nimis in horto fuisse Christum Dominum fatigatum, ter repetit orationem. *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste*, & solum in vltima oratione, D. Ildephonsus aduertit, sicut guttæ sanguinis factū apparuisse sudorem. Quare Christus Dominus, qui primo & secundo exauditus est pro sua teuerentia, repetit tertio orationem? Quare qui primo, secundo sudorē sanguinis passus non est, ita tertio fatigatur, vt sanguinis sudor decurrentis in terra factus sit? ¶ Cur calicem tibi propinatum, inquit Hilarius à patre habere recusas? ¶ Si Christus Dominus venit, vt redimeret mundum, si salus mundi in ligno erat constituta, vt vnde mors oriebatur, inde vita resurgeret, quare Christus Dominus mori recusat? *Pater si possibile est, transeat a me calix iste.* Dico Christum Dominum, sic videtur, non esse de calice passionis locutum, quia oblatus est, quia ipse voluit, & *iste* signum demonstrationū est, supponens non pro calice crucis, sed de alio calice præsenti sibi. Quis iste erat? Notate quod omne iuditiū dederat Pater diuinus filio, loquitur ergo de calice vniuersalis iuditij, ab horto enim Gethsemani quantum iactus lapidis Iosaphat vallis distabat, hic ergo calix Christo Domino præsens erat, hic fatigauit ita, vt copiose sudauerit sanguinē. ¶ Orauit, inquit S. Ildeph. Heb. c. 5. primo, & secundo pro animabus iustis, & iniustis, & sanguinem non fudit, orauit tertio pro animabus in die iuditij iudicaturis, & terra sanguinem lauit. ¶ Doluit ita, pœnituitque Dominum delere vniuersum, hominesque damnare, vt toto corpore fleuerit, vt inquit de sudore D. Bernardus, & anxie, quod transiret calix, petierit. ¶ Transeat a me calix iste, inquit Ambros. & veniat ille, transeat iste iuditij, & veniat ille crucis.

Querit Dominus excusationē, cū homines punit.

Refert Moses miserabilem cladem Sodomæ, & ciuitatum aliarum sic. *Igitur Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem à Domino.* Quæ verba sic exponit Concilium Sirmiense. ¶ Si quis, illud quod scriptum est, *pluit Dominus à Domino*, non de Patre, & Filio perceperit, anathema sit, pluit enim, Dominus Filius à Domino Patre. ¶ Filius ignem proiecit, sed à Patre flammas accepit, quod repetijt etiam Vigilius Episcopus. ¶ Alius ab altero, non vnus à se ipso iaculatus est flammas. ¶ Voluit quasi Dominus coram hominibus decentem excusationem habere, & dolorem, quo, quia illos coactus erat punire, angebatur, leuare, Sciant enim homines, quod si in illos iaculatus sum flammas, à Patre Domino ignem accepi, læsa namque pietas manaret si cū agnus sim occisus ab origine mundi, & pro hominibus mori decreuerim, nunc illos accenderem flammis, quasi pœnitens repræsentatur, & punire homines erubescit.

Erubescit Dominus supplicijs prosequi homines.

Ioanni in suo Apoc. representatur eques in equo albo descēdēs de cœlo, de quo, inquit *habēs nomē scriptū quod nemo nouit nisi ipse*, Christus eques est iste, quare ergo tā occultē descēdit, vt quasi erubescēs velit ab omnibus ignorari, ipseq; solus nomē ipsi⁹ agnoscat? In cruce à nullo patitur ignorari, Ierusalē morti præelegit, vt inquit S. Leo, quò ex toto orbe cōcurrerēt gētes, nomēq; ei⁹ Græcis, Latinis, & Hebræis patēs extat, neq; quod tollatur permittit. Quare ergo occult⁹ in Apoc. repræsētatur, & quasi cognosci erubescit, & in cruce nomē suū gentib⁹ cunctis ostentat? Ipse Sacer text⁹ offert expositionem, in Apocalip. *de ore eius gladius acutus, vt in ipso percutiat gentes*, dicitur, suæ iustitiæ armatus sagittis hominum sanguinem effundere venerat, quid ergo mirī quod nomen scriptum occultet, &

quasi erubescens cognosci recusset? In cruce autem, vbi pro hominibus sanguinem effundit copiose, delens culpas, & redimens peccatores, nominis facit ostentationem, facieque propalata incedere appetijt. Nescio an ideo clauserit arcam Deus quando delere decreuerat mundũ vt non respiceret oculis Moses supplicium, quasi de illo Dominus erubescens. Idem constat in illa die quæ Domini, & vindictæ appellatur tunc enim etiam iustitias iudicabit nihil que inultum remanebit. Sed attendite, quid Dominus de die dixerit illa, *Sol obscurabitur & Luna non dabit lumen suum*, erubescit enim, cum cogitur de peccatis vlcisci, ideo illa die Solem, & Lunam lumine priuat, ne Deum de hominibus vlcisci aliquando testari possent, & aliquis videat.

Hinc verba Bernardi lucem recipient, loqui Christum Dominum lancea transfixum hasque misisse querellas, inquit. ¶ Non ne satis pro te vulneratus sum? numquid non pro iniquitate tua afflictus sum? Cur addis afflictionem afflicto, magis me aggrauant peccata, quam vulnera corporis mei. ¶ Idem deuote contemplatus est Armold. Car. ¶ Quæstionem, inquit de Christo Domino, proponit patri suo, & edisserit esse in conueniens, vt amplioris sit virtutis, delictum quam dorsum. ¶ Quare flagella, quæ supra dorsum meum congregauerunt, minus roboris sunt vt reddant Patrem æternum placatum, quam, vt iratum ostenderent, peccata hominum & scelera. ¶ Per voces loquitur, per nutus etiam docet. ¶ Inquit Arn. Car. inclinato capite quasi lanceam compellat, vt latus transfigat, pectusque percutiat quare ergo? inquit purpuratus Gosfridus serm. 5. de Resurr. ¶ De latere Christi dextro sanguis & aqua potius exijsse dicuntur, non de sinistro, ¶ Si autem velis scire, quare latus dextrum percutitur? rationem colliges, si parabolæ Matthæi oculos habeas intentos, iusti enim ad dexteram, reprobi ad sinistram collocabuntur, *statuet oues quidem à dextris* hædos autem à sinistris, repellet latus dextrum scelerátos, reijciet iniustos, ideo compellat lanceam, vt dexterum latus percutiat, vt à vulnere exteriori, dolor interior quem patiebatur cor, indicetur, latus enim quod homines repellere cogitur, nõ nisi transfixum esse, vulneratumque decet.

Per voces cordis conuertit Christus Dominus Centurionem, qui, *vere filius Dei erat iste exclamauit*. ¶ Per voces loquitur, per nutus etiam docet, est etiam patientiæ illius idioma. ¶ Inquit Arn. Carn. Quare ergo Centurionem non conuertit loquendo, sed cor aperiendo dumtaxat? Differat vitam paulisper, adhuc verba conseruet & voces. Consummatum est, inquit, voces iam & verba deficiunt, os non expedit loqui inquit, D. Aug. os nouum aperiat diuinus amor, vt consulat Centurionis saluti. Quare hoc? quoniam os gustauerat fel, inquit Aug. quod (eodẽ teste) diffusum per corp⁹ prouocat ad irã. Dominus ergo licet incapax iræ obmutescit, oreque, quod disipit, innuit non ipsum loqui decere, sed aperire os nouum in corde, vt blandas in Centurionem sic mitteret voces.

Quare, quærit Amb. tres referũtur Angeli, qui visitarunt Abrahamum, & duos Lotho dũtaxat scribitur apparuisse? cũ tres diuinas Personas vtrobique repręsentauerint Angeli? Verũ vtique est, inquit S. Amb. diuinas Personas vtrumque Patriarcham viciisse, sed Abrahamo tres apparuerunt, Lotho Spiritus Sanctus, & Pater, Verbum asconditur, & Filius abest, in domo Abrahã adest Trinitas, beneficia, misericordiam,

&

& gratiam communicans, semini eius fœlicitatem maximam promissura, in domo Loth immorantur, vt ciuitati supplicium intiment, & vltimum excidium annuntient. In domo ergo Abraham vbi gratia largienda est, inquit S. Ambr. adest Christus, in domo Loth, cuius in ciuitate exercenda seuerita s est, adest Iesus. Dolet ergo Christum Dominum adesse, vbi supplicia minantur & pœnæ infliguntur, & quasi erubescit titulum iudicis, & solum appetit misericordis cognomen.

Quid nobis, & tibi Iesu Nazarene Dœmoni clamanti, *obmutesce* Domus dixit. Quare ergo, cum veritatem loquitur pater mendatij, præcipit silere Dominus? vocem emittat, vt etiam ex ore inimici laus perficiatur. Obmutescat, inquit Tertullianus, quoniam addit *venisti perdere nos*, in ruinam imperij Dœmonum venisse Dominum ait. ¶ Quasi hæc esset summa gloria Christi ad perditionem Dœmonum venisse, inquit Tertul. & non potius ad hominum salutem. ¶ Verum est, inquit, Christus, quod in ruinam Dœmonũ, inferni que perditionem è cœlo in mundum descendi, sed aduentus mei non hic est principalis scopus, sed hominum vniuersa salus, infernum confringere, Dœmones que destruere ad iustitiam vindicatiuam spectat, sicut redimere homines misericordiæ actus & exercitium. Obmutesce ergo cum iudicem me prædicaueris, potens misericordem clamare, gloria enim mea in ostensione misericordiæ, non in minis, supplicijsque iudicis sita est.

Ex Gen. cap. 8. Columba venit ad eũ portans ramum oliuæ, | *Septuaginta. Habebat folium oleæ.*

Detrahentes lynceis oculis iusto rum imperfectioni insidiantur, nõ sic perfecti.

D. Ambr. Columbæ nomine, eos omnes, qui in captiuos misericordiæ opera exercent, intelligit, quorum actus ita sunt Domino grati, vt quæ impauperes, miseros que impenduntur, ita apud Dominum æstimentur, quod etiam si qualitate sint folia in tantum crescant valore, quantum distat ab vnico folio ramus.

Quomodo autem inter cadauera immunda, terraque lutosa foliũ carpere potuit columba? Auis candoris symbolum est, & hominum, qui vitã componũt perfectam, hi enim virtutes solum respiciunt, alienas perfectionum aliorũ panegyristæ, si quid non ita perfectum forsam videre contigerit, silent, potius sepelire tentantes, sicut columba, quæ inter tot defœcata innundatione diluuij, folium forsam solum colligit rostro, coruus autem, (& cœteri, quorum deperditi mores nigro colore notantur) os immundum, etiam si veluti sylua frondosa mundus floreret, colligeret rostro, vt putredinem Noe nauis gubernatori palàm redderet manifestam. Qui enim corui imitantur naturam, inter vniuersa vireta, floribus conculcatis, tamquam vultures effodere ossa putrida, & immunda cadauera non cessabunt. Sic homines moribus incompositi, relictis, virtutibus, quas in alijs tædet videre, & imitari non audens, si forsam lynces viderint maculam apparentem, contra virtutem insultant, & omnibus alacriter manifestant. Similes hi sunt ciconijs, de quibus Seneca, inquit. ¶ In eodem prato hos herbam quærit

canis leporem, ciconia lacertum. ¶ Dignum est vere notatu, quod in eodem horto, passer ramum quærat, florem apis, & omnes tandem varietate pulchritudinis delectentur, & sola immunda ciconia pessundatis floribus, conculcatisque rosis, penetrans occultiora, vix anguiculum violis cœlatum, & inter herbam latentem videat, cum serpentem tollit in altũ, vt omnibus patefacit, terram quæ generat odoriferos flores, venefica animantia pariter procreare. O! falsi detractores similes ranis, quæ noctu canum, cum sileant Sole splendente, radijs sanctitatis allucinatis obmutescitis, & solum ea, quæ apparent obscura, videtis.

Quærunt Iudæi paralitico, *quis est ille homo, qui dixit tibi tolle grabatum tuum?* Quare inquit Cirill. non quærunt; quis est qui te sanauit. Duo inquit in hoc opere mirabili sunt, & salus infirmi redolens omnipotentiam, & quod præcepit, grabatum super humeros tollere, quod præstiterit sanitatem virtutem arguit & sanctitatem, præceptum de sufferendo grabato piaculum visum est, quo sabbathum existimant esse violatum. Detrahentes ergo Domini sanctitati, miraculi obliti solum in id quod malum apparet intentos oculos habent, ideoque, quis est ille homo, qui tollere grabatum præcepit? quærunt, in quo apparuit ipsis delictum, non, quis est, qui te sanauit? O detractores crudeles, de quibus, inquit Dauid, *iniustitiam cogitauit lingua tua*, tam praui namque sunt homines, qui incogitatiua collocant linguam, vt quidquid leui aut nullo suspicati sunt fundamento, sine discretione loquantur. Viderat illum mirabilem currum Propheta, & quatuor animalia trahere, inquit, *similitudo quatuor animalium*, alibi refert visionem, *& intellexi*, inquit, *quia Cherubini essent*. Quo ergo pacto hæ possunt conciliari antilogiæ? Gaspar Sanchez. Spectarat prius Propheta, inquit, procul tamen, nunc autem quia proprius accedit, & aspicit, non iam amplius nominat animalia, sed Cherubinos, cum prius vidit currus erat proximus cœlo, hnmo autem ipse iacebat, distantia ergo esse animalia fecit eum existimare, propriusautem accedens Cherubinos vt erant clarissime iudicauit. Hinc oritur iudicio rum fallatia, quia à longe videmus id quod Cherubin terrestre animal iudicamus reptile terræ, quod habitat cœlum, & hoc ideo quia terrestribus malitiæ nostræ vaporibus ita lumen & lux oculorum obnubilatur, vt cœlum iudicet terram, & vitium apparere virtutem, inde sceleratiores prætextato zelo, omnia loquuntur vt suspicantur, hoc non potest Dominus tolerare.

Duo ab Abraham postulauit dives auarus, & quod in solatium mitteret Lazarum, & vt quinque fratribus prædicaret, primæ petitioni mitissime respondisse, inquit textus, *filij recordare*, secundæ non nisi cum asperitate *habent Moisem*, quid ad te? Merito quidem quoniam in prima solatium petit, respicit sua, vnde mitis & mansuetus respondit, licet supplicationi non annuat, in secunda indiscretè consulit fratribus, eorumque intentis defectibus rogat vt reprehendantur & corrigantur. Hoc ergo ægre tulit Abraham, quod dives auarus suorum scelerum immemor, prætextu amoris fraterni peccata aliorum obijciat, & delicta defectusque pandat. ¶ Qui sibi sic impius imprudenter præsumit alijs impetrare pœnitentiam, qui sibi tam crudeliter ad veniam nihil prouidit. ¶ O! quot vel zelo indiscreto, vel animo male sanato aliorum non curant corrodere honores & vitas; neque supernè timent supplicium,

huic

huic enim maius quam alijs cœlum minatur. Voluit Dominus affligere Nichanorem, afficere que, vt parerat, pœna & supplicio, & sic, inquit. *Linguam impij Nichanoris præcissam iussit, particulatim auibus dari, manum autem dementis contra templum suspendit.* Voluit pœnam correspondere culpæ. Manus ergo, quam extenderat contra templum, quia minus deliquit, minus patiatur, vnicum ictum sentiat, quo præcidalingua autem quæ Ionatam, Machabæorumque alios percussit, pluribus ictibus particulatim præcisa dari præcipitur auibus, deliquerat enim grabius.

Genes. cap. 8. Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines, & diluuium non repetendum promittit.

Psalm. 10. Dominus diluuium inhabitare facit.

Quantum possit apud Deum gratitudo.

PRæclaris meritis Noe, quod homines vltra à diluuio forent securi debitum esse tradit Chrysost. Sed quare, dicet aliquis, Patriarcha iustus Abraham Sodomitas non liberauit à flammis, cum prolixius oraret? Quare ipse Noe vir quidem, testificante Domino, sanctus, ante ingressum in arcã octo dumtaxat liberat animas, cum post imminutas aquas diluuij eius merita redderent omnes generationes immunes. Ratio est, quoniam ante ingressum iustus erat, sed gratus non declaratur, postquam autem fuit egressus ex arca, erecto altari, obtulit holocaustum in monumenta suæ virtutis, quæ sic attaxit bonitatem diuinam, vt ab vniuersali diluuij clade vltra donentur immunes. Solitam, inquit Chrysost. hom. 26. in Genes. ¶ Præsetulit gratitudinem, factaque gratiarum actione, etiam tunc maioribus beneficijs diuina gratia ipsum cumulauit, mos enim diuinæ misericordiæ est, vt si nos tenuia quædam, & vilia obtulerimus multa nos liberalitate numeret. ¶ Hoc cultu voluit renascente mundo Dominus venerari Noe gratiarum actione, vt inquit enim August. lib. de spir. & litt. cap. 11. cultus Dei hoc in maximè constitutus est, vt anima ei non sit ingrata. Vnde in ipso verissimo, & singulari sacrificio, Domino Deo nostro gratias agere admonemur, quoniã vniuersi peccatorum est expiatio, solo que laudis, & gratitudinis sacrificio queunt hominum mundari peccata.

Auctor vniuersi sic condidit mundum, vt in omnibus ipsa natura nos gratitudinem doceat. Sol amænissimis viridarijs calorem impertit, & derepentè, flores ac herbæ soli panduntur amori, pastor oues si pascit, ab illis pascitur, & vestitur. Mare fluuijs affluen ter suppeditat aquas, sed gratitudine soluunt, iterum que flumina redeunt ad mare, vt exposuit ipse Bernard. serm. 13. in Cant. ¶ Si copiæ aquarum secretis, & subterraneis recursibus inceſſanter æquora repetunt, vt inde rursus ad visus, vsusque nostros iugi, & infatigabili erumpant obsequio, cur non etiam spirituales riui, vt arua mentium rigare non desinant, proprio fonti sine fonti, sine intermissione reddantur? ad locum vnde exeunt, reuertantur flumina gratiarum, vt iterum fluant. ¶ Audite Senecam lumine naturali instructum, Christianos nos ingratitudinis sic arguen-

guentem. Si domus, inquit, tibi donetur, num mediocre numus vocabis? Et cum ista, quæ habes magni æstimes, quod est ingrati hominis, nulli debere te iudicas. Vnde tibi istum, quem trahis spiritum? vnde istam, per quam actus vitæ tuæ disponis, atque ordinas, lucem? vnde sanguinem, cuius cursu vitalis continetur calor? vnde ista palatum tuum soporibus exquisitis vltra facietatem laceſſentia? vnde hæc irritamenta iã lassa voluptatis? vnde ista quies, in qua putrescis, & marces? non ne si gratus est, dices:

Deus nobis hæc otia fecit;
Ndmque erit ille mihi semper Deus, illius aram
Sæpe tener nostris ab ovilibus imbuet agnus.

Agasicles exul ab Alicharnaseis est factus, quoniam tripodem, quam in ludo fuerat lucratus non obtulerat spontaneus, reputabatur enim ex iustitia debita gratitudo, vnde Horat.

Omnibus in rebus geminum est opus Omnipotentis
Totum iustitia est, quod gerit aut pietas.

In Beotia ad Trophoneum Deum iuxta Orchomenon, duo sunt fontes, alter quorum obliuionem, alter memoriam affert, vt inquit Plinius lib. 13. ibique solium Gratiarum esse, quas filias Veneris, & Iouis Poetæ fugebant, innuentes bene factorem oblitum iri beneficiorum, sed in eo, cui fuere elargita, semper debere fontem scaturire memoriam, vt non cesset reddere debitor gratias. Verum quia in homine fons aresçit, qui deberet tot beneficiorum excitare memoriam, quasi remoratur beneficientia diuina, priusque exposcere gratitudinem solet quam conferat beneficium ingrato. Nouem illis leprosis præcepit Dominus; quod sacerdoti obtulissent, vt reciperent sanitatem, primum autem illum leprosum prius reddidit mundum, & postea sacerdoti præsentari mandauit. Quæ hæc discriminis ratio? Cognouerat quidem leprosos optime Deus, hic enim magnificans Deum occurrit, ideo Christus gratum fore confidit, & oblaturum sacerdoti titulo gratitudinis sperat, vnde *fides tua te saluum fecit*, inquit Dominus, hoc est, ob fidelitatem, quam iam diu in te recognosco, beneficium, quasi in deposito collocaui, vt gratitudine soluas. Alij leprosi vero ita ingrato animo affectos considerauit, vsus est veluti pignore sanitate, vt cogeret reddere gratias, ideo quod prius se ostenderint sacerdoti suadet, vt à contagio lepræ mundentur, non enim aliter reddidissent ij, de quibus ipse Dominus: decem mundati sunt, & nouem vbi sunt?

Gen. cap. 9. Maledictus Chanaam, & Sem, & Iaphet benedicuntur.

Ezech. 18. Anima, quæ peccauerit, ipsa punietur.

Vaticinium non maledictionem fuisse sentiunt plures. Non enim alium pos-

Quantum in filios atque subditos parentum & superiorum possit exemplum.

se Cham speraſſe filium, quam qui maledictionem mereretur audire, credendum eſt. Vnde non tam propter parentes peccatum, & erga Noe irreuerentiam dicitur mulctatus Chanaam, quam propter eius flagitia, quæ continuo vaticinatus eſt Patriarcha Noe. Filius enim imitatur parentem. *Patrum veſtigia dicunt*, inquit de liberis Iuuen. Satyr. 14. Vnde S. Vincent. ſerm. in Natiuitat. B. V. difficile inquit eſſe maritum vxoremq; liberiores, famulos, & ancillas, filiosque ac filias continentes habere, vt Iuuen. Sat. 6.

Mater venalis docet, vt ſit filia talis,
Scilicet, expectas vt tradat mater honeſtos,
Aut alios mores, quam quos habet.

Quare, inquiret aliquis inter fratres omnes, vt ſimularet furtum, aliquoque fundamento duci, Ioſephus oſtenderet, vt fratrem argueret ſceleris ſcyphi furati, præ alijs Beniaminum elegit? Indignum amore quo Beniamin rum proſequebatur, vt enim inquit Abulenſis, nec improbabile iudicauit Salianus, ſunt qui dicant fratrem Beniamin in ſcypho apud eum repertum, præter acerbiſsimum mortis metum, male illum verbis, verberibusque mulctaſſe; Non ne hæc potius digna, quæ alijs, non Beniamino, fratribus imponerentur? Vt quid fratrem venditionis Ioſephi innocentem, ſic contumelijs afficit, ac ſi cum alijs concurriſſet ad illius iniuriam? Verum, ò! tormenta miſericordiæ cruciat, & amat, inquit D. Gregor, Ioſephus, qui typus Chriſti Domini erat, Beniamin prædilectus erat, vt doceat eos loco Beniamini, & prædilectos eſſe, apud quos ſcyphus, ſeù calix paſsionis reperiatur tribulationum, atque laborum. Hoc ergo Ioſephus, non vt affligeret, ſed ſimularet, & omnes melius furtum verum eſſe ſuaderet, egiſſe credendus eſt. De nullo quidem ita facile ac de Beniamin furtum quis ſuſpicari poſſet, ipſe enim filius erat Rachelis, quæ Deos patris ſui furata erat, cumque liberi parentum ſequantur veſtigia, vt Ioſephus furtum inſimularet, Beniaminum elegit, qui facile fur crederetur, ſicque omnes ſibi ſuaderent, qui matrem furem habuiſſe intellixiſſent. Sic habet Salianus anno 2328. n. 30.

Erexerat ſibi (inquit 2. Reg. 18. textus Sacer) *cum adhuc viueret, titulum, qui eſt in valle Regis: dixerat enim: Non habeo filium.* Quo pacto id conciliari poſsit, cum cap. 14. Reg. 2. non video, cum ibi dicatur. *Nati ſunt autem Abſaloni filij tres, & filia vna nomine Thamar elegantis formæ.* ¶ Putabat enim (inquit Hieronym. ex Rabbinis) filios ſuos, non ſolum regno indignos, verum etiam ob peccatum ſuum, quod in patrem geſſerat præſenti vita indignos. ¶ Cum ſe malum conſideraſſet filium, filios, qui perire non mererentur, deſperauit habere. Vnde titulum, in quo eius perpetuaretur poſteritas, exerciſſet, inquit, textus.

Rupertus 4. de gloria Trinitat. cap. 13. ¶ Neque enim dicebat, (inquit) vt in nullum maledicti plagam mitteret homo ſapiens, in quo Deus benedictionem dederat inter fratres ſuos, benedicendo ſimul omnibus, & dicendo: *Creſcite, & multiplicamini.* ¶ Nec Deus benedixiſſet, quem permitteret maledicere iuſtum. Quare Dominus non legitur benedixiſſe, quæ ſexta creauerat die? Audite Gloſſ. Ordinatiam. ¶ Forte animalia ſextæ diei non benedixit, quia inter ea erat ſerpens, cui poſt

post paululum erat ipse Deus maledicturus. ¶ Potiori iure qui benedictionem audierat, maledici non debuit. Vnde Noe non maledixit Chanà, sed seruitutem Chanaam vaticinatus est, neque hoc deceret Noe. Ad proferenda benedictiones tribus, quarum parentes ex liberis erant vxoribus Iacob, & ad maledictiones, tribus quarum parentes ex ancillis Iacob orti sunt, vt Deut.c.27 indignum enim est nobili viro maledictionem proferre, nec iniurijs lacessito iusto iniurias similiter repensare.

Iustus remittere debet iniurias.

Quare, mirabitur aliquis, *vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, inquit textus? quare non clamat de benis terra, & non de corpore, inquit Chrys. quia homines terreni vindictam quærunt, nobiles vero occultant, sanguis, qui erat adhuc in benis tamquam in proprio loco, connaturalique centro, & origine non vitiata manebat, primam iusti nobilitatem seruabat, immemor iniuriæ, & ad vindictam elinguis, solus qui venas reliquit, luto illinitus, ac humi sordibus coinquinatus vindictam quærit cadens à nobilitate primæua, vt inquit enim Iuuen. Sat. 13. *Exigui animi est vltio.* Forsam iustus appellatur Noe, qui cum posset, non tàm Cham vlcisci, quam ipsum in filijs visus est punire delictum, vt non odio, sed zelo iustitiæ motum infligere pœnam innueret, ideo in posteros Cham nondum natos tulit seruitutis sententiam. Iustus est vere, qui continet iram, cum posset in inimicos vlcisci. *Qui non habet gladium, inquit Christus, vendat tunicam, & emat.* Si Dominus benefacere præcipit inimicis, quare gladios ad repellendam iniuriam emere iubet Apostolis? quoniam si gladijs carerent, & sic ignouissent iniuriæ ex impotentia posset quis suspicari tolerantia oriri, & ex animi imbecilitate patientia. Gladios ergo Dominus vo luit Apostolos emere, vt sic ex merito libertatis, & non ex impotentia virtutis procedere innueret Apostolorum tranquilitatem.

Supplicium vnius, correctio multorum est, & pœna quam patitur innocens filius, maxime parentem affligit.

Certum est supplicia non solum in malis corripere culpas, verum & in bonis proficere vt terreantur à vitijs. Eximiæ fortitudinis erat Dauid, & nihilominus, cum operiretur vestibus, non calefiebat. Glosa. Nicol. de Lyra, & Cartusianus, infirmitatem illam, ex terrore, quem Angelus vno die 70000. homines interficiens inculsit, existimarunt oriri, viso enim illo spectaculo lamentabili exanguis extitit, ex tunc accidens illud passus. Sed vnde timor incuti potuit streno viro enutrito, armorum strepitu bellorumque claudibus non insolito, sanguinisque hominum effusione submerso? Nõ timuit quod tot hominum decessissent, sed quod innocẽtes capite plexi fuissent, ideo, *isti qui oues sunt, quid fecerunt?* exclamauit. Quid ergo erit mihi, & quidem delinquenti? ¶ Toruos, inquit Amb. lib. 2. de Cain & Abel, cap. 2. leones cernimus, naturalem feritatem imperata mutare mansuetudine, suam rabiem deponere, nostros mores sumere. Et cum sint ipsi terribiles: discunt timere. Cœditur canis vt pauescat leo: & qui sua iniuria exasperatur, coercetur aliena, alteriusque exemplo frangitur. ¶ Cœditur ergo impius vt pauescat iustus, & plerumque flagellantur innocentes, vt eorum plagas impij intuentes ad mansuetudinem reducantur, & pertimescant. Ideo maledictioni Chanaam exposuit Noe, vt timere disceret Cham, sicut plagæ Ægyptio-

tiorum eruditio fuit filiorum Israel, vt Augustin. aduertit. Vnde cum Israelitæ egressi de mari rubro Ægyptios mortuos super littus maris viderent, *timuit populus Dominum*, ex alienis plagis ortus est in populo timor. ¶ Qui gaudere, inquit Oleaster, debuissent de suffocatis hostibus, timere dicuntur: nam qui propter nos destruit inimicos, nos etiam suffocabit, si ex amicis mimisi fiamus.

Vix in mare Ionas proiectus est, & ecce omnes, qui aderant, tenuit timor, *& timuerunt viri timore magno*. Quare paueſcunt, mare cum esset tranquillum, & omnes submerso Iona secuti è more lætantium celebrent esse in portu, non paueant, cum cessauit tempestas, & periculum euanuit. Timuerunt, inquit Augustinus, Ionæ intuentes in faustam sortem, ex alienis enim malis nascitur timor salubris, timuerunt enim ne quid simile aliquando euenisset. Vindicta ergo aliquorum, est medicina multorum: Vnde D. Paulus, inquit: *Peccantes coram omnibus argue, vt cæteri timorem habeant*. Optimus ergo est punitionis fructus, quod in malorum plagis, pij & iusti viri habeãt, quid timeant.

Genes. 11. Inuenerunt campum in terra Senaar, cum ab Oriente proficiscerentur.

Constat ex eodem cap. nullum ibi fuisse hominum, à quo posset nomen imponi.

CAmpus ille in quo turris scelus est perpetratum, Senaar dicitur, id est, *fœtor eorum*, Ruperto teste, quia etsi omnia silerent, illud scelus emittebat fœtorem, quo posset cunctis manifestari Senaar, inquit lib. 2. in Genes. cap. 41. ¶ Rectè dicitur fœtor eorum, quia fœtorem superbia eorum tali ausu vsque ad nares Dei emiserunt, cui superbia fœtor horribilis est. ¶ Innuit ergo, quod peccatum ipsum clamat, non indiget teste. Quis Cain reuelauit scelus? *Vox fratris tui clamat ad me de terra*, fratricidium emittit voce, & ipsa loquitur culpa.

Nil occultũ quod non reueletur.

Ostendit Angelus Zachariæ sub specie mulieris impietatem. *Hæc est impietas*. Sed quo pacto manifestari potuit, quæ tanta est cura celata, *proiecit eam in medio amphoræ*, operuit plumbo, *& misit massam in os eius*, & in loco reconditur secretiori. Magis celatum potest imaginari peccatum? Attendite ergo quid ei accederit, amphora, vnde erat maximè occulta, egressa est, plumbi diuisa fuit massa, ipsa que impietas in medio amphoræ sedit, & continuo; *hæc est oculus eorum in vniuersa terra*, omnis populus oculos intendit in illam. Et quod magis est, *Ecce duæ mulieres egredientes leuauerunt amphoram*, per aerem tollunt vt facilius videri possit, *vt ædificetur ei domus in medio Senaar*, quam aliqui *mormuratio ciuitatis interpretantur, vt ab omnibus videri & detrahi posset*. Erat nõne ista ita velata culpa? vtiq, sed culpa & peccatum clamant, non indigentia precone. O! quot mulieres falsæ simulationi nixæ, honorem, vitam, & Dominum perdidere, quia earum culpa, cum celatam omnibus crediderunt, in medio Senaar habitabat, mormuratio populi facta. Quæ enim sic suum operuit scelus, quòd non aperuerit famulæ sibi vitæ fideli? quæ tam fidelis ancilla, quæ alij iuncta amicitia non sit, cui cordis se-

secreta pandat? Ecce iam durarum manibus fœminarum sustentatur peccatum. Quo ergo, nisi in medio Senaar possunt scelus tenuare, vt ciuitatis totius sit murmuratio? Hæc sola deberet mouere ratio, si non interceret Dei offensa, vt mulieres cõseruarentur pudicæ, periculum nempè cordis alteri necessario fidendi.

In celebri illa Cathirinæ coniuratione, ipse Senatorem Romæ omnibus prudentiorem consuluit, & monuit de traditione, cui sui Senator. Est aliquid ipsa traditione peius, aliquem, scilicet, conscium partialem habere, non enim secreta potest coniuratio manere, si alium habeas comitem, in notitia. Est aliquid peius traditione, quæ Deo fit & marito, aliquem nempè habere partialem, ipsa, scilicet, dependentia ab illo, cui cordis secretum fidit. Verum, ò cæcitas culpæ! quæ non tantum peccanti lumen obscurat, sed alios existimat cæcutire, vt scelus, cuius rumor est per totam ciuitatem diffusus, credere facit esse celatum. Quare dicitur (mirabitur aliquis) Samaritanam Christum Dominum esse prophetam tum cognouisse, quando viros non suos manifestauit, & non ancea cum tot recondita mysteria diuina ostendisset? Accidit huic, quod alijs peccatricibus solet, quinque viros simul habebat, ab omnibus ciuitatis notatur peccatrix, publicaq; meretrix, & ipsa ita occultum iudicat esse peccatum, quod existimet non nisi, præditum propheta, cui fuisset manifestatum. Culpam ergo lasciuiæ si quis committat non iudicet esse celandam, vnde Fulg. lib. 2. Matth. fab. de Ven. ¶ Hanc etiam nudam pingunt, inquit, siue quod nudos sibi affectatores dimittat, siue quod libinis crimen, numquam celatum est. ¶

Genes. cap. 11. Descendit vt videret Deus. Venite descendamus, v. 7.

Nil Deo non patens est.

Iudices delicta non timere credãs

DIxerat antea clamorem Sodomorum multiplicatum esse, & nihilominus, *descendam, & videbo*, inquit, vt nos instrueret, iudicesque edoceret, non his quæ auditis, percipiunt, sed ex ijs, quæ intuentur ipsi, vt ferant sententiam mouendos. Tres illi Magi Dominum adorare venerunt. Statim itaque ac ingressi sunt Ierusalem, stella, quæ antea duxerat, non apparuit. Quod indicat, vt inquit Ambr. inquisitionem quam in curia facerant Magi Regis, Cœlo gratam non fuisse, ideo abscondit stella luces. Dicendum piaculum fuisse non personale, sed contra Principum Regem que munus, quod, vbi sit Christus ab Herodis aulicis interrogauerint. Reges erabt Magi, & regebantur à visu, quousque Ierusalem sunt ingressi, tunc intubantur stellam. Cum autem interrogassent, auditu se indicant velle duci, & tunc stellæ lucem non vident. Superiores ergo attendere non debent auditui, cum visus manifestat, quæ quærunt. D. Chrysost. sic Dominum esse locutum, inquit. ¶ Vt per hoc erudiamur, numquam temere fratres condemnandos, neque auditu solo indicandum. ¶

D. August. asserit Angelos fuisse qui confunderent dissent, sed inquit, *venite, & confundamus*, vt instruat homines, qui sunt superiores non sine dependentia totali ministris

stris commissuros esse inferiorũ supplicium. ¶ Bene non ait, inquit, Aug. lib. 17. de ciuit. Dei cap. 5. venite, & descendite confundite, *sed confundamus*, ostendens se ita operari per ministros, vt sint etiam ipsi cooperatores Dei. ¶ Maxima quidem strages reipublicæ est quando inscio principe iustitia vindicatiua exercetur. Post primum illum tumultum, bellumque ciuile, quo duæ cometes illæ Cæsar atque Pompeius intenderant Romam, media æstate cum sol maxime creuisset ardore, subito exorta est tempestas, fulgoribus, & tonitruis tota Roma pauebat, timens ne Iupiter Pompeio, & Cæsari associaretur, vt sine spe perderet cunctos. Hoc iudicium quidam delusit poeta, cum vbi præcipuum non sisteret damnum, non percepissent, non enim Iouis fulmen timendum erat, sed quod fulmina furiæ inferna les vibrassent, sed quod tonet ignaro cœlum Ioue: Hæc maxima calamitas est, quod pereant subditi, & superiores ignorent, quod inferiores suspiria effundant, & aures Principum non pungant clamores.

Detestabilis culpa in Principe scelerum ignorantia.

Introduxit Seneca Claudium Imperatorem cum emigrasset è vita, vt inter Deos illum digna rentur collocare Dijs postulasse Augusto que eius auo petitionem commissam passam fuisse repulsam, & dure reprehensum ab illo. Tu, inquit, Augustus, Deo assignaberis numero! qui inter Cæsares non tamquam Princeps, sed veluti monstrum rexisti! post mortem tu Deus! qui vipera Reipublicæ in vita fuisti; ribi incensum cui totus orbis desiderat sulphur; tu inter numina; qui triginta senatores interfeciſti, & 315. equites, Mesalinamque tuã vxorem, neptemque meam similiter iugulasti. Quibus auditis exclamauit pauidus Claudius, equitum, & senatorum necis vix noticiam habuisse, Mesalinam autem fuisse interfectam penitus ignorasse, ministri enim forsam eo inscio, nunc credebat, fecisse. Nil cognouisti? omnia ignoras? addit Augustus, grauius quidem delictum est ignorantia, in pœnam tartaris recludaris. Nescio, inquis, Dij tibi male faciant, adeo istud turpius est: quod nescis, quam quod occidisti, in Principe enim detestabilius est, ignorare reipublicæ scelera, quam si ipse patraret.

Parũ Principis prodest perfectio si in subditis disimiles vitia.

Parum proficiunt in Principe virtutes, & perfectiones, si neque vitia coerceat. Neque imperfectionibus subditorum attendat. Mosem voluit Angelus interficere. Nullam reperit S. Petrus Damianus imperfectionem in Mose, cuius filius non circumcisus erat, verum iustam pœnam dedisse affirmat, absurdũ quippe fuerat, si videretur gentilis in filio, qui erat in semetipso Israelita, Parum refert, quod parens, herus, & Princeps virtutibus sint ornati, si filij, subditi, & serui sunt scelerib⁹ irretiti; Parum prodest Principi, quod appareat Christianus atque perfectus, si subditi viuunt tamquam Gentiles. Deserat contemplationem qui, vt subditos regat, insistere debet actioni, fugiat aliquando quis solitudinem, quum opus est, quod agat in foro increpet & communi bono deseruiat, sicut fecit Natham. Adonias filius Aggith eleuabatur dicens ego regnabo, exercitum congregauit, & pro illo tubas populus clanxit, nomen Adoniæ resonabat vbique, & hoc contigit viuo & præsente Dauid. Quo tenderent omnia, nisi Natham solitudinem derens de hoc tumultu monitum non faceret regẽ. *Num audisti*, inquit, *quod regnauerit Adonias filius Aggith? & dominus noster Dauid hoc ignorat?* Si ergo hoc ignorauit Dauid, quid

mire, quod Principes alij delitijs deditineſciant, quod actum eſt ſuo regno, niſi frequenter interrogauerint? Si regnante ſancto vigileque Dauid oritur, & creſcit tumultus, & ipſe ignorat, quid ſperant, qui voluptatib⁹ traditi clauum Reipublicæ veluti grauiſsimum pondus excutiunt. Finxit Gentilium antiquitas Apollinẽ vtrique Emiſpherio lucem æqualiter diuiſiſſe, ſed cum intenſius nimphã ſpectaſſet Leucothoen, contigit aliquando occidere ſerius, quandoque citius oriri, emiſit genus humanum querellas.

— *Quique omnia cernere debes,*
Leucothoen ſpectas, & virgine fungis in vna,
Quos mundo debes oculos.

Maxima ſubditis calamitas eſt, quod Sol & ſuperior radios abſcondat, fœdis voluptatibus captus. Triſte mortalibus eſt, quod horis aliquibus Sol impeditus à Luna, obſcuretur, verũ ſi craſsi aſcendenter de fœdis lacunis vapores, non horis, ſed diebus, agris & planas Solis abſconderent radios, triſtiſsimum eſſet, quoniam redderentur ſterilis agri, flores marceſcerent atque plantæ.

Deus quãdo punit miſericorditer operatur.

Quare varietate linguarum ſupplicio proſequitur Deus? quærit Procopius, ſed ſic reſpondet. ¶ Benignus Deus ipſorum miſertus, ne forte vano, & inutili labore atterantur in hunc modum ipſis ferias induxit. ¶ Compaſſus Dominus eſt homines in vanum laborare turrim ædificando, Deus enim miſeretur adhuc cum punit. Primos parentes voluit punire Dominus, *in dolore paries* minatur Euæ in viſceribus ſupplicij eſt reperire miſericordiam, Deut. namque volens benedicere populum promiſit fœcunditatem mulieribus, *non erit ſterilis* cum ergo dolorem Euæ minatur ſimul fœcunditatem promittit dicens, *in dolore pariens* dolores timere potuit, ſed ſimul gaudere de fœtu Adamo inquit, *in terrã ibis*, in pœnã ſceleris primi. Quæ pœna eſt hæc, ſi patria hominis terra eſt, in terram ire ſupplicium non eſt, ſicut non foret exilium, ſi in patriam quis mitteretur.

Noxia vnitas malorũ

Venite confundamus linguam eorum, D. Gregor. lib. 34. mor. cap. 3. ¶ Etenim ſi malorum (inquit) vnitas noxia non fuiſſet, nequaquam diuina prouidentia ſuperbientium linguas in tanta diuerſitate diſipaſſet, ſi malorum vnitas noxia non fuiſſet, de ſanctæ Eccleſiæ hoſtibus Propheta non diceret, *præcipita, & diuide linguas eorum.* ¶ Vidit Iſaias ſpiritu prophetico pacem, & ait: *& pacis eius nõ erit numerus.* Impropriè pax laudari videtur, proprius non haberetur finem diceretur. Verum optimè pacis durationem manifeſtauit Propheta, idem enim eſt pacem carere numero, ac finem nullum habere. Cũ multiplicantur paces, finis vniuerſæ pacis accedit, cum binæ ſeparantur paces, hic vna, eſt altera illic, bellum ſunt manifeſtum. Quid aliud exercitus duo ſunt, cum inſtant committere pugnã, niſi binæ ſeparatæ paces, quarum cum altera militat alia. Symbolũ eſt muſica pacis, cui non tãtum obeſt defectus vnius menſuræ, (intellige cõpas) quantum noceant duæ menſuræ ſimul vnitæ, quo menſuras multiplicaueris, eo muſicam diſcordabis.

Partialis aliquorum vnio pacis verum vinculum rumpit, & communitãtem deuaſtat.

De ſceleroſis loquebatur Pater familias: *Colligite*, inquit, *zizania, & alligate ea in faciſculis.* Quæ pœna eſt iſta? inquit Auguſt. ſi comburere præcepiſſet zizania, condignũ ſcelere patterentur mali ſupplicium, ſed quod in faſciculos cõponantur, nulla quidem pœna eſt, cum triticum ſemenque bonum in faſciculis alligentur. Verum, vt inquit Auguſtin. idem eſt quod zizania in faſciculis alligentur, ac quod inter ſe comburantur. Faſciculus enim ſymbolum pacis eſt, ſi ergo multiplicantur faſciculi, plures

res paces neceſſario aſsignãdæ ſunt. Maneant ergo faſculi ſic alligati, eo enim ipſo vlla abſque diligentia faſciculi cõburentur, illa enim vnio non vnitos, ſed conſeruabit diuiſos, vnio, qua ligari videntur, non eſt concordia, ſed eſt diuiſio ex illis obſtinatio aliquorum es quaſi azero a liorũ duritia eſt ſilex, ex ictibus del azero & ſilicis quid ſperabis niſi ſcintillas? & ex ſcintillis palleæ vicinis, quid niſi quod faſciculi comburantur. ¶ Non iubet dominus meſsis, inquit Aug. accendi, an neſcis, quod igne ipſo faſciculi colligantur. ¶ Non opus eſt alio igne, quam vnione vitioſa qua inter ſe colligantur, vt mutuo deuorentur & accendantur.

Venite deſcendamus Principem innuunt hæc verba, aut ſuperiorem ſubditis, quos velit ſanari, perſonaliter adeſſe debere. *Abraham, Abraham, ne extendas manum tuam ſuper puerum.* Quare (inquit Chriſoſt.) Abrahæ repetit Angelus nomen? Non præcipit in quæ ponderabat affectus? Vitam non intimabat Iſaac, quem maxime diligebat Abraham? Quare ergo duplicat Angelus voces repetitque præceptum, vt dexteram ſuſpendat Abraham, gladium remoreque bibratum, quo dulciter captabatur voluntas? Reddit rationem Chryſoſtomus à Moſis verbis deſumptam, ibi. *Vocauit Angelus de Cœlo, dixitque Abraham, Abraham.* Angelus præcipiens erat in Cœlo, iureque poſſet timeri mandatum ad aures Patriarchæ peruenturum longiſsima, diſtantia debilitatum, ideo ergo repetit præceptum, multiplicat ve voces, vt valeat ob temperari, difficile enim eſt ſuperiorem vim & efficaciam in ſubditos obtinere, ſi ab illis longiſsime abſit, eiuſque viſus deuia non dirigat aut componat actiones, eiuſque præſentia cohibeantur exceſſus.

Ex Gen. cap. 12. Egredere de terra tua, ideſt, de terra Vr.

Gen. 24. conſtat terram ſuam eſſe Haram.

HÆc Abrahæ à Domino fuiſſe intimata poſt mortem Thare ſentit Aug. & ideo exitum præcepiſſe, ne ex conſortio infidelium, vigebat enim ibi idololatria, ſorde ſceret etiam Abraham, vt ſentiunt Chry. atque Cyril. Alexan. ſed quo pacto id præcaueri poſsit, non video, cum vbicumque ſe diuertiſſet Abraham, idololatria & infidelitas graſſarentur, & irreligioſa caligine eſſet obcæcata terra. Nihilominus grauius idololatriæ ſerpebat venenum, & periculoſius erat contagium cum à Thare patre procedens, Nachoreque fratre religioſius acceptaretur, ſemelque ebibitum difficulter euomeretur. ¶ A propinquis, inquit, Thomas Anglic⁹ & domeſticis diuino cultui, & amori contrarijs, facilius homo impeditur, & rerrahitur à bono, trahiturque ad malum, quã abignotis, & extraneis. Ideo, *Filijs concubinarum, Gen. c. 26 largitus eſt munera* (Abraham) *& ſeparauit eos ab Iſaac filio ſuo, dũ ad huc ipſe viueret ad plagã Orientalẽ.* Præſagiebat enim filios concubinarũ idolatras eſſe futuros, timenſq; no ciuã conſanguineorũ vnionẽ, ac ſocietatẽ periculoſam, ab Iſaac, in quo vera religio religioſuſque cultus erat diu manſurus, longe diuiſit, ne poſteri Iſaac, idolorum, quibus dediti erant Gentiles ab Iſmael procedentes, fœda religione, ſacrilegoque cultu coinquinarentur. Sic Abulenſis. ¶ Abraham, Deo reuelante, cognouit, quod cultus Dei

solus successoribus suis per Isaac mā surus erat, ideo diuisit eos ab Isaac, ne posteritas illorum posteritatem Isaac à Dei latria disturbaret. ¶

D. Chrysost Non antea Abrahamum, inquit, Deus vocauit, donec mortus est Thare. Si vocaretur, viuo parente abnegatio non esset vndequaque perfecta, nil tunc iure hæreditario accepisset, vnde ne quo cresceret renuntiationis meritum foret, similis que vocatio non propter Deū sed indigentia, quam sub parentis testate pati credibile esset, posset aliquis suspicari, sed immediatè post mortem Thare, quando affluens diuitijs, hæreditateque fungi cæpisset, egredi de terra sua, cognatione suique dono parentis, vt maximum splē deat de diuitijs triumphum, & abnegationis victoria. Maximum enim auget dolorem temporis circunstantia, tunc nempè bonis priuari, cum inciperent possideri. Ideo ponderauit maximus Augustinus mundi diluuiū & miserabilem cladem tunc contigisse cum arbores germinarent, proxima enim possessionis spes agrauat singulariter pœnam.

¶ Quæcumque chara in mundo habebat iubetur relinquere, patriā, parentes, amicos, familiam patris, inquis Lippomanus, soli Deo impense credendo adhærere, vt dignus haberetur promissionibus Dei magnificis. ¶ Sed quare deserta patria, quę sic amabilis est, vt dixerit Sertorius, malle se Romæ ignobilissimum ciuem, quam exulem omnium aliarum ciuitatum imperatorem nominari, oraculo audito, non secus quam si è peregrinatione domum redire iussus esset, iter accelerauit? Vincit difficultatē terra promissa; spesque firmissima præmij. Quas difficultates non vincit premiū pollicitum gloriæ? nil terret magnitudo laborum, quem, gloriæ, cuius est symbolum terra promissa, firma spe solidatur.

Omnia vincit spes gloriæ.

Vocatur mortuo Thare, & innuatur, vocationem Diuinam in peccatoribus non reddi efficacem, si omnino extincta non est occasio peccandi, qui enim occasionem non rescindit delicti, illo adhuc est irretitus. Si pes tuus.

Ex Genes. cap. 12. Constat Abraham egressum esse de Aram anno Thare 145.

Act. cap. 5. Constat egressum post mortem Thare.

MAsius, inquit, cum Scriptura egressum Abraham de Charram, & tradidit venisse in Chanaam post mortem patris loquitur de morte spirituali. De quo nos fol. 145. Sed quare recedit à parente idolatra, cū ipsum de veritate, si ibi degisset, erudire potuisset. Verum non licuit, non enim efficax videretur eius vocatio, veroq; Deo seruiret, si inter idola maneret, quibus (vt aliqui sentiunt) obtulit pridem incensum, quāvis sentētiam iudicem falsam, non enim odio idololatriam prosequitur, qui nō refugit occasionē idolis thus offerēdi.

Quare, quærit Chrysost. Dimas latro felix ille, cum in cruce suspensus est, & non antea à Domino fuit conuersus? & respondet. ¶ Potuisset antea ipsum vocasse, sed vocatus ille nō paruisset. ¶ Quare, rogo, nō paruisset? latro enim erat, (hæc est ratio) furādi ergo voluptate deuictus, si manus haberet solutas, difficile rūperet consuetudinem, vocatur autem cum non potest non respondere, furandi omni occasione sublata, cū suspensus patibulo manus habuerit clauis transfixas. Non enim credendum est aliquem vere fuisse conuersum, si non abneget, quod ad delenquendum deseruit.

Ex

Ex consulto, inquit Origenes, Euangelistam Ioannem cap. 4. hydriam asserere relinquisse Samaritanam. Ad quid autem Sermonem de hydria miscere historiæ Ioannes dicendus est, vbi tan alta, & diuina misteria tractata sunt. Verum dicendum est hoc ex consulto Ioannem tradidisse, & vera Samaritanæ crederetur conuersio, hydria enim instrumentum peccandi erat, simulans enim aquam haurire, libere viros non suos visebat, vt ergo omnes veram eius crederent conuersionē, reliquisse hydriam, quæ erat occasio peccandi, tradidit Euangelista, non enim odio prosequitur culpam, vt deceret, qui instrumentū delinquendi nō refugit; neque vinculis appetit esse solutus, qui nolit rūpere nexus. Ideo Petrus existimasse visum videre, inquit, cum Angelus vincula soluit, sōniare se iudicauit; cum autem extra custodiam se esse considerauit, continuo, *nunc scio*, dixit cognouit & credidit libertatem. Quare ergo, si sine vinculis erat, & Angelū protegentē & libertatē respiciens, iudicat se somniare? Ratio est Quoniā licet vincu-

lis fuisset solut°, intra custodiā manebat, existimauit ergo se visū videre incōpatibile enim est clausū intra custodiā, & liberū esse. Quo ergo pacto homo existimabitur vinculis solut° & liber, si intra custodiā reclusus est occasionis, per pœnitentiā, & si quis audiat à Sacerdote, *ego te absoluo*, iudicet se somniare, si occasionis, quæ sæpè hominem relabit fecit, vinculis sit obstrictus.

Cū maxime si timuisset Dauid, & periculis interritivas aquæ milites obtulisset strenui, *noluit bibere, sed libauit eū Domino*. Quare hoc Chry. Vides, inquit, quomodo à priori concupiscētia eruditus, prudētior in posterū factus sit? Echo sēsualitatis resonauit in vase, aqua, vbi se Bersabe immerserat delitiose, ruinā inijauit Dauid, tot illi malorū causā, noluit ergo bibere prudētior in posterum factus, occasionē repræsentauit delicti, & ideo odio prosequutus scelus, refugit etiam periculum. ¶ Nam qui corporum (inquit Chrys.) cupiditatē prius fragauerat, aquam iam minime appetebat. ¶

Ex Gen. cap. 12. Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo.

Act. c. 7. dicitur quod nō dedit hæreditatem, nec passum pedis in ea.

DIximus, cū insēsu litterali cōciliauimus antilogiam, passim ea, quæ aliquibus promittuntur, in posteris adimpleri. In sensu autē Mistyco sib Rab. Maur. exponit. ¶ Semini Abrahæ, inquit, quod est Christus, omnium gentium hæreditas promittitur, qui Ecclesiam suam per totam mundi longitudinem, latitudinemque effundit. ¶ Maxima bonitas hic eluceſcit, & quidem vt inquit Chrys. beneficijs Dominus certat, neque vnum cōtētus beneficium conferre, multiplicat alia, non solum illi, sed semini ei° promittit. Nescit ergo Dominus non plura beneficia largiri.

Rogauit Christo Domino homo. *Magister*, dicēs: *dic fratri meo, vt diuidat mecū hæreditatē*. Quid autem Christ° respōdit? *quis me cōstituit iudicē, aut diuisorem super vos?* Quare hoc? cū dicat Euāgelista, *pater nō iudicat quēquā, sed omne iudiciū dedit filio*, quare ergo iudicare recusat, & diuisoris agere mun°, cū nō semel diuidētē Dominū viderimus. *Accepit Iesus panem, benedixit, & fregit*, inquit de Christo Domino Euāgelista Matt. *deditque discipulis suis*. Quare ergo panē diuisum dedit hic discipulis suis, & ibi inter fratres recusat diuidere hæreditatem? Ambrosius

Dominus nescit beneficia largiri quin cōmunicet integre.

nodum soluit difficultatis, non enim iudex Dominus est, vt diuidat, & partiatur, hæreditatis enim diuisæ pars quæ erogatur vni, necessario debet alteri denegari, dedecet autẽ Christi maximam bonitatem, vt largiatur, & integre non communicet bonum, ideo iudicem esse & diuisorem recusat. Non sic cum diuidit, discipulis panem, qui à sumente non concisus, nõ confractus, nõ diuisus, integer ãcipitur, totus existit in toto, & totus in qualibet parte, ideo hic diuisoris munus accepit, frater autem merito refutatur, qui dispensatorem Cœlestium gestiebat corruptibilibus occupare, cum pietas, liberalitasque diuina nesciant non integre cuiuis beneficia largiri.

Ex eo.ca p.14. Rex Sodomæ in bello cecidit.

Ibidem Sodomorum rex occurrit illi.

FIguratur, inquit Chartũsianus, quod homini virtuoso frequenter se ingerit vanæ gloriæ & elationis tentatio de opere notabiliter bono ac arduo, cui vir respondere debet cum Abraham. Non accipiam ex omnibus, quæ tua sunt, idest, nullo tibi consentio. Quando namque graui tentatione pulsatus vincit Dœmonem, sed ab ipso vincitur simul, cum vane complacet de victoria. Vnde à Domino postulabat Dauid Psal. 120. *Dominus custodiat introitum, & exitum tuũ*, sæpè enim qui in introitu operis de Diabolo reportauit victoriam, in exitu iacet à Dœmone debellatus. Eleazarus, cum super eminentem cæteris elephantem lorica vestitum regia aduerteret, vt refert Ambrosius, arbitratus in eo esse regem, cursu concito in medium legionis prorumpens, subiecto gladio interemit bestiam. Quis Eleazarum non conclamaret victorem? sed infeliciter vicit, cum fuerit suo sepultus triumpho cadens enim bestia oppressit Eleazarum & mortuus est. Sic contingere solet hominibus, qui graues tentationes vincentes ipsa victoria ruunt, innaniter complacentes, suo triumpho sepulti.

Plures, quì victores sæpè extitere iacuerunt à vanitate devicti.

Ex Gen.cap. 15. Suspice cœlum, & numera stellas.

Iob 4. Si aspersi Solem, cum splendesceret, quasi delictum hoc foret.

OLeaster in cap. 24. Exod. ¶ Sic, & Abrahæ dilectissimo suo, inquit, fecit, ad quem & si aliquãdo descendere dignatus est, numquam tamen domum eius ingredi voluit. Solet enim homo etiam iustus ex diuinis fauoribus insolescere: ideo ad mensuram sibi cuncta ostendẽda sunt, & præstanda. ¶ Vel dicendum foras Abrahamum eductum, ne Dominus personarum acceptator posset existimari, & diuiti, magis, quã pauperi fuisse propitius, ideo domum Reguli cum ingredi recusaret, Centurionis domum Christus intrauit. Nisi dicamus foras Abrahamum eductum vt suspiceret cœlum, intra domesticos enim diuina mysteria numquam panduntur, cœlumque valet vix contemplari.

Sus-

Suspicere cœlum præcepit Deus Abrahamo, vt sic multiplicandum semen innueret. Genes. enim 13. pulueri abiecto comparauerat semen, merito nunc micantibus astris, vt inquit enim Hugo, ad stellas vsque eue huntur, quiita se abijciunt sicut puluis, humilitas enim abiectum suprema conscendere facit, vel quod nullus micandi infirmamento dignitatem meretur, qui laboribus non apprimitur prius, & percutiones non sustinet.

Æqualibus medijs vnus bene, vtitur alter male.

Lyranus suspicere cœlum, inquit Dominum præcepisse, vt innuat, bona quæ temporalia promisit, non vt illis frueretur, sed vt manuductiua ad cœlestia, concessisse. ¶ Bona quæcumque temporalia, inquit Lyra, sunt minora, quam iustitiæ opera, & ideo hic, & in alijs locis Sacræ Scripturæ, vbi pro operibus virtutis verè, & propriè dictæ promittuntur aliqua bona temporalia, non intelliguntur principaliter promissa, sed quasi manuductiua ad bona spiritualia, & æterna, quæ principaliter intelliguntur promissa. ¶ Quicumque enim cœlum, vt par est, contemplatur, Heu quam sordet terra cum cœlum aspicio, cum D. Ignatio dicere valet, ideo ne Abraham irretitus temporalibus esset, opus est respicere cœlum.

Non fidat de se iustus

Iuxta antilogiam autem mysticè sic expono tempore Iob pulchritudo stellarum, & cœli, quæ Dei gloriam narrare instituta sunt, periculo fuit fœdissimæ olim hominibus idolatriæ, ideo non aspexisse causa idolantrandi Iob pacientissimus refert. Abraham autem vt Dominum conditorem simul laudaret, & de feminis propagationis fideret promissione, aspicere cœlum præcipitur. Attende quoties ex æqualibus medijs, quod vnus Dominum laudet, & alius offendat, vnus Domino gratus, alius inusus reddatur, experiri pro nostræ volubilitate naturæ, & pro infirmitate arbitrij simus assueti. Ex decem illis virginibus quinque clausis ianuis anuptijs expulsæ sunt, & extra ianuas inuentæ. Quo ergo pacto? cum omnes lampades habeant, S. Bernardus ego enim reor, inquit, minime fuisse accensas, quæ in fatuis erant, lampades omnes accepisse refert Euangelistæ, sed ab omnibus non fuerunt accensæ. Ideo pulueri semen comparauerat Abrahæ, cum simile dixerit esse stellis, vt innueret parum prodesse nomen, si non micarent vt astra, ista enim minatus sub puluere fore. Iustorum animæ in manu Dei sunt, & septem in manu Dei vidit Ioannes stellas, sed non longe gladium, *& in ore eius gladius vtraque parte acutus*, vt illas præcipitaret, quarum ruina maximè periculosa, pluribus scandalum, & affert omnibus nõ leue damnum, *cecidit de cœlo stella magna*, inquit Ioannes, sed præcipitium non fuit silentio obuolutum, quoniam tuba cecinit Angelus, non sine tuba & clamore iusti & perfecti cadunt neque aliorum ruina, sicut ex illis duabus stellis, quarum vna cadens in mare, aquas amaricauit, fumo solem obscurauit & altera, quæ cecidit super terram Domino autem grauem dolorem infert, quod vnus cœlum aspiciens à Conditore recedat, & creaturam adoret, quando alter eius pulchritudinem contemplatus, laudes & grates rependit, Iob ex cœli consideratione Domini gloriã laudabat quin hoc alios suo tempore moueret exemplum, vt ab idolatriæ sordibus reuocaret. Hoc Dominus est offensus in eo, qui sine veste nuptiali conuiuas inter alios sedebat, quando sedebat tantum aduertit Cyrilus fuisse reprehensum. ¶ Vidisti, inquit, splendida vestimenta discumbentium, non ne oportuit, vel in ijs quæ cernebas discere. ¶ Si extra illum consensum cer-

cerneret Dominus maculatum, non sic Deus offenderetur, verum augeret malitiam, & prouocat Deum ad iram, quod inter tot, sicque dealbatos puros que conuiuas, sordescere non erubescat.

Gen. cap. 17. Infans octo dierum circumcidetur in vobis.

Iosue 5. Per quadraginta annos non sunt circumcisi.

IN sensu litterali exposuimus superius, Lyranus, ante octauum diem, inquit, circumcidi non posse, quia illo tempore sunt quid imperfectum, perfecta autem sunt Deo attribuenda, D. Cyprian. serm. de Circũc. ¶ Tenera, inquit, infantia huiusmodi erat imbuenda doctrina, & ante concupiscibiles motus, quos peccatũ meruerat, miserabili pœnæ, & ineuitabili vindictæ in paruulis adhibenda erat seueritas, & antequam ebulliret sartago libidinum, prouisum est ventilabrum, quo refrigerari posset & extingui de populatricis flammæ vagus ardor, & vniuersa perlustrans incendia. ¶ Alijs in vitijs eliminandis post vsum rationis sufficit adhiberi remedium, circumcisio autẽ, cum in remedium institueretur luxuriæ, cito ab incunabulis debet apponi, vt innuat continuo voluptates fore resecandas, & ante vulnera medicinam parari.

Ex Genes. 17. Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit delebitur anima de populo illo.

Ezech. 18. Anima quæ peccauerit ipsa punietur.

CVm Dominus ore Dauid dicat, *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum, cognoui Domine, quia æquitas iudicia tua*, quare pueri innocentis anima afficitur pœna, quæ parentum respondet delicto; negligentia vnius alteri nocere non debet, habetur, *L. iniqui. ff. de iur. & fact. ign. L. non deb. ff. de reg. iur.* Nihilominus dicendum est cum Aug. lib. 1. q. 13. nou. & vet. test. crimen patrum mortem filiorum esse, quandoque enim propter vnius culpam in supplicio communicant innocentes, (Gen. cap. 9. dedi rationem), sicut in primo delicto terra innocens iudicis est pœnam experta. ¶ Homo, inquit Oleaster, non maledicitur, sed terra propter eum, ¶ *Producant* inquit Deus Gen. cap. 1. *Aquæ reptile animæ viuentis, & volatile secundum genus suum; Creauit cete grandia, & omnem animam viuentem, atque motabilem, & omne volatile secundum genus suum.* Postea benedixit eis. Sexto die animalia terræ creauit, sed non benedixit. *Et fecit Deus bestias terræ iuxta species suas, iumenta, & omne reptile terræ in genere suo.* Quare ergo non benedicit animalibus terræ? Glossa ad litter. Forte, inquit, animalia sextæ diei non benedixit, quia inter ea erat serpens, cui post paululum erat ipse Deus maledicturus. ¶ Ideo exponens Chrys. pœnam diluuij, cum Dominus, inquit, *Ab homine vsque ad animantia, a reptili vsque ad*

ad volucres Cœli, inquit. ¶ Ita pœnam communem ferunt, vt pœnæ grauitatis addiscatis, & sicut ab initio mundi cum peccauit protoplastus, terra maledictionem accepit, sic & nunc cum abolendus esset homo, bruta quoque cladis socia fiunt.

Scrutatus est domus Ioseph dispensator à maiori vsque ad minimũ scyphum, reperit in Beniamini sacco. Quare ergo cũm hoc à dispensatore Ioseph fuisset relatum, *Cur sic agere voluisti*? est ipse locutus? cur omnes tamquam conscios arguit? Quoniam pluries vnius priuati delictum in totam redundat communitatem. Præcipuè autem delictum patris punitur in filio, vt afflictio filij augeat dolorem parentis, ideo solet Dominus filios pro parentum peccatis punire in tertiam, & quartam generationẽ, ad summum enim istam videre solent parentes generationem: vnde cum Christi discipuli à natiuitate cœcum vidissent, quisnam peccasset, cæperũt quærere, an ille an parentes eius, non immerito arbitrantes peccata parentum cœcum filium luisse: Hinc parentes, inquit Oleaster, aduertere debẽt, quantum videlicet abstinere à peccatis debeant, non solum ne propter ea puniantur ipsi, sed ne peccatorum tuorum flagella in filios transfundant.

Ex ijs constat solutio ad illud Matt. 1. qui in generatione Christi tres prætermisit reges; Difficile enim est, quod, inquit, Hieronymus apud D. Thom. ¶ Tres, inquit, reges in medio fuerunt, quos Euangelista prætermisit; ideo factum est, vt tres istos velut indignos, & quasi superfluos subticuerit. ¶ Difficile, inquam, est, quoniam Salomon *ædificauit Chamos idoli Moab in monte*. Roboam *malus erat, & cor eius defecit à Domino*. Achaz *impius Rex nõ fecit quod erat placitum in conspectu Dei. Erexit statuas Baali, ijs incensum obtulit* Manasses *omnium regũ, imò, & gentium flagella superauit*. Vnde, inquit Epiphanius. ¶ Pij, & impij reges hic narrantur, & qui se insubditos tyranice gesserunt. ¶ Quare ergo Ochozias, Ioas, & Amasias arboris Christi honore priuantur? Aliam D. Hieronymus tradit rationem. ¶ Quia Ioram, inquit, generi se immiscuerat impijssimæ Iezabelis, id circo vsque ad tertiam generationem eius memoria tollitur, ne in sanctæ natiuitatis ordine poneretur. Tolluntur scilicet eius filij vsq; ad tertiam generationem iuxta hanc Domini sententiam. Ego Dominus Zelotes vindicans iniquitatem in filios in tertiam & quartam vsque generationem. ¶ Vt ergo discant parentes quanta diligentia à peccatis cauere debeant, eorum peccata in filijs & posteris minatur Dominus vindicari. Hinc habetur ratio legis vt, inquit, Goffred. *in sum. tit. de fil. Præsb. l. quisquis c. ad l. Iul. Mai.* Sacerdotum nempe filios non admittendos ad sacros ordines & dignitates Ecclesiasticas, ob detestationem criminis paterni, quod plerumque detestatur in filijs, & punitur temporaliter.

Ex Gen. 17. Infans octo dierum circumcidetur.

Paul. 1. Cor. 7. Circumcisio ad nihilum valet.

Athanasius ad cap. 2. D. Lucæ. ¶ Ex quo audiuit, inquit, Adam, terra es,

Pro circumcisione corporali Hebræorũ substituitur Euangelica lex Christianis circũcisio spiritualis.

es,& in terram ibis,mori eius,& corrumpi corpus cæpit.Et ex inde corporis quamdam partem,& quidem eius procreatricem multare iussi sunt:prædocti totum esse exuendum. ¶ Loquebatur enim Dominus cũ Abraham,& qui spiritu Dei aguntur, ij autem & in minimis sua exuunt,& pro Deo omnia deponunt,& ideo minima particula corporis circumciditur,vt sic innuat spirituales omnia & si minima circumcidere propter Deum debere;vt enim aquila super terram non eleuetur,neque cœlũ celeri volitet cursu,parum refert,an vngue an toto corpore fuerit vincta spiritualis ergo omnia circumcidere debet,vt sine impedito possit ad Dominum volitare.Gloria namque non datur sine labore.

Refert Tertulianus antiquitus militibus,qui solis sub vexillo desiderabant adscribi,gladio intextam solitam dari coronam,cum autem miles cingere capiti vellet,arreptam alij super humeros imponebant,innuentes prius pectus gladij ictibus offerendum,quam caput militari decoraretur corona.Subdit autem Tertulianus erubescimini comilitones, coram qui appetitis sine pugna,cum tronus Salomonicus symbolum gloriæ non nisi purpureum admittat ascensum,non delitijs atque blanditijs ornatum.Hæc enim via est quæ ducit ad vitam spinis septa laborum, sicut & floribus & quidem solum depictis quæ præparat ruinam. His signis à Domino electus noscitur, vt distinctus ab improbis, sicut populus Dei circumcisionis à præputiato distinguitur signo,qui sequitur Christum crucem portare tenetur in corpore suo, vt ab ijs,qui eius obliuione tenentur,valeat discerni. Iulius Cæsar Pompeium oppugnaturus nomen militibus dedit, vt non confunderentur in prælio, Pompeius suis similiter dedit,ille *Venerem victricem*,iste *Herculem inuictum*.Ex vtriusque nominibus quis non temere belli præsagire posset euentum.Lemma,quo Dœmonis milites sunt insigniti. *Venerẽ victricem* esse experimur, *Herculem inuictum*,quo Domini milites sunt sacrati,qui namque circumcisionem spiritualem iugiter in suo corpore portant,diabolo sunt formidabiles appetitibus proprijs inuictis,& voluptatibus, delitijsque fallacibus mundi non inferiores,ac tandem rapiunt cœlestia castra violenti.

Ex ijs constat,quare terram promissam lac,& mel dixerit Sacra pagina,non vinum & oleum. Voluit namque Dominus viam monstrare, qua,in terram promissam symbolum gloriæ tendere directe possimus.Lac enim prius fuit sanguis, mel prius flos lectus inter spinas, vt innuat delitias patriæ cœlestis non sine sanguine,spinarumque aculeis comparari.

Nisi dicamus circumcisam particulam illam, cuius pretio honorem populi à Domino electi,filiorumque Dei dignitatem tituli comparabant, innuere æternum gloriæ pondus pro momentanea leuique affectus mortificatione seu animi spirituali circumcisione nobis rependi.Vnde Blosius. ¶ Qui propter Deum sensualitati, voluptatique propriæ etiam in rebus minimis reluctatur,ac se mortificat, rem ipsi Deo magis gratiam facit, quam si multos mortuos ad vitam reuocaret. ¶ Et alibi. ¶ Hic propter Deum dimittendo florem, subdit,tantum præ decerpente obtineret meritum,quanta est distantia Cœli à terra. ¶ Attendite inter Deum Dœmonemque discrimen,inquit Bernardus, diabolus porrigit pomum,& surripit paradisum,è contra Christus postulat pomum,& porrigit paradisum.Fingere dolorem in præcepto,inquit Danid de Deo,idest cum nil nostri gloriæ condignum sit,

qua-

quasi fictum (sic vocari debet quod minimum est) respicit mortificationis dolorem, vt opus momentaneum gloria coronet, sicut cum Samaritanæ aquæ gutam Christus Dominus postulauit, vt fontem aquæ viuentis salientis in vitam æternam ipsi donaret.

Ex Gen. 17. Risit Abraham, & non reprehenditur.

Gen. 18. Sara risit, & reprehenditur.

QVæritur quare istam redarguat Deus, (inquit Augustinus quæst. 36. in Gen.) cum & Abraham riserit? nisi quia illius risus admirationis, & lætitiæ fuit, Saræ autem dubitationis, & ab illo dijudicari potuit, quia corda hominum nouit. Ex quibus considerandum est, quam periculosa hominis sint iudicia, quam que facile homini ferre de homine temerarium iudicium, si enim quis de Sara, & Abraham ferret iudicium in quibus signa eadem respiciebat vtrũque vel absolueret, vel damaret vtrumque. O! quot cœca iudicia in mundo feruntur. ¶ Maxima pars, inquit Augustinus, generis humani indiscreto iudicio ad reprehendendum prompta, & parata esse probatur; cum tamen ita se velit ab alijs iudicari, quomodo vult alios iudicare. ¶ A temporibus antiquioribus nostram naturam vitium huiusmodi irrepsit, Cain ab origine mundi male iudicauit de Abel, Esau de Iacob percunctas ætates vsque ad Christum, vbi fuit consummata malitia, cum Pharisæorum malitia Dei innocentiam fecerit ream.

Soli filio hominis, verbo ve diuino iudicium dedit de interioribus pater, sola enim Sapientia diuina occultum conspicere potest, & nos temere arcanum Dei vsurpamus iudicium, & in tribunali fallaci mentis ex leui suspicione, ex falsa delatione non semel ferimus de proximis indignam sententiam. Contra quos ait Paul. ad Rom. 2. *Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat, vel cadit.* Hieronymus, inquit: ¶ Periculosum est de seruo alterius iudicare, & non facilis venia, praua dixisse de rectis. Veniet illa dies, inqua mecum dolebis ardere nõ paucos. ¶ Cor nostrum multiplices & abditos recessus habet, quod difficile de interioribus hominum reddit iudicium. Quis enim in venustissimã fœminam comptam, vt cum homine loqueretur, & vt ipsi pulchra appareret, ad omnem compositam elegantiam oculos direxisset, & non mollẽ ac lasciuam arbitraretur mulierem? Quis fœminam post regias epulas sõlam cum Principe solo noctis silentio cubiculo clauso esse videret, & impudicam non iudicaret? Hoc est tuum de muliere iudicium; Hæc ergo signa respice in Iudith, quæ castissima semper stitit. Optime ergo August. ¶ Multa facta, quæ hominibus improbanda, testimonio tuo Domine, approbata sunt, & multa laudata ab hominibus, te teste damnantur, cum sæpè se aliter habeat species facti, & aliter facientis animus. ¶

Difficillimũ cordis secreta, intentiones que abscondita iudicare.

Vere iustos, & sanctos homines illos habendos, quos vidit Dominus discumbentes credendum est, *Intrauit autem Rex*, inquit, Matth. 22. *Vt videret discumbentes, & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali*

tiali. Quare credendi sunt sancti? Paschasius lib. 10. in Matth. malos in conscientia, inquit, intelligere non omnium est, ideo hunc malum solus Deus terribilis, & Rex magnus inuenit, conuiuæ autem viderant veste non indutum nuptiali, regis non ignorabant mentem, & tamen illi iudicium reseruarunt, flagitum iudicantes, quod à Regis non procederet legitima auctoritate. Hoc tulit de Apostolis, *Vnus vestrum me traditurus est*, Christo Domino audientib⁹, D. Laurentius Iustinianus iudicium. ¶ Innocentes Apostoli cum essent, & sancti, nil mali de proditore cogitare sunt ausi, quod nefas à se alienũ non ignorabant, hoc condiscipulo adscribere verebantur. ¶ Pium ac bonæ indolis se ostendit Abimelech Gen. enim 27. *Prospiciens Abimelech Rex* Palæstinorum per fenestram vidit Isaac iocantem cum Rebeca vxore sua, & dixit perspicuum est, quod vxor tua sit, si impius esset lasciuum cum lasciua iocari putasset.

Difficile exteriora hominis iudicare.

Difficile est exteriora hominis iudicare, quid difficultatis non erit in secretioribus discernendis? Septem elabi dies, vt sacerdos ferret de lepra iudicium, Dominus lege veteri præcipiebat. Si ergo tempus intercedere debet, vt iudicium de infirmitate oculis patente feratur, religiosum erit suspendere nostrum iudicium, nec sine fundamento vehementi in mente nostra damnare. Prius quam in terra voces construentium Babylonicam turrim confusæ, auditæ fuerunt in cœlo, & nihilominus descendit Deus vt videret ciuitatem, & turrim, vt nos edoceret nec repente, nec inconsulte processuros esse ad iudicium.

Temere iudicare oritur ex iudicantis malitia.

Procliuitas proximi iudicandi oritur ex vitio quoquis laborat, dũ quis enim, inquit, D. Thomas, ex se ipso malus est, talis faciliter de alijs malum opinatur, iuxta illud Eccles. 10. *Stultus in via ambulans, cum ipse sit insipiens, omnes stultos æstimat.* Vti Solaris radius penetrans vitrum rubrum, aut flabum, rubrum recipit aut flabum colorem. Cognouit Adamus nuditatem, cum ad iudicium à Deo vocatur, quare non antea se respexerat nudum? quoniam nuditas effectus erat, & quasi echo peccati, cui non attendit cum innocens iudicium haberet ante peccatum, continuo ac labe fuit delicti fœdatus, nuditatem cœpit erubescere tamquam malam.

Oritur secundo ex superbia, & propriæ infirmitatis defectu. Quis enim in alienam imperfectionem mentis dirigeret oculos, si proprijs sceleribus confusus, & lachrymas profudisset, oculi deseruirent dolori, nec mens posset esse rebus alienis intenta. Ideo Ioab præcepit calide nuncio Dauid victoriæ referenti iacturam, vt signa iræ forte in illo aperiret, continuo mortem pronuntiaret Vriæ, proprij enim sceleris malitia occupatum, negligentiæ ducis, bellicique euentus sperauit obliuiosum reddi-
tum iri.

(S)

Gen. 18. Apparuerunt ei tres Angeli, quos adorauit Abraham.

Apoc. 19. Angelus adorari recusat.

Recusat Angelus Ioannis adoratio-
nem, dicens: noli hoc facere, conser-
uus

uus enim sum, Domini seruus vterque, eos, qui specialiter à Rege sunt in amicos electi, instruit, vt exurgente inuidia ab antiqua non decidant amicitia, specialibus resistant adorationibus, non sinant alios ad pedes suos deuolui, dicentes conserui sumus, sic se gerant vt non dominus appareant, aut rex, & sic inuidiæ non excitabunt in se inextinguibilem flammam.

Ex Gen. 18. Descendam, & videbo. | *Paul. ad Hebræos cap. 4. Omnia Deo nuda sunt.*

DEnotat iudicem cum de aliquibus crimina diuulgantur, non temere, sed sedulo debet veritatem inuestigare. ¶ Quod si (inquit Innocent. 3. in decret.) per clamorẽ vel famam ad aures superioris peruenit defectus alicuius, non quidem à maleuolis, & maledictis, sed à prouidis, & honestis, nec semel tantum, sed sæpè, quod clamor & diffamatio innuunt, quod debet coram Ecclesiæ superioribus veritatẽ diligentius perscrutari, etsi rei popoſcit qualitas canonica, vltio fiat de culpa delinquentis, non quasi idem superior sit actor & iudex, sed quasi denunciante forma, vel deferente clamore, vt officij debitũ exequatur, fama enim, & clamor tenent hic locum accusatoris. ¶ Caietanus humano more locutũ Dominum, inquit, ad instruendum homines, vt non præcipites iudicent & puniant, sed quũ clamor infamiæ multiplicatæ peruenit ad eos, descendãt inquirendo donec clara luce videãt, an sit verum quod infamia detulit, si enim ipse Deus, qui omnia nouit, certissime ad similitudinem inquirentis se exhibuit, multo magis homo quantumcũque aliàs certus debet iudiciario ordine certificari ante sententiã? *Descendam, & videbo* quantũ proficiant subditis oculi superiorum, denotatur, vt aliquãdo vindicet, qui debet libenter ignoscere, vt alijs fixis sit radicibus insitum, *non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel* Sodomitis enim vicini Dominum dormitasse, si scelerum Sodomæ clamore non excitatum, & inciuitatem non videtem sæuientem.

Nõ sit præceps iudicium.

Quãtũ subditis superioris vigilantia prosit.

Quare Dominus à somno Apostolos excitauit, qui vt, inquit, Lucas capit. 9. *Petrus, & qui cum illo erant, grauati erant somno,* in Tabor, sicut & horto, & tandem cum adhuc essent sopiti, inquit, *dormite iam.* Excitasse iudico, vt viderent ipsum orantem, & super gregem inuigilantem constituit enim eos principes super omnem terram, & erudire voluit super gregem illis inuigilandum, superior enim qui oculos claudit init cum lupis fœdus, & oues eorum rapacitati tradit. Cum ergo iam Dominum vigilasse vidissent, lectionemque percipissent *dormite iam,* somnum permittit, cum ipse adhuc in viuis esset, sed postquam principatui Domini succesisissent, vigiles fore, & somnum excutere monet, & exẽplar imitandum se præbet, qui in horto vigilat posit⁹ in agonia, vt ipsi dediti sõno requiescant, & sic addiscãt vigilijs propr ijs parare subditis requiẽ. Nõ enim alitei sõnũ sumere principi decet, nisi de illo dicere possit, *ego dormio, & cor meum vigilat,* adhuc sic dormiẽs subditis suis proficiet

ficiet oculis etiam clausis, sicut Christus Dominus, qui clausit oculos, spirauit, sed vt proficeret alijs, vt alijs euigilaret, & multa corpora sanctorum surgerent, qui dormiebant, clausit oculos, vt aperiret cor, & de ipso exiret sanguis, & aqua, aqua vt lauaret, sanguis, vt redimeret, inquit Augustinus.

Oculi Principis fortitudinem influnt.

Quasi dormiens Dominus in puniendis Sodomitis cunctatur, morasque nectit, an tarditate supplicij nosceret pœnitentes, eiusque quasi somno Lothi iusti fidem experiretur Hoc ideo Dominus Luc. c. 8. dormiuit in naui, forsam simulauerat somnum, vt fidem experiretur. O! vigiliæ Principum quantum prosint inferioribus suis; vix oculos clausit, & omnes fide deficiunt, Sol oculi Principis sunt fortitudinem influũt, & negligentiam vecordiamque excutiunt. Maximam ostendit fortitudinem Petrus, Ioann. cap. 18. *Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum, & percussit Pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dexterã,* strenuum in totam militum cohortem se Petrus ostendit. Sed quare, qui in militis fortis, ancillæ fuit imbecilis, & hostiariæ resistere nequit? Quare adolescentulæ cedit, qui in milites fortiter irruit. Ratio imbecilitatis, & fortitudinis ea est, Petrus est in horro fortissimus, sed illud oculis Christi videbant, mutatum autem est cor, ceditque ancillæ, cum oculi Domini non respiciũt. O mirabilis superioribus visus influxus! Symbolum erat huius statua, quam sic constructam erigebãt Ægyptij, vt ad radios Solis claudere, oculosque aperiret, aqua auspicãpantur euentum, si clauderet, luctus signa & doloris, clamoresque audirentur in populo, malum omen existimantes, ab illius oculis non videri, sicut & communis lætitiæ, ominisque iucundi, quod in illos dirigerentur aperti. Non dissimiles generare debent effectus oculi superioris clausi, vel in inferiores aperti.

Genes. cap. 19. Habeo duas filias abutimini eius.

Paul. ad Rom. 2. Non sunt facienda mala, vt eueniant bona.

D. Ambros. lib. 1. de Abraham cap. 6. ¶ Offerebat, inquit, S. Loth filiarum pudorem, præferebat domui suæ hospitalem gratiam etiam apud barbaras gentes inuiolabilem. Lyranus innuit iustum maximè Domini offensis turbari, initium est maximi amoris vsque ad instantiam de Deo ab alijs offenso dolere. ¶ Exoneratus fuit, inquit, à tanto crimine tum ratione perturbationis mentis inqua erat, tum quia vitio pessimo in suis conciuibus, & violentiam suis hospitibus, occurrere intendebat. ¶

Gen.19. Igitur pluit Dominus super Sodomam, & Gomorrham sulphur & ignem à Domino.

Deut.cap.6. Audi Israel Deus vnus est.

Maximum omniũ malum nõ cognoscere dexteram flagellantis, neque flagellũ reputare supplicium.

HOnor maximus flagelli diuini æstimatur notitia dexteræ flagellantis, & maxima Domini viscerũ pietas supplicij cognoscere manum. *Væ Assur* Dominus lamentatur Isai 10. *Virga furoris mei, & baculus ipse est, in manu eorum indignatio mea.* O! infælix hominum genus, ira mea virgas furoris vibrat ad flagellandũ, & in baculos, quibus subleuari possitis, vos misere decepti cõuertitis, sine spe salutis cadetis, cum virgã, qua vos confringere intendo, baculum non sine gaudio recipitis, & veluti solatiũ habetis. Quis medebitur vobis, si valetudinẽ reputatis infirmitatem. *Misit saturitatẽ in animas eorũ*, inquit Dauid. Genebrard. ¶ Misit saturitatẽ, morbũ saturantẽ, & appetentiam ei cibi tollentem, exprimit morbum saturitatis, quo quasi saturati aborrebant ab omni esca. ¶ Maxima infirmitas; carnes Dominus mittit, vt edant, ipsi autem prima bucca saturati reputabantur sic que fame nõ cognita, sed reputata saturitate sine spe salutis debilitati peribant. ¶ Hæc fuit plaga magna. ¶ Inquit Aben Ezra. Fames enim quæ affligit vt fames mederi potest saturitate, verum fames saturitas æstimata sanari nequit, cũ in iudicio collocauerit sedem sine remedio vitiato.

Infidelis fortunã queritur sine inuestigatione dexteræ flagellantis, sicut canis, qui lapidẽ mordet feriẽtẽ, sed non attendit brahio longe iacientis. Flagelli diuini honor est iræ examinare motiuum, quemadmodũ enim, inquit, Oleaster, ægre fert Dominus, si in alium referas beneficia, ita si in alium referas eius flagella. ¶ Casus, & fortũna (inquit Naziã. orat. in plã grand.) hæc ferunt (vt hominib⁹ stulte sapientibus placet) Quasi nullus rerũ moderationi præsit. Omnia prouidentiæ freno deducta mouentur. ¶ Frusta quidem De⁹ volubiles orbes moueret si à casu hæc omnia accidisse in mũdo dicam⁹. Litẽ nõdũ finitã inter virgã furoris Dei & stellas iã experimur, illa, vt ict⁹, quos patitur humana natura iustitiæ diuinæ tribuantur, istæ, vt tẽporis accidẽtib⁹ varijs, inuicẽ pugnãt. Hæc autẽ supplicij auctorũ cõfusio est maxima iustitiæ plaga. Sine clemẽtia Mohabitis pœnas minatur De⁹, & quod magis est, veniæ sine spe. Vnde colligitur excessus Mohabitarũ supplicij? Audi e Mosẽ Num.24. *Orietur stella ex Iacob consurget virga de Israel, & percutiet duces Moab, vastabitq; omnes filios Seth.* Ecce immane suppliciũ, auctorũ nẽpe pœnæ confusio. Stella enim influit benignitates, virga minatur rigorẽ. Maxima ergo Mohabitarũ minatur strages victis nãq; ducib⁹ eorũ præcipuis, & exercitu debellato stellis influẽtib⁹ pernicioſſe imputabitur clades, & nõ peccatis, quæ virgã diuinã reuera cõtra se cõciarũi. Hoc maximũ fuit suppliciũ, coronauit siquidẽ Deus irã diuinam stella, & motu cœlesti virgã, vt confunderet pœnas & infligentis manum equiuocaret.

Dæmõ manũ Dei infligẽtis pœnã occultat.

Dœmon, vt in hominem magis sæuiat, in supplicio manum Dei cœlat, vt puniatur sine remedio peccator. *Miserere filio meo, quia Lunaticus est, & male patitur*, sic refert Matth.cap.17. Nullus se bene habere cum patitur, confitebitur, quid ergo innuit, cum dicit Euangelista

male patitur? ¶ Aptans Lunæ cursibus hominis passiones, vexabat corpus Lunaribus incrementis (inquit Chrysol. serm. 52.) vt esse Lunæ crederent, quod erat diabolici criminis, & furoris. ¶ Etiam si semper Dæmõ perire posset statutis temporis cursibus dumtaxat sæuiebat, si enim sine intermissione afflixisset manifestaretur manus auctoris, & possent procedere ad remedia diuina, & infirmus ab infirmitate diabolica liberari. Cursibus autem Lunaribus ira Dæmonis mensurata, Luna solum imputabatur infirmitas, vt redderetur omnino impossibilis salus. Hæc ergo incurabilis est infirmitas originem ignorare, cum remedium impossibile reddat. Pluit ergo Dominus ignem super Sodomam, & ne manus flagellantis ignorari potuit, quod fuerit à Deo, repetitur à Mose.

Genes. 19. Loth suadet generos suos vt fugiant.

Ibidem, cumque esset mane cogebant Angeli eum.

D. Amb. lib. 1. de Abraham, c. 6. ¶ Munitur, inquit, pietatis locus, quod manifesta sibi per Angelos totius regionis euersione, & generos habere Loth sanctus inducitur, & monere eos vt fugeret, simul ne deserendo eos nec admonendo minus pius videretur. ¶ Quare ergo qui alios vt fugiant, suadet cogitur ab Angelis foras exire? innuit periculũ, cui exponitur, malorum consortium non vitans, qui enim pridie alijs fugere flammas imminentes suadebat, iam ita inter Sodomitas moratur, vt non nisi vrgentibus Angelis velit desere ciuitatem. Vnde mane cogebant, mane enim intelligit Glossa illustrationem diuinam sine illa enim non posset recedere à malis. ¶ Mane cogebant, inquit Glossa, quia opus diuina luci est recedere à malis. ¶

Periculum proueniens ex malorũ consortio.

Genes. cap. 20. Sara sine velamine coram Abimelech apparens simulauit non esse nuptam.

Prohibita est simulatio, sicut & mendatium.

MInatus à Domino Abimelec, quod ausus esset Abrahamo tollere Saram, continuo restituit illam, Saræque dixit: *Ecce mille argẽteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum, ad omnes qui tecũ sunt: & quocumque perrexeris: memẽto te deprehensam.* Quare ergo *in velamen*, seù *in operimentum*? vt legit Pagninus, & vt Paraphras. Chaldaic. legit: *Pro eo, quod miserim tollere te.* Septuaginta: *Hæ tibi erunt in pretium faciei tuæ.* Existimo consuluisse, vt velamen oculis emat, mulier enim, quæ sub aliena fuit potestate, etsi delicti immunis, sic erubescere debet, vt non nisi velata incedere deceat, non enim culpæ dumtaxat, sed æquè apparentiæ cauendæ sunt.

In hæreditatem Booz ingressa est Ruth, vt eius subueniret necessitati, cui Booz: *Caue ne quis nouerit, quod huc veneris.* Quare id præcauerat Booz? Non dixerat antea: *Scit omnis populus qui habitat intra portas vrbis meæ, mulierem te esse virtutis?* Booz similiter non bene apud omnes audierat? Quid ergo refert, quod ex domicilio illius videri egredi Ruth?

Co-

Opinioni eō sulatur.

Coram Domino parum intererat, quoniam veritatem cognoscit, non parum coram hominibus, qui non aliter ac suspicantur, iudicant cuncta. Cauendi sunt, inquit Iosephus, tales rumores, maxime si de non nihil oriãtur. De Lisandro refert Erasmus, militem, qui recesserat ab exercitu, præcepisse, ac iudicasse plectendum, eique se non recedere vt libere posset furari, defendenti, respondisse, *Ne rapturi quidem speciem volo habeas.* Non sufficit non agere male, sed requiritur etiam cohibere discursus humanos. Non satis, quod non conuincaris de culpa, sed requiritur, quod de delicto nullus te arguat, vt conuincaris, necesse est, quod probetur scelus, vt arguaris, quod appareat est satis, eodem modo excitat scandalũ virtus, ac vitium, si istius speciem induerit forsitan illa.

Refert Titus Liuius Dec. 1. lib. 1. quosdam Lucretiam consolari volentes, dixisse: mentem peccare, non corpus, & vnde consilium abfuerit, culpam abesse; ipsam autem respondisse. ¶ Ego me etsi peccato absoluto, supplicio non libero, nec vlla deinde impudica Lucretiæ exemplo viuet. ¶ Sufficit enim irretitam apparare libidine, etsi reuera pudicam, vt non absoluatur a pœna. *Inuenerunt me custodes, qui circumeunt ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt pallium meum mihi custodes murorum*, quærebatur sic Sponsa. Cant. cap. 5. Cum autem occurrerent, illi filiæ Ierusalem. *Adiuro vos*, dicit, *filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei, quia amore langeo.* Quare non petit iniuriam à custodibus passam suo dilecto filias Ierusalem annunciare. Timuit iram sponsi, ideo noluit de iniuriam sponsum monere, ne simul sciret nocte extra domum fuisse, custodibusque occurrisse. ¶ Esset enim contra opinionem etiam audacia custodum, & eius famæ non parum attulisset dispendium.

Ex Genes. 21. Abraham fœdus iniit cum Abimelech medio iureiurãdo.

D. Iacobus prohibet iurare.

VIsus est Abimelech, si iurisiurãdi interponeretur religio, tranquillos fore seruos vtriusque, & contentionem litesque super puteo, quẽ abstulerãt ei, finiendas, sic habita est apud omnis iuramenti religio, vt si se iuramento adstrinxisset, etiam barbarus nullum metuendum esse iudicauit periculum. Non aliam reddit Epiphanius rationem, vt ius, quo Hebræi à Chananæis terras abstulerunt bellũ mouentes, iustificaret, & simul conuinceret Manichæos ore blasphemo Dei iustitiæ crimen impingẽtes. Noe enim ab vnoquoque filiorum per ius iurãdum beneuolentiã exegit, quod quidem, erepta per vim fratribus regione, Chananæi violarunt, ideo Deus post multas postea generationes iustus existens, vlciscitur iusiurãdi transgressionem. Tanti habita semper fuit apud Deum antiqua iuramẽti religio. Ideo enim Saulem morte, viros de filijs eius septem cruce dãnauit, quia Saul iusiurandum olim inter filios Israel, & Gabaonitas pactũ violauerat. ¶ Si ergo, inquit Chrys. Psal. 14. post sexcentos annos Deus iusiurandum vindicauit, & cum alij iurassent, alijque iusiurandum violauerant, pœnas dederunt, quid patiemur qui peieramus. ¶

Aduerte vocem Hebræam *Nisbagh*, quod est iurauit, etiam denotà re septem, qui numerus denotat pluralitatem, ab hoc ergo numero deducitur iurare, vt doceamur iusiurandum fieri non debere, nisi septem, ideſt multis, & grauibus causis, maximaquè consideratione. Vnde D. Cyril. statutum fuisse à Romanis, inquit, neminem per Ianum iurasse nisi præsente senatu, vt sic homines retraherentur à iureiurando, & non nisi ex vrgente causa iurarent. Similem aliam legem Romanorum refert in Problem. Plutarc. qua statutum erat vt iurare per Cererem nullus auderet, nisi in templo clamide indutus, & cereum accensum manibus tenens, vt omnibus ceremonijs ijs excitatus, quid ageret posset perpendere. In Capadociæ vrbe Trana fontem fuisse Aristoteles in Ethicis refert, cui si adsisteret, qui peieraſſet, protinus aduersus eum, quasi indignatus commouebatur, & in vultum illius aqua prosiliente, periurium manifestabat.

Causam vrgentem necessariam esse, vt quis iuret, inquit Theodoretus. ¶ Puto, inquit, diuinam legem statuere, ne quis nomen Dei pronunciet sine aliqua ratione, & necessitate, ideo à iuramento, qui decimum quartum non impleuerint annum, ius excludit præsumens maturo carere iudicio. Quo respexit Cornelius Papa, cum decreuit neminem nisi ieiunum iurare audere, ne cibi vaporibus perturbaretur ratio. Non enim decebat iuramenti sacramentum aliter celebrari.

Ex Gen. cap. 22. Nunc cognoui, quod times Deum.

Pluries manifestauerat Deus timuisse Deum Abraham, & ab ipso specialiter amari.

ETsi Deus cognouit ex cordè diligi à Patriarcha Abraham, & ideo multiplicandum dixerit semen eius, nihilominus inquit Theodor. cap. 23. vt etiam ignorantes doceret, quàm iusta de causa eum diligeret, & ad sublimen eueheret dignitatem originis Christi ducendæ ex semine illius, vt homines erudiret erga omnes æquales esse debere, & solum à meritis flecti.

Principes æquales erga omnes subditos debent esse.

Exemplo Christi Domini, qui semper esse in medio appetiuit, in medio doctorum interrogauit Luc. 2. medius, stetit ad baptismum Ioan. cap. 1. medius pependit in cruce Ioan. cap. 19. & inter bonos & malos, iustos, & iniustos semper est medius, omnes in medio esse debent. *Rex Iupiter omnibus idem*, vt inquit Virg. lib. 10. Æneid. quia quod est in medio æqualiter videtur à circunstantibus, sicut centrum æqualiter distat à lineis. Respublica illa vigebit, vbi æquitas viget, non attentis vultus decore, aut parentum nobilitate, vt inquit, enim Senec. epist. 76. ¶ Gladius bonus, non cui deauratus est baltheus, aut vagina gemmis distincta, sed cui ad secandum acies subtilis. ¶ Et sicut eadem vlna sericũ, & pannum metiuntur, sic æqua iustitiæ lance omnia debent expẽdi, siuè nobiles, siuè honestis parentibus nati. In Summi Sacerdotis rationali omnes tribus æqualiter erant insculptæ, eisdem litteris vltima tribus, ac prima, filij ancillæ Zelphæ, ac liberi Liæ

&

& Rachelis Iacob vxorem. Vestis Pontificis Summi, qua in Sancta Sanctorum semel ingredi solebat in anno, non solum candida erat flaua, & cœrulea, qui colores tribus elementis respondent, aquæ, scilicet, igni, & aeri, sed etiam fusca, qui color terræ hieroglyphicum erat, vt Pontifex disceret à coloribus vestis, suum non solum recognoscere ignem, qui in fulmina accenditur & descendit, & solidatur super stellas, non aerem tantum, qui iride variegatus existit, non solum mare ambarum & margaritas producens, verum & terram, quæ tribulis, & spinis transfussa, & à serpentibus dilacerata, symbolum plebis existit. ¶ Iustum erat, inquit, Hieronym. vt Pontifex Dei creaturar ũ omniũ typum portans in vestibus, nõ pro parẽtibus & propinquis, sed pro cuncta creatura, & voce & habitu precaretur. ¶ Idem debebat dirigere incensum, pro nepotibus Leui, & Iuda ac pro filijs Isacar.

Si aliquis cũ discrimine diligi debet à superiori, pauper & humilis dignus est amore maiori.

Interrogauit Christus à Petro semel & iterum, *Petre amas me*, & postquam audiuit, *tuscis Domine quia amo te*, committit pascere agnos suos, *pasce agnos meos*. Vltimo autem interrogato dicitur Petro *pasce oues meas*, semel Petro committuntur oues, pluries autem agni, vt in Petro discerent superiores sine vlla personarum acceptatione diligere subditos, & longe maiori debere affi cere pauperiores amore, agnus enim neque lac, neque lanam emittit, sed potius sugit, & ideo sæpius committitur Petro, oues nihilominus semel, quia lacte & lana sunt abundantes, vt eos qui minus habent de temporalibus bonis, intimius esse debent in corde. Non quia medius Princeps pauperes inter & diuites non debeat esse, sed quoniam vt medium superiores attingant illoque insistant, pauperis extremum accedere suadendi sunt.

In medio debet consistere Princeps, quemadmodum sol extat in medio astrorum, medius tam egenis quam diuitibus æquali mensura lumen dispensans. Communis custodia principatus, vt inquit Scriban. Pol. Christ. lib. 1. cap. 19. neminem vnum magnum facere, nemini vni plus fauere. Vnde, vt inquit Bonauent. de sex alis cap. 6. licet meliores in affectu præferẽdi sint minoribus, in actu tamen exhibitionis exterioris, taliter se gerat ad omnes, vt nullus se ab eo contemni, propter alios suspicetur, debet ergo affectus ita temperari, vt alij despici non videantur, sicut Christus Dominus tam caute diligens Ioannem, vt discipuli ambigerent inter se, quis eorum videretur esse maior, ideſt, Domino charior, & post posito discipulo, quem diligebat Petrum præfecerat Christus, qui ipsum negarat. ¶ Magister bonus, inquit Hieronymus, qui occasionem iurgij debuerat auferre discipulis, si inadolescentem contulisset, quem dilexerat, causam præbere videretur inuidiæ. ¶ Ideo Danielis œconomus, *Timeo ego*, inquit, *dominum meum regem, qui si viderit vultus vestros macilentiores præ cæteris adolescentibus coæuis vestris, condemnabitis caput meum regi.* Timuit merito munus suum non egisse, si æqualiter omnes erga adolescentes non videretur se gerere, cæterisque vultus salutem præseferentes habentibus, alij macilentiores ostenderent.

Quare Christus Dominus dixit, *Nisi ego abiero paraclitus non veniet ad vos?* inquiret aliquis numquid Spiritus Sanctus amorem Christi æmulatur, vt non permittat eius præsentiam non veniet, nisi Christus ascendat, mittendus erat vt propagaret Ecclesiam, & omnes vinculo charitatis vniret & amoris incendio inflammaret, hoc autem in miserabili hominum conditione naturaliter fie

ri non posset, nisi Christus ascendisset in cœlum. Quare hoc? quoniam si Christo in mundo existente veniret Spiritus Sanctus, super caput Christi solium & tronum haberet, non inuenitur enim ab Euangelistis alia fuisse Spiritus Sancti signata sedes, nisi Christi Domini caput, vt ergo æqualis omnibus veniret Spiritus Sanctus, ascendat prius Christus necesse est, qui enim tamquam amor diuinus ædificare missus erat Ecclesiam, æqualiter super omnes solium collocare debebat, non enim amor ædificationis poterat esse, qui omnes æqualiter non complectatur, & foueat sed æmulationis esset spiritus, qui vni specialiter indulgendo, alijs pararet inuidiam. Vnde filios Spiritus Sãcti sic Propheta designat: *Filij tui sicut nouellæ oliuarum in circuitu mẽsæ tuæ.* Psal. 127. Filij circumferentia vnde pater centrum erat, filij ergo pacis sunt, cuius symbolum sunt nouellæ, quid miri, quod pax inter filios fuerit quorum vnus altero patri proprinquior non est, non enim timeri posset, quod Paulus queritur, *alius quidem esurit, alius autem ebrius est.* Audite Abulensem in Gen. cap. 37. ¶ Pater, vel dominus, vel prælatus, qui è domo sua inuidiam propulsare desiderat, etiam si aliquem specialius & obnixius diligat nulli tamen specialis amoris demonstret insignia. ¶ Discant principes diuitibus & humilibus esse æquales, viscera pietatis manifestantes Daniel c. 7. decies centena millia assistebant Deo, dicitur quæ exponens D. Aug. ¶ Stant, inquit, Angeli ad ianuam, vt introducant, non vt repellant, vt suggerant, non vt terreant, vt non solum notis verum etiam ostium aperiant extraneis. ¶ O! quantum errant, qui Deos existimant esse, quos neque alloqui, neque intueri permiserit miseros & afflictos, quorum domus sanctuarium videtur, quod ingredi nisi semel in anno non licebat, quibus irridet Propheta Dauid: *Simulacra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum, os habent & non loquentur, oculos habent, & non videbunt, aures habent & non audient,* si non videre neque loqui & audire constitueret diuinitatem, Pantheorum Deorum formare licebit ex cœcis claudis, & surdis, qui piscinam Ierusalẽm habitabant. Decipitur quidem, qui in illis figmẽtis, quoniam vitalem motum non reperit numen occultum credit.

Merito ergo Themistoclem Plutarchus reprehendit, quod dixerit. Absit vt ego tali insideam solio, vnde non plus ad amicos, quam ad exteros proueniat. De quo, cum ad clauum Reipublicæ iam sedisset, dicente: ¶ Meam vxorem puer meus Regit, vxor Regit me, ego Athenas; ergo puer Regit Athenas, sic inquam de illo dicit Virg. libr. 4. Æneid.

Egregia vero laudem, & spolia amplatulisti.
Tu que puer que tuus.

Ratio autem quare infœlix Respublica est, vbi Princeps non ratione, sed gubernatur affectu, ea est, quoniam vbi vni plus magis quam alijs tribui reliqui senserint, armantur cõcordibus studijs, vt inquit Scriban. iam citatus, in vnum omnes. Quæ damna deplorat Saluianus lib. 4. de Prou. ¶ Vt pauci, inquit, illustrẽtur, mundus auertitur: vnius honor orbis excidium est. ¶ Dum enim vnum præ cœteris habet charum, & Regi, hic non temperatus affectus exitium est, & ipsi, quem præ alijs dilexit. Asiatici enim (teste Plutarch. in Lysan.) animaduertentes Agesilaum euexisse Lysandrum ad Regnũ Spartanum, eoque familiarissime vsum esse, spreto Rege ad Lysandrũ con-

confluxere. Eadem de Seiano, & Tibetio, de Ancreo, & alijs tragœdia est.

Symbolum huius Christus Dominus voluit esse. Vulnerari passus est latus, ex quo maxima beneficia omniaque sacramenta manarunt. Quare ergo latus, & non percussa est corporis alia pars? Ipse textus Sacræ Scripturæ indicauit: supra pectus Domini Ioannes in cœna recubuit, a quo bibit diuina mysteria, & singulares fabores recepit. Quid ergo miri? quod in pectus singulariter vni, relictis alijs, communicatum, dira lancea direxisse mucronem, vt in cruce vbi munus gerebat Regis, *Rex Iudæorum*, latere aperto æqualiter et fluerent fauores, & beneficia scaturirent in omnes.

Specialis fabor exitiū est ipsis, in quos cōuertitur.

Ipsis etiam, qui speciaiter diliguntur, singularis fauor exitium est. Inuidi fratres Ioseph innecem ipsius conspirarunt. Sed quare parenti tunicam sanguinolentam miserunt? Vt causam exprimerent odij, & ipsum delinquentibus etiam inuitis, se manifestaret delictum. Nō dicitur Gen. 37. *Israel autem diligebat Ioseph super omnes filios*? Vtique; in quo ergo specialis amoris manifestauit insigne. *Fecitque ei tunicam polymitam*, addit textus. Miserunt ergo tunicam sanguinolentam, qui illam, vt ab alijs Ioseph in amore differret, fecerat polymitam, damnauerat vt Ioseph sanguine aspergeretur, tunica, quæ fecit Ioseph patri præ fratribus singularem, illos effecit fore homicidas, plus ob fuit Iosepho, quam profecerit fauor ille. ¶ Plus acquiritur, inquit, Amb. filio, cui fratrum amor acquiritur: hæc ditior hæreditas filiorum, iungat liberos æqualis gratia, quos iunxit æqualis natura. ¶ Ex speciali fauore, quo prosequutus est Iosephum Iacob, dissidium, odium, & inter fratres discordia. Inde mouetur, vt dicat, Ouid. lib. 1. met.

Fratrum quoque gratia rara.

Princeps ergo, suæ quicumque in domo sua superior temperet affectū si inter subditos nolit seminare discordias, in medio sit constitutus sicut index in medio horologij, qui æqualiter omnes horas signat omnes æqualiter aspicit, & est omnibus æque vicinus, inde proficiscitur familiæ pax & tranquillitas.

Quamvis hæc ita sint, si tamen iustitiæ & misericordiæ stateræ pendeant, misericordiæ in pauperem, & pupillum propendere debet (si actū non sit de rebus, quæ ad iustitiam spectant) iustitiæ vero statera, quo merita vel de merita inclinare debet, sine qualitate personæ. Prænsatoris symbolum gerebat Christus Dominus in Tabor, si enim, vt inquit Alexander ab Alexand. prænsatores conscendebant in altum, in montem excelsum ascendit cum discipulis Christus, si illi candidam inducreso lebant tunicam, & ideo candidati appellabantur, Christi Domini fuerunt vestimēta similiter sicut nix alba, si illi orationem eloquentem, quibus sua merita, facinoraque parentum ostentarent, efformabant, Pater æternus pro suo filio panegyricum dixit; *Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui*. Moses & Elias, zelus & lex iudices assistunt in monte vt Ioannem & Iacobum, qui sedes ambitiose petierant, dominus edoceret, legem & zelum & merita singulorum gradus esse quibus nanciscendi deberent sedes & præmia. His tamquam polis consistit distributio præmiorum, carne & sanguine non attentis. Sal symbolū esse iudicis principis, & magistri Christus Dominus docuit, sal autem quamvis tamquam ex causa materiali ex aqua procedat, & ex igne & Sole tamquam ab efficienti, aquam

que

que & ignem tamquam matrem & patrem cognoscat, si supponatur igni salit statim & fugit, si in aquam perit atque liquescit, vt discant iudices parentes ignorare debere ius dicentes.

Idem obseruandum, cum adest iustitia distributiua, Christus Dominus docuit, etenim in Tabor primum facies eius splenduit, deinde vestimenta facta sunt alba sicut nix. Quare ergo splendorem vestimenti non delineauit, prius quam faciei describeret luces, sicut Ioannes qui prius mulierem amictam Sole, quam caput coronatum stellis, dixit. Respexit Euangelista iustitiam distributiuam, & quod pars illa prius reciperet lucem, quæ ante omnes passa est dolorem & ignominiam, proximior sit præmio, quæ merito non fuit posterior. Primum tormentum, quod Christum Dominum passum tradũt Euangelistæ, osculum fuit traditoris, delictum tam execrabile vt pietas posset à lapa iudicari, & Christus quasi desiderasse censendus, vt dira illa manus deleret infamis oscŭli maculam, vltimum passionis tormẽtum in veste fuit consummatum, *& super vestem meam miserunt sortem.* Si ergo facies Domini prior est in tolerando opprobria, & passione, prima sit quæ tamquam Sol splendescat, quippè in solio diuino proximior est præmio, qui merito fuit vicinior, eodem que ordine mensurantur. Docuit ergo Christus Dominus homines, ordinem meritorum seruandum in elargiendis distribuendisque præmijs.

Queritur Tertulianus digitum pene vltimum, cum præ alteris esset inutilis, gemmatum esse, annulisque aureis esse ornatum. ¶ Tantum inquit, gemmatum habent, quod gẽmatum esse non debet. ¶ Non abscindatur digitur quartus, verum lapillis pretiosis inutilior digitus non decoretur, neque auro iniuste coronetur. Quamvis enim cordi digitus ille respondeat, verum qui promouetur ad dignitatem, non cor sed tantum debet inclinare iudicium, non promouendi dilecti, qui spectãt maxime ad cor, sed digniores quos iudicat intellectus.

Ipsis etiam indignis dignitas est exitium, plures enim cum inferiores occupant sedes prudentia præditi & iudicio videntur aliter si superiores obtineant contigit illis quod refert de Casia Plinius, arbor ista in campis generatur Arabiæ, cum primum emicat candida pedali mensura, deinde rubescit addito semipede, vltra nigricans. O! quot cum ministerio suo talento proportionato contenti sum, quam candidi apparent, verum nigressum si petant altiora.

De merita iustitia punitiua respiciat.

Deo præcipiente prophetam inobedientem leo interfecit, & vt inquit, Chrysost. videre licebat miracula tria, iacebat propheta declarans inobedientiam, assidebat leo declarans obedientiam, adstabat asina, neque leonis naturam timens, neque aliquid à leone patiens. Hominem & si nobilem, quia reum peccati respexit occidit, & bestiam, quia innocentem inuenit, reliquit incolumen. O! vtinam in tribunalibus sicut vilis excinditur pannus, sine discrimine rumperetur & bombyx; Vtinam insculpi non posset illud Satyr.

Superiores sine personarum acceptatione & pœnas impartiãtur, & puniant delicta.

Dat veniam coruis, vexat censura columbas.

Auibus sine fraude vincula parantur, & viscu, miluis rapacibus nulla vincula manent. Sic immunes committunt scelera diuites & pœnas quãdoque etiam innocentes humiles luunt.

lunt,ad omnia enim delicta sunt priuilegium diuitiæ.Ouuen in Ethmon.

Munera qui mittit, sperat maiora remitti.
Nemo suas vellet perdere gratis opes.

Quare Ioannes intra domum Pontificis permissus est esse, & Petrus stabat ad ostium foris, neque ingredi posset, nisi introduceret Ioannes? *Exiuit alius*, Ioa. cap. 18. *& dixit ostiariæ; & introduxit Petrum.* Quid ancillam mouere potuit vt vni co verbo Ioannis intrare permisserit Petrum? Tum vlterius; vt quid ancilla, Petrum, potius quam Ioannem esse ex discipulis Christi Domini denunciauit? *notus erat Pontifici*, inquit, de Ioanne textus, & rationem reddit notitiæ Lyranus. ¶ Causa fuit notitiæ cum Pontifice, quia forte missus à patre suo plures portauerat pisces ad domum Pontificis. ¶ Idem tradunt Dionisius Cartusian. in cap. 18. in Ioan. art. 41. l. B. & Tolet, com. in Ioan. cap. 18. & S. Vincent. Ferrer. serm. 1. in Paralc.

Nullius sit acceptator personæ superior, nisi despici velit, & omnino vis legis contemni. Tarquino Regi in honesto condendi leges abstulit populus potestatem, *l. 2. §. ex actis, ff. de orig. iuris* visum est illis, Regem cui appetitus dominabatur, non posse subiectum legibus esse, sine dubio namque fregisset, & quod turpius esset impune, leges autem si sine pœna violentur, eo ipso contemptibiles fiunt. Quare, miratur D. Augustin. facilius vincitur Adamus, quam ipsa Eua? Adam vir fortitudine robustus, cognitioneque plenus, vix à muliere inuitatur, ac misere captus est, Eua autem Dœmonis ictibus primis inuicta, non nisi post varia tentata violauit legem; hoc enim in fortitudine Euæ præ Adam, & non indebilitate Dœmonis insidiarum consistere credendum est, cum lapsus Adami magis (vt ita loquar) proficeret Dœmoni, cum ab ipsius & non Euæ peccato originem totius naturæ duxerit macula. Quare ergo tentationi cesserit facilius Adamu, quam imbecillis mulier? Difficilius erat, inquit Augustinus, quod vinceretur Eua, & quod violasset præceptum, quoniam Eua legis recordabatur mortem minantis si ex arbore comederet fructus, *morte morieris*, pœna, quam iure timebat, retrahebat manum, & appetitum cohibebat. Adamus autem, Euam violasse præceptum, animo recolebat, & pœnam non respiciebat inflictam, sed cum peccato vitam immunem seruari, considerabat legem violatam, & pœnam in reo non exequutam, ideo primo inuitatus comedit, spreuitque legem, quæ cum esset violata, transgressorem permittebat esse impunitum, inde facilius tentationi succumbit.

Contemnitur lex, si impune semen violetur.

Ex quibus constat leges, vt suam conseruent authoritatem, excipere nullum debere suppremum quantumvis. Vnde *lege Princeps, ff. de leg.* vbi Princeps solutus dicitur legibus, inquit, Glossa. ¶ Princeps tamen voluntate se ipsum subijcit legibus. ¶ Rationem reddunt Theodosius, & Valentinianus, *leg. digna vox.* Cod. de leg. ¶ Digna vox, inquiunt, est, maiestate regnantis legibus alligatum se Principem profiteri. Adeo de authoritate iuris nostra dependet authoritas, & reuera maius imperium est, submittere legibus principatum: ¶ Reuera conteritur lex, si ob principatum, vel titulum alium aliquis exceptionem prætendat. A morte Enoc quasi Dominus paæseruauit, sic distulit vitam. Quærit Chrys. quare tam latenter largitus est Dominus priuilegium tam speciale? *ambulauitque cum Deo*, inquit textus, *& non apparuit.*

ruit. ¶ Viuentem transtulit, respondet Chrysost. non immortalitatem largitus est, propter hoc iterum obscure, vt ita dicam, & latenter reuocare vult sententiam, quam protulit contra Adam, hoc enim facit, vt timor illius emendationi diseruiat. ¶ Quis enim legem vniuersalem, imperiumque mortis timeret, idque moueret, vt componeret vitam, si alium à generali sententia, exceptione functum videret?

Gen. cap. 22. Deus tentauit Abraham.

Iacob epist. 1. ca. 1. Deus neminem tentat.

Nullus amat personã, sed vtile lucrũque quod sperat.

D. Augustin. experimentũ amoris Abrahæ alijs manifestare voluisse, inquit, vt probaret an propter Isaac, terræque promissionem diligeret Deum, tam innatum enim est hominibus, propter bonũ, quod possident vel sperant, alium amare, vt nisi innotescere t experimẽto, de Abraham ita perfecte amasse non crederent.

Vix Christus Dominus ascensum in cœlum Apostolis intimauit, *quando tristitia impleuit cor vestrũ*, inquit, lachrimas effundere non cessarunt Domini dolentes absentiam, D. Lucas loquens de ipsis, eum respicientes ascendere in Cœlum, *& regressi sunt*, inquit, *in Ierusalem gaudentes gaudio magno.* Quare ergo non mæstitiam, sed gaudium in cordibus Apostolorum excitauit Domini in Cœlum ascensus? Si sermo dumtaxat qui texitur de Domini absentia illorum conterit corda, quare ipse visus & expertus ascensus corda non punxit Apostolorum? Ratio sita est in natura nostra imperfecta. Quoniam cum primum de ipsius ascensu locutus est, expulsum iri de Synagogis, & vndequaque affligendos Apostolos reuelauit, & tunc inter alia exilium præmonuit, & ab hominibus vaticinatus est decessurum. Hoc ergo dolent, non quod ascendat in Cœlum, sed quod circundatis vndequaque tribulationibus Apostolis desit refugium & fortitudo, quam sperabant ab humanitatis præsentia, nil quod absit Christus, sed quod inter tot pericula constitutos deserat, simulque cum ipso deficiat securitas & scutum. Quando autem in Cœlum Christum ascendere vident, iam Paracliti acceperant promissionem. *Si ego non abiero, Paraclitus non veniet ad vos*, absentiamque Christi, vt Spiritus Sanctus in solatium omnium, communeque refrigerium veniret, crederant deseruire, ideo non tam Dominum, quam se diligentes, Christum ascendere concupiscunt, & in Ierusalem, vt inquit, Lucas, sunt regressi gaudentes, nil quæ abesse Dominum dolent, modo in eius scutum refugium, & fortitudinem descendat alia diuina persona. Ideo non Dominum ascendentẽ, ipsosque fugientem, sed Cœlum dũtaxat respiciunt, a quo Spiritum Sanctum descensurum sperant; *Viri Galilæi, quid aspicitis in Cœlum.*

Quare Moses cum moritur ab Israelitis communi plangitur luctu, *planxerunt triginta diebus*, Iosue autem prudentem ducem, & militem in eorum defensionem strenuum, sepelierunt, sed lachrimas, & lucem reticet Sacer textus? Ratio habetur in Glossa. Cum functus est vita Iosue, inter omnes tribus erat diuisa terra,

non

non ergo quid ab illo sperare potuissent, cogitabant, vnde neque dolent quod absit, à quo lucri prouenire, nihil expectant. Moses autem iubente Domino moritur, cum nondum terram promissam forent ingressi, ideo lugent non Mosem, sed quod ante terram possessam commune soluerit debitum, planxerunt non Mosem qua bonus in se, sed qua ipsis in periculis constitutis refugiũ, hostibus vndequaque circundatis fortitudo, & miles ad illos debellandos, & vt in Chanaam Israeliticum introduceret populum, diu iam exercitatus, & à Domino electus.

Hoc etiam Prophetæ Eliseo contigisse constat ex Sacro textu. Cum enim illi indicatum esset, à Domino raptum iri Prophetam Eliam, quocumque tenderet comitabatur *viuit anima tua quod non derelinquam te.* Accidit autem à conspectu hominum fuisse sublatum, sed non ideo in Eliseo lachrymis humectasse maxillas, aut aliquo signo vidimus manifestasse dolorem, aut cor Elisei fuisse dira pœna contrictum. Quare ergo absentia, qua prius pungebatur Propheta, nunc rapto Elia riuos aquarum ab oculis non exposcit? Dolet Eliam ab esse, sed non ideo amat sed concupiscit, dolet absentiam, quia se diligebat, non propter ipsum Eliam. *Non derelinquam te,* Eliseus aiebat, timebat enim ne discederet & non dimitteret pallium. Hinc orta solicitudo. Cum autem Elias raptus est curru pallium hæreditauit, & in eo spiritum duplicatum Eliseo reliquit. Quid ergo miri quod cessauerit ansia solicitudo, nil que de Elia curauerit Eliseus post pallij & spiritus posse sionem.

Deus tentauit Abraham obedientiam appetijt, non sacrificium, Deus enim, vt inquit Diodorus, humano sanguine nõ delectatur, sed vt scrutaretur an super omnia diligeret Deum. Nullus ergo iustus est, quem tentationibus non examinet, vt illis purgati, in pacientiæ simulachrum nitidiori opere ostentato, spectant rapiãt in admirationem, nauiculam ventis agitat, quo gubernatoris artem magis admireris, fluctuum ciet impetum, vt obstupescas quam nulla tentatione moueatur, machinas admouet, murorum fortitudinem ostẽtans. Sed notandũ post quã eiecit ancillam & puerum, ideſt, opera carnis tentatur Abraham, solem enim diabolus, qui renunciat operibus eius, tentationibus fatigare. Vnde D. Petrus leoni comparat Dœmonem, tãquam leo rugiens circuit quærens, quem deuoret, sicut enim leo viuum persequitur hominem, neque præ inedia deuorare continget, sic Dœmon spreto peccatore, solum irruit in eũ, qui vita fungitur gratiæ.

Audi Basilij Seleuciæ rationẽ aliã pro tentatione Abrahæ. Vt ea purgatum pacientiæ simulachrum, inquit, nitidiori opere ostentato, spectantẽ rapiat in admirationem D. Chrys. vt ostenderet igne ærumnarum probandum fore iustum, & à Deo dilectum ideo Abraham flamma afflictionis probatur vt multo pretiosior euaderet auro, quod per ignẽ examinatur. Vnde qui amat Deũ indispẽsabiliter patitur, & qui virtuti incumbit igne debet examinari ærumnarum.

Qui amat Deũ indispẽsabiliter patitur.

Sequere me, Petro Dominus, inquit, patiendo scilicet, & moriendo, sollicitus autem Petrus de Ioanne Dominum rogat, *hic autem quid? Sic volo eum manere quid ad te.* Decepti autem Apostoli, priuilegio immortalitatis Ioãnẽ existimarunt gaudere, *Exijt sermo inter fratres, quod discipulus ille non moritur, & non dixit Iesus, quia non moritur, sed sic eum volo manere.* Deceptos ergo Apostolos, inquit textus, verum videtur nõ falsũ formasse iudiciũ, quo niam Christus, inquit, sic sicut tunc

Ioannem velle manere, viuebat tunc, promittebat ergo viuum in posterum relictum iri. Vera autem Domini verba sunt, quia non dixit Iesus non moritur. Idem ergo Dominus intellexit, cum sic eum volo manere nunciauit, ac si dixisset volo eum non viuere, sed pati & mori, vult Dominus eum, sicut tunc erat, manere, erat tunc amans magistrum ardenter, & ab illo mutuo dilectus, voluit ergo Dominus, vt amans & amatus Ioannes in posterum relinqueretur, atque vt maneret conseruans viuum amoris affectum. Non ergo Christus, Ioannem, asserere posset, communi mortis calamitati non subijciendum, si amantem dilectumque relinquendum asseuerauit, quia diligere Deum & propter illum non pati diligi ab illo, & non subire dolores, sunt contradictionis extrema.

Frui Deo non est amare Dominũ, sed sẽ, est amor cõcupiscentiæ, nõ amicitiæ, multi Iesum sequuntur, vt inquit, venerabilis Kempis, vsque ad fractionem panis, sed pauci vsque ad bibendũ calicẽ passionis, amant Domini liberalitatem, sed non bonitatem. Hanc legit in vltima clausula vitæ, cum staret in cathedra crucis, Christus doctrinam, cũ inquit, *Deus Deus meus vt quid de reliquisti me?* Non est querella, inquit S. Leo, hæc vox, sed doctrina, illa tolerare nos docuit, vt flagellatus homo, addit Gregorius, considerans quia maior sit Deus homine, in omne quod patitur, se eius iudicio post ponat. Quis enim homo iuste mittere posset querellas, si ad Deum hominem, quem imitari tenemur, cordis oculi dirigãtur? Quis à Domino desertum queratur, si attenderit prius Christum à suo fuisse derelictum parente?

D. Ambr. ¶ Aliter Deus tentat, aliter diabolus, diabolus tentat, vt subruat, Deus tentat vt coronet. ¶ Nullus ergo iustus est, qui tentationum non probentur stimulis, & igne non purgentur laborum. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum*, dicebat Dauid cœli pulchritudinẽ contemplatus Psal. 83. Cui Psal. sic subscripsit, *Pro torcularibus*. Quare inquit Aug. sic Psalm. subscribit. vbi nec verbum refertur de torculari? Sed facilis est solutio, loquitur enim de gloria, & sic media refert, quibus consequitur ab hominibus, id quod in torculari cum pesundatur vba, cõtigit vt vinum redundet. ¶ Sic homines antequam accedant ad Dei seruitutem, fruuntur in hoc sæculo tamquam delitiosa libertate, vel vt vbæ aut oliuæ pendentes, accedens autẽ quisque ad seruitutem Dei, ad torcularia se venisse cognoscat, contribulabitur, conteretur, comprimetur nõ vt in hoc sæculo pereat, sed vt in apotheca Dei defluat pro torcularib⁹. ¶ Verum si spiritualib⁹ oculis videantur labores, in profectum sunt, qui patiũtur, cur enim dicatur *maior seruiet minori* cũ Esau non fuerit Iacobo inferior? ipse enim dixit *præcedat Dominus meus Esau*, non video: Respõdet Aug. seruiet minori persequendo, quoniam tribulatione sicut igne purgatur iustus. Vnde, inquit, Haym. lib. 2. in Apoc. quinque sunt modi, quibus specialiter homines à Domino flagellãtur, ad augmẽtãda merita, sicut Iob, & Tobias, ad custodiendã virtutẽ, vt Paulus, vt peccata præterita corrigantur, sicut paralyticus, sed electi quocumque modo affligantur, meliores efficiuntur ex ipsa afflictione.

Laboribus comparatur gloria.

Imprimis cũ peccatores vt, inquit, Iacobus de Boragine, nõ sentiãt, quibus pulsantur à Dœmone, tentationes, sic enim cõsiderat Augustus. ¶ In bonis concupiscit aduersus spiritum caro, nã in malis non habet contra quem concupiscat, ibi enim concupiscit contra spiritum, vbi est

Tẽtationes signum iusti

Tentationis signum iusti.

est spiritus. ¶ Nullum certius argumentum est, quod dœmones, inquit D. Ioannes Climacus, victi à nobis sint, quam si nos accerrime oppugnent. Vnde vix homo seruitutem dœmonis fugit, quando ab illo experitur prosequtione: vix mulier illa, de qua Ioannes in Apocal. symbolum iusti, concepit, quando draco stetit ante mulierem, vt ipsam & filium deuoret, sed filius raptus est, & mulieri datæ sunt alæ, vt inimicum fugiant. Vix homo concipit odium peccati, & fugere dœmonis insidias efficaciter proponit, quando draco contra voluntatem stat, vt affectum deuoret & propositum terreat, quod efficeret, si spiritu bono non protegatur, sicut filius qui raptus est, iuxta illud: *In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum*, & alis diuinæ gratiæ non custodiretur bona voluntas in omnibus vijs suis. D. Gregorius lib. 33. mor. cap. 18. quare, inquit, dœmon cum hominem possidebat, non discripsit? Respondet; ¶ Ecce eum non discerpebat, cum tenebat, exiens discerpsit. ¶ Cum homo Christum Dominum non vidisset, amicitiam cum dœmone profitetur, & cum illo tamquam amico se gerit, quando autem cogitur à Domino exire, tamquam inimicum discerpit.

Cum Dominus viarum nostrarum in Cœlum sit rector, & gubernator attemperat infirmitati patientis tentationis labores, aliquibus quos speciali fortitudine munit, immediate post conuersionem Dominus permittit tentari, sed frequētius alicit prius consolatione sensibili, deinde Dœmonis exponit oppugnationi, ne timentes hostes, qui insurguut, præ virtutis infirmitate deficiant, ideo post promissiones & postquam toties Abrahamo apparuisset, Dominus illū tentat. Quare Dominus populum per terram Philistinorum non ducit? Ne forte pęniteret eum; si vidisset aduersum se bella consurgere, & reuerteretur in Ægyptum, erat enim illi terra Philistinorum vicina, ideo cum sunt in deserto neque vertere terga potentes, cōsurgunt hostes, & superueniunt labores vsque ad terram illis promissam. Hac prouidentiā suaui se gerit Deus erga recenter conuersos, ne insurgentibus bellis, hostibusque irruentibus ad vomitum iterum redeant.

Verum licet tempus permissionis diuinæ, vt à Dœmone iusti tentetur, Deo, prout hominis saluti est cōgruens, sit cognitum, & dipositum, fere nullus sine tentationibus viuet, quoniam *sicut igne probatur argentum, & aurum in camino, ita corda probat Dominus*, inquit, Sapiens. Iustus enim quò magis igne tribulationis affligitur, eò crescit & magis augetur. *Multiplicatæ sunt aquæ, & eleuarunt arcam*, dicitur in Sacro textu, arca, qua iusti illi pauci viuebant, & eò magis super Armeniæ mōtes eleuabatur, quò tēpestatis aquæ magis multiplicabātur. Sic iustus fluctibus quib⁹ percutitur, crescit. Tollit iniustis ignis tentationis ignauiam, ideo Paulus tentationem non gladium, sed stimulum appellauit, *datus est mihi stimulus carnis*, stimulus enim non interficit, sed viuacius iter agere facit. Hoc cognouerat Cato, quando in Senatu Romano Cartaginem non delendam, ne Romanī otio, & torpore larguerent, defendit ¶ Ve, dixit, Romæ, si Carthago non steterit, ¶

Sed fidelis est Deus qui nullū patitur supra vires tētari, neq; virtutē, cū est in initio, permittit tribulationum vēto agitari. Simile est regnū Cœlorū homini qui seminauit. Hoc regnū cœlorum Ecclesia est, qui seminat, De⁹ est, virtutes & semē bonorū desideriorū hominū cordi infūdēs, eodem tempore quo seminatum est tri-

ticum, ſimiliter, & zizania, *cum autē creuiſſet herba, & fructum feciſſet, tunc apparuerunt & zizania.* Quare ergo cū apparuit triticum ſimul non apparuit zizania, quoniam ſi quod triticum non creuiſſet æqualiter creſcentē habuiſſet zizaniam, graui quateretur periculo, Deus ergo ſuppa fortitudinem iuſti, magnitudinemque virtutis numquam permittit tentationis hoſtilitatem conſurgere, nec appārere zizaniam, niſi cum fructus creuiſſet.

Ex Geneſ. cap. 22. Ego, & puer reuertemur ad vos.

Ibidem. Tolle filium tuum, & offer eum in holocauſtum.

HÆc dixit Abraham credens poſſe à Deo Iſaac ſuſcitari, vnde ſine mendatio locutus eſt, noluit autem ſeruis reuelare ſecreta, quia, vt inquit Hugo Card. ſecreta non ſunt ſeruis committenda, iuxta illud: *Pectoris arcanum non eſt committere ſanum, rimis ſeruorum, quia fictile pectus eorum*, ideo domeſticis non apperuit. Gratum eſt Deo ab oculis hominum ſuas virtutes celare, & ideo inquit Chryſoſtomus prophetiæ donum Abraham accepiſſe. ¶ Filium tuum, inquit, mactaturus pergis, & ais reuertemur? dum pueros ſtudet celare, propheta efficitur. ¶

Ex Geneſ. cap. 23. Adorauit populū terræ.

Deut. 6. Dominus Deus ſolus adorandus eſt.

EX ijs, quæ diximus, cap. 12. Exodi conſtat hic non ſumi adorationē pro cultu latriæ, ſed pro honore, & reuerentia alicui exhibita, quam quis corporis geſtu manifeſtat. Oſtenditur hic non ſolum humilitas, quæ in principibus, vt inquit Caſiodorus lib. 5. ſic eſt gloriosa, quemadmodum in mediocribus odioſa poteſt eſſe iactantia, ſed etiam ſpecimen dedit pietatis Abraham, maximè ſepulchrum deſiderans, cum ſic ſe monſtrauerit eſſe gratum, pectore inclinato, non recuſans filijs Heth reddere grates, id ſonat ſine violentia verbum adorauit, non enim patitur vinci beneficentia.

Oſtenditur pietas, & humilitas Abrahæ.

Ex Genes. cap. 23. Abraham emit ab Ephron filio Seor agrum iuxta vrbem in sepulchrum Saræ.

Act. 7. Dicitur exẽptum ab Abraham pretio argenti à filijs Hemor filij Sichem.

HÆc nẽpe religio, inquit, Thomas Anglicus, à filijs Heth, qui interpretatur vita & pauor, i. deſt à filijs huius vitæ pauidæ, & miſeræ, & ſpecialiter ab Ephron, ideſt, à puluere mortis acquiri debet, quia communis omnium mors, & miſera nobis magnam materiã exhibet ſepulturæ præfactæ. ¶ Nullum enim fortius & efficacius conſiderari poteſt motiuum, vt omnibus ſæculi voluptatibus, & delitijs contemptis, vita religioſa eligatur, quam pulueris cõtemplatio, memoriaque noſtræ fragilitatis, & tandem mortis.

Maxime refert conſideratio fragilitatis humanæ ad tẽporalitũ contemptum.

Refert D. Iſid. lib. 6. Eth. tempore Tiberij Cæſaris eius iuſſu hominem fuiſſe interfectum, qui induſtria inuenta ſolidius efficiebat vitrum argento, ne vileſceret aurum, & haberetur pro luto, ſi enim vitrum clarum fragile non haberetur pretioſius eſſet auro apud ignorantes. Ideo ergo fragilitatis noſtræ debet iugis eſſe conſideratio, vt non parui fieret cœlum. Si ergo Cæſar illum de medio tollit, qui ductile vitrum faciebat, quid mirum, quod Deus puniat, & de medio tollat, eum, qui lætitiã, & proſperitatem vitream mundi, ſtabilem facit, & in animo ſuo dicit, diu non mouebor. Magnopere ergo ad contemptum mundanæ proſperitatis, & æſtimationem cœleſtium fragilitatis noſtræ conſideratio.

Quare, dicet aliquis, Ægyptij ſic cupiditate irretiti, tam liberales in ſeruos Hebræos fuiſſe videmus, vt bona ſua tradere non recuſarint? Nulla ratio aptior offerri poteſt, quam memoria mortis, ſepeliendis namque primogenitis occupati, nil de bonis conſiderabant, nec amiſsionis periculum aduertebant. Ideo Abraham pretio ſepulchrum emit, vt inter alia ſuæ ſubſtantiæ memoriam mortis haberet. Hæc cum memoriæ recolitur ambitio reprimitur, & appetitus cæteri conteruntur.

Ex Genes. cap. 23. Conſtat Abraham agrum emiſſe.

Act. Apoſt. cap. 7. dicitur quod in Chananæa non dedit Deus nec paſſum pedis.

SEpulchrum non reputabatur inter poſſeſsiones, quia ignobile erat, impolitum & informe, nulla que elaboratum induſtria, vt damnet noſtram ſuperbiam, etenim gloriæ etiã poſt mortem, vanique nominis cupidi, electa, pretioſaque ambimus ſepulchra in monumentum æternitati elationis noſtræ, & ſuperbiæ. Optime Drogo in Alleg. Tilman. ¶ Habet mundus electa ſepulchra, illos vtique, quos elationis faſtigium, vel ſuperſtitionis operoſitas perſpicuos reddit, denique tot Ægyptus ſepulchris plena, eſt, neque enim erat domus in qua non iaceret mortuus, illa ſepulchra filij Iſrael cupierant in deſerto, cum dicerent, *forte deerant nobis ſepulchra in Ægypto?* in talibus ſepulchris noluit Abraham mortuũ ſuum ſepelire; ſed vbi? in ſpelunca

duplici, vbi spes bonorum operum, & amore contemplatiuæ deuotionis, requieſcit.

Sed quò ipſe ignobiliorem locum in ſepulturam elegit, ex ſua deuota pietate eò nobilior effectus eſt. Vnde, inquit textus, *confirmatus eſt ager*, in Hebræo *ſurrexit ager*, ideſt, interpretatur Caietanus. Eleuatus eſt in meliorem conditionem, per hoc, quod emptus eſt ab Abraham in ſepulchrum, loco enim non à ſuperbia ædificij, ſed à ſanctitate iacentis ibi, aduenit nobilitas vera. Moritur Moſes Gad benedixit tribũ, ſic dicens, *Vidit principatum ſuum, quod in parte ſua doctor eſſet repoſitus, qui fuit cum Principibus populi, & fecit iuſtitias Domini, & iudicium ſuum cum Iſrael.* Quare ergo tribus Gad principatum dicitur habitura, cum ignobilis ſit, ex matre ancilla nempe Zelphae? Lyran. ad Deut. 33. ¶ Iſte doctor, inquit, fuit Moſes ſepultus in ſorte Gad, & hoc ceſsit ad magnum honorem, & dignitatem illius. ¶ Dicitur ergo ſors Gad principatum habitura propter Moſem ibi ſepultum, ſepulchra namque non ex politis lapidibus, quos erigit in monumentum æternitatis ſuperbia, ſed ex iacentis in ibi ſanctitate, nobilia, clariſſimaque efficiuntur.

Ex Geneſ. cap. 24. Ad terram, & cognationem meam proficiſcaris, & inde accipias vxorem, ideſt, ex Haran.

Geneſ. 12. Deus qui eduxit me de terra natiuitatis meæ, & cap. 15. eduxi te de Ur Chaldæorum, erat ergo patria ſua.

DIfficultas eſt cum tam in Meſopotamia, quam in terra Chanaam fœminæ Gentiles reperirentur, quare ex Meſopotamia, quam ex Chanaam filio eligebat vxorem? quoniam ſi vxor Chananæa eligeretur, cum in Chanaam habitaret Abraham, ipſa remanſiſſet inter cognatos, & difficile tunc eſſet dediſcere patrios ritus, electa vero ex Meſopotamia domum relinquet paternam, & extra cognatos non tam difficile eſſet Gentilium abiurare ſuperſtitiones.

Hinc conſtat, quam ſolicitus ſit Abraham, ne filius eius in Chanaam iterum reducatur; Abulenſis ſic inquit. ¶ Deus mandauit Abrahæ, vt exiret de Meſopotamia, & veniret in terram Chanaam, quia ibi benedictus erat ei, & de hac terra promiſsiones ei factæ fuerant, credebat ergo Abraham, quod contra voluntatem Dei eſſet reducere Iſaac in Meſopotamiam. ¶ Hugo Card. innuit miſtice Dominum cum religioſis hæc eadem eſſe locutum, vt in mundum, quem reliquere, cum prætextu quarumlibet vtilitatum, non conuertantur.

Genes. cap. 25. Iacob, vir simplex.

Genes. cap. 27. Supplantator ab Esau appellatur.

Inuidia lynceos oculos habet vt in alijs scrutetur defectũ talpa est vt perfectiones aduertat.

QVomodo cum Spiritus Sanctus simplicem, virumque sanctum appellauit Iacobum, supplantatorem vocat Esau? quia benefacta aliorum, inquit, Seraphà Porr. in suis verit. aureis super Gen. mali in malum interpretantur, quoniam inuidia talpa est vt in alijs, quæ sunt perfectionis aduertat lynceos autem oculos habet, vt aliorum scrutetur defectus. Audita est vox Patris æterni, *clarificaui, & iterum clarificabo* de qua, Chrysostomus, inquit, vox aperta, & bene significatiua est, & nihilominus, populo Israelitico inuido visum est cœlum tonasse, dicebant tonitruum esse factum, luces enim extraneæ inuidis fulgura sunt & tonitrua.

Stellam cadentem de cœlo vidit Ioannes in suo Apoc. vt incoleret terram, & quod mirabilius est, amaricasse aduertit Euangelista, *& nomen stellæ dicitur absinthium.* Quis audiuit dulcis & amari iudiciũ ad visum & non ad gustum spectasse? quamvis in prima mueliere fuerint ita confusi sensus, vt oculis, quibus viderit gustare dicatur lignum, vidit mulier, *quod esset bonum lignum ad vescendum.* Verum si littera textus attente legatur, non inquit, stellam ipsam amaricare, sed absinthij nomẽ stellæ impositum esse in terra, in cœlo vocatur stella, sed in terra absinthij & amaritudinis nomine nũcupatur, in cælo, vbi luces plures æquales sibi associabat, stella appellatur, sed in terra, vbi erat eius lux singularis, vocatur absinthiũ, priusquà incoleret terrã cũ resedisset in cœlo, etiã à terra stella suo nomine non priuatur sed lucis conseruauit cognomen, eo quod visa in cœlo ab incolentibus terram propter distantiam radiorum apparet innops, & comprehensibilis visu, cum autem videretur posita in terra, qua maior à Mathematicis recognoscitur quæuis stella, ibi tanta radiorum gauderet copia, quod oculis incomprehensibilis esset. Quid ergo miri, quod amaricaret stellam, si lucem in accessibilem ostendebat? lucem attemperatam oculi inuidi poterunt spectare, sed maximam claritatem radiorumque copiam abhorrent sunt oculi inuidi sicut & Sacerdotis Eli, de quo, inquit, Scriptura, non quod haberet oculos cæcos, *sed quod non poterat videre lucernã, antequam extingueretur.* Quando lucernæ lux minuebatur, videbat, quando plene fulgebat, totumque reddebat lucidum templum, fulgorem percipere non valebat, copia lucis visus infirmus allucinatus tabescebat oleo suffultæ verum cum declinare lucernæ lux incipiebat, in illam oculos dirigebat, videbat, cum decresceret, lucem sed cum vigeret, non poterat videre lucernam. Oculi infirmi sine remedio; tenebras solum in Sole palpantes de quibus, inquit, Seneca Sol nisi cum deficit, spectatorem non habet, nullus lucis pulchritudinem intuetur, verum si forte eclipsim contigerit pati, omnes oculos macula sua trahit.

Hoc autem vitium est innatum humanæ naturæ prodigium; quod stupente natura, strenuus est operatus Iosue, textus Sacer innuit opus hominis fuisse *obediente Deo voci hominis*, & D. Gregorius. ¶ Miror quod

quod auctor naturæ voce hominis à lege naturali discesserit. ¶ Hominem appellat, quem omnipotentem, diuinum ve esse opus mirabile prædicabat. Loquitur idem de miraculo Mosis, cum aerem repleuit caligine vt tenebris occupati Hebræis exitum liberum reddidissent. *Fuit æ sunt tenebræ horribiles in tota terra Ægypti tribus diebus.* De opere isto mirabili D. Greg. suæ diuinitatis magnitudinem ostendisse demonstrat. Quare ergo Solis lucem stare potentiam hominis non excedit, & tenebris Solem densissimis obscurare ostendit diuinitatem. Audite quæ addit textus cum Moses de opere suo loquitur. *Vbicumque habitabant filij Israel lux erat.* Nunc Gregorius. ¶ Qui de tenebris fecit splendescere lucem in oculis filiorum Israel suæ diuinitatis magnitudinem ostendens. ¶ Verum enim est, quod Sol stetit Iosue valida voce. Quid ergo inde? ex suspensione luminis cursus, terræ, super quã radios, lucemque Sol effundisset, sub tenebris oppositum emisspherium gemebat, absentiaque Solis plantæ, & flores luce diu viduatæ iam marcescebant. Radijs ergo lucis non est in solitum immo homini inditum est, & innatum alijs offundere tenebras, ita vt lumen, quo splendescit vnus, caligo sit, qua misere alter cęcutiat. Verum deducere de tenebris splendorem, opus diuinum est. Vnde Ioannes Verbi diuinitatem probauit, quia lux erat in tenebris lucens. Miraculum ergo, quod operatus est Moses magnitudinem diuinitatis ostendit.

Genes. cap. 26. Fecit ergo eis conuiuium.

Exod. 34. Prohibetur societas, & amicitia.

SVppositа superius tradita in sensu litterali concordia dicendum est cum Chrys. ¶ Conuiuio certa dat argumenta, se non fore memorem eorum, quæ in se commiserant, & non solum obliuiscitur, sed magna hospitalitate illos excipit. ¶ Hoc autem, inquit, Oleaster, proprium sanctorum est pro malis scilicet bona reddere.

Beelmium virtutis opus inimicos amare.

Panegyristæ munus in Saulis infausta morte Dauid exercens, *filiæ Israel super Saul flete*, inquit, *qui vestiebat vos coccino in delitijs, qui præbebat ornamenta aurea cultui vestro.* His quasi compendio laudes exornauit Saul. Sed quid hæc, vt tot principis vitia posset celare? ad summum potest liberalis ostendi, sed non perfectus omnino. Si, vt par est, regem laudibus extollere vellet iustum commendet, quem non infregit amor paternus, vt filium capitis non damnaret, suos laudet maxime diligentem, non ornatui purpuram induentem, sed vt pro Israelitis hostium sanguine ostenderet tinctam. Hæ perfectiones sunt quibus vitia possent velari. Verum si in laudes, quibus Dauidis triumphum de Philisteo filiæ Ierusalem sustulere, oculos intendamus, summa & epilogus est perfectionum, sic enim canere filias Ierusalem, inquit, textus: *Saul percussit mille, & Dauid decem millia*: Musica autem huiusmodi valde fuit punctus Saul, lapideoque illius in corde iræ resonauerat echo. *Iratus est autem Saul nimis, & displicuit in oculis eius sermo iste*, in uidiæ

vo-

vocibus illis princeps incensus hæc exclamauit: *Quid ei superest nisi solũ regnum?* Hinc, verbis Dauidis eximia colligitur commendatio, excedit enim virtutem, superat laudes, quod filias Ierusalem, à quibus offensus, tam sensibiles ictus perpessus est, coccino vestierit, præbueritque purpuram cultui ijs, à quibus contemptus est, difficillimum enim est: vinci voluntatem valere, vt quem odio pro merito debet, prosequatur amore.

Quare Moses, quis posset interrogare, serpentem æneum leuauit in altum? optime namque populum cognouera esse procliuem idololatriæ quare ergo populum periculo exposuit, cuius ruinam non semel expertus est? Et si pronum populum idololatriæ vidisset, serpenti æneo cultum non timuit offerri, neque vmquam venerari posse vt idolum. Quare hoc? recolite, quæ referuntur à Mose.

Genes. 27. Vtroque orbabor filio. | *Ibidem. Iacobo minatur mortem.*

PEriculum inimicis non ignoscendi demonstrat Rebeca, vnde vtriusque filij mortem non sine fundamento timuit, Iacobi, quam minabatur frater, Esau, quoniam qui non ignoscit, veniam merito non sperat, vnde Isau fratrem occidentem timuit iri occisum ab alio.

Thomas Anglicus ideo hoc dictum, quia fratricida indignus est, qui reputetur filius Rebecæ. ¶ Si occiderit te, inquit Anglicus, non reputabo eum filium meum, & sic orbabor vtroque. ¶

Ex Genes. cap. 27. Pilosas manus Iacob simulauit, mentitusque est pernicioso mendacio. | *Genes. 25. Iacob vir simplex dicitur.*

INconueniens non iudicaui in sensu litterali expositio textu primo Antilogiæ cum Scoto in 3. dist. 38. dicere, quod mentitus fuerit Iacob officioso mendacio, tam vocem; quam simulans manus pilosas Esau, *Pelliculas hædorum eius manibus circumdedit, & colli nuda protexit.* Verum licet hæc omnia diuino spiritu egisse cum ijs, qui oppositæ nomen dederunt sententiæ, dicamus; verumtamen hæc innuunt pœnis similibus sceleribus peccatorem punitum iri. Iacob enim peccatorem repræsentat, qui fraudet alienos honores inuadit, sicut autem ipse hædinis pellibus patrem decepit, à filijs sanguine hædino deceptus est, vt dicitur Genes. 37. *Tulerunt tunicam eius, & in sanguine hædi, quem occiderant, tinxerunt, mittentes, qui ferrent ad patrem*, vt qui fratrem eiulare fecit gemitu maximo, & ipse miserabiliter deploraret, in eamdem à filijs deceptionem inductus, in quam parentem induxerat. Sem-

Pœnas sceleribus similes luit semper peccator.

per

per enim peccata nostra à Deo exigunt meritas pœnas, numquam impunita relicta.

Ex Genes.27. In pinguedine terræ, & in rore cœli. Accepit ergo benedictionem.

Ex Paulo ad Hebr.12. Constat nos accepisse benedictionem.

RVpertus lib.7. in Genes. cap. 18. ¶ Hæc pinguedo terræ,& hic ros cœli,inquit,differt ab illo,qui supra in benedictione Iacob præscriptus est,ille namque talis est, quem consequitur seruitium populorum,& adoratio tribuum, incuruatio fratrum,& benedictio cunctorũ, quicumque Dei benedictione digni sunt,hanc autem terrena tantummodo consequuntur, & ipsa est temporalis saturitas ventris, & hæc illi extrema benedictio congruit, qui esuriem nesciebat gratiæ spiritualis, quippe qui propter vnam escam primogenita sua vendidit. ¶ Homini ergo gula irretito maxima fœlicitas visa est benedictio in pinguedine terræ,ideo beatos se filij huius sæculi putant, si bonis prosperati fuerint terrestribus,cœlesti contempta fœlicitate.Loquitur ergo Paulus de benedictione,quæ principalis erat,& ipsi Iacobo elargita, quam,& si cum lacrymis postulasset Esau, negatam asseruit Paulus,alteram, quæ tenuis erat,impetrauit à suo parente. Quæ autem inter vtramque fuerit distantia,ex ijs,quæ Tertulianus lib.3. aduersus Marcionem tradidit, constat. ¶ Cæterum ad Esau,inquit, promittit benedictionem terrenam, & subijcit cœlestem de opimitate terræ, dicens:erit inhabitatio tua,& à rore cœli,Iudæorum enim dispositio in Esau priorum natu,& posteriorum affectu filiorum, à terrenis bonis imbuta, per legem, postea per Euangelium credendo deducitur. ¶ Vide D.Bern.ser.33.in Cant.

Ex Genes.cap.27. Vox quidem vox Iacob est,quare non credidit auditui,qui nobilior est sensus?

Ibidem. Manus manus sunt Esau credidit tactui ex sensibus ignobilissimo.

QVare non credidit voci, assensumque præstitit tactui ? innuit,quod sæpè hominibus accidit, vox enim nudam obtulit veritatem, manus obtulerat hædos, manus gustui,vox loquebatur auditui. Homines ergo ita muneribus obcœcantur vt veritatem deserant, si vtilitatem visæ non sint comparare.Sæpè deseri solent docti, si dictamen rigidum, & quidem rectum proferant, sed oppositum consulentis vtilitati. Vix inter paradisi delitias primi nostri parentes sunt collocati, quando à serpente decepti,de arbore sibi vetita edere non timuerunt,tamquam ingrati exilio fœlicitatis à Domino sunt puniti,& positus Cherub in cu-

stodiam arboris vitæ. Quare ergo non custoditur scientiæ arboris lignũ pulchrum, vnica occasio peccandi? Nescio an quia custode opus illi non erat, sine folijs & fructibus parentes nostri arborem scientiæ considerabant, econtrà coronatam fructibus, folijs vestitam respiciebant arborem vitæ. Custodiat ergo hanc arborem Cherub illa enim si sit scientiæ non indigebat custodia, scientiam enim, vbi non reperitur vtilitas, quilibet deseret, & naturaliter fugiet.

Miratus est Tertulianus quod inter alia animalia solum cum serpente loqui appetierit Eua, & eiꝰ callidi tati crediderit. Sed quid miri? si serpens offerebat, diuinitatem, appetitui adulatur, & relaxabat præceptum. ¶ Serpentem, inquit, Deum contemplatur, immo pro serpente De. le reliquit, qui præceptum quod Deus posuerat, à serpente calide relaxatur. ¶ Non eligunt homines Deum intellectus lumine ducti, sed iuxta appetitum blandientem. Hoc ideo mirabilium Domini populus Israelitarum oblitus, *hi sunt dij tui Israel, qui te eduxerunt de Ægypto* exclamauit. Quæ prodigia ab idolo factura manuum suarũ celebrata cœci Israelitæ viderunt, vt vitulum Deum confiterentur, qui vincula Israelitarum rupisset? Quare Deum venerantur idolum? quoniam appetitu gulæ tenebantur Hebræi, idòlum *in similitudinem erat vituli comedentis fœnum.* Cum ergo vitium quo ipsi iacebant illecti, in idolo respexissent *hi sunt dij tui*, clamauere, homines enim dumtaxat Deos appetunt adorare, in quibus vitia respiciunt, queis ipsi sunt irretiti.

Genes. 27. Veniet tempus, cum excutias iugum eius de ceruicibus tuis.

Nullibi reperitur iugum excussum.

LIppomanus. ¶ Et erit, inquit, quãdo filij eius transgredientur verba legis, auferes iugum eius de ceruicibus tuis, vt sit sensus, veniet tempus, in quo non amplius seruies, idest posteritas tua, quando scilicet præuaricati fuerint Israelitæ legem Dei, & abiecerint à se iugum præceptorum eius, nam & tunc turrumpes iugum eius. ¶ Tunc ergo regna cadent, quando obseruantia legis diuinæ frigescit. Tunc robore suo regna vigescunt, cum viridi obseruantia præcepta florent. Victoriam illam, quam Moses reportauit de Amalechitis exemplar & in monumentum posteritatis voluit Dominus esse; Vincebat Moses cum manus erigebat in Cœlum, cum orationi duxerat intentus, cum deficiebat. populus vincebatur; Quid clarius vt de tam necessario præcepto militari instruamur, sceptrumque Domini, non Regum, imperiorumque potestatem comparare victorias, Regnisque fœlices euentus. Hoc doctus erat à Domino populus Leuit. 26. *Si in præceptis meis ambulaueritis, & feceritis ea, persequemini inimicos vestros, & corruent coram vobis, persequentur quinque de vestris centum alienos, & centum de vobis decem millia: cadent inimici vestri gladio in conspectu vestro. Sin autẽ nec*

sic

sic obedieritis mihi, ponam faciem meam contra vos, & corruetis coram hostibus vestris, & subijciemini ijs, qui oderunt vos, fugietis nemine persequente. Horum omnium practicam expertus populus Domini est, victus enim à Chananæo rege Arad, ad Dominum postea conuersus exercitum pœnitus Chananæorum deleuit, & appellatus est anathema locus ille. Hæc si præcepta militaria in bellico consilio perpenderetur, dissimiles quidem produxissent euentus.

Erga populum sic se Deus gessit, & sic erga Christianos se gerit, eorum scelera misericorditer in belis euentibus puniens infaustis, fame flagellans, quos suos elegit, & corrigit vt dilectos. Hoc Dauid exorabat, cum dicit: *in camo & fræno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te.* Sed quare, vt homines conuertantur ad Deum, maxillas confringi suadet? non solum enim os, sed corporis alij sensus, potentiæque reliquæ animæ officina sunt peccatorum, quare ergo pro alijs non postulauit remedium? sicut & alibi, petijt pro oculis medicamē. *auerte oculos meos ne videã vanitatē* pro pedib⁹ alibi, vt gressus in vetitũ nõ declinēt, *lucerna pedib⁹ meis verbũ tuũ, & lumen semitis meis*, alibi *inclina cor meum in testimonia tua* petijt, quia ex corde cogitationes exeunt, & à corde habent scelera consumari. Quare ergo linguæ applicat solum remedium? Ratio est: quoniam omnibus animi medella applicatur infirmitatibus, si maxillæ tã tummodo constringantur. Quid enim equs faciet frenatus? non cessat à cursu, imò velocius currit, solum à comedendo freno retrahitur, hoc impeditur à freno. Hoc ergo, inquit, Dauid, vt homines à vitijs abstineãt, vt conterant corda, & reprimant appetitus, *in camo, & freno maxillas eorum cotstringe*, ideſt, pauperes fiant, bona temporalia deficiant, vt in dies approximent Deo nostro.

Genes. cap. 28. Terribilis locus iste.

Exod. 33. Ostende mihi faciem tuam.

Ad gloriam difficilis via

IRam efferi Esau fugiens frater eius Iacob, pernoctans vidit schalam, cuius cacumen pertingebat Cœlum è terra, pauensque quam terribilis est locus iste exclamauit, *non est hic aliud nisi domus Dei, & porta Cœli.* Quid ergo animo fiorem aliàs Iacobum hic territat, fortique ingesit horrorem? Dei domum agnoscit, & timet? in asylo est, & pauet? portam Cœli videt, qua tamquam fenestra cœlestia arcana intueri donantur, & tunc pulsatur pauore? Quare ergo interritus Moses gloriam appetijt anxie videre? placidus, suauisque visus est locus Mosi, Iacobo vero pauendus? Vtique: sed quare? affligitur non ne Iacob à beatitudinis gloria, constristatur non ne hominũ fœlicitate, quam cuncti desiderant homines, & Moses lachrymis & suspirijs appetit? Ratio est, quoniam & si aperiatur Cœli fenestra, simul autem cõspicit arduos schalæ gradus, per quos illi ascendendum in Cœlũ est, quo enim obletatur, & Cœli afficitur gloria, eo magis à subeundis laboribus expauescit. ¶ Honorum siquidem sicut & malorum, intolerabilis est magnitudo. ¶ Inquit Tertulianus. Luctandum ergo, & sudandum.

Non è terra mollis ad astra via.

Sudore, aut sanguine immortalitatis purpura est emenda, sic petitur Cœlum. Oportet ergo ascendere per schalæ labores, vt Cœli apertum sit ostium Schala hæc, inquit, Bernardus, est ascensus ad perfectionem, culmen est charitas, gradus, sunt decem abrenunciationis gradus. Moses autem appetijt gloriam allectus pulchritudine illius, ascensus vero gradibus inconsultis, nil ve cogitans de laboribus. Vnde responsum à Domino audiuit, *non videbit me homo & viuet*, ideſt, morte spirituali frangendum, vt ad sanctorum fœlicitatem, Angelorum societatem, ad solemnitatem superne lætitiæ & ad vitæ contemplatiuæ iucunditatem conscendere valeat, in Dominique potentias intrare, illasque bonitatis diuinæ superabundantes diuitias gustare, vt vacet, & videat, quam suauis est Dominus, quantaque multitudo dulcedinis eius, laboribus, inquit, prius esse probandum, & tamquam aurum in fornace tribulationum purificandum, vt videat glotiæ decorem, sanctorum splendorem, & Regiæ potestatis honorem.

Ex Genes. 28. Tulit lapidem in titulum fundens oleum desuper.

Ex Leuit. 26. Non erigetis titulos.

OLeum infudit lapidi, vt innueret cubitum illi non durum & asperum visum, eo quod oleo perfusum esset, ideſt, cum propter nomen Dei, *oleum effusum nomen tuum*, perferuntur labores, molles, & iucundi videntur, Deus enim omnem duritiem emollit laborum, vt durum saxum oleo blandius efficiat. Vnde D. Hieronymus epist. 1. ad Heliodorum. ¶ Super nudam, inquit, metuis humum excesa ieiunijs membra collidere? sed Dominus tecum iacet. ¶ Quasi nulla sit asperitatis diritas, quam huius communionis suauitas non emolliat, vnde vt consolaretur Dauid, *cum ipso*, inquit, *sum in tribulatione*. Ideo ergo Dominus visus est in mari dormire, *ipse vero dormiebat*, vt maior Apostolorum fuisset, afflictio, meritumque superius videbatur enim, Dominus cum ipsis in tribulatione non esse.

Ex Genes. 28. Appellauit nomen vrbis Bethel, quæ prius appellabatur Luza.

Iosue 16. Oppositum referri videtur.

¶ BOnũ est, inquit, Oleaster, loca, quib⁹ nobis Dei beneficia cõtingere, adnotare, vt nobis diuinorũ beneficiorũ sẽper admoneãt

¶ Bethel idẽ est quod dom⁹ Dei, nescio an sic spiritu prophetico nominauerit, vt idololatriam reuerẽtia sancti exularet loci, verum non satis,

vt domus iniquitatis aliquando non esset, vacas enim Bethauen, (sic ex effectu postea appellata est) coluerunt habitatores Samariæ. Duos similiter vitulos fecit aureos Ieroboam, & in Dan, & Bethel collocauit. Sic Hieronymus cap. 4. Oseæ. ¶ Est autem, inquit, Bethel, quæ prius vocabatur domus Dei, & postquam in ea vituli positi sunt, Bethauen dicta est, idest domus inutilis, vel domus idoli, vel vt habet Theodotio, domus iniquitatis. Ideo Oseas exclamat: *Vlulate in Bethauen, post tergum tuum Beniamin*, merito lacrymas, suspiriaque petit, quoniam ex impietate hominum, quæ domus Dei ex deuotione, & religione Iacob, appellata est, domus iniquitatis nomen accepit. Quod Dominus de Ierosolymitano dixerat tẽplo, & nunc catholici possumus in gemiscere de basilicis, vbi Deus specialiter adest, & Christus præsens in Sacramento assistit, *Domus mea, domus orationis est, vos fecistis eam spelundam latronum.*

(§)

Genes. c. 32. Dimitte me iam enim ascendit aurora.

Angelus ligari nequit a b homine.

LVcta hæc, orationem, quam coram Deo nocturno tempore fuderat, designat, numeri ergo Iacob Angelus consulere voluit, Pater familias enim cum esset, orandi & contemplandi tantum insistere non debebat, sed iam humanis negotijs vacare, dimittenda enim sunt strictissima vincula cum Deo contemplationis, cum enim familiæ inuigilare deberet, manibusque operari, non gratæ sunt Deo erectæ, expansæque in oratione manus, nisi cum contemplatiua vnire velint vitam actiuam. Quò respexere Martæ querellæ, *dic vt me adiubet, reliquit me solam ministrare*, laudabilis namque est vita actiua Martæ nomine repræsentata, si à Maria, idest, contemplatione seù attentione Dei, propter quem omnia opera debent, non dissocietur. Verum non contemnenda opera, & exteriora negotia, quibus exditus sit orationi, semperque intenmunere quis tenetur vacare, vt dedens contemplationi. ¶ Dimitte me, inquit Dionis. Carthus. quasi dicat, hora iam imminet, inqua te oportet, circa tempotaria occupari. ¶

Coniungere cũ vita contemplatiua actiuam.

Quid hic agit Elias. Dominus sic reprehendit Eliam, quod in solitudine fuerit. Quare ergo Dominus hominem zelo incensum ieiunijs & contemplationi frequenti deditum arguit peccati? Elias Propheta erat, publicusque minister, ideo reprehenditur, quod habitauerit in solitudine, esse quidem in eremo, ieiunijs & abstinentijs se macerare meritoria esse apparebant, verum omittebat meliora, quæ agere deberet in ciuitate abominationibus plena, culpabile autem erat, quod intenderet animam suam saluam in eremo facere, cum tot intra ciuitatem peribant, quarum saluti tenebatur ipse consulere. Aliquando ergo qui Pater familias est quomodolibetque superior relicta contemplatiua, sequi tenetur victã actiuam, velisti, quod perfectorum est, coniungere illam, & si possibile sit, eremum vnire cum ciuitate, esse peregrinum per orbem, & simul in solitudine & intra se totũ esse. Peregrinũ appellat Greg. Naz.

Spi-

Spiritum Sanctum, inter aliàs enim perſonas quieſcit numquam, amor enim cum ſit, vim, ſi quieſceret, pateretur. Quare ergo, inquit, ſuper capita Apoſtolorum deſcendit ignitus, & ſuper cor non requieſcit? centrum enim amoris cor eſt. Quare ſuper capita, vbi ſedes eſt intellectus? Hoc ideo exiſtimo contigiſſe, vt peregrinos Apoſtolos eſſe doceret, ideo ſuper capita vbi intellectus, non ſuper cor, vbi ſedem habet voluntas, deſcendit. Intellectus enim trahit res ad ſe, fertur ad illas voluntas, ille in ſe & intra ſe manens omnia trahit ad ſe voluntas autem exit à ſe, vt ad alia feratur, quæ amat, diffunditur, & effunditur, vt cætera quærat. Spiritus ergo ſanctus, & ſi amor ſit infinitus, & peregrinus, non ſupra cor Apoſtolorum vbi eſt voluntas, ſed ſuper capita, vbi eſt intellectus, deſcendit, vt diſcerent eorum peregrinationes intellectus peregrinationi ſimiles, qui omnia luſtrat, quæ ſunt in orbe, ſed in ſe manens, & à ſe non egrediens, vt cum vita actiua vnirent contemplatiuam.

Geneſ. 35. Non vocaberis vltra Iacob, ſed Iſrael erit nomen tuum.

Geneſ. 35. ver. 27. Vocatur Iacob & alibi.

AVdite Lyranum inconfirmationem eorum, quæ ſuperius dedimus. ¶ Iacob, inquit tamquam nomine principali, non tamen excluditur, quia ſic vocetur tamquam ſecundario: quia illa nominis mutatio facta eſt ad deſignandum tranſitum ipſius Iacob de vita actiua ad contemplatiuam, quæ ſcilicet actiua, imperfectior eſt, prout diſponit ad contemplatiuam, ſecundum quod dicit Gregorius in morali qui contemplationis arcem tenere deſiderant, neceſſe eſt vt prius in campo actionis ſe præbeant ſcilicet pugnando contra rationem paſsiones perturbantes, & ſic tranſit homo ad vitam contemplatiuam, quæ perfectior eſt tali actione, ſicut finis reſpectu eius quod eſt ad finem; homo autem quando ex actiua vita tranſit ad contemplatiuam non deſerit ſimpliciter ipſam vitam actiuam, ſed neceſſarium eſt ipſum per actiuam vitam exerceri ne per ceſſationes ab actiua iterum inſurgant paſsiones, rationem perturbantes, & ad hoc deſignandum poſtquam vocatus Iſrael nihilominus, cum hoc vocatus eſt aliquando Iacob. ¶

Niſi dicamus ideo nomen mutatum, quoniam percuſſus erat ab Angelo Patriarcha Iacob, cuius decebat honorem, à Domino appellari Iſrael: quare ergo conſulens opi-

Quando à bonis oritur persequtio maximè affligit, & nisi in tribulatione specialiter sit tum patientibus Dominus, nō virtus pati, sed reprehendi videbitur cuius malitia.

nioni Iacob, Deus nomen mutauit, cum Abrahamo litteram mutauerit tantum? Ratio est: quoniam, vt diximus, femur tetigerat Angelus, illumque percusserat, potuisset autem quis suspicari iuste percussum, & propter peccata punitum, Dominus ergo volens immunē culpæ ab omnibus habitum iri, appellabit Israel, quod *videns Deum* interpretatur, vt cunctis pateret non passum, quia peccatorem, aliàs enim, cum minister ictus, quem patiebatur, Angelus esset, non sine fundamento pœnam respondentem peccato, quis posset existimare.

Ex ijs constat Christi verborum clara expositio à *sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ* nulla Prophetarum mors inquit remanebit in vlta. Quare iustum Abelū appellat, Zachariam non ita, cū fuerit similiter sanctus, si, vt quidam sentiunt, fuit Parens Baptistæ, qui occisus est pro Virginitate defendenda Mariæ; sic placuit Origeni. Basilio, & Euthimio, atque Theophilacto. Sānctus fuit, si, vt sentit Strab. vnus fuit ex duodem Prophetis minoribus. Sanctus fuit, si Ioiadæ filius fuit, quē Barachiam vocarunt, à populo decreto Regis Ioas lapidatum. Quare ergo titulum sancti negauit, & solū illo honorauit Abelum? Huius rationem credo illam dumtaxat fuisse, quia à fratre fuerat occisus. Quis enim Abelum non suspicaretur reum, si mortem audiret inflictam ab eo, cui sanguinis vinculo iunctus erat, si Dominus sanctum non appellasset? egebat Abel Domini canonizatione, vt suspicaretur nullus fratricidio causam dedisse.

Rogabit aliquis, quare Pater Æternus in comitijs cœlestibus illis Tabor, quo Moses Legislator antiquus defunctorum nomine venit, sicut pro viuis Elias legis diuinæ zelator, vox audita est: *Hic est filius meus dilectus*? Non ne faciei splendor, albaque vestimenta filium esse diuinum non demonstrabant? Rationem dedi superius: Quid enim tribunali illo agebatur supremo? *Loquebantur de excessu, quem completurus esset Ierusalem Prophetæ*, & lex, quam Moses repræsentabat, sicut Prophetas Elias, annunciarunt decretum Patris Æterni, quo Christus pro toto genere humano morti damnatus est, & qui peccatum non fecit, pœnas tulit peccati, & à Patre suo filius morti traditus est, damnauit amor, quo ipse mundum dilexit flagellis pater tradidit filium, maxima charitas, sic Deum deligere mūdum vt filium suum vnigenitum daret, tradidit Iudas, execrabilis culpa, eadem actio variato fine & in patre eximius est amor, inquit August. & in Iuda fuit exitialis traditio. Ex illo ergo tribunali amoris innocens exijt damnatus pro peccatis alienis, & à sanctissimis iudicibus fuit mortis intimata sententia. Audite D. Hieronymum in Matthæum. Apparuit illis Moses, & Elias cum eo loquentes, & in alio refertur Euangelio nunciasse ei, quæ Ierosolymis passurus esset, lex ostenditur, & Prophetæ, qui & Passionem Domini, & Resurrectionem crebis vocibus nunciarunt. ¶ Idem obseruat S. Aug. Serm. 69. de diuers. Notificarunt ergo decretum mortis à Patre Æterno statutum. Quis autem Domino à Prophetis sanctis sententiam esse intimatam, si motiua ignoraret decreti, id que ab amore profectum propter sordes, & scelera mundi, audiret; qui peccatorem esse non existimaret damnatum, nisi corda eorū Pater illuminaret dicēs: *Hic est filius meus dilectus* innocēs, mundus, & purus, considerabimus enim à sanctissimis illis Prophetis

in-

Intimatam sententiam, opus fuit à voce illa Domini confirmari de Christi Domini sanctitate, etsi iam illius innocentiam, puritatemque cognouissent, sæpèque fuissent experti.

Ex Genes.cap.37. Vidi per somnium quasi Solem, Lunam, & Stellas vndecim adorare me. Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te? quasi tunc vixisset Rachel.

Ex ijsdem verbis constat mortuam esse Rachalem, & vixisse Beniaminum, in cuius enixu mater est mortua.

OPtimum Patrem familias hic Iacob egisset, inquit Mendoza, cum filium suum Ioſephum de se alta somniantem, eaque apud fratres suos referentem increpuit, & obiurgauit. *Quid sibi vult hoc somnium*, inquit, *quod vidiset? Numquid* ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram? Sic enim voluit filium in humilitate, fratres in charitate, totam familiam in pace, & cõcordia continere: veritus, ne vnius ventosa, vt putabatur, iactantia, multa odiorum incendia suscitaret, in graues familiæ turbellas, vt tandem confirmauit euentus proditura.

Si inuidi non fuissent adorarent, sed sine confusione, & nisi cæcutirẽt, somnio non redderentur afflicti, Ioſephus enim cum adoratur, astris inferior est, cum sit super terram, cum cæteri videantur veluti astra fulgere. Quæ quidem indicant, vere qui sunt obedientes superiores, & veluti astra, Solem, & Lunam esse, cum ille, cui obediunt occupet humilem terræ locum.

Vidi per somnium, quare, vt dignitas prænuntietur Ioſephi, repetitis somnijs manifestatur, non solum Sol & astra, rerum & frumenti manipuli acclamant? vt honore dignum esse pateret, non solum suffragium terræ, verum & cœli electioni assistere debuit. Infelix enim foret electio, cui reclamaret cœlum. Superiores ergo, qui ab hominibus, & à Domino non eleguntur, imitantur Ioſephum, cuius prouidentia in fame miratur. Duo Cherubim fecit Moses, duo similiter fecit Salomon; quare ergo Cherubim Mosis in propitiatorium respiciunt, & oculos intendunt in Deum, non sic quos fecerat Salomon, sed *alter ad alterum*, & portam exteriorem aspiciunt? quia Moses iubente Domino fecit, Cherubim fuit electio, in propitiatorium, vt animas saluent, respiciũt, Cherubim autem, quos fabricauerat Salomon, fuit sola Regis electio, vnde alter ad alterum proprium cõsulens vtilitati, portamque exteriorem, vt singuli suam augeant substantiam. Fœlicia tempora illa, quibus non plus Regis suffragium, quam diuinum eligebat in superiores.

Ex Genes.38. Thamar duobus fratribus nuxit.

Leuit.18. Prohibetur reuelatio turpitudinis sororis.

OPtime in sensu litterali ijs duobus legibus contradictionem non apparere explicat Caietanus, in illa autem, qua leuir fratris suscitare semen debebat, fiebat hominum votis satis, anxie enim desiderant in filijs perpetuare memoriam. Sic Oleaster. ¶ Indulsit Dominus in hoc desiderio hominum, quia vidit propensos, vt post mortem suã similem sibi relinquerent, qui eorum gererent personam, & cum mortuus reuera esset, mortuus non reputaretur, sed viuus. ¶ Sed vide quanti memoriam emebat, ipsius nempe indispensabili iniuria.

Ex Genes.38. Producite eam vt comburatur.

Ibidem iustior me est, inquit, Iudas.

D. Amb. lib.2. de pœnit. instruere textum hic, inquit, homines qui temere iudicant alios, propria scelera considerare, Iudas enim, cum se iustum est arbitratus, despexit Thamar fornicariam, & viuam comburere præcipere non recusauit, sed memoria sceleris proprij ita iudicium mutauit, vt ex tunc Thamar se crederet esse iustiorem. ¶ Quotiescumque, inquit, peccatum alicuius lapsi exponitur, cõpatiar, nec superbe increpem, sed lugeam, & defleam, ne dum alium fleo, me ipsum defleam, dicens: iustificata est magis Thamar, quam ego, fortasse adolescentula lapsa sit, occasionibus, quæ delictorum fomites sunt, decepta, ac præcipitata, peccamus & seniores, repugnat in nobis lex huius carnis legi mentis nostræ, & captiuos nos trahit in peccatum, vt faciamus, quod nolumus, illi de ætate suppetit excusatio, mihi iam nulla, illa enim debet discere, nos docere, ergo iustificata est magis Thamar, quam ego: incussamus alicuius auaritiam, recordemur, si nil ipsi auare fecimus, & si fecimus, quoniam radix est malorum auaritia, & iam sub terra, in nostro corpore serpit dicamus singuli, iustificata est magis Thamar quam ego. ¶ Hoc remedium vt alios nobis sanctiores habeamus.

Contra eos qui defectũ in alijs respiciunt.

¶ Prius quam Iudas (inquit Seraph.) se credidit innoxium à cognitione ipsius Thamar, ipsam ad mortem & iure quidem damnauit, postea quando agnouit se cognouisse ipsam Thamar, & consequenter se eamdem sententiam subiturum, si iniuste procederetur, sententiam mutauit. ¶ Eadem culpa Iudas & Thamar sunt fœdati, quando ream dumtaxat considerauit Thamar, ita culpa grauis apparuit, vt seuerus nõ timuerit damnationis proferre sententiam, cum autem crimen vidit esse commune, mitior factus rurum iustam esse iudicauit. Comprobat hanc

Culpa grauior in alijs quã in nobis appareat.

hanc doctrinam Dauid Psal. 50. Misericordiam lachrymis & suspirijs à Domino pro culpis imprecabatur. *Dele iniquitatem meam, à peccato meo munda me, quoniam iniquitatẽ meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper.* Vnum in singulari confitetur peccatum, vnius dumtaxat facit memoriam delicti, cum inter alia duo grauiora fuerint delicta, homicidij scelus & adulterij. Quare ergo *à peccato meo munda me* pro vno petit tantum misericordiam? precipuè cum paulo inferius voces mutauerit notabiliter, *in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea, auerte faciem tuam à peccatis meis, & omnes iniquitates meas dele.* Quare ergo multiplicat nunc scelera cum iam duo, quæ grauissima sunt, vnicum visa sunt? Dicendum ergo est: verum esse duo fuisse homicidij & adulterij in Dauid grauissima scelera, sed aliter, & aliter vno, & altero tempore vidit, cum primum refert cõsiderauit peccata vt propria, & sic duo vnicum visa sunt, sic vnumquemque suus excœcat amor, vt quando peccatum *meum* appellat, iniquitatemque meam, vt vnum; non autem videntur vt duo, verum hæc eadem iniquitatem respicit vt alijs communem & originatam à prima culpa, nõ duo sed nimis apparent multiplicata, quoniam veluti aliena, & non respicit ità propria, ideo *in iniquitatibus*, inquit, *conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea*, loquitur quidem vt homo, cui cum nil scelera propria videantur, alienæ & si imperfectiones dumtaxat apparent grauissima scelera.

Iustior me est iudicis, & superioris munus exercet Iudas, ideo cum scelere conscientiam comperit esse grauatam, non audet contra Thamar proferre sententiam, sicut homines illi, quibus Christus, cum adulteram accusarẽt, inquit, qui sine peccato est mittat lapidem.

Ex Genes. c. 43. Biberunt, & inebriati sunt.

Paul. ad Ephes. 5. Nolite inebriari.

Præsentia Dei reprimit vitia.

CAietanus & alij asserunt non debere intelligi textum Mosis de ebrietate, prout temulentiam iudicij dicit, sed pro ut explicat saturitatem, rationem reddit Caietanus huius expositionis. Non enim, inquit, est fas credere tot viros hospites honoratos à tanto Domino tam incontinentes coram eo fuisse, vt inebriarentur. ¶ Si ergo præsentia Iosephi sic reprimebat vitia, quid non operabitur Dei præsntia?

Ex Gen. 44. An ignoratis, quod non sit similis mei in augurandi scientia.

Prohibitum est hoc ab intrinseco.

Reprehendit furtum, ab illoque eos debere abstinere suadet, quod nil sit oper-

opertum, quod reuelari non possit, præcipuè ei, qui præ alijs occulta cognoscere, fama erat, à Pharaone ob secretorum scientiam celebratus.

Ex Genes. 46. Inde adducam te reuertentem. | *Gen. 49. Iacob moritur in Ægypto.*

IN Sacra Scriptura quandoque vna pro altera persona supponit, sicut hic reuerti dicitur Iacob in posteris suis, suadet autem Dominus Iacob descendere in Ægyptum reformidantem, dicens: *Ego descendam tecum illuc, & ego inde adducam te reuertentem.* Vnde D. Amb. lib. 2. de Iacob, & vita beata cap. 9. ait. ¶ Quid igitur ei deerat, cui Deus aderat? qui ei profecturo dixerat: Descendam tecum in Ægyptum, ¶ Ostendit nil ei deesse, cui adesset omnium plenitudo, impossibile enim est deesse commodum aliquod, vbi Deus præsidet: solitus plena, perfectaque bona largiri rebus omnibus.

Nil deest, cui Deus adest.

Ex Genes. 46. Omnes animæ domus Iacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuerunt 70. | *Act. cap. 7. Dicuntur 75.*

¶ QVare Scriptura, inquit, Hieronymus, numerum tanta diligentia annotans, vt scire possimus, quomodo Dei prædictio impleta sit, dicens: *In gentem magnam faciam te illic.* Nam ex his paucis animabus in sexcenta millia genus Israel propagatum est. Vidisti; quomodo non frustra, neque temere numerum eorum, qui in Ægyptum descenderunt, nos docuerit, sed vt scire possimus quod multi ex tam paucis facti sunt, & diuinis promissionibus ne minus credamus. ¶

Ex Genes. 47. Adorauit Israel Deum conuersus ad lectuli caput. | *Paul. ad Heb. 11. Adorauit fastigium virgæ eius.*

PRobi & iusti homines non minus inter virgas, suppliciaque diuina, quam inter floridos lectulos requiescunt, sicut Ester, quæ osculata est summitatem virgæ, quam Assuerus manu tenebat. Vnde in Gen. dicitur *lectulus*, & *virga* nominatur à Paulo, recognoscens in virga Iosephi

Flagellis diuinis submittendum

phi diuinam potestatem ad flagellandos posteros eius, cui se eorum nomine submittebat.

Ex Genes. c. 49. Non auferetur sceptrum de tribu Iuda. | *Primo Reg. Saul de tribu Beniamin regnauit.*

QVare repulit tabernaculum Ioseph, & tribum Ephraim non elegit, sed tribum Iuda? Rabbinorũ friuola ratio est, dicunt enim apud Hieronymũ quod in exitu ex Ægypto, quando ex alia parte mors, ex alia rubrum mare, & ex alia exercitus Pharaonis cæteris tribubus desperantibus salutem, solus Iudas fideliter ingressus sit mare, vnde & regnum meruit accipere, & hinc est, quod nunc dicatur Iudas testis sermonum Dei, & stipulator, ac vindex, Ideo ergo ad supremam regni dignitatem est eleuatus, quia pro salute communi interritus contempta vita adiuit periculum. Hoc enim munus est regis non iura natiuitatis, sed robur ac propriam virtutem, ideo non Ruben, Simeon, aut frater Leui priores natiuitate ad regium assumuntur honorem.

Dominus in electione meritis tãtum attendit.

Sed quare in primum regem eligitur Saul, qui de tribu fuit Beniamin, D. Gregorius lib. 4. in 1. Reg. sic ait. ¶ Ideo reprobus rex eligitur, vt electus successor eius rex Dauid in eo cognosceret, quid cauere debuisset, sic nimirum & de Angelorum curia legimus, quia & de Apostata primo Angelo scribitur, ipse est principium viarum Dei, sed qui ante omnia conditus est, per superbiam cecidit, & in eius ruinam sancti Angeli dedicerunt, qua virtute stare potuerunt.

Donec veniat qui mittendus est. Oleaster donec veniat pacificus, hoc enim nomine vult appellari, vt quam amator constet esse pacis. Plura de mansuetudine Christi diximus supra, ideo omittimus, Genes. que expositioni imponimus fini, vt Exodi antilogias breuiter explicemus, scopus enim nostri præcipuus est in sensu litterali expositio.

(§)

EXPOSITIO ANTILOGIARVM EXODI IN SENSV MORALI.

Exod. 3. Dominus erat in rubo. | *Act. 7. Angelus apparuit Moysi in flamma.*

Qui Christi meditatur passionē labores perferet tolerabilius. Dæmoni horribilis fact⁹.

D. Amb. ¶ Non pater in rubo, non pater in eremo, sed filius Moysi locutus est. ¶ Rupert. ¶ Iam, qui spinarum thronum, ac sedem sumpserat, quasi aculeis cuspidatus futura carnis passibilitate, de astante damno dolere cæpit. ¶ In medio spinarum apparet, vt doceat tolerare labores, & Dei exemplo reddat inpatiendo fortiores. Quis enim, si in Christum patientem intenderit oculos, audeat proprios labores queri? Confœderatis Ioram, Regeque Edon, & Iosaphat contra Mohabitarum Regem, postquam obsidione cinserant ciuitatem, varieque expugnatam tradendam iam speraſſent, *ex templo facta est*, indignatio in Israel, ita vt continuo verteret exercitus terga, iacentemque fugiant Mohabitam. Quare ergo? Quoniam in bello fortes Mohabitas nāque considerans Princeps eorum ignauos, & roborare volens in bello, & hostibus reddere formidabiles, filium suum super murum coram omnibus collocatum gladio interfecit, Dijsque obtulit pro Mohabitis in victimam & holocaustum, vt sic erga eos amorem simul & in hostes fortitudinem manifestaret, vt qui nō pepercerit proprio filio, sloci vitam propriam habere credendus esset, & fulmen futurum in hostium, Israelitarum ve ruinam. Timor ergo Israelitas apprehendit & fugam capere cogit, milites enim, quorum Princeps ita amore erga subditos victus est, sic roboratos spectaculo illo timebant, vt fore crederent prædam illorum, si prius transfugas non eligerent esse. Accidit Principi Mohabitarum, quod ferunt de Cathirina, qui milites sine robore videns, rupit pugione venas, vt intelligernt in sui defensionē, si occasio tulerit, exhauriendas, quo viso formidabiles visi sunt inimicis. Quis non contra Dœmonem animum exerceret hosti-

stilem, si amoris, quo Pater Æternus ita dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum morti victimam daret, delitijs ac voluptatibus sensibilibus non reddatur oblitus?

Quis ergo, *coronemus nos floribus*, dicet, si Principem suum videat septum spinis. Refert Tertulianus militem, inter alios qui florum coronis habebant capita redimita, coronam floribus etiam contextam in manibus sustentasse, interrogatum autem à Marco Aurelio, quare singulariter ipse caput non redimisset? respondisse: ¶ Cum audierimus Dominum coronatum spinis, non licet Christianis habere capita floribus redimita. ¶ Quis ergo non perferet patienter labores, si terrenis aquis immersus paululum erexerit caput, vt respiciat Dominum, ducem atque pastorem prius & maxime afflictum. Quis aliquid pro Domino existimauerit pati, si ipsum tot iniurijs lacessitum & oprobrijs cõtemptum piè, & deuotè sic meditatus? De illo admirabili exemplo obedientiæ, & prototypo fidelitatis, Abraham denique qui, omnibus, ad quæ propendebat naturalis filij vnigeniti amor, diuino præcepto post habitis, in Isaac vitam iam & teneræ voluntatem amantem decreuit sacrificare, & si superiori voce non suspendetentur gladius & actio iugularet vtrumque. ¶ Et nil de opere iactat iustus, inquit Lypomanus, arbitrabatur se fecisse quod debebatur Deo tamquam seruus inutilis. ¶ Quare ergo de opere eximio, cuius panegyrista Dominus voluit esse, nihil Patriarcha iactauit, aut vllius reputauit valoris? Ratio est, quoniam Dominus repræsentauit, reuelauitque incarnationis mysterium, viditque arietem inter vepres hærentem, idest, Dominum vepribus spinisque coronatum, & sub afflictione repræsentatum. Maximũ ergo Domini dilectionem miratus, nil se fecisse arbitratus est, nec de opere & si eximio iactauit.

In rubo & inter flammas Deus apparuit, vt expresse se compassiuũ erga populum exhiberet, & catenam velle rumpere seruitutis, ostenderet, lux vt luceret, ignis vt consumeret apparuit in rubo, sic cum illis agendum Dominus in deserto promittit, & opere impleuit eos per in via ducens, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, similiter obedientibus lucem, non obedientibus promittit ignem. Repræsentat pariter Deus in flamma rubi se ipsum populo Hebræo incendiũ communicantem amoris, animum ingratum iugiter exhibenti, vt inquit, Chrysol. ser. 164. ¶ Deus, inquit, daturus legem, ignem præmisit in rubo, sed diuinum rubus portauit, non concepit incendium, iam tunc aculeis malitiæ plenum, & ingratum culturæ legis populum præfigurauit. ¶ Symbolum pariter est pectoris catholici, atque Christiani, qui flammam amoris non semel in Eucharistia recipimus, & incendium non experimur, rubus ille Mosaicus fumus effectus ex sentibus horridus, fructibus orbatus, non accensus, & si quotidie flammis obsessus.

Loquitur Mosi Deus in rubo, vt exueret faciliter calceamenta, affectus enim & appetitus calceamentis repræsentatur; Quasi diceret Dominus, vt nudis pedibus super spinas incedas, respice Deum in rubo, sic erit filius hominis spinis compũctus, vt discas cupiditates fugere, & voluptates eliminare. Nullus enim Dei memoriam recolit patientis, qui ambitiosos non rescindat affectus.

Quare Petrus fleuit amarè in Christi vltima negatione, & non in prima nec in secunda. ¶ Nulla tanti luctus causa alia fuit, nisi horti

men-

Sanguinis Christi memoria si per seueret non potest non in se reuerti peccator.

mentio, vbi redemptor, inquit Basilius, pro peccatoribus sanguinem fudit. ¶ Cum primo & secundo Christum negauit Petrus, interrogatus est an foret discipulus eius, cum autem magistrum tertio confessus non est, sic fuerat interrogatus. *Non ne & tu cum Iesu in horto eras?* recordatus loci, in quo pro Petro orauerat, lachrimas fuderat atque sanguinem. Horti ergo mentio maximique beneficij memoria in Petri pectore congellato lachrimas liquefecit. Maxima namque ingratitudo est, quod quis memor Christi humilitatis atque passionis cupiditatibus teneatur. ¶ Dionisius (inquit Seneca de Dionisio) libertatis iustitiæ legum exitium, dominationis cupidus etiam post Platonem. ¶ Creuisse existimat cupiditatem, quoniam regnare appetijt viso Platone philosopho Stoico, qui omnia contempserat quasi vilia. Quid ergo diceret de Christianis, qui omnia ambiunt etiam post crucifixũ Christum Dominum, atque contemptum.

Ambrosius. ¶ Non pater in rubo, non pater in eremo, sed filius Mosi locutus est. ¶ Inquit. Apparuit ergo Dominus in rubo vt Mosi & populo spem redderet redemptionis, vt inquit Rupertus. ¶ Iam, qui spinarum thronum, ac sedem sumpserat, quasi aculeis suspidatus, futura carnis passibilitate de astante damno dolere cæpit. ¶ Audiant hæc superiores, discant ex ijs, quæ prius patiantur, pœnalia opera super imponere subditis.

Exod. 3. Ego sum Deus Abraham, Isaac, & Iacob.

Ibidem: Ego sum, qui sum.

OLeaster. ¶ Mira est, inquit, dilectio, qua Deus iustos diliget, vt summe delectetur vocari Deus illorum; & malit esse Deus paucorum bonorum, quam omnium malorum. ¶ Vt inquit enim Sap. *Melior est vnus timens Deum, quam mille filij impij*: Vnde qui omnium Deus est, trium iustorum dumtaxat Dominus appellauatur, quia apud Deum pluris fiunt tres, si sint viri sancti, quam totus populus si fuerit sceleribus inquinatus. Idem, inquit D. Chrys. hom. 40. ad pop. de fame, qua totus peribat populus, Elia à Domino prouidentia mirabili sustentato. ¶ Elias, inquit, vnus erat; sed totus mundus nõ erat dignus, qui penderetur ei. Et mundus quidem innumera millia sunt; sed non sunt millia, cum nec ad vnius mensuram perueniat. ¶ Apud homines enim, vt inquit Philo, in iusta multitudo pluris, quam vnus iustus æstimatur, apud Deum vero bonitas rara præfertur iniquis innumeris. Deus ergo tunc ante Messiæ aduentum mirabilem aliquorum Deus appellabatur, cum autem saluatoris aparuit benignitas, & humanitas, non Deus dumtaxat iustorum, sed omnium vult nominari, & ideo vero *ego sum qui sum*, quasi omnium, qui haben esse dicatur Deus. Sed de hoc alibi nos.

Exod.c.4. Ego indurabo cor Pharaonis.

Exod.8. A se videtur esse induratum.

D. Bern.li.1.ad Eug.c.2.¶ Cor durũ,inquit,est,quod nec cõpũctione scinditur,nec pietate mollitur,&c.Ipsum est,cui præteritorum præter sola s iniurias, nihil omnino non præterit, præsentium nihil non perit:futurorũ nulla est,nisi forte ad vlciscendum,prospectio,atque præparatio.Sic constitutum est cor Pharaonis.Sed quare tã breui hoc Pharaoni accidit tam horribile malum? quia voci Mosis,cum semel locutus est,restitit inobediens:Vnde Psal 94 *Hodie*,inquit Dauid,*si vocẽ*,&c.ideo ergo Dominus,cum est secundo locut⁹,cor indurauit Pharaonis,quia tũ primo vocẽ illi⁹ audiuit,nõ obediuit. Huic periculo necessariò exponitur,qui differt Domino respõdere. Vnde quãdo Domin⁹ alijs locis obdurationẽ exprimit,loquitur de præterito *induraui* dicẽs:Quomodo autẽ De⁹ induret in sẽsu dixim⁹ litterali.Videatur Bellarm.t.3.lib.2.ca.9.

Exod.4. resistit Moses Domino legatum ad Pharaonẽ illũ mittenti.

Isai 6. Ecce ego mitte me.

Prædicator purus ab omni macula debet esse.

Prædicator purus esse debet.

OCciderat Moses Ægyptium, ideo legatione iudicatur indign⁹.Prædicator enim vt faciat muneri satis,debet pur⁹ sine macula esse.Cũ Apostolis in mare retia mittẽtib⁹ Domin⁹ apparuisset, *Domin⁹ est* Ioãnes nũciauit Petro.Chrysol. huc accedẽs exclamat.Quæ res illam sic Petri tardauerat mẽtẽ,vt ab alio audiret Dominũ,qui cæteris cõsueuerat prædicare?Petr⁹,tu es Christ⁹ filius Dei viui,Domino interrogante nõ affirmauit?Quare ergo Apostoli vox obmutescit?Facile soluitur difficultas, quãdo filiũ Dei viui Christũ Dominũ prædicauit, amore diuino lãguebat, *tu scis Domine quia amo te*,cõfidẽter respõdit,quando autem rete mittẽtibus Apostolis Dominus apparuerat,culpa præcesserat negationis.Hinc ergo silẽtij Petri dignoscitur causa, silet Petrus, cũ macula culpæ se contaminatũ cognouit, & prædicare erubescit,cũ autẽ amoris diuini feruet ardore,diuinitatẽ Christi publicè prædicauit omnino autẽ obmutescit post maculã culpæ,indecens existimãs esse, vt lingua quæ incaute negauerat Dominum,auderet prædicare magistrũ.Si ergo culpa dẽletã tot lachrymis prædicatione Apostolũ effecit indignũ.Vel illis quorũ delicta non sunt sancta,nisi quod Dominus dixerat per prophetã Dauid,*quare tu enarras iustitias meas.*

Parũ fidit Moses de sua eloquẽtia à Pharaone & aulicis reliquis timet nõ fore audiẽdũ,*non audient vocem meam*.Optime dubitat, prædicator enim,cui⁹ vocib⁹ manus non correspõdẽt merito timet illi negãdã fidẽ. Missus est à Domino quidã propheta vt Ieroboã Regis reprehenderet tyranidẽ & peccata, monit⁹ alius propheta falsi⁹ redeunti & legatione finita occurrit,anxie,vt ederet,postulauit,comedit ver⁹ propheta,sed nõdũ deglutiuerat escã, & iã exhalauerat animã.Quid falsũ prophetã mouere quiuit,vt verũ inuitatũ ad escã sic toxicaret? Vt falsitatis argueret verũ prophetã,cõmuniter respõdẽt expositores,& fides à Ieroboã negaretur. Dixerat enim Propheta missus à Deo. *Sic enim mandatum est mihi*,&c. Propheta ergo falsus, vt

Vt prædicatori fides nõ negetur voces manibus correspondeant.

ederet, tetans rogauit, indicans falsũ à rege habitum iri, & omnibus, quæ prædicauerat, fidem fore negãdam, si Dominum esum prohibente, escã contra præceptum gustasset, nõ enim princeps, vera fuisse quæ audierat, sibi suadere posset, si ab illo præceptum de non edendo tam facile fuisse violatum recognouisset. Par ergo referunt voces, si illis oratoris opera non respondeant. Quare, quærit Lactantius Firmianus, Verbum diuinũ carnem assumpsit? cum similitudine aliqua si apparuisset in mundo satis esset, vt homines redimere posset, sic respondet. ¶ Ipse certe Deus virtutem docere non posset, quia expers corporis non faciet, quæ docebit, ac per hoc doctrina eius (rudi nostro intelligendi modo) perfecta non erit, homines enim exemplo potius quã verbis licet erudire, vnde semper Christus Dominus dicitur fecisse deinde docere, vt apud Matth. & apud Lucam in Actib. Apost. *Quare cepit Iesus facere & docere.*

Apud homines legati ad homines eliguntur eloquentes atque facundi verum apud Deum illis verbi sacri eligitur legatus & prædicator qui nõ tàm linguam quàm manus mouere assuescat, *Prophetam in gentibus dedite*, inquit Deus Ieremiæ, prædicatorem elegit, sed qualis erat orator? *A. A. A. Domine nescio loqui*, velut infans balbutit, è linguis nõ valet verba formare, verum opera merita que probarunt. Moses præco, prædicator, & magni Dei eligitur ad Pharaonem legatus, verum nulla facundia, nulla eloquẽtia præditus est. *Obsecro Domine* (inquit Exod. 4.) *non sum ecoquens ad heri & nudius tertius: & ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris & tardioris linguæ ego sum.* Hinc eligit nihilominus Deus, hic enim non elegantiam sermonis, sicut homines solẽt, Dominus attendebat, sed manum, quæ in Mose impedita nõ erat, licet lingua fuisset præpedita, manus prodigia fecit inter Ægyptios, plagas excitans, tyrannumque oprimens, & quando illam extendebat vincebat populus.

Prædicator luceat, vt credatur

Puritas prædicatoris in veritatis maximam laudem cedit, librum tradidit Angelus Ioanni, sed vt veritatibus illius negare non posset fidem notat textus splendoribus spiritum esse vestitũ, facies eius erat sicut Sol, si enim in Angelo vmbra etiã culpæ appareret, veritatis fides periculo exponeretur. Quare de Mose dicitur lucidã habuisse faciem nõ velatam cũ coram populo sermonẽ institueret, & impletis sermonibus super faciem suam velamen imposuisse? Ratio cõtinuo se offert, quoniam cum populo prædicabat, nisi facies effuderet splẽdorem indicantem animi puritatem, posset contemnere populus veritatem, pro humilitate radios velamine celet verum cum munus docendi gerit, lucem & splendorem ostẽdat.

Magis suadet opus, quam verbum dictis que facta.

Facta dictis quanto antecedant, vt quis veritatem suadeat, inquit D. Prosper. l. Epig. n. 7.

Non prodest cuiquam solis bona dicere verbis,
Vt pia mens habebat, quod bene lingua sonat.
Nam sacri rectè miserum est, & viuere praue
Damnat nota malum regula iustitiæ.

Vox quidem sine operibus pectoris est vacui, & oris sonus effusus, vacua magis sonant, concrepant magis vẽtosa sine soliditatis virtute, qui verbis non viribus voce, sed non opere in Dœmonem conclamant bellum, morem tibicinum imitantur, qui tubam in ore habent, vt alios ad prælium vocent, sed manus continent à conflictu. Talem contra Aiacem pro armis Achillis se præbuit Vlises, cuius iactantiam sic Aiax repellit. Vt Ouid. lib. 13. meth.

Quan-

Quantum ergo Marte feroci.
Inque acie valeo, tantum valet iste loquendo.

Ab ijs, qui solum vocibus pugnant, numquam debellabitur hostis, Dæmon parum tibicines timet. Quando cytharam pulsabat Dauid, spiritus malus, quo affligebatur Saul, recedebat. Quare ergo, cum psaleret regem iterum possidebat? si musica refocillatur, recedat cum panit, sicut & cum cytharam pulsat. Attendite inter voces Dauid & cytharæ non parum discrimen, cum Dauid canebat, labijs erant prolatæ voces, quãdo pulsabat, manibus illas formabat, quando cantabat, voces immittebat in aures, quando cytharã percutiebat, audiebat & respiciebat Saul, voces enim erant & manus. Recedit ergo Dæmon non cum vocibus verberatur, sed cum respicit opera & manus, non cum cantat Dauid vbi vocibus solum attendit, sed cum pulsat cytharam, & audit voces, videtque manus. Ideo non ejciunt prædicatores Dæmones à possessione animarum, quoniã sermo noster vocibus constat, quæ labijs solum formantur, & non ex operibus quæ efficiunt hominis manus, aerem vocibus verberamus, sed non percutimus corda, prædicamus voces atque subtiles conceptus, sed ita non operamur, vt altum conceptum possint auditores de vita prædicatorũ formare ingeniosa sunt verba, opera tamẽ vitiosa, nõ possumus eloqui cũ Oui. li. 9. met.

Melior mihi dextera lingua.

Omnia tradit Greg. hom. 17. in Luc. tũc vere alijs recta prædicamus, si dicta verbis & exemplis ostẽdimus. Huiusmodi veritatem, & quam parũ in animos auditorum dicta sine operibus possent, manifestè comprobat Scriptura, cũ de maximo illo legislatore Mose sic dicat. In dextera eius lignea lex dilexit populũ. Quare populum dilexisse notauit? vt legẽ fortius suadere valeat, vt illam populus amplectatur, omniaque cõmẽtur in lege, amor erat Dei, & mutua charitas proximi, vt ergo homine legem amoris doceat, vt ad mutuã charitatem prouocet Moses, dilexisse populum priꝰ dicatur, vulgare enim illud de speculis causticis dictum. *Pariunt quoque frigida flammas*, falsum est inoratoribus de quibus Cicero, inquit, ardeat orator, si iudicem incendere velit. Nil doctore frigidius, inquit Chrys. qui verbis dumtaxat philosophatur: qui dicunt & non faciũt.

Retulit resurrectionem Apostolis Magdalena, sed ipsi non crediderũt, inquit Marcus quare autem? Audite Euangelistam, *apparuit primo Mariæ Magdalenæ, de qua septẽ dæmonia ejecerat.* Christũ Dominũ resurgere potuisse non dubitarunt, sed veritatem in ore Mariæ non cognoscentes mendatiũ existimarunt. Difficile creditu erat, quod mulieri pridie septem possessæ dæmonibus, Dominus primo apparuisset, vt resurrectionis veritatem Apostoli prædicaret.

Quare Iob, merito quærer aliquis, prædicat cõtra maledicẽtes diei? *maledicunt diei*, quare nõ contra maledicentes nocti? Quoniã Iob cõtra noctẽ erat locutus *pereat nox*. Noluit ergo reprehendere, & in quo ipse cõprehensus est. Nullus quidẽ suadere debet, cuius in opposito versatꝰ est. Phormio philosophꝰ, cũ Antiochiꝰ præciperet, vt coram Anibale peroraret, exercitum rethorica eloquenti formauit, & insidias, quibus per obsidionem inimici debellari potuissent, descripsit, interrogatus Anibal, quid visa fuit eloquentia Phormionis? respondisse libere fertur, vt inquit Cicero, multos se deliros senes sæpè vidisse, sed qui magis quam Phormio deliraret, vidisse neminem neque me hercule iniuria; quid enim aut arrogantius, aut loquatus fieri potuit, quam Anibali, qui tot annos

de imperio cum populo Romano omnium gentium victore certasset, Græcum hominem, qui numquam hostē, numquam castra vidisset, numquam denique minimam partem vnius publici numeris attigisset, præcepta de re militari dare? Qui potest fieri, vt quis inuicta expugnet verbis Veneris castra, si ipse sensualitati deseruit, flā misque libidinis æstuat? Quis suadere temporalium bonorum fallaciā, sic cupiditatis est miserabilis seruus, audebit?

Quantum possit exēplum Prædicatorum.

Act. cap. 4. refertur, quod nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esset dicebat, sed erant illis omnia communia. Quis posset tam perfectam & Euangelicam paupertatem suadere, cum neque lex, neque fit Apostolorum vocula vna, quæ consulat illam, neque ex toto capite aliquid colligi potest? Omnis controuersia de aduētu Messiæ erat, & de eius resurrectione, nil aliud quęrebant nisi Scripturæ testimonia cōponere, vt talia, tam altaque mysteria probarent. Vnde ergo odium diuitiarum tam sanctum? vnde paupertatis amor eximius? Textus Scripturæ respondet: *Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes adferebant pretia eorum, quæ vendebant & ponebant ante pedes Apostolorum.* Non in manibus, sed ante pedes, quæ ponuntur in manibus, dantur, vt possideantur, quæ sunt ante pedes, collocantur, vt conculcentur. Omnes ergo fideles considerabant diuitias ab Apostolis conculcari, aliàs pedes Apostolorū nudos videbàt. Magnes ergo diuitiarū omnium fidelium erat eximia Apostolum pauperiès, vt omnes liberaliter domos & campos offerrent, ita vt pauperies, quam viderant Apostolos profiteri, maiorem vim apud fideles haberet, vt pro Christo omnia deserere vellent, quam si præceptum intimaretur, quoniam prædicatorum, & doctorum exemplum inferiores potentius, & efficacius est verbis.

Quærebantur homines, teste Plinio, quod Latij campi, præ alijs sæculis, infæcundi, & sterilis viderentur, quare hoc rogabant? & respondet non in terra, sed defectum esse in colente. ¶ Ipsorum tum manibus imperatorum colebantur agri, gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore, siuè illi eadem cura semina tractabant, qua bella, eadem que diligentia aura disponebant, qua castra, siuè honestis manibus omnia lætius perueniunt, quoniam & curiosius fiunt, ac nunc eadem illa vincti pedes, damnate manus, insertpti vultus exercent, non tamen surda tellure. ¶ Hoc ergo maximum est discrimen. Tunc enim campos senatores colebant, nunc serui, quorum sonitus catenarum auditur à tellure non surda, nec est tam cæca, vt in caracteribus eam colentium infamia seruitutis non videat, labor seruorum violentus est, & tantum, quantum timēt, laborant, triumphatores quantum terræ necessitas exigebat. Hæc est ratio quare præ tempore primitiuæ Ecclesiæ, sterile est semen verbi, tūc enim triumphatores, nunc serui collunt tellurem, tunc illi, quibus erant cuncta contemptui, vereque triumphatores seminabant, nunc serui, quę sua sunt dumtaxat quærentes, serui vere ambitionis, lucri mercenarij & honorum.

Debent Prædicatores non excusari cum Mose, qui à Pharaone desperauit audiri, & ideo, *mitte quē missurus es*, dicebat Prædicatores nubibus comparātur, *qui sunt hi, qui nubes volant?* inquit Isais, non seminatores appellat, ij enim tritici grana, & quæ sola sufficiunt, spargit, & hæc lucri dumtaxat gratia. Nubes autem vbique pluuiam emittunt, æqualiter super montes Geluoe

à Da-

à Dauid maledictos, ac Carmelum à Propheta Elia sanctificatum, atque pedibus eius calcatum, æqualiter irrigat spinas ac rosas. Nam qui seminat, inquit Celensis, primo in spe percipiendi fructus seminat, dede non fundit, sed spargit, postremo non nisi cultæ terræ semen suum credit. Horum nil imitatur pluuia, sed se ipsam, vt ita dicam, perdit in terræ visceribus, & sine delectu rigat fæcunda, & in fæcunda fertilem agrum, & sterilem, granum electum, & germon reprobum. Malim te plure quam seminare. ¶

Exod. cap. 4. Tulit secum Sephoram, & filium, quem quia incircumcisum minatur morte.

Ex Iosue 5. Constat non teneri causa itineris.

Ministeria diuina peracturus impeditur filiorum, & vxoris amoris.

D. Aug. serm. 86. de tempore. ¶ Ex hoc loco, inquit, possumus intelligere quod displicuerit Deo, quod Moses tanta facturus miralibia vxoris impedimentum secum duære voluerit in Ægyptum. ¶ Vnde Angelus non minatus est mortem, quòd filius fuerit incircumcisus in eximij huius doctoris sententia, sed quia tulerit impedimentum vxoris. Sed cur Angelus comitatur Tobiã, & gladium cõtra Mosem distringuit. Nulla alia videtur ratio, nisi quod Moses diuina præcipitur agere ministeria, & ideo longè relegare tenebatur vxorem. Postquam prophetauit Moses, inquit D. Epiphanius lib. 3. aduersus hæres. cap. 78. non amplius vxori coniunctus est, habebat enim vitam Domino vacantem. Quo modo enim potuisset in monte Sina quadraginta noctes, ac quadraginta dies degere, si nuptijs addictus fuisset? aut quomodo posset quadraginta annos in deserto ad dispensationem Dei paratus esse, & sacerdotio vacare, & quomodo mysteria explicare, & colloquia perficere, si nuptijs coniunctus fuisset?

Exod. cap. 7. Extende manum tuam super aquas Ægypti.

Exod. 7. Feceruntque similiter magi, vbi ergo erant iam aquæ?

Instrumentum flagelli se indicat ipsam culpam.

¶ AD conuincendam illius feritatem, inquit Theodoretus, & maleuolentiam aperiẽda iuxta illud, inimicitias ponam inter te, & ideo præcipit Deus virgam, qua illũ flagellauerat, in serpentem mutari. ¶ Vt instrumentum ergo flagelli culpã aperte indicaret, fluuium percutere præcipit Deus, innuens sicut serpens venenum intulit homini, sic populũ sine causa afflixisse tyranicè Ægyptios. ¶ Fluuius enim ille mutatus in sanguinem conqueritur de cæde puerorum. Hac ratione, addit, aquæ eorum ebulierunt ranas pro pueris in illas demersis. Nam pueri incessu ranas quedammodo imitantur, & quia nondum solis pedibus niti possunt, manibus supplent pedũ imbecillitatem. ¶

Ideo autem induratum esse cor cor Pharaonis manifestatur specialiter hoc viso, flagello manifestatur. Nilus enim Deus erat Ægypti, qui

ergo Nilo, Deoque suo in sanguinem conuersio non emollitur, sine spe dicitur induratus. Remedium ergo efficax est Christi passio, vt obstinatus in malitia peccator duritiem deponat, & ad Dominum conuertatur ex corde.

Exod. 7. Constituite Deum Pharaonis.

Paul. 1. ad Corinthios 8. Nullus est Deus nisi vnus.

Principib⁹ nallus audet dicere veritatem.

MOses legatus erat, & ad Principem missus libere dicere veritatem, ideo Pharaonis Mosem constituit Deum, vt innueret, quam difficile sit, quod quis Principem reprehendere audeat, soliusque Dei munus esse corripere potestates. Suscitatus est Samuel, vt ab eo Saul, cras moriturum audiret, & tamen mansuetissimus Abraham, diuiti, vt Lazarum fratribus prædicaturum mitteret, postulanti, ægre ferens respondit: *habent Mosem.* Quare fratribus diuitis non prædicat Lazarus suscitatus, & vt Sauli veritatem libere dicat Samuel resurgit? Ratio est, quoniam vt diuitis fratres corriperentur, quiuis sufficeret homo, quoniam ipsi Principibus sunt inferiores, erit nō solus vnus, qui audeat veritatem nunciare, Sauli autem nullus non veritus foret mortis intimare sententiam, *cras morieris*, nisi qui vita iam functus esset, & in quo diuinitas appareret, vt in Samuele suscitato. Vnde sciscitanti Sauli, *Deos vidi ascendentes de terra*, mulier respondit. Solus ergo qui ostentaret diuinitatem, Regi veritatem rigidam dicere auderet. Signum ideo magnū stella visa est Magos illustrans, & veritatem dicere audens, verum non aliter veritatem manifestaret, nisi stella esset, nisi prædicaret à longe in Cœlis collocata.

Ex illis illud Dauidis recipit intelligentiam, *tibi soli peccaui*, inquit, Quis illum contra Deum, dicet, tantum peccasse, à quo cunctus populus scandalum passus est, & maximam iniuriam Vriæ? Sic explicat Ciril. non quod non deliquerit contra proximum, cum Vriam vita priuauerit & honore, sed quia eius culpa supplicium à Domino tantum exposceret, nec ab vllo homine reprehensionem timeret, nullus enim Regum facta audet existimare peccata, & corrigere reum, nisi Dominus ipse, & cui subdelegasset Deitatem (sensu quo Deum Pharaonis constituit Mosē). Hoc nouit admirationem D. Aug. quare scilicet homo ille possessus à Dœmone, habitans in sepulchris hominibus, horribilis factus à nullo concatenari permittit? *Et neque catennis iam quisquam poterat eum ligare*, quare hoc? ¶ Intelligas fuisse alicuius personæ clarioris. ¶ Inquit apud D. Tho. in Cat. D. Aug. nil ergo miri, quod si vir præpotens erat, & si possessus à Dœmone nullus audeat illum concatennare.

Dei solius propriū est parcere.

Quare, inquit, Dominus: *Ecce constitui te Deum Pharaonis*, & non Deum elementorum? Vt moneretur proprium Dei munus esse parcere homini, non destruere, omnia flagella conuersa sunt in elementa non in Pharaonem, quia Deus illius, & non elementorum est constitutus si enim se erga elementa exhiberet Deū, non valeret destruere, sed eius naturam perficere,

Exod.

Exod.7. Percutiam virga, inquit, Moses.

Exod.8. Fecit hoc ipse Aaron.

Offenditur maxime Deus ingratitudine

ABulensis & prius R. Salomon id Mosem non feciſſe arbitrantur ne videretur ingratus, aquas, quæ illum in viuis ſuſtentarunt, immemor beneficij feriens. Quo, quantum ingratitudo caueat, indicatur.

Quid egiſti ſcelerate Cain? inquit Deus, *ſanguis fratris tui clamat ad me de terra.* Explicat huiuſmodi locum Amb. inquit. ¶ Vox ſanguinis non clamat de corpore iuſti, ſed de terra, etſi frater ignoſcat, terra condemnat. ¶ Quare ergo ſanguis à corpore iuſti, qui offenſus erat, non damnat, & terram humefactans clamat contra homicidam? Sacer textus ſoluit difficultatem, inquit, eum agricolam eſſe, quod innuit terram illum locupletaſſe, & abunde ſatis aluiſſe, terra ergo condemnat. Sanguis cum clamat de corpore Abelis repræſentat homicidiũ dumtaxat, terra homicidiũ & proſperitates recolit, quas eſt ipſa largita, terra ergo condemnat, quamvis enim ſanguis clamans contra homicidam iudicem non reddat iratum, cum clamat contra ingratum memorans proſperitates, ad iram prouocat Dominum.

Quieſcat ira tua, ſic diuinam temperat Moſes, *& placatus eſt Dominus.* Poſt tot autem Iſraelitas ab eo interfectos redijt iterum pro populo rogaturus, *aut dele me*, inquit, de libro vitæ, aut dimitte *eis hanc noxam.* Quid ergo exaudiuit à Domino, *in die vltionis viſitabo eum.* Quare ergo primo placatus eſt Dominus? & cum iterum, ſceleri populi, cum rogat, ignoſcat, exardeſcet ira Domini? Grauior non ne apparuit populi noxa, cum ſupplex exorat nunc Moſes, ac cum primo veniam petiuit? Vtique. Cum primo rogauit pro pulo Moſes, cum gèneralitate repræſentauit delictum, *quieſcat ira tua ſuper iniquitate ſua*, miſericorſque ignoſcit delicto, genus humanum pronũ eſſe ad malum attendens. Cum autem pro reis exorauit ſecundo, *Deos fecit aureos*, ex huiuſmodi circunſtantia exardeſcit ira diuina, quoniam in exitu Iſrael de Ægypto populum ditauit auro & argento, quibus expolauit Ægyptios. Maximè ergo offenſus redditur Deus, quod ex auro, & argento à Domino Iſraelitis expeciali beneuolentia collatis, idola erexiſſent, quibus thus & ſacrificia contra Domini reuerentiam, ſacrarunt, cum idololatriæ culpa Domino præſentatur, ignoſcit Deus, cum ingratitudinis circunſtantiam reſpexit, iraſcitur, & pacientia diuina quaſi turbatur, cum hominem ita eſſe ingratum conſiderat, vt ex beneficijs à fonte diuini amoris ſcaturientibus contra Deum formauerit arma. Vnde in die illa tremenda, & amara valde, vbi grauiora trutinantur delicta, ſola tria genera, quæ præcipuè ingratitudinem manifeſtant, refert Euangeliſta, diuitum nempè, qui abuſi ſunt cõtra Deum diuiti js *ſitui, exuriui, & paſſus ſum nuditatem*, non quod pauperum non iudicentur ſcelera, ſed quia quibus proſperitates largitur, circunſtantia grauiori Deum offendunt, quia beneficijs, quibus donati ſunt, hoſtiliter pugnant.

In ſymbolum ingratitudinis finxit

xit Aristinetus capram lactantem lupum, à quo desumpsit Alciatus, illam mittere ex imò querellas, sicque dolere introducit, *mea me post vbera pascet*, prædam fore timentem, quē pascebat sua substantia. Hoc Christum in traditione Iudæ præcipuè offendit, quod osculo tradiderit illum. Quare hoc? Quoniam vt inquit, Zacharias Chrysolopolitanus, hoc signum fuit, quo incolumem Deus seruari voluit Cain, osculum nempè impressum illius facie, omnium oculis manifestum, offenditur ergo Dominus, agrauatque delictum, beneficio, quod, vt viueret homo, largitus Dominus est, vt Deo infligeret mortem homo ausus fuerit abuti, auget enim dolorem, quod signum amoris conuertatur in afflictionis tormentum.

Hos ergo peccatores circunstantiæ simili punit supplitio, qua temere deliquerunt. Vnde Iob. c. 4. dicitur. *Vidi impios flante Deo perijsse*, & de flagello totius Ecclesiæ Antichristo idem minatur Dominus, *quem interficiet Dominus Iesus in spiritu oris sui*, inquit Paulus, spiraculi enim proprius & primarius effectus communicare fuit vitam, *inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem*, vt ergo Dominus pœnam grauissimam peccatoribus minaretur, flante Domino perituros, inquit, vt quo vixere spiraculo pereant, & qui in Deum abusi sunt beneficijs, ipsis similiter conuertantur in flagella fauores.

Moses non percussit, aquas, inuens quantum affligat pœna, ab eo, qui prosequi tenebatur amore, inflicta. Refert Sacra Scriptura Sennacherib vindicem gladium fugisse, neque communi strage ab Angelo fuisse interfectum. Notat autem Abulensis hoc fuisse ad maiorem ei inferendam pœnam. Quare hoc? quia occisus est à filijs suis à quibus maxime diligi debuisset. Huiusmodi circunstantiam Chrys. prius aduertit in nece Absalon, quam refert Scriptura. *Tulit ergo Ioab tres lanceas in manu sua, & infixit eas in corde Absalon.* Vt angeretur Principi pœna fuit inflicta à Ioab, inquit, Chrys. ¶ Hoc est admirabilius, qui patrem e reconciliauit, is ipsum interfecit. ¶ Hinc pariter Tobiæ suspicor excreuisse dolorem in luminis priuatione, non equidem ita credibile est cœcitatem sensisse ac, quod ab hirundine fuerit orta. Hirundo enim, inquit, Berchorius, quærit heruam Celidoniam, cuius succo illinit oculos filiorum, & sic visum recipiunt iterato. Hoc ergo maxime credendum est afflixisse Tobiam, quod ab hirundine, cuius instinctu visus communicatur vni, cœcitas Tobiæ contigerit, luminisque priuatio. Auget ergo motinū doloris pœnam infligi, à quo sperari deberet pignus amoris. Vnde *Leg. quod fauore, C. de legibus*, dicitur, ¶ Illud, quod fauore aliquorum introductum est, non debet ad eorum læsionem retotqueri. ¶

Dolor, qui ab eo, à quo amor deberet prouenire, infligitur, maximus est.

Exod. 10. Tenebræ ita horribiles, vt palpari possent. | *Tenebræ palpari non possunt.*

MAximū flagellum Ægyptiorum fuerunt tenebræ illæ, quoniam maxime affligit tormentum, quod alijs conuertitur in solatium,

tium, tenebræ autem quæ Ægyptijs horribles factæ sunt in vniuersa terra, lux Israelitis erat. *Vbicumque autem habitabant filij Israel, lux erat,* inquit textus. ¶ Quo probauit Dominus, ait Lippom. se Deum verum esse, qui dixit de tenebris lumen splendescere.

Exod. 11. *Postulet vir ab amico suo, & mulier à vnica sua.*

Exod. 20. *Furtum non facies.*

QVare ergo vir ab amico suo, & mulier debuit postulare à vicina? voluit consulere modestiæ, ideo vir à viro indeterminate siuè procul, siuè prope commoraretur, licebat enim viris longius diuagari, fœminis vero ad vicinas conuenire licebat, vt remotiores domos non excurreret, indecens enim fœminis erat circumferri procul à domo. Vnde Septuaginta à *contubernali sua* legunt Exod. 3. vbi Vulgata *hospita sua* quasi intra eamdem domũ Ægyptiæ cum Israelitis cõmorarentur audite Amb. super illud Luc. 1. *Abij in montana.* ¶ Discite virgines, ait, non circunctursare per alienas ædes, non demorari in plateis, non aliquos in publico miscere sermones Maria in domo sera, festina in publico. ¶

Exod. cap. 11. *Morietur omne primogenitum.*

Exod. 12. *Nulla fuit domus, in qua mortuus non esset.*

¶ POterat media nocte, inquit Rupertus, cunctis vigilantibus fieri cœdes primogenitorum; cur ergo potius media nocte dormientes placuit interfici? Videlicet vt historicum eriam exemplum dormientibus proficeret, atque ad vigilandum eos percelleret, scientes; quia qui siquis exemplo Ægyptiorum thesaurizabit sibi iram Dei, nihilominus exemplo eorum improuisam accipiet vindictam. ¶ Voluit ergo nos erudire; vt semper inuigilemus, qua hora enim non putamus filius hominis veniet, sicut repente in Ægyptorum primogenitos irruit atra mors, forte dum luxuriabant, voluptatibusque inebrati iacebant.

Semper inuigilandũ, ne præoccupemur morte.

Exod. 12. Victima paſchalis agnus, vel hædus erat.

Deut. 16. Immolabis phaſe de ouibus, & bobus.

DEut. locus, nequit, intelligi de phaſe in rigore, ſed de alijs victimis, quæ phaſe ſimiliter appellantur, vt diximus ſuperius, in phaſe autem agnus ſine macula, vel hædus offerri debebat, eſt enim ſacrificij Euchariſtici ſymbolum. Si ergo irreprehenſibilis eſſe debebat illius menſæ conuiua, quam puritatem non exiget cœleſte corporis Chriſti conuiuium. Agnus ſine macula eſt hoſtia Euchariſtia ſacrificij. ¶ Quo ergo vt verbis Chryſoſtomi hom. 60. ad popul. Antioch. vtar, nõ oportet, eſſe puriorem tali fruentem ſacrificio? quo ſolari radio non ſplendidiorem manum, carnem hanc diuidentem? os quod igni ſpiritali repletur, linguam, quæ tremendo nimis ſanguine rubeſcit? Cogita qualis ſis inſignitus honore, quali menſa Frueris. Quod Angeli videntes horreſcunt, neque libere audent intueri propter emicantem inde ſplendorẽ, hoc nos paſcimur, huic nos vnimur, & facti ſumus vnum Chriſti corpus, & vna caro. ¶

Puritãs quã exigit Euchariſtia.

Hinc oritur, nimis Deum offendi ſceleribus, quæ in conficiendo ſacrificio vel ſacramento recipiendo à fidelibus committuntur. Vidit Dominum Ezechiel veſte candida indutum in ſolio tamquam iudicem exiſtentem. *Veſtitus lineis, & attramentum ſcriptoris ad renes eius.* Aliter accidit in adultera adducta ad Dominum tamquam rea, *digito ſcribebat in terra.* Quare ergo, cum eadem ſit diuina Maieſtas offenſa ſententiam adulteræ digito ſcribebat in terra, & Ezechiel attramento ſcribere vidit? Ratio eſt, quoniam adulteræ peccatum infidelitas erga maritum erat maximum quidem ſcelus, ſed præillo, cuius iudicem vidit Propheta, leue fuit vnde puluere ſcribit, vt tam facile à Deo remitti, ſicut ſpargitur ille vento, oſtenderet manifeſtè. Dominus autem, cum viſus eſt à propheta, quæ in altari cõmiſſa fuerant, ſcelera iudicabat, etenim iuxta altare erat æneũ, ideo attramento ſcribit, vt quam difficile remittantur, oſtendat.

Præſertim ſacerdotes puri debent eſſe.

Omnes conuiuæ menſæ cœleſtis debent accedere puri, ſed ſacerdotes præcipuè, quibus commiſit vt ſumant, & dent cæteris, ij enim *incenſum, & panes offerunt Deo, & ideo ſancti erunt*, inquit Eccleſia, familiariter Dominum tractant, inefbile ſacramentum ſingulariter penetrantes, ideo nimis Deus offenditur, ſi irreuerẽter ſe gerant, durum enim ommiſsiones, ignorantias, & ſcelera Dominum noſtra pati, à quibus ex vi verborum habet naſci. Bethlẽ elegit Deus natiuitati, Ieroſolymam paſsioni, inquit, S. Leo Papa. Quare hoc? vt Iudæorum delictum excuſationem haberet, Bethlemitæ enim viderant Deum natum, & tractauerant familiariter, vt ergo Chriſtus dicere Patri poſſet, *ignoſce illis, neſciunt quid faciunt*, Ieroſolymam elegit paſsioni, vbi non æqualiter noſcebatur. Quam ergo dabimus pro irreuerentia ſacerdotes excuſationem, familiariter Chriſtum in altari tractantes, & tamquam alienigenæ grauiter offendentes. Similis ratio apparet, vt Dominus pati ſub

Pon-

Pontio Pilato voluerit, & non sub Pontifice Caipha, hic enim sanctitatem Domini non ignorabat; & prophetijs trunitatis Messiam esse cognoscere tenebatur. Vt ergo culpa excusationem haberet, sub Pontio Pilato dicitur passus; incredibile enim est offendi posse, ab eo, qui ex ministerio vt illum amicabiliter tractet, sacratus est.

Et si vocem Iacobi cognouerit esse pater Isaac credidit esse Esau, cuius tetigerat manus; Quare voci non credit? in textu inuitur aperte ratio, *statim vt sensit*, inquit, *vestimentorum illius fragantiam, benedicens illi, ait.* Quare ergo tanta fides vestimentorum odori? ¶ In hoc loco tradunt Hebræi, inquit Hieronymus, primogenitos functos officio sacerdotum, & habuisse vestimentū sacerdotale, quo induti victimas Deo offerebant. ¶ Hac ergo veste sacerdotali Iacob indutus, quam ab Esau primogenito, vt fraudem callide simularet, vsurpauit, accessit ad Isaac, vt à parente benedictionem audiret, ideo ergo statim vt vestimentorum sensit fragantiam, benedixit ei, impossibile esse arbitratus vestem qui sacerdotalem indueret fallere posse, aut mentiri leui officioso mendatio; vnde contra vocis experimentum benedictionem suam est impertitus. O! si puritatem, quā tam pura exigunt ministeria, cognoscerent sacerdotes. O! si vltionem, quam de sacerdotum culpis Deus exposcit, intelligerent Deo sacrati! Cum primus parens primum perpetrauit delictum, à quo originem cunctæ mundi mi seriæ ducunt, passus est exilium à paradiso, & Cherubin gladium flammeum habentem ministrū instituit iustitiæ. Sed quam aliter visus est, cum leuia & pauca alibi iudicaret, *habeo aduersus te pauca. Gladius vtraque parte acutus de ore eius exibat*, quæ indignationem iudicis maximam ostendebat. Quare leuia sic dolet, cum minus grauissimum scelus Adami iudicauerit? quia hæc, quæ vidit scelera Euangelista Dominum strictissime iudicare, erant sacerdotum delicta, ideo indignationem, & iram, quam & si de leuibus, manifestat, tantam enim in sacerdotibus Deus puritatem exposcit, vt nil leue sit in ministris tam alto misterio ex munere consecratis.

Gratiarum actiones Eucharistiam sumentē debent cōmitari.

Sed quare Exodi 12. Phase cum baculis comedebant, non sic in paschate, cuius Moses fecit mentionem, & 2. Paralip. Ratio est, quoniam celebrationem Phase, quæ in Ægypto contigit exitu, non imitemur fideles, cum agnum cœlestem, cuius erat ille figura, sacramentaliter frangimus, non enim cum baculis, qui transitum, & viam denotant, sed cum aliqua mora cum gratiarum actione accedere debemus ad cœlestem mensam. Hinc enim oritur, quotidie edentes, nil aut parum proficere imperfectione. *Qui manducat me cum panem*, prophetat Dauid traditionem; *leuabit contra me calcaneum suum.* D. Thomas. ¶ Hic ponitur complementum proditionis, inquit, Sed quare cum proditio non pedibus, sed osculo sacrilego Iudæ sit exequta? Quare ergo calcaneum queritur Iudam leuasse? Ratio est: quoniam continuo ac panem cœlestem pectori sumpsit egressus est nil de hospite sacrosancto considerans, ex ijs ergo gressibus habuit proditionem compleri; si enim cum alijs aliquantulum immoraretur; æqualiter ab igne illo diuino sicut cœteri inflammaretur, tradidit ergo & proditor stitit, quia gratiarum actiones non sicut alij rependit.

Exod.cap.16. Post prodigia facta in Ægypto, & populo maxima beneficia collata Dei obliuiscitur, & murmurat.

Exod.33. Non ascendam tecum ne forte disperdam te, inquit, Deus. Si Domino præsente hæc populus fecit, quid si ab illis abesset.

Ad Dominũ conuertimur in laboribus, in beneficij obliti.

CVm Dominus Israelitas occideret reuertebantur ad eum, afflicti tribulationibus compungebantur, memores erant Domini, cũ ipse obliuiscebatur eorum. Hæc sunt amoris flagella, sæpè enim qui bonis temporalibus irretiuntur, quasi dicunt in corde suo non est Deus, non est qui consideret, virga tamen ferrea confracti soporem excutiunt, & Dominum, à quo flagellantur, timent & simul adorant. In mari tempestate suborta clamant ad Dominum, submergique & sepeliri aquarum fluctibus timent, aerem vocibus & singultibus implent, dicentes: *Domine salua nos, quia perimus*, Matth. cap. 8. Alibi. Domini oblitos Apostolos, & periculi vitæ grauiter imminentis immemores recognoscimus, somno sopitos Christi inimici reperiunt. Quæ vos ignauia in tanto periculo tenet? Quæ vos obliuio torpescit, vt in vos vibrantibus hostibus gladium, somno grauati sitis, quasi nil fuerit, quod animus perhorrescat? Vbique periculum non est æquale? Vnde ergo illic tanta solicitudo, cum hic tanta fuerit in curia? Periculum impar est, sed considerate discrimen. In horto solicitus Dominus est, vigilat, & hortatur. Naui autem simulat Christus soporem, *ipse vero dormiebat*, inquit Euãgelista. Sic explicat Hilarius. ¶ Non quod Christus somno consopiatur, sed quod somno nostro relaxetur à nobis. Talis ergo conditionis est nostra natura quod in mari vbi Dominus in curiam simulat erga suos, sollicitos experitur ipsum exorantes, & cœlum clamoribus percutientes. In horto autem vbi erga suos maximam nauitatem exercet, & sollicitus est sine requie, inuenit eos dormientes. In beneficijs dormiunt, vocibus diuinis sordescunt, & solis tempestatibus clamant. Vidi stultum aiebat Iob, *firma radice, & maledixi pulchritudini eius statim.* Cum vidisset peccatum & simul fortunam, culpæ non maledixit iustus, sed diuitijs atque fortunæ, quia causas esse recognoscebat, quare homo perseueraret Domino auersus, & cœlestis fælicitatis oblitus. Ideo Dominus, inquit, non ascensurum cum populo quia beneficio suæ præsentiæ timebat dormitum iri, suis vocibus sordescentes, vnde cum flagellantur clamant, & ad Dominum conuertuntur, somno grauantur oculi, cum in elargiendis beneficijs se manifestabat sollicitum.

Secunda ratio, quare timens delere populum Dominus renuit ambulare cum illo, ea est, ne populi creuissent de formitate delicta ex circunstantia Dei offensi præsentiæ, quæ auget culpæ malitiã.

Vide quæ diximus Exod. 12. de puritate sacerdotis, & sanctitate.

Exod.

Exod.17. Memoriam Amalec delendam promisit Dominus.

Pluries in Sacro textu Amalec habetur memoria 1.Reg.c.15

EXposuimus in sensu litterali Antilogiam. Sed quare cum Dominus hoc præcepit, & iterum Sauli 1.Reg.cap.15. intimauit; memoriam Amalec non deleuit, sed potius aliquid illorum reseruans sacrificium se præstitisse arbitratus est? Quoniam cupidine prædæ seductus legem male interpretatus est, si credendum fuisset Rabbinis, idem enim verbum *masculum* significat, & *memoriam*. Vnde Saul hac verbi ambiguitate (refert sic Hieronymus in Oseam) deceptum arbitrantur Saul, quando pugnauit contra Amalec, & interfecit omne masculinum eorum. Deo enim præcipiente vt deleret omnem memoriam Amalec sub cœlo, ille pro *memoriam* non tam errore, quam prædæ seductus cupidine masculos interpretatus est.

Quod vult, non quod est, intelligit qui cupidine est se ductus.

Exod.cap. 20. Non ædificandum de lapidibus sectis altare, sed de impolitis.

Exod.27. De lignis setim præcipit fieri.

HOc Dominus exprimere voluit vinculum charitatis, & inter fratres concordiam seruandam, vt ab illis ferrum, quod infringendæ charitatis non semel est instrumentum, sicut ab ara exularet. ¶ Deus, inquit Theodoretus, lapides cœdi prohibebat, vt cœdem, & sanguinis humani effusionem hoc exemplo vitandam, fugiendamque doceret. ¶ Aliam tradidit Theodoretus huius cæremoniæ rationem, quæst.44. in Exodum. ¶ Præcepit, inquit, è terra, aut è lapidibus, quos natura produxit, altaria construi, nam vtrumque facile dissoluitur; vnde cum Elias ille magnus (addit Theod.) in monte Carmelo sacrificare coactus esset, lapides natiuos composuit, tot idem numero, quot erant tribus, & super his victimam obtulit; vt quam citissime dissolui posset ædificium illud, & nemo alius in eo loco sacrificium offerret. ¶ Quæ omnia indicant Dominum noluisse altarium constructionem fore perpetuam. Vnde Daniel cap. 9. *Deficiet*, inquit, *hostia, & sacrificium*.

Inter Ecclesiæ ministros charitatis vinculum cõmendatur.

(§)

Exod. cap. 20. Sabbathum obseruari præcipitur.

Num. cap. 15. Colligens ligna continuo die Sabbathi lapidatur.

COnciliauimus suo loco dicẽtes: à Domino Sabbathi dispensationem oriri; sed quare dices: Dominum mansuetissimum, qui dicitur tardus ad iram, tã celerẽ esse in supplicio, vt nolit festũ fauere reo? Domini ostenditur misericordia, ne ex dilatione supplicij in cunctos iustitia diuina sæuiret, societas namq; malorum bonos supplicio solet æquare, & propter malos puniri quãdoq; boni. Vnde propter Dauid delinquentem innocens filius occiditur. 2. Reg. cap. 12. *Filius qui natus est tibi, morte morietur.* Præter pœnam acerbæ orbitatis, inquit Saluianus, etiam hunc addi piissimo patri intellectum summi supplicij Deus voluit, vt dilectissimo filio causa mortis pater ipse existeret, qui doleret, cum vtique natum ex crimine puerũ, crimen ipsum occideret, quod creauit. ¶ *Ascendente Iesu in naviculam, secuti sunt eum discipuli eius*, dicitur Matth. cap. 8. *Ecce motus magnus factus est in mari, ita vt navicula operiretur fluctibus.* Peccator occultus aliquis maris fluctus inflauit, cum teste Paduano, numquam Deus inferat punitionem nisi prius peccator committat transgressionem, *L. aliud 131. D. de verbor. signific. L. Sancimus 22. Cod. de pœn. & C. sine culpa, de reg. iur. in 6. l. si putator, ff. ad l. Aquil.* Vbi nulla subest culpa ibi & pœnæ nullus potest esse relictus locus. Quo ergo delicto exorta tempestare Apostoli fuerant fœdati? Propter delictum fuit exorta tempestas, sed non omnium, sed dumtaxat vnius. ¶ Vnius delicto, inquit Ambros. Serm. 11. cunctorum merita quatiuntur, sic igitur vnius Iudæ peccato cuncti periclitantur Apostoli; Caueamus igitur ne per vnum omnes fluctuemus. ¶ Ideo Dominus differre pœnam passus non est ligna Sabbatho colligentis, ne illius omnes delicto perirent fœdati. Hanc tradit Damascenus rationem, quare in Tabor Apostoli non ascenderint omnes. ¶ Iudas in causa fuit, inquit Damascenus, quod reliqui Apostoli, qui cum eo remanserant, tanto bono priuarentur. Delictum enim contagium est, vt vnius pœna quandoque soleat inficere alios. In Tabor sola ignorantia fuit Petri, *nesciens quid dicere*, quare ergo *obumbrauit eos*, & non eum? pœna est communis, cum fuerit culpa particularis, ignorantia vnius cœteri priuantur. Vnde cum Dominus Petro nunciaret: *Amen, Amen dico tibi non cantabit gallus, donec ter me neges*, subdit continuo. *Non turbetur cor vestrum, neque formidet.* Quare alijs, quibus non erat negationem minatus, dixit non formidare? Merito, inquit Ponfer. lib. 14. cap. 17. §. 1. discipuli expauent peccatum Petri, quando à nullo peccatum committitur, cuius damnum non debeant timere cœteri. ¶ Sic D. Augustin. in Cat. D. Tho. Quia igitur etiam sibi metuebant discipuli, cum Petro dictum esset fidentiori, atque promptiori. Non cantabit gallus donec ter me neges, subiunxit. In domo patris mei mansiones multæ sunt, per quod à turbatione recreantur cęteri ac fidentes etiam post pericula tentationum se apud Deum in Christo esse

Oportet nõ ommitti supplicium.

esse mansuros, quia si alius est alio fortior, sapientior, iustor, sanctior, nullus alienabitur ab illa domo, vbi mansionem pro suo quisque acceturus est merito.

Exod.20. Non habebis Deos alienos, sed despici præcipit.

Exod.22. Dijs non detrahes.

Vide Exod.22.

Exod.20. Non ascendes per gradus.

Exod.28. Facies & fœminalia.

SVperius in sensu litterali conciliauimus antilogiam, in sensu autem morali innuit non subito ad culmen dignitatis ascendendum, sed sicut natura per ætatum incrementa properat ad perfectum, non per gradus affectus, vel amicitiæ, sed meritorum, nulluſque nisi in minoribus expertus suprema conscendere debet. Sic Casiod. electionem in Patritium laudibus extollit Theod. l. var. 4. ¶ Illustri, & magnifico viro præcipua in Reipublicæ claritate notissimo, qui non fragili fœlicitate prouectus fortunæ ludo, ad apicem Fasicum repentinis successibus euolauit, sed, vt crescere virtutes solent, ad fastigium præmij contendit gradibus dignitatum. ¶

Inter cuncta visibilia vniuersi, tanta fulget lux excellentia, vt nil luce dulcius, nec delectabilius, & mundius, nil efficacius, ditius, lætius, & pulchrius, nil tandem, quod prius, & distinctè condiderit Deus: *Fiat*, dixit, *lux, & facta est lux*, quæ suæ claritatis fulgore diem, sicut noctem illius effecit absentia. Quarto autem die luminari vti fulgurantes lapillos inseruit Dominus firmamento. Non modica est de lucis huiusmodi condirione interpretum controuersia, an scilicet Solis lux fuerit, quæ primo die creata, an alia denuo quarto producta? Basilius Magnus primam lucem in cælo quarto die putat esse locatam. D. Thomas, de prima luce factus est, inquit, Sol. Sed quid tribus, primisque illis diebus illa lux prima agebat? Credo, inquit D. Angelicus, quod in Oriente suo motu circa illam materiam in formem diem in vna parte faciebat, quæ potest appellari emisspherium, in alia parte noctem sua relinquebat absentia, sicut Sol modo facit. Verum si lucis primo die condite cœlum erat splẽdoribus illustrandum, quare vsque ad quartum diem illius in cœlo præsidentia differtur? Hic promotionis pulchrum exemplar existimabam depingi. Lux triduo illo noctem diuidebat à die, emicabat, sed in aere, sed circa terram, vt cœli postea fastigio niteret, ne si ad summum temporis absque gubernaculi tyrocinio eueheretur imperium, de nouitate suggillaretur promotio. Triduo circa terram resplendeat, vt dignis conspiciendis laudandisque seruitutis meritis eleuetur ad cœlũ;

si primo enim die, tempori, diebusque præfuisset, sine gubernandi experientia, sine experientiæ suffragio, & sine suffragij iudicio summa dignitate fulgeret, in parte autem inferiori triduo illo radiorum eiaculatione dies, & noctem efficiens, ad Solis dignitatem postea laudabilius nec non securius ascendit, nam si euectus ad fastigium muneri ostenditur impar, sublimate deprimitur, decore turpatur, ipsaque lux dignitatis respuit, & iniquum possessorem infamat.

Prodigus ille adolescens, patris desertor, pietatis refuga nobilis degener originis, suaque satis notus, atque notatus infamia, cum opes luxuriose consumpsisset paternas, fame tabidus, solaque nuditate vestibus, in se reuersus redire cupit ad patrem. *Iurgam*, inquit, *& ibo ad patrem meum, & dicam ei: peccaui in Cœlum, & coram te, iam non sum dignus vocari filius tuus.* Pensemus verba illa *peccaui in Cœlum coram te*, potius dicendum illi: *peccaui in patrem coram Cœlo*, non delinquimus in Cœlum, sed coram Cœlo, cur ergo non dicit: peccaui in te coram Cœlo? Quoniam prudens, consciusque sibi cognouerat noxam grauissimam prodigus ille, sitam in eo, quod coram Deo offendisset Cœlum. Vnde hoc? Quoniam honorem, & cultum, quibus Numen verum adorare debuerat, consecrauerat astris, ipsa ergo latria, qua astra irreligiose colebat, sacrilegus vere tædabat, Cœlumque profana religione turpabat, totaque syderum multitudo cultu confundebatur indebito, atque polluebatur honore. Dignitas ergo quæ alicui communicatur indebite, potius, quam honoret, de decorat, sicut Cœlum ab adolescente prodigo opprobijs affectum; cum latriæ indebito intendit prosequi honore, & decore. ¶ Peccauit in Cœlum, inquit, Chrysolog. dum in Cœlo Solem, Lunam, sydera Deos esse blasphemat, & hæc eadem profanat adorando. ¶ Rationem huius pulchre tetigit magnus ille Boetius. ¶ Nam si eo abiectior est, inquit, quo magis à pluribus quisque contemnitur, cum reuerendos facere nequeat, quos pluribus ostentat despectores, potius improbos dignitas facit. Verum non impune: reddunt namque improbi parem dignitatibus vicem, quas sua contagione commaculant, immo destrunt. ¶

Idem confirmat, quod D. Ioannes in suo refert Apocal. capit. 2. *Factum est prælium magnum*, inquit, *in Cœlo, Michael & Angeli eius præliabantur cum Dracone, & Draco pugnabat, & Angeli eius, & non valuerunt, neque locus inuentus est eorum amplius in Cœlo.* In Cœlo ne tumultus, prælium potest esse, aut seditio? Quærit ad hunc locum Rupertus: quibus aut qualibus armis acies dispositæ sunt? Pugnam illam nullus hæsitat fuisse mentalem, ibi ratio pro armis, pro spiculis erant discursus. Ambitionis lingua Cœlum conscendere, & occupare thronum serpens vociferans affectabat. *In Cœlum conscendam, supra astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti in lateribus Aquilonis*, similis ero altissimo, ambiebat sic sacrilegus Draco: inquietus tot luminum Lucifer splendore, Cœlo bellum ciet, & ipsum in Deum audet: quanta sibi promittebat cœca cupiditas, & ambitiosa temeritas; sed quo inconsultius volat, miserabilius ruit, immo

Dignitates destruunt indigni.

in-

indecore proijcitur. O! dignam ambitionis pœnam, omni loco expulsus exulat, qui omnes implere Cœlos exambit. Pulchre Bernardus. ¶ Non potest ergo in parte Cœli sedere, cum ille totum elegerit sibi. ¶ Ad rem. *Neque locus inuentus est eorum amplius in Cœlo.* Quid ergo, fiet ne locus destructus? Scio Scripturæ phrasim. Sed hic non solum è Cœlo corruisse significatur Angelos, verum etiam eorum locum non apparuisse amplius. Quare hoc? quoniam Draco superbus ille, sequaceſque vanissimi illius, inique ambierant, & ambitiose occuparant, atque locum retinere iam occupatum affectauerant seditiose, ideo ergo perhibetur destructus, ideo nec eius memoria in Cœlo relinquitur amplius, impij enim sola ipsorum possessione dignitates confundunt, thronumque fædissime destruunt.

Exod.20. Non facietis omne opus in illo.

Num.5. Habetur oppositum.

QVare Dominus sic strictè Sabbathi obseruantiam præcepit, vt neque colligendi gratia manna non permiserit iter, ita vt capitis pœna plecti eum, qui Sabbatho collegerat ligna iusserit sine venia Domino cõsulente? D. Gaudentius tom.2. Bib. pat. neque cibum, inquit, coquere, neque iter facere in Sabbatho cõcedebatur, ne quis sub prætextu necessitatis humanæ præponeret terrena diuinis. ¶ Ita namque facilis homines sunt ad præcepta diuina violanda, vt prætextu necessitatis lex diuina passim infringeretur. Sed quare Dominus tollere grabatum præcepit sabbatho paralytico? Respondet Tert lib.4. aduersus Marc. cap.12. ¶ Dicendo tuum, de humano opere definit, non de diuino. Opus autem salutis, & incolumitatis non est hominis, sed Dei proprium, sicut & rursus in lege: *Non facies*, inquit, *omne opus in ea*, nisi quod fiet omni animæ, idest, in causa animæ liberandæ, quia opus Dei etiam per hominem fieri potest in salute animæ. ¶ Quoties ergo homo animarum saluti studet, non opus hominis, sed exequitur etiam diuinum.

Non sunt terrena præponenda diuinis.

Exod.20. Non facies tibi sculptile.

Iosue cap.6. Oppositum constat.

QVare Dominus quando de exitu Israel de Ægypto sermonem instituit loquitur in plurali, & dum de peccatis populi agit Psal.77. & Psal.105. & numerus assumitur singularis, cum lex diuina intimatur? Ideo est, quia licet diuina lex pro omnibus esset lata, ita in hærede in vniuscuiusque animo voluit Deus, ac si singulis, cuiusque particulariter esset dictum, & loqueretur cũ vnoquoque: *Non facies sculptile; non adorabis ea.* Quæ enim quis respicit vt particularia mouent, ac obligãt magis. Vel dicendũ viã Domini mandatorũ nõ à pluribus, sed vix à singulis inuisore arripiẽdam, tã arcta est via, & singulos tãtũ capiat. Audite Philonem de Decalogo. ¶ Quæret, inquit, non immerito aliquis, cur in concione

Viam mandatorũ sunt pauci qui currant.

tam multorum millium, Oraculum singulos appellat, non plures? Respondendum est, ideo placuisse hanc formulam, vt lectores Sacræ Scripturæ dicerent quiddam valde pulchrum, & necessarium; videlicet vnũquéque tantis per dum Deo pa ret, ac legibus, honore æquari frequentissimo populo: addo amplius, mundo etiam vniuerso. ¶ Aliam tradit rationem. ¶ Cum, inquit, singuli admonentur quid agere debeant; quisque redditur obsequentior, sibi dictum existimans, qui vero cum cœtera turba comprehenditur, eodem alloquio surdescit. ¶ Aliam deniquæ addit rationem. ¶ Exemplum, inquit, datum est, ne quis vmquam Rex, tyrannus ve, superbe despiciat priuatum, obscurumque ciuẽ: doctus à sacris legibus deponat supercilium, fastumque dediscat, sic secum vere cogitans. Si Creator rerum omnium, & Deus Deorum, ne humillimum quidem cõtemnere sustinuit; sed hunc quoque admisit ad oraculorum suorum epulum, tamquam ei soli paratum: ego mortalis, cur in flatus ceruicem erigam efferens me vltra eiusdem naturæ participes, fortuna impares mihi, non origine generis? Exhibebo igitur me comem, & affabilem, vel egentissimis, obscurissimisque. Homo enim cum sim, non est æquum, vt maiestatem tragicam in me recipiam.

Exod. 21. Seruum occidens capiti pœna non plectitur.

Exod. 20. & 21. Qui occidit, morte moriatur.

Pœcunia magis æstimatur quã vita ab auaris.

OCidens seruum, maxima, licet non capitis, plectitur pœna, seruus enim pecunia domini est, quæ aliquibus pluris habetur quam vita. Obtinuerunt ab Ægyptijs bona Israelitæ, continuo autem arma omnia tradiderunt libenter. Quid illos mouit, vt Israelitis lethalibus hostibus tam facilè facultatem concederet vitæ? Quare vita tam manifesto periculo exponunt, & traditis hostibus armis, in defensam relinquntQuod ita de inimicis fidere fecit? aut quid ita contemnere vitã? Parui fecere vitam Ægyptij, dederant, quod intimius cordibus nexum erat, nempe aurum, argentum, & cętera bona, quæ præponere vitæ certum erat, ideo viuere despicientes arma donarunt, nihilque reformidantes vitæ periculum parui pend erunt, viuere in vtile existimantes, quos pauperes Israelitæ fecissent. Audite Drogon. Ostiens. ¶ Vide, inquit, quam magni ponderabat, (loquitur de Iuda, qui pecunias se magis amabat,) cum non proiecit numeros in sterquilino, sed in templo, denarios tẽplo, se ipsum laqueo addixit, amabat hæredes suos, qui eosdem denarios ex inde colligerent, qui eos nũc reseruant,

Vix Petrus adesset intellexit Christus, quando tunica succinxit se, erat enim nudus. & misit se in mare. Quis Petrum non miraretur? quis, vt natet vestibus irretitur? cum potius, si esset indutus, expellere vestimenta deberet, ne periret aquis submersus. Chrysologus hic. ¶ Mirum fratres, & vere mirum, quia qui in naui nudus erat in mare vestitus se demersit. O mala cupiditas! ¶ Vestem magis quam vitam amabat nondum Spiritus Sancti aduentu inflammatus. Duo considerauit, & se vitæ pe-

ri-

riculo exponi, aquis si indutus submergeretur, & quod veste defraudaretur, si in naui reponeret vestem, inter hæc ergo duo extrema, aut quod aquis submersus vita spoliandus foret aut veste, aquarum fluctibus se dedit Petrus indutus etiam si perderet vitam; ne veste in naui reposita vestimenti amittendi periculo se exposuisset.

Suadet veritatem eamdem quod contigit Israelitis Plagis contrictus Pharao liberum populum misit, verum oues tantum vestræ remaneant, inquit. Quare ergo Pharao maximis Domini mirabilibus victus Israelitis donauit, & neutiquam greges concesit? Respondet Lyra. ¶ Sciebat, inquit, Pharao Israelitas tanto amore suarum pecudum amore teneri, quod magis præoptaturi essent cum illis in seruitute remanere, quam sine illis in libertatem abire. ¶ Nolebat nisi cum sola fictione populũ facere missum, stetit ergo Mosis Pharao promissis populo libertatem largitus, & alias retinet sub eius domino gregibus reseruatis, cognouerat enim tanta populum auaritia teneri, quod si greges cogerentur non desserere Ægyptum, nullus Israelitarum recederet à catena.

Maius malum est cupiditas, quã inuidia.

O! radix omnium malorum cupiditas, quam tyranice cuncti obediunt imperio tuo, Concilio illo, quod contra innocentiam Iosephi collegit fratrum malitia, omnes vt morte capitis plecteretur, Rubem excepto, qui consuluit fortiter, & prudenter eius saluti, decreuere suffragijs, verum retracto proprio consilio, Ruben consenserunt, & missum in cisternam fecere. Secundum autem factum Concilium est, vbi propositum oportere tamquam seruum vendi Ismaelitis, Iosephum, cuius sermonibus cuncti acquieuere fratres. Quare ergo sicut in primo Concilio, non restitit malitiæ Ruben, & cessat fauere innocenti? Ratio est; quoniam in primo Concilio *inuidebant ei*, mouebantur contra Iosephum inuidia, in secundo illos auaritia tenuit, atque cupiditas. *Vendiderunt Ismaelitis viginti argenteis*, pretium æqualiter inter omnes diuidi decernebant, vbi adest ergo pecuniæ lucrũ, & auaritia intercedit, nullus suffragabitur innocenti, ideo Ruben iustitiam deserit, pecuniamque magis æstimat, quam fratis libertatem, & innocentis immunitatem, nec non & honorem.

Cum regnare cœpisset Roboam omnia subtyranide sunt constituta; omnibus rex erat inuisus, augmentum accepit in dies tyrani malitia *multas petiuit vxores*, subditis vt inquit textus. Quid credendum est miseros tunc fecisse? propter Regem legem contempsit, & Dominum suum populus de reliquit. Quare hoc? si initio regni populus plangit calamitatem, quare, cum tyrani augetur malitia, sic amore prosequitur Regem, vt Dominum derelinquat, ne illi displiceat. Ratio est: quoniam Regis initio, bona subditis auferebat, sed in dies forsam tributorum onere decrescente, exigebat vxores, & aliàs plurimas præbuit scas. Quid ergo mirum, quod Dominum derelinquat, contemnatque populus legem, si scarum cupiditate atque diuitiarum attrahitur?

Exod.21. Taurus qui occiderit seruum 30. siclos argenti Domino Dabit.

Exod.21. Occidens taurus filium, vel filiam, morte morietur Dominus illius.

ESt non ne Dominus personarum, hominumque acceptator, vt vitam serui minus quam hominis liberi æstimet? Non ne pluris apud Dominum fuerunt Israelitæ serui, quam primogeniti Ægypti? D. Cyril. Alex. lib. 7. de ador. in spiritu. ¶ Igitur, inquit, quia lex vmbra est, per filium, ac filiam liberam sanctorum genus significatur, per seruum vero & ancillam illud adhuc seruile genus; & peccati iugo subiectum. Non est igitur par iniuria in sanctos, atque in peccatores facta, neque eadem mensura plectuntur peccata in vtrosque commissa. ¶

Exod.21. Si vos occiderit Israelitam lapidibus obruetur.

In bellua nullum est peccatum.

Homicidiũ graue delictum.

QVare incapax culpæ bellua subiecta redditur pœnæ. ¶ Vt legislator, inquit, Theod. q. 49. in Exod. ex animalibus irrationalibus doceat homines rationales, quam graue scelus habeatur homicidium. ¶ Non enim, vt ait Philo, idoneus est bos cornupeta sacrificio, & carnibus eius vesci non est fas. Quam obrem? quia non est purus cibus homini animal, quod interfecit hominem. Vt ex ijs homo scelus huiusmodi odio prosequi doceatur, expertia rationis in peccatorum odium extremos patiuntur defectus sicut in odium Babyloniorum Ierem. 4. *Stellæ cœli, & splendor earum non expandent lumen suum obtenebratus est Sol in ortu suo, & Luna non splẽdebit in lumine suo.*

Exod. 22. Erit seruus ei in sæculum.

Septimo anno seruire cessabant.

COnstat ex conditione huiusmodi serui, quanta detrimenta ex consuetudine mala sequantur, quamque difficiliter ab homine rumpatur, quid enim dulcius, & libertate amabilius? quid seruitute infœlicius? & tamen homines erant, qui sic miseriam amarent, vt seruitute per septennium assueti, in sæculum contempserint dulcissimam libertatem. Non ergo immerito illum qui tot annos vexabatur infirmitate, *vis sa-*

nus

nus esse? Rogauit Dominus. Vnde D. Augustin. tom. 7. respondens ad artic. 13. & 14. sibi impositos falso, sic inquit. ¶ Si à iustitia, & pietate quis deficit, suo in præceps fertur arbitrio sua concupiscentia trahitur, sua persuasione decipitur. Huiusmodi infirmitates difficilius à gratia sanantur, inueterata enim scelera difficillime eradicantur. Lingua Isaiæ candenti carbone vstulatur Isai 6. *Volauit ad me vnus de Seraphim, & in manu eius calculus, quem forcipe tulerat de altari, & tetigit os meum.* Ieremiæ autem lingua sola demulcetur diuina manu. *Misit Dominus manum suam, & tetigit os meum.* Quare hoc? quia Isaiæ inueterata peccata erant, vix autem inceperant Ieremiæ delicta. Audite Hieronymum. ¶ Quia Isaias, inquit, solidæ, & perfectæ ætatis erat: & ipse simpliciter confitetur, quod immunda labia habeat, & habitet in medio populi pollutæ labia habentis, mittitur vnus de Seraphim, qui non manu, sed forcipe & carbone tangat os eius, & iniquitates auferat, & mundet peccata. Hic autem ipsius Dei manus mittitur: non vt peccata auferat, quæ per pueritiam multa non fecerat, sed vt loquendi gratiam tribuat. ¶

Peccata inueterata difficilius eradicãtur.

Exod. 22. Dijs non detrahes.

INnocentius Papa nomine Deorum intelligit sacerdotes, qui per excellentiam ordinis, & officij dignitatem, Deorum nomine nũcupatur. Vnde in summi sacerdotis rationali lapis, qui Leuiticæ tribui correspondebat Smaragdus erat, in Hebræo *barecht* legitur, ideſt, fulgor, sicut enim tàm in profanis, quàm litteris sacris testabantur diuinitatem, sic sacerdotalis fuerunt symbola dignitatis, sacerdotes ergo magis quam Angeli ad diuinitatem accedunt, illis promittitur cum filio hominis simul sedere, *sedebitis & vos.* Angeli autem coram Domino stant vt constat ex Danielis cap. 7. & Tobiæ 12. quin vnus, qui Lucifer fuit, quia appetijt cum Deo sedere, in tenebris detruditur infernalibus. Hoc ergo sacerdotes terrere à peccato debet. ¶ Quod sumus (inquit D. Amb. lib. de Dignit. sacer. cap. 3.) professione, actione potius, quam nomine demonstremus, vt nomen congruat actioni, actio respondeat nomini, ne sit nomen inane, & crimen immane, ne sit honor sublimis: & vita deformis, ne sit Deifica professio, & illicita actio. ¶

Exod. 34. Deos destrues.

Exod. 23. Pauperis non misereberis in iudicio.

Psalm. 40. Beatus qui intelligit super egenum, & pauperem.

SI iustitia non deserẽda est propter misericordiam erga pauperes, & pietatem potiori iure contẽptis diuitibus est retinenda. Ideo ergo pau-

pauperum non esse miserendum in iudicio, vt strictiori vinculo teneri intelligerent iudices præpotentibus non despicere miseros, excæcant enim etiam prudentes munera. ¶ Tanta enim est vis munerum, inquit, Caietanus, vt non solum parum, aut mediocriter videntes, sed etiam perfecte videntes quæ iuris sunt, excæcent. ¶ Sicut in Saba, constat cum Dauid munera obtulisset, qui subticuit, quasi nihil aliud intenderet, vt quod ipse tacebat, munera loquerentur. Iacob etiam certauit muneribus, & obsequijs contra Esau, vt indignationem omnem excluderet, vt, inquit, Ambrosius. ¶ Abigail, inquit D. Bonauentura, placauit Dauid verbis, & muneribus, sic virgo Deum precibus, & meritis. ¶

Munera excæcant iudices.

Ex quibus constat; quantum munera rectitudinem auctoritatis inclinent; Referunt enim auctores naturales cum Plinio in mineralibus, quibus æs, alia quæ inferiora generantur metalla, oriuntur virgæ rectæ in cœlum, in terram non inclinantes, sed quæ è terra, vbi generatur argentum, nascuntur, reflectuntur omnes, & inclinantur ad humum. Symbolum iustitiæ omnibus virga fuit, recta & in cœlum erigitur, si argentum nusquam respiciat, sed ab scopo auaritiæ semper abstineat. *Reges eos in virga ferrea* Dominus Dauid instruebat, quare ferrea, non aurea, alterius ve metalli pretiosiè Ratio est quoniam magnes fuit iustitiæ symbolum gentibus, sicut enim lapis iste numquam non respicit cœlum, sic iustitiæ oculi in legem rationis immobilem debent semper intendi, ideo ergo virgam Dauid, vt iudicet populum in veritate & iustitia, voluit Dominus esse ferream, refert enim Solinus, hoc proprium esse magnetis semper attrahere ferrum, verum adamante præsente, huiusmodi vim attractionis amitti, inter adamantem, inquit, & magnetem est quædam naturæ occulta disensio, adeo vt iuxta se positus non sinat magnetem rapere ferrum. Ideo ergo regere populum in virga ferrea præcepit, vt non adamantibus interpositis, posset virga ferrea, non ab alio nisi à magnete rapi iustitiæ.

Virgam vigilantem vidit Ezechiel, vel vt alij legunt, *virgam oculatam*, sed non vidit manus, non enim iudex oculis, vt videat, potest vti, si manus habeat, quibus munera accipiat. In curru illo tam celebrato gubernaculum populi Hebræi Prophetæ Deus manifestauit, magistratus enim erant quatuor illa animalia sed plena erant oculis ante & retro. Vnde oritur quod sint magistratus tam oculati? ipse textus reddit rationem, *manus hominis sub pennis*, & si haberent manus non vt recipiant, sed iuxta pennas, vt dumtaxat subscribant, quod proferunt ex iustitia.

Exod. 24. Scripsit Moses vniuersos sermones Domini.

Exod. 34. Dominus scripsit tabulas.

PRius Moses à consortio hominum recedit, vt diuina oracula excipere posset. ¶ Notandum, inquit, Glossa, quod interfectis duobus Amorrhæorum Regibus, lex recapitulatur, & populus instruitur, quia remotis scandalis, & superatis vitiorum turmis, competenter doctrinæ

Purus sit qui docet alios.

insistitur, & fidei lumen digne desiderantibus aperitur. Debemus prius in nobis vitia occidere, & sic mandata diuina populis tradere. ¶ Audite Phil. Carpath. ¶ Omni labe, puri, inquit, & defæcati, simplices planeque prudentes debent esse omnes hi, qui sacra cæteros, atque cœlestia docturi sunt, & monituri: ob idque, postquam ipsi affluentis Spiritus Sancti mundati sunt, & candore virtutis illustrati, iuxta plenitudines aquarum residere dicuntur, vt Scripturæ Sacræ profunda, arcanaque rimantes, ea Christiano populo ad salutem, summa charitate impartiantur. Vnde est illud contra eos, qui illotis conscientijs tractant. *Quare tu enarras iustitias meas?* & illud Isai 58. *Scire vias meas volunt, quasi gens, quæ iustitiam fecerit, & iudicium Dei sui non dereliquerit, rogãt me iudicia iustitiæ, appropinquare Deo volunt.* Debent ergo, qui alijs prædicare & docere munus assumũt, prius facere, & deinceps docere, vt Dominus monuit, *qui autem fecerit, & docuerit.* Sic Esdras se gesit, de quo 1. Esdræ 7. dicitur. *Parauit cor suum, vt inuestigaret legem domini, & faceret, & doceret in Israel præceptum, & iudicium.*

Exod. 24. Et sub pedibus eius opus lapidis Sapphirini.

Deut. 4. Nullam vidistis similitudinem.

Pati pro Deo gloriosum.

EXodi 24. dicitur quod *viderũt Deum Israel, & sub pedibus eius quasi opus lapidis Sapphirini, & quasi cœlum cum serenum est*, in Hebræo legitur quasi *lateris Sapphirini*, sed quæ inter laterem & Sapphirum cõnexio est, vt throno Sapphirini lateris Dominus visus dicatur? Ratio est: quoniam Israelitæ passi sunt non leues labores in lateris formatione sub Pharaonis tyranidis, vt Exod. 5. quę rebantur, *paleæ non dantur nobis, & lateres similiter imperantur: & famuli tui flagellis cedimur.* Vt ergo intelligerent in gloriam conuertendos esse labores, viderunt Dominum in throno *lateris Sapphirini.* ¶ Illud, inquit Biegas, dicebatur lateres, id est labores, quibus sancti in hac vita probantur, tandem in Sapphiros gloriæ conuertendos, idcirco enim Hebræi viderunt suos latere in pulcherrimos Sapphiros euasisse. ¶ Quid. quid enim pro Domino quis patitur pignus est iam gloriæ, quæ promittitur consequenda.

Exod. 24. Misit iuuenes de filijs Israel, & obtulerunt holocausta.

Sacrificia per præsbyteros offerebantur, id est, seniores.

DIcẽdum ergo est nomine pueri animi intelligitur innocentia, non innenilis ætas, sicut Saul ætate maturus filius vnius anni dicebatur, quasi vitæ, sanctitatisque pabulo senex nutritus iuuenilem ætatem

tem conseruat. *Vir sapiens es* dicebat de Salomone Dauid, & tamē dicebat de se Salomon ipse 3. Reg. 3. *Ego sum puer paruulus etiam ignorans egressum, & introitum tuum.* Ad suscipiendum imperium ætatis aptæ erat Iosue, & tamen dicitur puer Exod. 33. In ijs ergo omnibus non puerilis ætas, sed puerilis, qua pollebat, exprimitur integritas. Ex quibus constat ad illud Iob cap. 6. intelligentia *super pupillum irruitis* centenarius enim erat Iob, vt tenent plures expositores, cum à Domino fuit flagellatus, sed appellatur pupillus, idest, in puerili constitutus ætate, eo quod innocentia, quam gerebat puerilem in senilem renouabat ætatem. Sic pariter dicendum est præsbyteros, seniores ve sacrificia immolasse, sed iuuenes appellari, eo quod beneficio innocentiæ redierint ad iuuenilem ætatem,

Exod. 24. Viderunt Deum Israel.

Exod. 33. Non videbit me homo, & viuet.

IN sensu litterali suo loco expositionem tradidimus, in sensu morali Exodi. 33. sic explicat locum D. Greg. 18. mor. cap. 28. Ac si aperte diceretur; inquit, nullus vmquam Deum videt spiritualiter, & mundo viuit carnaliter. ¶ Vel cum D. Antonio dicendum; quod ad conspectum cœlestium præmiorum anima illorum auiditate flagrans, effracto (si posset) humani corporis domicilio, & membris exonerata mortalibus, cum his, quos videt, Angelis vel cœlestibus radijs abire festinat in cœlum.

Conspectu cœlestium crescit amor cœli.

Deinde dicendum est, Mosem non Dominum, sed Domini vidisse Angelum, cum autem *posteriora mea videbis* dicitur Mosi, explicat sic Nyssenus. ¶ Qui sequitur (inquit) non faciem, sed tergum aspicit: docetur igitur Moses desiderans Deum videre, quomodo potest Deus videri: sequi enim Deum corde, ac animo semper quocumque ducat, id ipsum est Deum videri. Vides, addit, quantum est, vt aliquis discat Deum sequi; nam post illos ascensus mirabiles, post glorioſas visiones, post inaudita miracula, vix iuxta finem vitæ hanc consecutus est gratiam, vt disceret Deum sequi. ¶ Vnde Angeli posteriora Moses vidit, quasi ducentis ac dicentis, sequere me ducem populi.

Sed difficile est hoc fuisse familiariter cum Mose segerere, cum dicat Augustinus in Psal. 31. ira eius, quid est nisi auersio eius, & eius irasci, quid nisi vertere terga? Verum ostendens posteriora, viam, qua itur in cœlum manifestat aperte, *Quoniã ego*, inquit, *in flagella paratus sum, & dolor meus inconspectu meo semper* Moses videre Deum desiderat, & eius pulcherrimam conspicere faciem, Dominus ergo viam ostendit, mediumque vt fœlicitatem posset nanciſci, dorsum scilicet flagellatum dolores, flagella, & labores, hæc via, hoc iter, quo assequitur cœlum.

Theodoretus, q. 68. in Exod. infert ex vno beneficio à Deo recepto, spem roborari, vt aliud confidenter exposcat. ¶ Obsecrauit, inquit, Deum, ne conseruus pro duce daretur illis; sed Dominus ipse dux co-

Beneficium a Domino receptũ pignus est, vt homo aliud exposcat.

eorum esset. Cum autem Deus optimus hanc illi gratiam se facturũ promisisset; Moyses veluti amore quodam probo inebriatus, rogauit Deũ, quod humanum captum superabat: nempe, vt naturam, & substantiam diuinam alioqui inuisibilem videret. ¶ Ex quibus constat: quantum ex vno beneficio collato, ad alia recipienda augeatur spes, & erigatur fiducia.

Exod.32. Hi sunt dij tui, qui te eduxerunt de Ægypto.

Quæ eos tenuit dementia, vt hæc dicerent, nisi symbolum veri Dei vitulus fuisset, contra id quod Exod.20. dicitur.

Cuique sua factura placet & amatur, & honoratur.

ARtifex omnis facturam suam amat ardenter. Vitulum construxerat populus, & vix opus manuum suarum respexit, quando miracula publicauit, & tamquam Deo obtulit holocausta. *Hi sunt dij tui*; clamant, *qui te eduxerunt de Ægypto.* Beneficia finxere, vt ostenderent gratitudinem, & quia idoli conditores considerantur ita suum opus extollunt, vt luto vili diuinitatem concedere non formident. Vel dicendum vitulum Deos esse, quoniam in illo nullus non partem habebat, cum ex omnium componeretur auro quilibet autem aurum sic tamquam Deum habebat. Hoc similiter contigit practicè cunctis auaris, qui veluti Deum æstimat aurum.

Auaritia graue damnum.

Sed quæ potuit hominem tenere dementia vt diceret: *Cras Domini Dei solemnitas est?* Caietanus. ¶ Vnde hæc insania Aaroni orta est profecto, inquit, ex affectu rerum tẽporalium, quas diuinus antepositi, ecce quo ducit ambitio principatus. ¶ Sicut scelerati homines illi, qui ambitione ducti & ne bona amitterent temporalia, Deum suum morti tradere ausi fuere, dicentes: *venient Romani, &c.* sed sicut isti & bona tẽporalia amiserunt, nec non & æterna, ita & Israelitæ coacti sunt, vt illis ignoscere Dominus deponere vestimenta, & obliuisci bonorum.

Malæ societatis incommoda.

R. Salomon apud Lyranum, populum non fuisse huius tragædiæ auctorem, sed dumtaxat Ægyptios, tradit: de quibus dicitur, *Vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis.* Ex quibus constat, quot damna ex prauorum hominũ societate nascantur, & rerum temporalium ac spiritualium calamitates. Vulgus enim illud promiscuum non semel Hebræos impulit in flagitium, atque supplicium. Hoc fuit quod vitulũ efformauit, hoc desiderio flagrauit, sedens, & flens, iunctis sibi pariter filijs Israel, & ait. Quis dabit nobis ad vescendũ carnes? Periculum ergo est malos in societatem habere, cum causa sint atque origo, ex qua omnia detrimenta proueniunt.

Principis absentia populo perniciosa.

Oleaster miserabilem istam stragem Mosis propter absentiam, inquit, populo contigisse. ¶ Solet, ait, in Republica magna incommoda, & turbationes facere ducis longa absentia, etiam si Vicarium in populo relinquat. Quod considerent episcopi nostri, quam sit dispendiosum eos à suis sedibus elongari, aut à suis ouibus diu abesse. Si enim tanta, ac talis turbatio sequuta est in populo ex ducis absentia ad quadraginta dies: quænam erit, si ad annum, aut duos abesse contingat. ¶ Et vt efficacius argumentum

conuincat, recolatur Samuelis per septem dies absentia; ex qua tot Sauli orta sunt infortunia,

Denique ex impacienti animo populo contigit idololatria, & ex animi leuitate, si enim vsque ad diem quadragesimum expectassent vitulum conflatilem non cooptassent, neque pœnam sic exoluissent. Infausta vere inconstantia, nam sicut ait Rabbi Salomon vsque ad trigesimũ nonum diem & dimidium ab idololatria se temperarunt, ad quadragesimum vsque perseuerarent, grauissimas fugissent calamitates.

Ex perseuerantia prouẽtus magni.

Discant autem qui in magno virtutis fastigio sunt collocati, timere, ne detrudantur ad ima vitiorum, Aaron, qui in absentia Mosis principem, & ducem agebat, fidei ac religionis populo pœdagogum, illum præceptis moralibus, & ceremonialibus nutriens, vitulo conflato, fide destructa, dux fuit, & præceptor idololatriæ. ¶ Sic legem, inquit, D. Petrus Chrysologus serm. 96. diuinis, & veracibus fatam præceptis, humanis, & mendacibus fucauit inuentis, vt de sacerdote fieret persequutor, de doctore deprauator existeret, de defensore legis redderetur inimicus. ¶ Vnde ait Origenes hom. 7. ¶ Frequenter accidit, vt aliquis in opere spirituali multum desudans, fructus quam plurimos fecerit, & repleuerit horrea suæ iustitiæ frugibus, & multa bona operare condiderit in conscientiæ suæ conclaui: postea vero, si negligat, & post laborem procliuius ad voluptates, & luxurias vergat; omnia ei bonorum semina, & fructus sancti operis, dominante libidine, corrumpuntur. ¶ Exemplar sunt Dauid, Salomon, & Saul qui à Domino non semel audiuimus commendari, & nihilominus miserabiliter lapsi sunt, à iustitia præuaricantes. Et ratio cunctorum est, quoniam, vt inquit Augustinus, qui diabolum de reliquerit, & de petra bibens, Christum sequi elegerit, necesse est, vt illum patiatur infestum, & tamdiu diabolum contra se pugnantem non sentiet, quandiu operã illius exercere voluerit.

Timeãt omnes & si perfecti lapsũ in culpas.

Exod. 32. Cur iracsitur furor tuus. | *Exod. 32. Occidit Moses 23000.*

CVm Dominus in monte loqueretur cum Mose, iustas emittens querellas sic inquit illi. *Peccauit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti,* & nihilominus in populum Moses non fulmina iecit, sed gessit munus pattoni, *cur Domine iracsitur furor tuus contra populum tuum,* radios furoris diuini in mitem rorem conuertit. Deinde de monte descendit, vitulum vidit, sacrilegam musicam vix audiuit, quando cõuersa mansuetudine in iram; sacras tabulas rupit immemor Conditoris, qui aut scripsit aut saltem dictauit, vitulum comminuit & vsit, tandem vibrato gladio occidens viginti & tria hominum millia, sanguine humano irrigauit campos Arabiæ, sanguineoque mari filios cũctos Abrahæ, quos sicco pede transire fecit per rubrum, miserrime inundat. Cur iracsitur furor tuus? possumus & nos rogare, eadem non dixerat Deus in monte? *Fecerunt sibi vitulum conflatilẽ,* verba sunt Dei. Possumus respondere, quod segnius irritant animos immissa per aures, quam quæ sunt oculis

Magis irritãt delicta oculis (sublecta, quã immissa per aures.

su-

subiecta fidelibus. Non ita graue visum est idololatriæ delictum cum auribus solis percepit, verum cum vitulum vidit execrarissimum iudicauit, neque nisi grauissima pœna expiabile. Nisi dicamur idololatriam Mosem non irritasse, sed vitulum & choros videre, quod talis hominum fuerit audacia, quod musicam cum vitulo vniuerint, maximoque supplicio dignum reputauerat Moses, quod ita audaciter populus deliquisset, vt culpam musica celebraret.

Auget malitiam peccati quod celebretur à peccatore delictum.

Cum vidisset Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham, eijce ancillã hanc & filium eius, & nihilominus dure auditum esse ab Abraham pro filio suo, inquit Scriptura. In eodem delicto Abraham ad iram torpescit, & zelo vindictæ incenditur Sara, qui filium Isaac occidere non recusauit, vt Ismael exulem faciat, experitur molimina tarda. Vnde hoc? ¶ Abrahamus, inquit Origenes, intellexit, Sara inspexit, vnde hic illa negligit, ista detestatur. ¶ Vt quis zelo iustitiæ incendatur, opus est: vt visitet peccatores, & culpas respiciat, iuxta illud Dauid. *Vidi prænaricantes & tabescebant.*

Hæc est ratio, quare ad puerum missus Guieci, non suscitauit, *posuerat baculum*, inquit textus, *super faciem pueri, & non erat vox, neque sensus*, parum profecit baculus & iurisdictio Eliseï, vt puerum suscitaret à somno. Vix autem venit & vidit puerum propheta Eliseus, cum resurrexit, ne credant ergo, vt inquit August. prælati se posse ad vitam animas reuocare, quas vitiorum putredo corrupit, nisi ad eas ipsi proficiscantur, frustra missis baculis ac ministris. Petrum enim cum infidelitatis delicto fedatus esset, non sanauit Domini oratio, *ego rogaui Petre vt non deficiat fides tua*, non vatinim, *priusquam galus cantet, ter me negabis*, oculi Domini sanauere, vt respexit, erexit, & inflectus pœnitudinis excitauit, vt inquit S. Leo.

Exod. 32. Quid tibi fecit hic populus vt inducere super eum peccatum maximum?

Ibidem, populus, fac nobis Deos, dixit Aaroni.

POntifex dictus est à ponte faciendo, quasi sit via sequentiũ, vt inquit S. Bern. ep. 42. ad Henricum Archiep. debet ergo vita superioris esse subditorum lux & directio. Vnde Eccl. 10. *Qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.* Ideo Solon populares homines, principum vmbras, vocitabat: vt enim vmbræ figuras corporis, ita hi principũ mores adumbrant, eorum nutus imitantur, ac mores, & tandem erga principem fegerit tamquam speculum vulgus, ridenti arridet, deflet-

Quantũ in subditos possit superioris exẽplum.

que flentem, & sicut gestientis gestus, refert similiter mores. Vnde Claud. Paneg. 1. de laud. Stilic.

——Non sic inflectere sensus.
Humanos edicta valent, vt vita regentis.

Hoc ergo Mosem mouit, vt, Aaron Pontificem, & in fratris absentia populi superiorem, Israelitas induxisse ad vitulum adorandum, iudicaret, vt inquit enim Mart. lib. 9. epig. 82.

Nemo suos, hæc est aulæ natura potentum.

Sed Domini mores, Cæcilianus habet.

Quoniam, qui alijs prælatus est, exemplo suo inferiores ebibere mores illius facit. Pugnabat strenue dux gentis Hebrææ Iosue contra quinque Pallæstinæ Reges, & cum hostilem exercitum iam fuga dantem pulberulentur terga, circumspiceret, Sole in suum Occasum properanti celeri cursu, Iosue ausus maiora humano fastigio, pia temeritate exclamauit: *Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Ayalon.* Ores ingenti stupore digna. Quis enim mortalium Cœlo imperare tentaret? Quis præsumeret Solis obsequium? Sistit Sol, ne contra Gibaon se præcipitem daret, obscuraque nox Amorreis locum præberet fugæ.

Omne Tonantis
Obsequium Iesu mores potuere mereri. Sic Claud.

Quid autem opus est pugnæ, sisti Lunam, Planetarumque cohortem? (stellas stetisse sentium expositores) Quid harum tremula lux poterat conferre ad victoriam? Quare ergo steterunt? quia stantem viderant Solem stellarum agminum Principem, & ductorem. Oportebat enim (inquit Abulensis) quod dum stabat Sol, non mouerentur alia cœlestia corpora, esset enim contra vniuersam naturam, Sole, qui præsidit cœteris astris, suspendente celerem cursum, stellas accelerare. Arenosam Africæ terram cum exercitu transeũte Catone sitiuisse refertur. Cui miles quidam, periculis exposita vita, aquæ paululum obtulit galea. Verũ vt alijs sitim tolerare Cato suaderet, militi sic respondisse fertur. ¶ Me, degener miles, vnum in hac turba sine virtute putasti? Excusit galeam, sufficitque omnibus vndà. ¶ Quæ visa ducis mirabili tolerantia, nullus deinceps se prædicauit afflictum. Quid aquæ vas, à viris tribus illis, periculis superatis, oblatum fatigatum calore, sitique extinctum, mouit repudiare Dauid? Vt suo exemplo (inquit Angelomus) totus exercitus sitim tolerare, si namque sibi indulgeret, frustrà ad tollerantiam suos adhortaretur.

Quid est tibi mare, quod fugisti? mirabatur Propheta Dauid, respondítque quasi, quoniam *à facie Domini mota est terra*, si terra, quæ excedit antiquitate originis aquas, estq; superiori mari, mouetur contra naturam, conditori illius obediens, non potest non aquarum natura, & maris inclinatio turbari. Fortiter enim attrahit inferiorem suo exemplo superior. Iudic cap. 9. refertur, quod Abimelec Sichem fortissimã agressurus, armis cum difficeret expugnare, ingenti strue lignorum circum arcem accensâ, existimauit posse deuastari præsidium. Continuo milites certatim ramos de arboribus præcidebãt. Vnde tam prompta militum obediẽtia? *Præcidit* (inquit & exponit textus) *arboris ramum*, ipse Abimelec, *impositũque ferens humero dixit ad socios. Quod me vidistis facere, cito facite.* Exemplo ergo ducis maximè fuerunt milites incitati. Ideo opinioni famæque sui singulariter, ne exemplum inferioribus noceant consulere debet, in personis enim publicis, inquit Epitectus, opinio debet veritati præferri. Cum sol obscuratur ab omnibus habetur obnubilatus, & tamen à Sole nubes longissimè distãt, eclypsim dicitur pati, & cunctos Sol habet spectatores defectus, qui non illi, sed interpositæ Lunæ debet attribui, omnes autẽ maculæ, vel defectus refũdũtur in Solẽ, quia præsidet omnib⁹, & nubes dissipare debebat, & Lunæ luces morigeras reddere.

Culpæ inferiorum refunduntur in superiorem.

Ideo

Ideo Christus suorum maximè opinioni consuluit, vt qui alijs in Ecclesia præesse deberent.

Difficilis est in veteri testamento Antilogia, refert Lucas Pauli conuersionem cap. 1. Act. Apost. inquit, *Vocem audientes, neminem autem videntes.* Paulus ipse cap. 22. referens eumdem euentum, *Lumen quidem viderunt, vocem autem non audierunt eius, qui loquebatur mecum.* Quo ergo pacto tam oppositi textus possūt ad concordiam reduci? & quod qui comitabantur Paulum Christi vocem audierint, vt inquit Lucas, & nō percepisse si (vt par est) credimus Paulo? Caietanus sic veritates conciliat. ¶ Lucas enim loquitur de voce Pauli, Paulus de voce Christi. ¶ Quare autem Pauli vocem, qui illum comitabantur, licuit audire, & præcauetur non percipere Christi? Ratio est clara, vox enim Pauli sonabat: *Domine, quid vis me facere?* voluntatem cesam, omnino propter Deum negatam manifestabat. Vox autem Domini, *quid me persequeris*, conclamabat, persequtorem Christi Ecclesiæ tyranum esse significabat. Vocem ergo Christi, qui Paulum comitabantur, scelera Sauli clamantis non audiunt, sed Pauli vocem, voluntatem suam in Christo transformatam esse significantis, percipere Dominus satagit, quoniam Princeps futurus Ecclesiæ speculum perfectionum, non vitiorum, alijs se Paulus præbere deberet. Difficile enim est quod inferiores maculas aperiant in superiori, & ipsi possint puritatem seruare.

Faciamus hic tria tabernacula, inquit Petrus, cum Domini tranfigurationi asisteret in Tabor, nescies quid diceret, addit Euangelista, & quasi fuisset à Cœlo pœna loquutionis inflicta, *adhuc eo loquente nubes lucida obumbrauit eos.* Quare ergo in alios Apostolos innocentes refunditur pœna cum Petrus dumtaxat locutus esset? quare obūbrauit eos, & non eum? Quare alij gloria priuātur, cum sola Petri verba ignorantiæ nota iniurantur? Omnes terreri debent, inquit, Abulensis, eandemque æqualiter pati pœnā, credibile enim non est, Petro capite omnium & si leuiter delinquente, cœteros reos non esse, Petrique voci non præstaturos consensum. Non potens minus est superioris exemplum.

Hinc lucem accipiunt verba Ioan 14. *Non turbetur cor vestrum*, postquam dixerat Petro. Amen, amē dico tibi non cantabit gallus, *donec ter me neges.* Quare ergo Apostolis, non turbari, inquit, cum iure potiori dicendum foret Apostolo Petro, cui vaticinatus est fore infidelem? Quoniam tam naturale est peccati superiori inquinato, etiam fædari inferiores, vt nisi à Domino tolleretur formidio, timerent merito simul cum Petro in baratrū infidelitatis lapsuros. Innuit hoc Zacharias sub arborum methaphora loquens. *Vlula Abies*, inquit. Quare ergo plangere debet, & flebilibus exclamare gemitibus? *Vlulate omnes arbores.* Quare? Imminet non ne tempestas? Grando, & insuperabilis pluuia, aut imminet validus ventus? Quare ergo? Propheta respondet. *Quia cecidit cedrus.* Quid ergo refert? Non parum. Princeps est omnium arborum cedrus, cecidit? quid ergo arbores inferiores, nisi ruinam timere possunt? lapsum enim superioris ruinæ inferiorum pariter comitantur. Hinc ergo Moses, inquit, Aaorini, *Quid tibi fecit hic populus, vt induceres super eum peccatum hoc maximum*, existimauit enim in populo peccatum idololatriæ originem à duce, & rectore duxisse. Sicut in orto cum alij Apostoli, cum Petro dormirent, solus reprehenditur Petrus, quasi

ab huius, qui Princeps erat Ecclesiæ, ignauia, procederet inferiorum tamquam originè negligentia.

Exod. 32. *Occidit* 23. *millia hominum.*

*Num.*12. *Erat enim Moses vir mitissimus.*

Superior erga suos debet esse mansuetus.

DIfficile dictu est (dicebat Tullius lib.2.off.quantopere cõciliet animos hominum, comitas, affabilitasque sermonis. Sine hac nullum socialitatis, & vinculum amicitiæ est. Ex ijs oritur longè valentiorem amorem, quam timorem ad imperandum liberis esse. Posuerat discipulus Elisæi baculum super puerum, sed non plus in puero, quam in baculo sensus. Sed vbi Elisæus ipse conuenit, continuò redijt ad vitam infans. Vnde hæc. *Posuit os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius, & incuruauit se super eum, calefacta est caro pueri.* Quæ omnia indicant non baculo subditum regideque tractandum, sed mansuetudine gubernantis vincendum. Liberi qui nascuntur ab alijs imperari ægre ferunt. Nemo (inquit Hierony. epist. 62. ad Theoph.) plus impetrat à libero, quam qui seruire non cogit. Errant, qui procraciter imperant, & sine necessitate gladium auctoritatis educunt.

Hoc indicat ira, qua Dominus accensus est contra Mosem. Siti laborauerat populus, aquam frustrato labore quærens, sed afflictione temperans detractione. Moses autem bis petra percussa aquas eduxit largissimas. Sed indignatus est Dominus, diemque illum irritationis, aquas tradictionis vocauit. Quare ergo? Ipse textus, *Loquimini ad petram, & illa dabit aquas*, Dominus imperauit. Si ergo silex voci dumtaxat obedit, vt quid baculus? aut quid prouocas scipione? Omnipotentiam quidem vi ex torta non comprobant mirabilia, sed benigna, mansuetaque voce miracula celebrata. Ideo cõtradictionis aquæ appellantur, quoniam obseruantia quam rigor inducit, nil est minus, quam quod apparet, non est obediẽtia, sed repugnantia. O quot in homines lenitas modestiæ valeret, quos perdidit rigor, & diuulsit asperum supercilium.

Voces loqui præcipit Deus, non percutere baculo.

Ex quibus constat Mosem optimum Principem mansuetissimum esse, potiorique iure, quam alium affabilitate teneri, Dei namque gerebat vices, *constitui te Deum Pharaonis*, qua nullus posset dignitate honorari si non lenitatem erga inferiores manifestasse. Quærunt communiter expositores quare Dominus apparere voluit in rubo, arboribus alijs contemptis? Cui inter alios clarius respondit Rupertus. Ne videlicet Ægyptij faciles ad credendum arborem adorarent in nouos cultus erãt Ægyptij proni, & Israelitæ dediti idololatriæ, arbor autẽ tã mirabilis illa, quę ardebat, sed incombusta, inuicta igni, & a flamma non superacta, cultum errore inferiori exposceret ab ignaris. Quid ergo fieri securius potuit, vt periculum arbor illa vitaret, insciæque genti occasionem nõ præberet errandi? Dominus sapienter præcauit apparens in arbori rubi, cœteræ enim aut fructibus onustæ hominibus sunt delectabiles, aut visu foliorum pompa sunt pulchræ, sola rubus visum reliquosque sensus offen-

offendit, qui se illi approximat stimulis pungit, & qui illam inconsulte leniter tangit, spinis dilaceratur. Apparuit ergo Dominus Deus in rubo, vt periculum vitaret idololatriæ quoniam, & si prodigium omnium maximum viderent celebratum in rubo, nullus illam crederet esse Deũ quam non comitate, benignitate ve ornatam, sed spinis & tribulis respicerent septam. Vnde si quando visione mirabili attracti decernerent cultum præstare, illum cohiberent cum pœnitentia, rubi asperitati simul intenti.

Neque cum huiusmodi expositione opponitur Antilogiæ Exod. locus alter. Dominus enim mitissimus ac misericors fecit potentiam in brachio suo, & post tentatam benignitatem verberibus percutit pec catorem, & alios terret supplitijs, Apocalip. enim vocatur non semel agnus agnũ viderat Ioannes (inquit Bern.) agnus occisus est, agnus accepit librum, agnus aperuit, agnus denique dignus est accipere fortitudinem, & nihilominus apparuit similiter leo, agnus mansuetudine, sed leo etiam fortitudine commendatur, frequenter agnus socialitatis humanæ gratia debet esse superior, homines non belluas se regere putans, sed sit aliquãdo leo, ne lenitatis causa contingat auctoritatem leuitate labefactari, legesque contemni, rigidus sit aliquando, cũ dicere valeat; *zelus domus tuæ comedit me.* Ægyptij supet caput Principis, & regentis leonis imaginem delineabant, innuẽtes: validis & rigidis vocibus subditos reducendos ad vitam, veluti leo facit, natura docente rugitibus semimortuos leunculos natos, integre ad vitam redire.

Superior rigidus sit aliquando.

Regis titulus impositus est capiti Christi, quo inclinato titulo recessisse sensit D. Aug. Quare ergo misso spiritu fugit à titulo crucis Christus, cum viuens non permiserit separari neque Iudæis ansiæ solicitantibus, à cruce deponi? Existimo Christum Dominum, cum vixisset, caput à cruce non separare, vt titulus Regis & superioris, tam capilis, quam spinea corona velatus, hominibus celaretur, misso tamen spiritu, ab omnibus desiderans conspici separat caput à cruce. Quare autem iam defunctus titulum cupit celari, & viuus omnibus patefieri? Ratio est, inquit Hilarius, quoniam, cum viuetet, obmutuit, tamquam ouis ad occisionem ductus est, & cruci suspensus nullum iudicis verbum amaritudine mixtũ emisit, aut enunciauit querelam, at cum Patri tradidisset spiritum, exclamauit voce magna vigorosam reddidit vocem, vt subiugaret sibi vniuersum, cum ergo obmutescit (hoc dictum sit in superiorum exemplum, Dominus enim numquam defecit à fortitudine, neque silentio simulauit delicta) superioris titulum celat, & dumtaxat, cum voce valida, valida clamat, titulum cunctis propalat, vt discerent homines, parum consulere muneri superioris, silentio scelera simulantes.

O quot miracula superioris operatur valida vox; Quot, cum essent gelida mortis imago, validæ vocis miraculo ad vitam repente sunt suscitati? In spiritu Ezechiel ductus à Domino in campum cadaueribus plenum, ossa varia sine ordine vidit, quibus confusio populi repræsentabatur. Cui, posse suscitari, aut in ordinem coadunari rempublicam omnino confusam credet, aut sperabit? Nullus? Clama ergo, inquit, Dominus: *Ossa arida audite verbum Domini?* Propheta clamauit, & continuo, *factus est sonitus prædicante me & ecce motio, & accesserunt ossa ad os,* & singula loco successerunt proprio, *& ingressus est in ea spiritus vitæ, & vixerunt.* En validæ vocis mi-

miracula. Etiam si populus delictis iaceat defunctus, scandalis sit incensus, & cuncta sine ordine confusionem in omnibus pariant, si clamet quasi tuba superior, instetque oportune, importune, irrumpet iniquitates, proprijsque locis succedentia reipublicæ singula membra vitam de nouo recipient, & in eis vitæ spiritus erit. Hinc damna, quæ patitur mundus oriuntur, vt merito dici possit. *En lectulum Salomonis, sexaginta fortes ambiunt, omnes tenentes gladios, & vniuscuiusque ensis super femur suum*, non in manu, sed super femur, non vibrant, sed in signum, symbolumque iustitiæ ociose cingunt.

Exod. 33. Iosue puer appellatur.

Ex antecedentibus constat ætatis esse ad suscipiendum imperium aptæ.

Vide Exod. 24.

Exod. 33. Non videbit me homo, & viuet.

Exod. 25. Viderunt Deum Israel

Vide Exod. 24.

Exod. 33. Tollens tabernaculum tetendit extra castra.

Ex Exod. 38. Et sequentibus constat non dum esse tabernaculum.

¶ HVmanis enim ſe rebus, inquit, Procop. in 7. Iſai eripiens, tentorium ſuum fixit extra caſtra, ideſt vitam ſuam firmam, & perturbationibus vacuam reddidit. ¶ Hinc Rechabitæ qui à Cinæis ducunt originem ſemper in tabernaculis habitabant, ſicut præceperat Ionadab filius Rechab. *Domum* (ſic præcepiſſe Ionadab filijs ſuis, habetur Ierem. 35.) *Non ædificabitis, & ſementem non ſeretis & vineas*

Solitudo amabilis exijs viris.

neas non plantabitis, nec habebitis, sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, vt viuatis diebus multis super faciem terræ. Vnde tollere tabernaculum nil aliud est, quã domum extra consortium, turbæ fugitans, & solitudinis amans.

Exod. 33. Iam nunc depone ornatum tuum.

Exod. 32. Iam depositis vestimentis populus afflictus est.

VIdens populum, quod nudatus esset, inquit textus, tunc irruit in Israelitas iratus Moses, sed quare tunc? quia iam erat manifestatum idololatriæ delictum, ideo tunc irruit & ad vindictam processit, sicut & ipsius Dauid honori consulens Deus, noluit punire publicè, quandiu fuit occultum peccatum, & solum ad vindictam properauit, quando detecta sunt homicidium, & adulterium. ¶ Debet prælatus, inquit Oleaster, quantum potest peccata populi occultare, famamque seruare; sed, cum viderit publicata, vindicare, & publice punire. ¶ Peccata namque vulneraque conscientiæ, vt iuxta charitatis, iustitiæque leges curentur, non detegi sed occulta delitescere debent. Hoc querebatur Dominus Isai cap. 1. *Vulnus, & libor & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine*, in chirugia humana prius vulneri balsamum applicatur, & postea circumligatur, sed in diuina prius absconditur plaga, & postea curatur, dum enim publicè patet, non sanatur, sed in cor, vbi dolor maxime viuus est, transfertur, & collocatur. Angelum esse, qui infirmos in piscina sanabat, constat ex methodo curationis vt, inquit enim Chrysostomus, turbabat Angelus aquam, ne languentiũ turpitudo appareret. ¶ Passione instante, inquit Carthusianus, dixerat Christus, qui credit in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet, & maiorum horum faciet, quia Christus non euidenter legitur vmbra sua curasse infirmos. ¶ Dicitur ergo Petrus culmen virtutis sanitatum attigisse, eo quod vmbra infirmos, maleque habentes curauerit; *Vt veniente Petro saltem vmbra illius ob vmbraret quem piam illorũ, & liberaretur ab infirmitatibus suis*, Act. 5. Methodi autem curationis in eo excellentia consistit, quod vmbra qui curat, simul abscondit vulnus, & applicat medicamen, non sic, qui luce vidente, curat, detegit enim tumentem plagam, vt vulnus possit sanare. Audite Oleastrum. Debet enim, inquit, superior, post quam peccata detexit, vulnus operuit, illudque alligauit, oleum apponere, ne oleum, & operam perdat. Quemadmodum Samaritanum fecisse legimus Lucæ capit. 10.

Exod. 38. *Fecit labrum de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi.*

Exod. 20. *Omnis imago, & pictura prohibetur.*

MVlieres illæ viduæ erant, quæ rebus alijs contemptis diuino obsequio cum virginibus simul inclusæ mancipabantur, ieiunabant, atque orabant, sicut Num. 18. Leuitæ dicuntur excubare ad præcepta Aaron, hoc est obsequio Aaron præsto erant. Vel, vt alij sentiunt, separatæ in diuersa templi parte à virginibus erant. Vnde originem ducit traditio Orig. tract. 26. in Matth. Zachariam Baptistæ parentem inter templum & altare fuisse interfectum, eo quòd B. Virginis post Christi natiuitatem, & cum Iosepho coniugium in eadem templi parte cum virginibus collocauerit, asserens virginem esse, quòd alij intelligere non valebant. Sed de hac traditione videatur D. Hieronymus, & Tostatus, quæst. 255.

Exod. 40. *Moses non poterat ingredi tabernaculum operiente nube.*

Exod. 34. *Cum descendisset Deus per nubem stetit, Moses cum eo inuocans nomen Domini.*

HOc indicat, quam difficiliter inter orbis cunctas dispersas gentes Iudæi tabernaculum ingrediantur Ecclesiæ. Quod denotant verba Isai 6. *Domos impleta est fumo.* Quo illustrior enim Christi Domini veritas emicauit, eo densiores tenebræ Hebræum populum comprehenderunt. ¶ Vero tabernaculo commostrato in hoc mundo, inquit Procopius, scilicet Ecclesia ex gentibus conflata; incredibile est dictu, quanta diuinæ claritatis lux, eam lustrauerit, ac circumfulserit: At Moses non potuit intrare in tabernaculum: sicut nec Iudæi potuerunt se insinuare in Ecclesiam Christi. Non enim tulerunt diuinæ lucis clarissimos radios, nec intellexerunt mysterium Christi. ¶ Vnde, inquit, Paulus 2. ad Corint. 3. *Vsque in hodierũ diem, cum legitur Moses, velamen positum est super cor eorũm.* Huc spectant verba illa Dauid. *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa.* Psal. 118. Quæ sic explicat D. Greg. lib. 18. Mor. cap. 11. ¶ Eloquia Dei, id circo spolia vocata sunt, quia ad fidem Domini gentilitate transeunte, Iudæi suis eloquijs, quibus induti fuerant, exuuntur. ¶ Optime vaticinatus fuit Dauid, dicens: *Contritio & infœlicitas in vijs eius*, ideſt, vt Glossa ait, lapis angularis Christus super eos cadens, conteret eos per excœcationem, & sic

ſic contritio eſt modo in vijs eorum, & infælicitas in futuro. Rupertus lib. in Matth. cap. 26. exponens verba illa. *Surgite eamus hinc*, ſic ait. ¶ Cum terribilibus, ac reuerendis verbis iſtis. Quid enim erat dicere, ſurgite eamus hinc: quando Iudas loquebatur cum ſenioribus, ſtatim venturus cum cohorte & miniſtris, niſi relinquere ciuitatẽ illam: quemadmodum per Prophetam Ieremiam prædixit: Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam facta eſt hæreditas mihi, quaſi leo in ſylua dedit contra me vocem ſuam. ¶ Videte Chryſoſt. ſerm. de Naamam Syro. O vtinam ſicut Eccleſia, vt verbis Bern. vtar, ſciſſo velo occidentis litteræ in morte verbi crucifixi, audacter ad eius penetralia, præ cunte ſpiritu libertatis irrumpit, agnoſcitur, placet, ſortitur æmulæ locum, ſic fiat ſponſa, fruaturque præreptis amplexibus, delitijſque cœleſtibus agni, cui ſit ſalus, virtus regnum, & poteſtas in æternum, honor, & gloria.

ELENCHVS RERVM; QVÆ IN HOC OPERE SPECIALI NOTA DIGNÆ VISÆ SVNT.

PRIOR NVMERVS PAGINAM: SECVNDVS denotat columnam.

A.

Abel.

Primus inter homines virgo, pagin. 92. col. 1.
Centenarius à fratre fuit occisus, Ibid.

Achilles.

Eius sæuitia notanda, 116. 2.

Adoratio.

Multipliciter exerceri potest, 185. 2.

Adamus.

Simul ac peccauit cœpit quodammodo mori, 37.
Castitatis amator fuit, 101. 1.

Agnus.

Immolabatur die 13. ad vesperam, 302. 1.

Abrabam.

Saram vxorem quo pacto appellarit, 119.

Alexander Magnus.

Iniquè Branchidas punijt ob delictū diu præcedens, 115. 2.

Alienigena.

Qua ratione ad Aduena differat, 320.
Alienigenis benefacere semper licitū: quin & præceptum fuit: cuius oppositum obseruabant Iudæi, p. 205.

Annus.

Anni principium multifariam antiqui notabant, 3.
Anni Chronologici in Scriptura quinam sint censendi, 136. 2.
Solaris, & Lunaris cōstitutio apud Hebræos pro solemnitatibus celebrandis, 307.

Ancilla.

Hebræa ab alienigena multis nominibus differebat,381.& seq.

Anathema.

Quadruplex dignoscitur à Rabbinis, 119.2.

Angelus.

Adoratione colendus,& qua ratione, 166.2.& seq.
Angeli incorporei sunt,& libidinis expertes,59.1.
Ascendentem in cœlos Dominum promittunt Apostolis iterum reuersurum: ne flere pergentes eius absentiam ipsum cogerent in terris manere,456.2.

Altare.

Templi Salomonici fortè fuit ex impolitis lapidibus quoad interiora, licet perpolitum exterius,375.2.

Animal.

Quantumvis ferox hominem timet etiam post lapsum,24.1.

Amor.

Misteriorum diuinorum impeditiuus, 545.1.

Arbor.

Arbores in escam homini destinantur, vt fructum suscipiens Deum contẽpletur,458.

Ara.

Incensi extra sanctuarium erat in Moysis tabernaculo,423.

Arsacidæ.

Dogma crudele in Christianos sustinent,386.1.

Auris.

Seruo Hebræo perforabatur,vt ne extra limen exire posse contra Domini voluntatem intelligeret,379.1.

Azymus panis.

Azymo vsus est Christus in cœna agni,& sui corporis consecratione, 306.2.

B.

Batauus.

Hæreticus immerito insimulat Chatolicos perfidiæ in hæreticos,211.

Beelphegor.

Spurcissimo ritu colebatur iuxta Rabbinorum commenta,372.
Recepta à Domino pignus sunt ad exigendum aliud à Deo,565.1.

Beneficia.

Integra;non diminuta confert Deus, 497.

C.

Cœlum.

Empyreum prima die est conditũ,12.2
Sidereum,siuè firmamentum secunda die,Ibid.
Cœlum in Scriptura pro aeris regione nonnunquam vsurpatur; non item firmamentum,11.2.

Cain.

Signum à Deo recepit, vt à nemine scienter occideretur,51.2.

Aquis diluuij non fuit submersus,51.1.
Conscientiæ stimulis continuo post fratricidium est afflictus,470.2.
Cainum imitantur multi,minora damna dolentes, nec curantes multo maiora,472.2.

Chaos.

Præcessit productionem herbarum,& aliarum rerum,p.17.2.

Captiuitas.

Israelitica in Ægypto obscure per Scripturam innotescit, & quare, 319.2.

Causa.

Pauperis non debet ex commiseratione præponi iustitiæ diuitis, 401.2.

Calceamentum.

Calceamenti solutio apud antiquos nota erat ignominiæ,& cessionis iuris, 236.

Carolus.

Rex Galliæ reprehenditur propter societatem cum furcis initam,208.2.

Christus.

Non simulauit, aut finxit in occursu discipulorum iuxta Emaus,217.1.
Eiecit de templo vendentes propter vsuram,369.
Morti propinquus caput inclinat vt Matris lachrymas intueatur vi earũ illectus,456.
Christi passio reformatio fuit imaginis suæ,454.
Christus transtulit in se nostra crimina, 460.2.
Christi manuum transfixio ipsius liberalitatem portendit,462.
Christi latus dextrum lancea transfigitur, eo quod scleratos repulserit, 484.
Christo aperit lancea os nouum,vt blãdas voces ad Centurionis conuersionem,& confessionem emitteret, Ibid.

Circumcisio.

Circumcisionis signaculum superbè nimis extollunt adhuc Iudæi,162.
Ob ipsius prærogatiuam cæteras nationes cum supercilio despiciunt,Ibid.
Circumcisionem plures obseruant præter Iudæos,179.
Circumcisionis ritus,& cæremoniæ variæ,176.
Octauo die,nec antea peragenda erat, & qua de causa,177.2.
Ex quibus causis vltra istud tempus protrahi posset,Ibid.
Inducta est iuxta Rabbinos ad debilitandam concupiscentiam,239.2.
Eius loco præscripta Christianis spiritus circumcisio,502.1.
Spiritualis etiam in minimis magni est apud Deum prætij,Ibid.2.

Constantinus.

Cognomine stercoreus sacrarum hostis imaginum quare tam spureo cognomine fuerit insignitus, 337.

Concubina.

Qua ratione ab vxore differat,204.& 370.

Connubium.

Inter fratres Detestabile semper fuit etiam apud gentes, 189.& seqq.

Concilium.

Gangrense, & Nicœnum circa rem vxoriam sacerdotibus orientalibus permissam explanantur, 98. per totum, §.4.

Communitas.

Iniquè punitur ob delictum diu præteritum, 115.2.

Conscientia.

Mala sine intermissione angit. 499. & seq.

Consideratio.

Humanæ fragilitatis omnium visibilium contemptum generat, 521.

Commentum.

Erroneum de immutata quoad substãtiam aquis diluuij superficiæ terræ, refertur, & impugnatur 65. & seq.

Creatio.

Creare simul denotat simultatem vniuersalitatis, non temporis, 8.1.

Cubitus.

Quæ sit mensura, 413.1.

Culpa.

In superiorem refunduntur inferiorum delicta, 568.2.

D.

Dauid.

Prudenter distulit supplicium Ioab ob necem illatam Abner, 392.

Populum ob vanitatem recensens à Deo punitur, 426.1.

Damnum.

Maximum est auaritia, 565.1.

Quam plurima affert mala Sodalitas; Ibid.

Dæmon.

Dei manum punientem occultat, 507. 2.

Deus.

Ad ostentandam sapientiam, & libertatem suam sex diebus mundi opificium perfecit: cum id posset vnico instanti, 6.1.

Amans Deum indispensabiliter patitur afflictiones, 517.2.

Requieuit die septimo à nouis rerum generibus producendis, non vero ab omni absoluta operatione. cũ singulis operetur momentis, 35. & 36.

Filiorum Dei appellatione Dæmones venire non possunt, 59.2.

Deus in electione meritis tantum atẽdit. 537.1.

Tentauit Abraham, & quomodo, 199.

Indurare potest cor hominis duplici ratione, 292.

Non est crudelis puniens patrum iniquitatem in filijs peruersis, 332.

Cui adest, nil de est, 536.1.

Deorum nomine superiores non nunquam intelliguntur in Scriptura Sacra, 400.1.

Dei essentiam non vidit Moyses; sed fulgorem ab eo procedentem, 435.

Eius presentia reprimit vitia, 535.1.

Dei posteriora quà ratione viderit Moyses, Ibid.

Quodammodo eget creaturis Deus, vt sit misericors, 454.1.

Ei soli propriè misericordia in est, 546.2.

Deum in omnibus contemplari tenemur, 458.

Deus ad misericordiam summe pronus, 461.

Iudicem se gerit seuerum in morte cõtra peccatorem misericordem tantùm ipsum æstimantem in vita, 480.

Denm pœnitet homines punire, 483.1.

Ex-

Excusetionem obtendit homines puniens, Ibid. 2.
Erubescit itidem eos punire, Ibid.
Hominis prænoscens ingratitudinem, exposcere gratitudinem solet ante collationem beneficij, 488.
Cum punit misericordiam exercet, 494. 1.
Præcipit Abrahamum exere de terra sua post mortem parentis Tharæ, vt augeat meritum, 496. 1.
Sæpè filios punit ob peccata parentum 500. & seq.

Detractor.

Ciconiæ, coruo, & ranæ similis, 485. 2.
Detractores lynceis oculis etiam minutas iustorum imperfectiones notant, non sic probi, 485.

Diabolus.

Minima offerens homini magna surripit; è conuerso Deus, 502. 2.

Dies.

In Scriptura Sæpè significat idē quod tempus in genere, 18. 1.
Naturalis, & vulgaris qualis sit apud Hebræos, 300. 2.
Festiuus, & legalis quomodo in Scriptura computetur, 301. 1.
Festus actuum iudicialium etiam apud gentes erat immunis. Vbi plura de Dominica die à PP. statuta, 349.

E.

Ebrietas.

Dupliciter vsurpatur in Scriptura, 247

Ecclesia.

Quandoque punit delictum inuolun-tarium, & quare iustè hoc faciat, 399. 2.

Ægypti.

Fures permittebant, lucrumque aliquod ex furtiuis percipere lata lege volebant, 399. 2.

Enos.

Cœpit inuocare nomen Domini solemniori ritu, licet ante ipsum vigeret minor inuocatio. 55. 2.

Ephod.

Indumentum sacerdotale, aliud pretiosum, & polymitum proprium Summi Sacerdotis: aliud pro inferioribus lineum. 417. 1.

Epulo.

Diues reprehenditur ab Abraham, quoniam detractori similis infratrum imperfectiones oculos intenderit suarum oblitus, 486. 2.

Error.

Stolidissimus adstruens orbes duos à Deo conditos, homines que cœlestes ante Adamum extitisse, 8. 2. & seq.
Error alius affirmans duo hominum genera: aliud ante Adamū, ex quo fingit Gentilitatis populos: aliud ab Adamo ipso deductum: vnde Iudæorum prosapiam deriuat, 19.
Iosephi, & Philonis error circa Gen. locum de carne cum sanguine non edenda, 106.
Error Platonicorum animarum transmigrationem adstruentium 113.
Athenienſium error religiosus circa Dei misericordiam, 461. 1.

Eunuchus.

Non semper castratum significat, sed aliquando præfectum, 233.1.

Exemplum.

Parentum, & dominorum nimis validum ad filios, & subditos pertrahendos, 489.

Exitus.

Israel de Ægypto contigit nocte præcedenti tempus matutinum diei decimiquinti, 304.2.

Eustachius.

Monachus notatur hæreticus nuptias prohibens, 99.1. & 100.1.

F.

Fauor.

Specialis dammosus ipsi cui confertur, 513.1.

Fides.

Cuicumque obligetur seruari debet, 209. & seq.

Fiducia.

Peccatoris nimia de diuina misericordia in vita propinquante morte vertetur in horrorem iustitiæ, 482.

Fiducia peccatorum præsumpta de Christi sanguine instante morte in trepidationem ruet.

Filius.

Filij Dei, & filij hominum morum diuersitate, non naturæ discriminatur, 6. Genes. 64.1.

Filiorum fecunditas tamquam bonum naturæ promissa est in lege veteri, sed non præcipitur eorum procreatio, 104.1.

Filius, & genitus in Scriptura quandoque reperem significat, 314.2.

Fornificationum filij ab Osea suscepti ex Gomer vxore, tales fuere per mentis fornicationem, seu idololatriam, 369.

Filij Hebræorum in seruitutem redigebantur ob parentem debita, 383.2.

Ferrum.

Oblatum à filijs Israel non in compositionem tabernaculi, sed in alios cessit vsus pro tabernaculo necessarios, 415.

Fœdus.

Cum diuersæ religionis hominibus licet, dummodo absit peruersionis periculum, 208.

Fodere.

Idem in Scriptura significare solet ac emere. 285.1.

Fletus.

Moderatus super mortuum laudabilis, 285.

Femina.

Eius consuetudo animæ pernicies, 475

Fornicatio.

Illicita etiã simplex ante legem scriptam contra Rabbinorum placita, 238.

Fraus.

Triplex est, & quadruplex simulatio, 204.

Furtum.

Eius Ethymon,& Origo.397.1.
Furtum rei leuis permisit Deus antiquis 399.

Funus.

Olim celebrabatur in vestibus nigris, & cæruleis,288.

G.

Generatio.

Generationis nomen multipliciter vsur parivalet,161.

Gratitudo.

Nimium erga Deum po tens,487.

H.

Habitatio.

Israel in Ægypto desumenda est à tempore venditionis Ioseph,317.1.

Hebræus.

Hebræorum quam plura deliria circa Messiam,& eius aduentum referuntur latè à pag.272.
De Hebræo quodam historia ridicula circa Sabbathi obseruationem, 352.2.

Heraclytus.

Eius sectarij semper lachrymis insistẽdum in infortunijs putabant,285.1.

Hieronymus de Praga.

Igne consumptus fuit absque fidei violatione ipsi præstitæ per Constantiense Concilium,213.

Homicidium.

Casurale puniebatur olim tàm Ciuili, quàm Canonico Iure.396.

I.

Iacob.

Mendacium admisit in obtinendo primogenio 221.

Iaphet.

Fuisse in Hispania ante ædificationem turris, inibique natum esse temere asseritur,128.2.& seq.

Idololatria.

Nulla fuit ante diluuium,54.1.
Idololatræ peccant in similitudinem Adam,50.1.
Dispensari in ea à Deo non potest, 337.1.

Iusiurandum.

Exigi valet ab eo,qui iuraturus creditus per falsos Deos,225.2.
Iuramento non omni se obstringi putant Hebræi,228.1.
Iuramentum per timorem Isaac est per Deum,pag.229.
Iusiurandi apud diuersos formula multiplex,& vsus,246.
Eius religio maximi semper à Deo habita,509.

Iudæus.

Iudæorum deliramenta circa primorum parentum creationum, 14. & seq.
Iudæorum ius proles ab ijsdem pa-

rentibus geniras consanguineas nō reputat, nisi in sanctitate concipiantur, & nascantur, & qua ratione, 194. & seq.
Iudæi lethali prosequuntur odio cultores omnes religionis alienæ contra omnia charitatis iura, 205.
Iudæi duo genera alienigenarum observabant, quorum vnum secum in fœdus admittebant, 206. 2.
Genealogiam, & stirpem suam summopere curabant antiquitùs etiam captiuitate oppressi; nunc eam ignorant, 265. 1.
Pompam nunc celebrant superstitiosam loco paschalis agni, 324.
Eorum stulta fiducia in obseruantia Sabbathi, 345.
Id ceremonijs vanis superstitiosè celebrant, Ibid. & seq.
Iudæus Lipmanus impudenter Christum falsitatis insimulat, 352. 2.
Iudæi fidebant nimium suis sacrificijs parum curantes de rectitudine voluntatis in Deum, 377. 1.

Ioannes Hus.

Combustus merito fuit absque violatione salticonducti ipsi præstiti per Constantiense, 212.

Imago.

Imaginum pius cultus semper in Ecclesia floruit. 338.
Stabilitus maxime fuit per Nicænum Concilium, 339. 1.
Non est absolutus, sed respectiuus tendens vltimatè in prototypum, 342. 1.

Iudicium.

Humanum temeritate plerumque plenum. 503. 1.
Iudicium ferre de intentione cordis, difficillimum est, Ibid. 2.
Iudicare hominis exteriora, etiam difficile, 504. 1.
Ne sit præceps, 505.
Iudicium temerarium ex iudicantis malitia procedit, Ibid. 2.
Item ex superbia, & propriæ infirmitatis inconsideratione, Ibid.

Iudith.

Mendacij officiosi labe est inquinata, 215. 1.

Idolotyta.

Idoldtytis vesci quando, & quatenus liceat, 439. & 440.

Inuidia, Inuidus.

Punitur felicitate alienâ, 472.
Inuidia crudelissimus tortor, Ibid.
Inuidus talpæ, & lynci quomodo similis, 523.

Iudex.

Ex solo auditu delicta non credat, 492. 1.

Iustus.

Non sibi fidat, 499. 2.

Ioseph.

Fratres exploratores vocans tentatiuè loquitur, p. 245. 2.

L.

Lacedæmones.

Furtum laudabant, 397. 2.

Lachrymæ.

Lachrymis cœlum comparatur, 455.
Lachrymis in naturam puerorum homines armati cœlum expugnant, Ibid.

Lamech.

Leuius punitur, quàm Cain, eo quod ille casu, iste consulto occiderit, 531.
Peccatum confitens suum remissionẽ impetrat; contra vero Cain: quia occultare tentauit, p. 474.

Lex.

Leges Persarum, & Macedonum propinquos omnes punientes propter culpam vnius, iniquæ sunt, & damnandæ. 98.
Lex scripta comprehendens tàm Hebræos, quàm alienigenas, eo ipso obseruabatur stricte ante Moysem, 193.1.
Lex prohibens reuelationem turpitudinis gradibus proximioribus etiã gentes comprehendebat, Ibid.
Legis veteris ceremonias fas fuit primis Ecclesiæ temporibus vsurpare, 118.1.
Lex contemnitur, si semel violetur impunè, 515.

Lingua.

Linguarum confusio, & distinctio facta fuit iuxta distinctionem familiarum turrim ædificantium. 128.1.

Locus.

Sacer non est pollutus per interfectionem Abner. 393.

Loth.

Non peccauit exponendo filias libidini sodomorum, 185. & 506.
Vxor eius in salis statuam mutatur, ne lachrymas compelleret Deum sententiam reuocare de ciuitatum excidio, 456.1.

Lucrum.

Præponitur dilectioni per[illegible].

Lutherus.

Laudat Augustinum tamquam principem Ecclesiæ Doctorem, 94.2.

Luxuria.

Prouidà medicinà curanda præ alijs vitijs, 500.

M.

Magnanimus.

Eius est iniuriæ remissio, 490.1.

Malum.

Pœna le à Deo est, non culpæ, 34.
Insanabile est non dignoscere supplicium, 507.

Matrimonium.

Non erat antè legem, nisi interueniret concubitus, 244.2.
Fidelis cum infideli omni tempore fuit illicitum, 441. & seq.

Mendacium.

Malum est naturà suà, 214.1.
Quomodo à simulatione differat, 215.2.

Misericordia.

Dei, & hominis quantum distent, 454.
De misericordia Dei nimium præsumere maximum est peccatoris supplicium, 481.2.

Medium.

Medijsijsdem alius bene, alius male vtitur, pagin. 499. 2.

Mulier.

Plurium malorum Origo, 457.

Mundus.

Tempore æstatis conditum esse multi arbitrantur, 2. 1.
Alij autumno creatum existimant, Ibid.
Non nisi verno tempore fuit productus, Ibid.
Mundi creatio non vnico momento, vel die, sed diebus sex fuit perfecta, 7. 2.

N.

Naaman.

Simulationem idololatriæ refregit, quamquàm alioqui Regi suo interuiret, 216. 2.

Noe.

Primus dicitur terram exercuisse, quia maiori diligentia eius cœpit culturam, 55. 2.
Quingentos abstinuit annos ab opere generationis propter castitatis amorem, 92. 2.
Post diluuium item ad finem vitæ continentiam coluit, 101. 1.
Propter gratitudinem ampliori Dei beneficentia dignus inuenitur post diluuium, quam ante illum, 487. 1.
Maledicit Chanaam, vt Cham pater eius timeat, 490. 2.

Nomen.

Eodem casu repetitũ apud Hebræos significat multitudinem, 296. 2.

Numerus.

Septenarius frequens in Sacra pagin. 5. 2.

O.

Obliuio.

Duplex potest in Scriptura discerni, 344. 2.

Obstetrix.

Ægyptiæ mentitæ sunt Pharaoni, 214. 2.
Eis tamen benefecit Deus propter beneuolentiam in Iudæos, Ibid.

Occasio.

Occasionem vitet qui flagitijs renuntiat ex corde. 496.

Oculus.

Oculorum libera vagatio animæ parat excidium, 477.

Oleum, Oliua.

Ramus virens delatus per columbam in arcam potuit conseruare virorem, quamquam aquis submersus, 85. 1.
Oleo vnctionis profane vti prohibet Deus, 432.
Compositum erat, non simplex, Ibid.
Oliua virorem conseruans Dei misericordiam designat, 453.

Opinio.

Opinioni,& famæ consuli debet etiam quoad speciem,509.

Oraculum.

Clara voce consulebatur, quidquid contra sentiant Rabbini,422.
Immediatè consulebat sacerdos audita petitione rogantis,Ibid.
Oraculi responsum agebatur locutione Dei,vel Angeli externa, vel interna, Ibid.

P.

Passio Christi.

Eius memoria pectus peccatoris dutũ liquefit,540.1.
Eius contemplatio nos ad tolerandos labores robustiores reddit,538.

Paradisus.

Terrestris aquis diluuij permansit illæsus, in eumque Enoch fuit à Deo translatus,77.1.
Paradisum in Regione Hispaniæ conditum fuisse fundamento leui asseruit Caramuel,76.

D. Paulus.

Eius subobscurus locus circa sacerdotum continentiam ad Tit.1.latè explanatur à pag.99.

Peccatum.

Intelligi debet pro omni tempore, quo intelliguntur homines,42.2.
Peccatum alterius alteri imputari, & alium in alio peccare, diuersa sunt, & qua ratione,47.1.
Peccati imputatio est actio legislatoris punientis,pag.44.2.
In alijs maius, quam in nobis aparet, 534.2.
Peccatum Adam multorum malorum origo,44.
Peccatum non imputari non existente lege,quomodo intelligatur,47.& seq.
Peccatum quantumvis graue,& sæpius repetitum remissibile est simpliciter,378.1.
Difficilis eius remissio non se tenet ex parte Dei,sed ex inueterata malitia peccatoris,Ibid.
Peccatum sacerdotis, sicut & totius populi expiabatur olim immolatione vituli extra castra combusti,423.
Peccata integrè sunt in confessione aperienda, nec debent excusari, 467.& seq.
Peccator pœnitentiam refugiens stimulis conscientiæ agitatus similis elephanti sitienti,468.1.
Imitari debet peccator serpentis prudentiam in exuenda tunica.Ibid.
Punitur pœna sceleri suo consimili, 525.
Peccator circa commissionem peccati,& eius remedium præposterè se gerit,467.1.
Vsque ad mortem differens pœnitentiam est talpæ similis,479.2.
Peccata diuinæ misericordiæ lance trutinata minora apparent peccanti; maiora vero lance iustitiæ, pagin. 481.
Eius celebratio à peccatore auget malitiam ipsam,567.2.

Pes.

Pedum nuditas obseruantiæ,& religionis signum,pag.235.

Pharao.

Nomen commune erat Regibus Ægypti,152.1.

Plagiarius.

Quisnam dicendus sit,382.1.
Plagiatus pœna olim multiplex,Ibid. 2.

Petrus Apostolus.

Reprehensione dignus ob simulationem in vsu legalium,218.1.

Pœnitentia.

Apud Deum externam rerum mutationem designat,65.1.
Quo pacto in ipso inueniatu,221.2.
Pœnitentiæ dilatio nimiùm periculosa,& parùm proficua,478.

Præadamita.

Præadamitæ error refellitur peccatũ ante,& post Adamum distinguens, 43.& seq.
Præadamita ignorat scholasticos terminos,pag.43.2.
Iudaicam redolet fæcem sub catholico zelo,59.2.
Gentem Iudæorum specie differre à Gentilica ex diuersa appellatione filiorum Dei, & hominum impiè asseruit,Ibid.
Eius sententia adstruens nomine vniuersæ terræ diluuio summersæ solam Palæstinam venire, refellitur latè à pag.78.

Præceptum.

Non continetur verbis illis Genes. *Crescite,&c.*pag.101.
Præceptum de carne cum sanguine nõ comedenda Genes.9.de propria,& non metaphorica manducatione debet intelligi,107.1.
De sanguine,& suffocato non edendis viguit initio Ecclesiæ nascentis.postea vero abolitũ omnino est,111.
Præceptum de honorandis parentibus primum est,& quartum in lege, diuersà tamen ratione,333.
Præceptum de Obseruantia Sabbathi Mose antiquius autumant Rabbini, 361.
Verosimilius est Mosis tempore à Deo traditum,362.

Prædicator.

Purus esse debet,541.1.
Splendorem habeat vt credatur,542. 2.

Priapus.

Eius simulacrum impudicissimum, 373.2.

Princeps.

Principis summi potestas quantumvis tyrannicè dominantis sacrosancta subditis esse debet,& quo iure,154. & seq.
Personam non acceptet puniendis delictis,514.2.
Princeps ne totam Reipublicæ summam tradat ministris,493.1.
Vigilantia Principis multum prodest subditis, 505.2.
Principis præcipua est culpa scelerum ignorantia,Ibid.
Erga abiectos,&humiles sit benignior, 511.1.
Rigidus sit aliquando,571.2.
Eius absentia populo perniciosa,565. 2.
Principis probites parum proficua dissimulans vitia subditorum, 511.2.
Seruet æqualitatem erga omnes subditos, 510.
Personaliter adsit, si mala famare velit,495.
Oculi eius fortitudinem imprimunt, 506.

Promissio.

Facta alicui sæpè adimpletur in eius posteris, pag.153.1.
Promissiones factæ Iudaico populo frequenter de temporalibus rebus, 104.2.
Promissiones in lege Euangelica multò sunt præstantiores,105.1.

Puer.

Pueri nomen multifariam vsurpatur, 436.

Puritas.

Ad eucharistiam requiritur præcipuè in sacerdotibus,550.1.

R.

Rabbini.

Censent,filium peccantem non tantũ suam,sed & patris iniquitatem portare,114.1.
Ventrum Boream obseruant ad celebrandam circumcisionem,175.1.
Ob huius defectum in deserto per 40. annos in vsu non fuisse, existimant, Ibid.
Eorum expositiones sinistræ de Messiæ aduentu circa illud Genes. *Non auferetur sceptrum de Iuda,&c.* referuntur latissimè,& improbantur à pag.252.
Rabbini cuiusdam delirium circa computationem temporis, quo Israel fuit in Ægypto,308.
Rabbinorum prohibitiones riditulæ pro sui sabbathi obseruatione,353.
Expositiones variæ circa Sabbathi à Deo factam benedictionem,& sanctificationem,362.2.seq.
Rabbinorum iniquum discrimen inter occisorem Israelitæ,& alienigenæ, 385.1.& 389.
Rabbinorum doctrina circa malitiam operis moralem parum curat de intentionibus,388.1.
Expositio superba,& futilis circa præcepta concernentia proximum,389 & 390.
Sine fundamento discrimen statuunt inter furem Gentilem,& Israeliticum,398.
Rabbinorum opinatio friuola de seniorum antiquitate Synedrij, 403.& seq.
De fascinationis morbo iudicium ridiculum,412.

Regnum.

Sacerdotale pro eodem accipitur in Scriptura, ac illustre, & electum, 331.
Perit,si frigescat obseruantia, diuinæ legis,527.

Romani.

Matrimonium cum alienigena,& peregrina respuebant,441.1
Religiosè obseruabant iusiurandi Sacramentum, 510.

S.

Sabbathum.

Sabbatho pietatis opera Hebræis licebant,& quousque,351.& seq.
Sabbathi obseruantia apud Romanos, & Græcos vsitata fuit,& quatenus, 354.2.
Sabbathi obseruantia cessauit, quid quid oblatrent Rabbini,& quousque,366.& seq.

Saluusconductus.

Iure communi tantum præstatur cõtra vim iniustam,non contra iuris executionem,212.2.

Samson.

Se interficiens cur non peccauerit,337 1.& 368.

Saladinus Rex.

Morti proximus salutare monitum reliquit,465.2.

Salus.

Animæ nimis curanda præsertim in fine vitæ,479.2.

Sanctificare.

In Scriptura idem sonat,ac à profanis separare,& in Dei cultum destinare,361.2.

Scriptura Sacra.

Sæpè loquitur per anticipationem in serie narrandorum,75.2.
Initio absque capitulorum distinctione fuit conscripta,131.2.

Sæculum.

Breuiorem durationem sonat sæpè in Scriptura , sicut & æternum,379. 1.
Sæculi vox replicata,sicut & æternitatis cum addito consono interminabilem durationem denotat,380.

Scortum.

Muliebre lege scripta prohibitum probatur contra Rabbinos, 240.& seq.

Sennaar.

Campus interpretatur fætor eorum, 491.1.

Item murmuratio ciuitatis, Ibid.2.

Seruus.

Serui Iudæorum circumcisionis legi non subiacebant,nisi vltronei eam expeterent,178.2.
Seruum etiam incircumcisum tenebatur Israelita non præcipere violationem Sabbathi,359.2.
Seruus Hebræus ab extraneo multis titulis,& iuribus distabat , 381.& seq.
In seruorum solatium,& leuamen plura per leges contra dominantium furorem fuere sancita,384. seruorũ duplex genus,378.1.

Signum.

Signa decem expectant Iudæi ante Messiæ aduentum,272.1.

Simulatio.

Quid sit? & qua ratione à mendacio propriè dicto differat,215.2.
Alia positiua,negatiua alia:illa illicita,hæc aliquando licet,219.1.

Siclus.

Sicli dimidij censum annum iugiter pendebant Hebræi in tabernaculi, templi sumptus,426.
Eius valor,430.

Sacrificium.

Holocaustorum masculorum tantum oblatione constabat,445.

Simulacrum.

Priapi impudicum cur in hortis ponebatur,374.1.
Eius sacra impuritatibus plena celebrabantur,Ibid.

Societas.

Praua multorum causa malorum, 475. 1.
Sceleſtorum ſocietas nimis periculoſa 495. & 508.

Spes.

Gloriæ omnia vincit, 496. 2.

Synedrium.

Synedrij Senatus qualis fuerit apud Hebræos, 264.
Eius ethymon, 405.
Septuaginta virorum numero, & corũ principe conſtabat, 406. 1. & ſeq.
His reſpondet nunc in Eccleſia totidem Cardinalium numerus, 407. 1.

Scientia.

Palato conſulentis inſipida deſpicitur, quamvis alioquin alta, 463.

Seruitus.

Eius vocabulum, & origo vnde fluxerint, pag. 123. 2.

Stoyci.

Indignas viri conſtantis exiſtimant lachrymas, 285. 1.

Superbia.

Reprimitur mortis memoria, 644.

Supplicium.

Vnius correctio eſt multorum, 490. 2. & ſeq.

Status.

Innocentiæ mulierem reddidiſſet immunem ærumnis, & doloribus, quæ conceptum ſequuntur, 39.
In eo ſtatu ſubiecta eſſet viro mulier, ſed ſine coactione, & cum ſpontanea obedientia, Ibid.

T.

Thamar.

Adulterium non commiſit ſe cum Iuda commiſcens, 244. 1.

Talio.

Talionis ptena in veteri lege contra Iſraelitas à Deo interminata fuit: quamquam friuole oblatrent Rabbini, 389.

Terra.

Maledicitur, vt Adam magis puniatur, 47. 1.
Aquis diluuij deletur quoad ornatũ, & venuſtatem, non quoad ſubſtantiam, 66. 2.
Terræ maledictio ſterilitatem fructuũ ſic vt benedictio fecunditatem deſignat, 69. 1.
Terræ diuiſio duplex, iuris videlicet, & facti contigit diebus Phaleg, & quo pacto, 136.

Templum.

Salomonicum ſpatium occupabat duplo maius, quam tabernaculum Moſis, 414.

Timor.

Timet iuſt⁹, & peccator, ſed ille Deũ of

fensum, iste solam pœnam, 471.

Traianus.

Eius summa æquitas in commonendo præfecto officij sui, 155.1.

Trinitas.

Trinitatis mysterium aptæ designatur verbis Genes. *Faciamus hominem, &c.* 28.1.
Eius inconcussam veritatem deturpāt Rabbini variis expositionibus è suo cerebro ductis, pag. 29. & seq.

Tunica.

Tunicæ pelliceæ, quibus Adam, & Eua induti sunt, forte fuerunt ex corticibus arborum, 26.2.
Iuxta aliquorum sententiam ex pellibus animalium occisorum, Ibid.

Turris.

Ad turrim ædificandam omnes homines, qui erant in terra, conuenerunt in campum Sennaar, 132.2.

Thymiama.

Eo profanè vti vetuit Dominus, 432.

Tentatio.

Signum est iustitiæ in homine, 519.
Auget itidem iustitiam, Ibid.
Non permittitur à Deo supra vires, Ibid.

V.

Vanitas.

Sæpè deuincit triumphantes de graui tentatione, 498.

Veritas.

Despicitur sine vtilitate proueniens, 526.
Eam principibus nullus dicere audet, 546.1.

Via.

Ad gloriam ardua, & laboriosa, 528.

Virtus.

Exima est inimicos diligere, 524.

Videre.

Solet accipi in Scriptura generaliter pro sentire, 371.

Vigilia.

Est necessaria ne morte præocupemur. 549.2.

Vestis.

Sacris vestibus extra sanctuarium vti sacerdotibus non licebat, 418. & seq.

Vita.

Actiua cum contemplatiua est coadunanda, 530.1.

Vnitas.

Prauorum noxia, 494.2.

Vrim, & summim.

Lapides erant in rationali iudicij à gē mis indistincti, 421.

Z.

Zacharias.

Ioannis pater summo sacerdotio functus non fuit, 429.

Zelotæ.

Quinam apud Hebræos dicerentur, & quod ius eorum, 394.

INDEX ANTILOGIARVM, QVÆ IN HOC, VOLVMINE CONCILIANTVR.

EX GENESI CAP. 1.

CAP. 1. v. 11. Germinet terra herbam virentem, & v. 11. & factum est ita hoc, tempore veris conditum mundum probat.

Genes. 8. v. 11. Columba circa medium mensis vndecimi viridem oliuæ ramum ad arcam Noe retulit, quod combenit mensi Maio, fuit ergo primus mensis Iulius, & consequenter æstate conditus fuit mundus, Papina 1.

Toto cap. 1. Omnium rerum fabricam in sex dies esse distributam, & à Mose delineatam videmus.

Ecclesiast. cap. 8. Qui viuit in æternum creauit omnia simul, pag. 4.

In principio creauit Deus Cœlum, v. 1 v. 8. vocauit que Deus firmamentũ Cœlum, ex quibus constat firmamentum primo die conditum fuisse.

Genes. 1. v. 7. Et fecit Deus firmamentum, v. 8. & factum est vespere, & mane dies secundus. Ex quibus colligitur firmamentum conditum esse die secundo, pag. 8.

Genes. 1. Sexto die masculum, & fœminam fecit eos, vnde Eua sexto die fuit creata.

Genes. 2. Septimo die ex costa Adami fuit Eua producta, pagin. 14.

Ex Genes. cap. 1. v. 13. Virgultum terræ tertio die dicitur fuisse productum.

Cap. 2. *Gene.* v. 4. Istæ sunt generationes Cœli, & terræ quando creatæ sunt, die quo fecit Deus Cœlum & terram, & omne virgultum agri. Ex quibus sic, eodem die quo Cœlum, & terram condidit Deus, fuit terræ virgultum, sed condidit Cœlum, & terram primo die, virgultum igitur non fuit tertio die creatum, pagin. 17.

Genes. 1. Sexto die maculum, & fœminam crauit hominem.

Genes. 2. Productis plantis, floribusque cum terra (inquit Moses) non erat qui operaretur terram, formauit deinde hominem de limo terræ, p. 18.

Genes. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.

Deut. 6. Audi Israel. Deus tuus Deus vnus est, p. 28

Genes. 1. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.

Psalm. 70. Nullum similem esse Deo dicitur, pag. 33.

Genes. 1. Dicitur producant aquæ reptile

tile animæ viuentis, & volatile super terram. Vnde volatilia ex aquis esse formata apparet.

*Genes.*2. Dicitur formatis de humo cũctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus Cœli, pag. 33.

*Genes.*1. Formatus dicitur sexta die homo.

*Genes.*2. Homo non erat qui operaretur terram, pag. 34.

*Genes.*1. Vidit Deus omnia quæ fecerat, & erant valde bona.

*Isai.*45. Ego sum qui paraui lumen, faciens pacem, & creans mala, & alibi passim hæc repetuntur, pag. 34.

*Gen.*1. Vidit omnia quæ fecerat, & erãt valde bona.

*Eccl. cap.*1. Vanitas, vanitatis, & omnia vanitas, pag. 35.

*Genes.*1. Sex enim diebus, fecit Cœlũ, & terram.

*Genes.*2. Compleuit Deus die septimo opus suum quod fecerat, pag. 36.

CAPVT 2. GENESIS.

*Genes.*2. Septimo die ex costa Adami fuit Eua producta.

*Genes.*1. Sexto die masculum, & fœminam fecit eos, vnde Eua sexto die fuit creata, pag. 14.

*Cap.*2. *Genes.* v. 4. Istæ sunt generationes Cœli, & terræ quando creatæ sunt, die quo fecit Deus Cœlum, & terram, & omne virgultum agri. Ex quibus sic, eodem die quo Cœlum, & terram condidit Deus, fuit terræ virgultum, sed condidit Cœlum, & terram primo die, virgultum igitur non fuit tertio die creatum.

*Genes. cap.*1. v. 13. Virgultum terræ tertio die dicitur fuisse productum, p. 17.

*Genes.*2. Productis plãtis, floribusque cum terra, homo (inquit Moses) non erat qui operaretur terram, formauit deinde hominem de limo terræ.

*Genes.*1. Sexto die masculum, & fœminam fecit hominem, pagin. 18.

*Genes.*2. Dicitur formatis de humo cunctis animantibus terræ, & vniuersis volatilibus Cœli.

*Genes.*1. Dicitur producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram. Vnde volatilia ex aquis esse formata apparet, pag. 33.

*Genes.*2. Homo non erat qui operaretur terram.

*Gen.*1. Formatus dicitur sexta die homo, pag. 34.

*Genes.*2. Requieuit Deus ab omni opere quod patrarat.

Ioannes, 5. Pater meus vsque modo operatur, pag. 35.

*Genes.*2. Compleuitque Deus die septimo opus suum quod fecerat.

*Exod.*20. (Et ex Genes. 1. idem cõstat) sex enim diebus fecit Cœlum, & terram, pag. 36.

*Genes.*2. Posuit hominem in paradiso, vt operaretur, & custodiret illum.

*Genes.*3. Maledicta terra in opere tuo. Quasi operari pœna fuerit peccati, pag. 36.

*Genes.*2. In quocunque die comederis ex eo morte morieris.

Genes. Cap. 5. Nongentorum triginta annorum vita functus est Adam, pag. 37.

*Genes.*2. Septimo die fecit Euam.

*Exod.*20. Sex diebus fecit Deus Cœlum, & terram, pag. 334.

*Genes.*2. Benedixit diei septimo, deinde Exod. 10. Sabbathum obseruatũ est in deserto Sin, quo accesserunt mense 2. & Deut. 5. ante legem quæ data est mense 3.

*Exod.*20. Memento diem Sabbathi sanctifices. Ex quibus infertur, lege Mosis fuisse Sabbathum institutum, pag. 360.

CAPVT 3. GENESIS.

*Genes.*3. Maledicta terra in opere tuo. Quasi operari pœna fuerit peccati.

Gen.

*Geneſ.*2. Poſuit hominem in paradiſo, vt operaretur,& cuſtodiret illum, pag.36.

*Geneſ.*3. Vidit igitur mulier quod bonum eſſet lignum.

*Geneſ.*3. Et Aperti ſunt oculi eorum, & cum cognouiſſent ſe eſſe nudos, pag.37.

*Geneſ.*3. In pœnam dixit mulieri Deus, multiplicandos conceptus,in dolore parituram filios, & ſub viri fore poteſtate,& dominio.

Hæc omnia accidérent, etſi ſtatum conſeruarẽt fæliciſsimum innocentiæ, Geneſ.30.& Pſalm.127.vxor tua ſicut vitis abundans,pag.38.

GENESIS 4. CAPVT.

Geneſ.Cap. 4. Poſſedi hominem per Deum inquit de Cain Eua.

Ioannes 1. Non ſicut Cain, qui ex maligno erat,pag.39.

*Geneſ.Cap.*4. Maior eſt iniquitas mea, quam vt veniam merear.

Paul. ad Romanos 5. Peccatum vero non imputabatur non exiſtente lege,pag.40.

*Geneſ.Cap.*4. Dicitur omnis qui occiderit Cain,ſeptuplum punietur , & de Lamech Cain interficiente à caſu,& in conſulto dicitur in calce capitis maiores pœnas daturum.

*Deut.*25. Pro menſura peccati debet eſſe,& plagarum modus,pag.50.

*Geneſ.*4.*v.vlt.* Enos iſte cœpit inuocare nomen Domini.

*Geneſ.*4. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui , Adam etiam inuocauit nomen Domini , pagin. 53.

*Geneſ.*4. Cain cognouit vxorem ſuam, & peperit Henoch , ſolum illi fuerunt duo parentes,& filius.

Ibid. Ædificauit ciuitatem , & vocauit nomen eius ex nomine filij ſui Henoch , ciuitatem autem multitudo conſtituit,pag.56.

CAPVT 5. GENESIS.

*Geneſ.*5. Nongentorum triginta annorum vita functus eſt Adam.

*Geneſ.*2. In quocunque die comederis ex eo morte morieris,pag.37.

*Geneſ.*5. In die qua creauit hominem, ad ſimilitudinem Dei fecit illum.

*Pſal.*70. Quis ſimilis erit Deo ? dicit Dauid,pag.57.

*Geneſ.*5. *v.* 26. Mathuſala poſtquam genuit Lamech vixit , 782. annis, Lamech cum eſſet,180.annorum genuit Noe,ex quibus conſtat poſt diluuium vixiſſe,quod 600.anno vitę Noe incepit.

*Geneſ.Cap.*7. Conſtat Mathuſala non fuiſſe receptum in arcam , cum ſoli filij Noe referantur,quo ergo confugit?pag.127.

*Geneſ.*5.*v.vltim.* Noe vero dicitur , cũ quingentorum eſſet annorum , genuiſſe Sem,Cham,& Iapheth. Gen. 7. Noe dicitur fuiſſe ſexcentorum annorum quãdo diluuij aquæ innundauerant terram.Ex quibus deducitur Sem cum incepit diluuium, fuiſſe centum annorum.

*Geneſ.*11. Sem erat centum annorum, quando genuit Arphaxad biennio poſt diluuium,quæ innundatio integro durauit anno.Ex quibus infertur Sem non fuiſſe centum annorum tempore diluuij,pag.149.

CAPVT GENESIS 6.

*Geneſ.*6. Videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ , acceperunt vxores. Quo iratus eſt Dominus.

D.Paulus ad Romanos 5. Non exiſtente lege non imputatur peccatum,neque culpa , huiuſmodi coniuntio non erat prohibita. Deinde quierant filij Dei?pag.58.

*Geneſ.*6. Pœnitet me feciſſe hominem.

Pſalm.

*Psalm.*109. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, pag. 64.

*Genes.*6. Ego disperdam eos cum terra.

*Eccl.*1.v.4. Terra autem in æternum stat, pag. 65.

*Genes.*6.v.3. Dixitque Deus non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est, eruntque dies illius centum viginti annorum.

Si hæc verba dirigantur ad omne genus humanum, quasi generis vitæ humanæ periodus 120. annis definiatur, Arphaxad Sale Heber. annos 120. excesserunt, Genes. cap. 11. & Ioiada ad 130. peruenit 2. Paral. 24. si solum ad homines, qui tunc existebant solum 100. interfuerunt à comminatione vsque ad diluuium, Genes. cap. 6. pag. 74.

CAPVT 7 GENESIS.

*Genes.*7. Dicitur diluuium illud super vniuersam terram generalissimum illam deleuisse, vnde paradisus terrestris in hoc terrarum orbe constitutus ruinam passus aperte constat.

*Eccl.*44. Traditur Henoch fuisse in paradisum translatum, pag. 75.

*Genes.*7. Diluuium vniuersam deleuit terram, & omnem substantiam, quã fecit desuperficie terræ.

*Genes.*8. Columba ramum oliuæ portauit, non posset autem ex oleis illis, quas diluuium obrruerat, sed ex cãpo, quo aquæ non accessissent, pag. 77.

*Genes.*7.v.11. Anno sexcentissimo vitæ Noe, mense secundo, 17. die mensis rupti sunt omnes fontes abyssi. Ex quibus habemus duos menses, & 17. dies, v. 12, facta est pluuia super terram 40. diebus, & v. vlt. obtinueruntque aquæ terram 150. diebus. Ex quibus colliguntur, sex menses Lunares qui (177. diebus absoluuntur) & dies 13. Quibus si adiungas menses duos, & 17. dies nouem excedunt menses, non igitur requieuit septimo mense.

*Genes.*8. Requieuit arca mense septimo 27. die super montes Armeniæ, pag. 87.

*Genes.*7. Constat Mathusala non fuisse receptum in arcam, cum soli filij Noe referantur. Quo ergo confugit?

*Genes. Cap.*5.v.26. Mathusala post quã genuit Lamech vixit 782. anis, Lamech cum esset, 180. annorum genuit. Noe Ex quibus constat post diluuium vixisse, quod 600. anno vitæ Noe incepit, pag. 127.

*Genes.*5.v.vltim. Noe vero dicitur, cum quingentorum esset annorum, genuisse Sem, Cham, & Iapheth, Gen. 7. Noe dicitur fuisse sexcentorum annorum, quando diluuij aquæ inundauerant terram. Ex quibus deducitur: Sem cum incepit diluuiũ fuisse centum annorum.

*Genes.*11. Sem erat centum annorum, quando genuit Arphaxad, biennio post diluuium, quæ innundatio integro durauit anno. Ex quibus infertur Sem non fuisse centum annorũ tempore diluuij, pag. 149.

CAPVT 8. GENESIS.

*Genes.*8.v.11. Columba circa medium mensis vndecimi viridem oliuæ ramum ad arcam Noe retulit, quod combenit mensi Maio, fuit ergo primus mensis Iulius, & consequenter æstate conditus fuit mundus.

*Genes.*1.v.11. Germinet terra herbam virentem, & factum est ita hoc tempore veris conditum mundum probat, pag. 1.

*Genes.*8. Columba ramum oliuæ portauit, non posset autem ex oleis illis, quas diluuium obrruerat, sed ex campo, quo aquæ non accessissent.

*Genes.*7. Diluuium vniuersam deleuit ter-

terram,& omnem ſubſtantiam,quã fecit de ſuperficie terræ, pagin. 77.

*Gene.*8.*v.*13.Sexcentiſimo primo anno,primo menſe,prima die menſis, imminutæ ſunt aquæ ſuper terram, & aperiens Noe tectum arce, aſpexit, viditque quod exſiccata eſſet ſuperficies terræ.

*Geneſ.*8.*v.*14.Menſe ſecundo,ſeptimo & vigeſsimo die menſis arefacta eſt terra,quæ inter ſe opponuntur,pa. 87.

*Geneſ.*8.Requieuit arca menſe ſeptimo 27.die ſuper montes Armeniæ.

*Geneſ.*7.*v.*11.Anno ſexcentiſsimo vitę Noe menſe ſecundo,17.die menſis rupti ſunt omnes fontes abyſsi. Ex quibus habemus duos menſes,&17 dies,v.12.facta eſt pluuia ſuper terram 40.diebus,&v.vlt.obtinuerunt que aquæ terram 150. diebus. Ex quibus colligitur ſex menſes lunares(qui 177.diebus abſoluuntur)& dies 13.Quibus ſi adiungas menſes, duos,& 17. dies nouem excedunt menſes,non igitur requiuit ſeptimo menſe,pag.87.

*Geneſ.*8. Decimo enim menſe primo die menſis apparuerunt cacumina montium.

*Ibid.v.*9.Quæ cum non inueniſſet vbi requieſceret pes eius, reuerſa eſt Columba, aquæ enim erant ſuper vniuerſam terram,pag.88.

*Geneſ.*8.Tollens de cunctis pecoribus & volucribus mundis obtulit holocauſta.

*Leuit.*11. *& Deut.* 14. Diſtintio inter hæc animalia munda ab immundis, & holocauſtum eorum tunc primũ haberetur,pag.89.

*Geneſ.*8. Nequaquam vltra maledicã terræ.

*Deut.*28.Maledictus in ciuitate,maledictus in agro,& Pentapolim ſubuertit Deus,pag.90.

*Geneſ.*8.Requieuit arca ſuper montes Armeniæ, quæ ſeptentrionalis eſt Babylonĩ.

*Geneſ.*11.Cumque proficiſcerentur de oriente,pag.138.

GENESIS CAPVT 9.

*Geneſ.*9. Dixit Deus creſcite,& multiplicamini.

Paulus 1.*ad Corinth.*7. Qui non iungit virginem ſuam melius facit, pagin. 90.

*Geneſ.*9. Non erit deinceps diluuium.

*Pſalm.*28.Dominus diluuium inhabitare facit,pag.105.

*Geneſ.*9.Prohibetur homicidium ſub pœna mortis.

*Exod.*21. Homicidium pretio redimi poterat,pag.106.

*Geneſ.*9. Carnem cum ſanguine non comedendam,Leuit.c.17.& actor. 15.à ſanguine,& ſuffocato abſtinendum præcipitur.

Omnia cæremonialia iam abrrogata paſsim repetit Paulus,neque chriſtiani à ſanguine, & ſuffocato ſe continent,pag.106.

*Geneſ.*9. Quicunque effuderit ſanguinem hominis, fundetur ſanguis illius.

*Num.*35. Vindex ſanguinis impune occidit,qui interfecit proximum ſibi, pag.112.

*Gen.*9.Prohibetur poſteris omnibus Noe ſuffocatum.

*Deut.*14.Permittit Dominus ſuffocatum,& morticinum gentibus, pag. 112.

*Geneſ.*9.Ad imaginem Dei dicitur homo factus.

*Pſalm.*70.Domine quis ſimilis tibi,p. 112.

*Geneſ.*9.Maledictionis afficitur pœna paternæ innocens nepos Chanaam.

*Ezech.*18.Filius non portabit iniquitatem patris,neque pater filij,ſed anĩma quæ peccauerit ipſa punietur. Idem conſtat Exod.20.& Deut.24. pag.112.

Geneſ.9. Chanaam ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis.

Exod.à cap.1.vſque ad 10. Poſteri Sem Ægyptijs ſeruierunt à Cham poſteris originem ducentibus,pag.125.

Geneſ.9. Maledictus ſit Chanaam.

Geneſ.10. Chanaam nondum natus erat,v.enim 12.dicitur natique ſunt eis filij poſt diluuium,pag.127.

Geneſ.9. Chainam pro ſuo parente.

Exod.34. Non occidentur patres pro filijs,pag.438.

CAPVT GENESIS 10.

Geneſ.10. Chanaam nondum natus erat,v.enim 12.dicitur natique ſunt eis filij poſt diluuium.

Geneſ.9. Maledictus ſit Chanaam,pag. 127.

Geneſ.10. Nomen vni Phaleg,eo quod diebus ſuis diuiſa ſit terra.

Geneſ. Tredecim generationes Iectam fratris Phaleg natu minoris intererant confuſioni linguarum, non ergo diebus Phaleg terra diuiſa eſt,pag.128.

GENESIS CAPVT 11.

Geneſ.11. Arphaxad,Sale , Heber annos,120.exceſſerunt ,& Ioiada ad 130.peruenit,2.Paral.24.

Geneſ.Cap.6.v. 3. Dixitque Deus non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum,quia caro eſt eruntque dies illius centum viginti annorum,pag.74.

Geneſ.11. Cumque proficiſcerentur de oriente.

Geneſ.8. Requieuit arca ſuper montes Armeniæ , quæ ſeptentrionalis eſt Babyloni,pag.138.

Geneſ.11. Inuenerunt campum in terra Sennaar.

Conſtat ex eodem cap.nullum ibi fuiſſe hominem,aquo poſſet nomen imponi,pag.140.

Geneſ.11. Dominus deſcendit vt videret.

Ad Hebr.4. Nulla creatura inuiſibilis in conſpectu Domini,pag.140.

Geneſ. 11. Cœperuntque hoc facere, nempe turrim,cuius culmen pertingeret Cœlum , nec deſiſtent à cogitationibus ſuis,donec opere compleant.

Impoſsibile eſt ædificium conſtruere, cuius culmen Cœlum pertingat. Non ergo vnquam opere compleuiſſent,pag.140.

Geneſ.11. Arphaxad vixit triginta , & quinque annis,& genuit Sale.

Lucas Cap.3. Inter Arphaxad , & Sale ponit Chanaam. Arphaxad ergo cum eſſet 35.annis,genuit Sale,& ſimul eodem anno Chanaam eius parentem,quod impoſsibile eſt , pag. 141.

Geneſ.11. Vixitque Tare 70.annis , & genuit Abraham,& Nachor, & Aram,& v.31.facti ſunt dies Tare 205 annorum,Abraham , 75.annorum erat cum egreſſus eſt de Aramet, 145.Tare , & 60.ante illius mortem.

Actor.cap.5. Conſtat Abraham egreſſum eſſe de Charam ſeu Aram poſt quam parens mortus eſt,pag.141.

Geneſ.11. Sem erat centum annorum, quando genuit Arphaxad biennio poſt diluuium,quæ innundatio integro durauit anno. Ex quibus infertur Sem non fuiſſe centum annorũ tempore diluuij.

Geneſ.5.v.vltim. Noe vero dicitur, cũ quingentorum eſſet annorum , genuiſſe Sem,Cham,& Iapeth , Gen. 7. Noe dicitur fuiſſe ſexcentorum annorum, quando diluuij aquæ innundauerant terram. Ex quibus deducitur,Sem cum incepit diluuium fuiſſe centum annorũm,pag.149.

Geneſ.11. Deus deſcendit vt videret. Deus omnia videt,& loco non mouetur,pag.151.

Geneſ.11. Abraham natus eſt anno 70. patris ſui,qui vixit 205.annis.

Ex Geneſ.12. Septuaginta quinque an-

norum erat Abraham cum egrederetur de Haram. Egressus autem est post mortem patris sui Tare, pag. 152.

GENESIS CAPVT 12.

*Genes.*12. A promissione Abrahæ vsque ad legem Mosi datam fuisse videtur, 645. annos Abraham enim 75 erat annorum cum hæc facta fuit illi promissio. Vnde vsque ad descensum in Ægyptum 215. fuere anni, ab ingresso vsque ad exitum 430. Exo. cap. 12. adde dies ab exitu vsque ad legem datam.

Paulus ad Galatas, 3. Hoc autem dico testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos annos facta est lex, non irritum facit ad euacuandam promissionem, pag. 151.

*Genes.*12. Septuagintaquinque annorũ erat Abraham cum egrederetur de Haram. Egressus autẽ est post mortem patris sui Thare.

*Genes.*11. Abraham natus est anno 70. patris sui, qui vixit 205. annis, pagin. 152.

*Genes.*12. Vocauitque Pharao Abrahæ.

Quomodo superstes ad tempora Mosis 430. scilicet annos, vt præcedenti antilogia Pharao, pag. 152.

*Genes.*12. Deus, qui eduxit me de terra natiuitatis meæ, & cap. 15. Qui eduxit te de Vr. Chaldeorum, erat ergo Vr. Patria Abrahæ.

*Genes.*24. Ad terram, & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias vxorem, idest, in vrbem Haram, pa. 203.

GENESIS CAPVT 13.

*Genes.*13. Omnem terram, quam conspicis, dabo tibi.

Non poterat conspicere omnem terrã, quam ipsi ab Aquilone ad Meridiẽ, ab oriente ad occidentem concesit, pag. 153.

*Genes.*13. Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo.

Act. cap. 7. Dicitur quod non dedit hæreditatem in ea, nec passum pedis, pag. 153.

*Genes.*13. Omnem terram dabo tibi in sempiternum.

A Messia occisso illam amisserunt, vt constat, pag. 153.

GENESIS CAPVT 14.

*Genes.*14. Peruisserunt omnem regionem Amalecitarum.

*Genes.*26. Non erat, Amalec, qui fuit auctor gentium illarum, fuit nepos Esau, pag. 154.

*Genes.*14. v. 10. Rex Sodomæ in bello cecidit. Eeodem Cap. Sodomorum Rex obuiam occurrit Abrahæ victori, pag. 154.

Genes. 14. Persequtus est eos usque Dam.

Diuus Paul. Act. 22. Principibus, inquit, non maledicendum, pagin. 154.

*Genes.*14. Egressa est Dina filia liæ, vnde soror filiorum Iacob.

*Genes.*34. Si autem circumcidi nolueris, tollemus filiam nostram, pagin. 230.

GENESIS CAPVT 15.

*Genes.*15. Dicit Dominus Abrahæ suspice Cœlum, & numera stellas.

Iob 4. Adspexi solem. cum splenderet. Quasi delictũ esset, adspicere solẽ, pag. 159.

*Genes.*15. Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuum, ita & affligent quadringentis annis.

Habitatio filiorum Israel fuit quadringentorum & triginta annorum, pa. 161.

*Gen.*15. Generatione autem quarta reuertentur huc, vbi 400. annos denotant istæ generationes.

*Baruc Cap.*5. Eritis Babylone vsque ad ge-

generationem septimam, vbi fuerũt 70. anni, vt ex Ier. cap. 25. pag. 161.

Genes. 15. Qui eduxi te de Vr Chaldeorum.

Genes. 12. Deus, qui eduxit me de terra natiuitatis meæ, erat ergo Vr. patria Abrahæ.

Genes. 24. Ad terram, & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias vxorem, id est in vrbem Haram, p. 203.

Genes. 15, Constat habitasse filios Iacob 400. annis, quæ omnia comparari non possunt cum sequenti textu, & Exod. 12. dicitur fuisse, 430,

Exod. Cap. 6. Anni vitæ Leui fuerunt, 127. ingressus autem est in Ægyptũ, cum 43. fuisset annorum. Vnde mortuus 121. annis ante egressum ex Ægypto, & ante ortum Mosis 41. annis. Ex quibus constat filios Iacob fuisse in Ægypto, 215. annis, p. 293.

Genes. 15. Affligent eos quadringentis annis.

Exod. 12. Habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit quadrigentorum triginta annorum, pag. 308.

GENESIS CAPVT 17.

Genes. 17. Circumcisio data fuit Abrahæ in fœdere sempiterno.

Paul. ad Galatas 5. Circumcisio nil prodest, pag. 162.

Genes. 17. Infans octo dierum circumcidatur.

Iosue 5. Per quadraginta annos populus non est circumcisus, pag. 175.

Genes. 17. Hoc est pactum meum, quod obseruabitis inter me, & vos, & semen tuum post te.

Ex eodem Cap. 17. Tam vernaculus, quã emptitius circumcidetur, & quicũque non fuerit de stirpe vestra, pag. 178.

Genes. 17. Hoc est pactum meum, quod obseruabitis inter me, & vos & semẽ tuum post te,

Ierem. cap. 9. Ecce dies venient, dicit Dominus, & visitabo super omnem qui circumcisum habet præputium super Ægyptum, & super Iudam, & super Edom, & super filios Amnon, & Moab, pag. 179.

Genes. 17. Masculus, qui circumcisus non fuit delebitur anima illius de populo suo.

Ezech. 18. Anima, quæ peccauerit ipsa punietur, pag. 180.

Genes. 17. Risit in corde suo, dicens Abraham putas ne centenario nascetur filius? & Sara non agenaria pariet?.

Paulus ad Rom. 14. Et non infirmatus est in fide, nec considerauit corpus suum emortuum, cum iam fere centum esset annorum, neque mortuam vuluam Sare, &c. pag. 181.

Genes. 17. Risit Abraham, & tamen dicitur quod credidit, & reputatum est ad iustitiam.

Genes. 18. Quare Risit Sara? vbi diffidentiæ reprehenditur à Deo, pagin. 183.

GENESIS CAPVT 18.

Genes. 18. Quare risit Sara? vbi diffidentiæ reprehenditur à Deo.

Genes. 17. Risit Abraham, & tamen dicitur, quod credidit, & reputatum est ad iustitiam, pag. 183.

Gen. 18. Descendam, & videbo dicit de te Deus.

Paul. ad Hebreos 4. Omnia nuda, & aperta sunt oculis Domini, pag. 183.

Genes. 18. Pueros culpæ inoxios perdidit Deus.

Anima, quæ peccauerit ipsa punietur, pag. 184.

Genes. 18. Habeo duas filias abutimini eis, dummodo viris istis nil mali faciatis.

Paul. ad Rom. 3. Non sunt facienda mala, vt eueniant bona, pagin. 184.

Gen. 18. *v.* 2. Angelos adorauit Abrahã

Lot Geneſ.19.Ioſue.Cap.5.Manue. Iudic 13.Balam Num.22.

*Matth.*4.& Deut.6.v.15.Deum ſolũ adorandum conſtat, & Paul.5. ad Thim.5.v.17.Apoc.19.Angelus recuſat adorari,pag.185.

GENESIS CAPVT 20.

*Geneſ.*20.Cum ſciret Abimelech Saram vxorem eſſe Abraham, expoſtulans vt quid ſimularet coniugiũ? ſic reſpondet:vere ſoror mea eſt filia patris mei ; & non filia matris meæ.

*Ex Leuit.Cap.*20.v.17. Qui acceperit ſororem ſuam filiam patris ſui , vel filiam matris ſuæ,& viderit turpitudinem eius,&c.nefariam rem operati ſunt.Quod non ſolum lege ſcripta,ſed naturali prohibitum cenſent Patres,pag.189.

GENESIS CAPVT 21.

*Geneſ.*21.Dicitur ciuitatem vocari Berſabee:quia Abraham,& Abimelech ibi inierunt fœdus , atque iurarunt.

*Geneſ.*26.v.33.Et nomen vrbi impoſitum eſt Berſabee , vſque in præſentem diem,à puteo inuento , pagin. 198.

*Geneſ.*21. Abraham fœdus inijt cum Abimelech.

*Exod.*23.Cum Gentilibus prohibitum eſt,pag.199.

*Geneſ.*21.Dixitque Abraham ego iurabo.

*Matth.*5.Prohibitum eſt iurare, pag. 199.

GENESIS CAPVT 22.

*Geneſ.*22. Tentauit Dominus Abraham.

*Iac.*1.Deus neminem tẽtat,pag.199.

*Geneſ.*22.Poſt quam adorauerimus reuertemur ad vos,

Ibidem.Tolle filium tuum,&c. Offert eum in holocauſtum,pag.200.

GENESIS CAPVT 23.

*Geneſ.*23.Et adorauerit populum.

*Deut.*6. Dominum Deum ſolum eſſe adorandum,pag.200.

*Geneſ.*23.Abraham emit ab Ephron filio Seor agrum,iuxta vrbem in ſepulturam Saræ.

*Act. Apoſt.cap.*7.Deſcendit Iacob in in Ægyptum ,& defunctus eſt ipſe, & patres noſtri , & tranſlati ſunt in Sichem,& poſiti ſunt in ſepulchro, quod emit Abraham pretio argenti à filijs Hemor,filij Sichem , pag. 200.

*Geneſ.*23.Sepulchrum Abrahæ in Hebron collocatum eſt.

*Act. Apoſt.cap.*7.Iacob , & filij eius tranſlati ſunt in Sichem,& poſiti in ſepulchro Abrahæ,pag.202.

*Geneſ.*23.Abraham in Chanaam ſpeluncam,& agrum conſtat emiſſe.

*Act.*7.Dicitur quod non dedit hæreditatem in ea,nec paſſum pedis , p. 202.

GENESIS CAPVT 24.

*Geneſ.*24.Ad terram, & cognationem meam proficiſcaris,& inde accipias vxorem,id eſt in vrbem Haram.

*Geneſ.*12.Deus,qui eduxit me de terra natiuitatis meæ,& cap.15.Qui eduxite de Vr Chaldeorum : erat ergo Vr patria Abrahæ,pag.203.

*Geneſ.*24.Deditque illi omnia,quæ habuerat.

*Geneſ.*25.Dedit Abraham omnia, quæ poſſederat Iſac,pag.204.

*Geneſ.*24.Filium meum tantum ne reducas illuc.Quaſi cum hominibus natiuitatis ſuæ ſolum commorari præciperet.

*Ex Geneſ.*26. Iurauerunt ſibi mutuo, & verſ.13.ineamus fœdus , pagin. 204.

GE-

GENESIS CAPVT 25.

*Cap.25.Genes.*Iacob vir simplex.

*Genes.*27. Venit germanus tuus fraudulenter,& accepit benedictionem, pag.203.

*Genes.*25.Dedit Abraham omnia, quæ possederat Isaac.

*Genes.*24.Deditque illi omnia,quæ habuerat,pag.204.

*Genes.*25.Aliam duxit vxorem nomine Ceturam.

Ibidem filijs autem concubinarum largitus est munera.Quasi Cetura concubi na fuisset,pag.204.

*Genes.*25.Iacob virum simplicem fuisse constat , & post benedictionem ab Isaac Iacob oblatam multifariam illi Deum apparuisse constat.

*Genes.*27.Ego sum Esau feci sicut præcipisti mihi.Comede de venatione mea.Vestibus Esau induit eũ. Quæ omnia mendatia sunt,pag.213.

GENESIS CAPVT 26.

*Genes.*26.Non erat Amalec , qui fuit auctor gentium illarum,fuit nepos Esau,

Percusserunt omnem regionem Amalecitarum,pag.154.

*Genes.*26.v.33.Et nomen vrbi impositum est Bersabee,vsque in præsentem diem aputeo inuento.

*Genes.*21. Dicitur ciuitatem vocari Bersabee,qaia Abraham,& Abimelech ibi inierunt fœdus, atque iurarunt, pag.198.

*Genes.*26.Iurauerunt sibi mutuo , & v. 23.ineamus fœdus.

*Genes.*24.Filium meum tantum ne reducas illuc. Quasi cum hominibus natiuitatis suæ solum commorari præciperet,pag.204.

GENESIS CAPVT 27.

*Gene.*27.Venit germanus tuus fraudulenter,& accepit benedictionem.

*Genes.Cap.*25.Iacob vir simplex, pag. 203.

Genes. 27. Egosum Esau. Fecit sicut præcepisti mihi. Comede de venatione mea. Vestibus Esau induit eũ. Quæ omnia mendatia sunt.

*Genes.*25. Virum simplicem fuisse constat,& post benedictionem ab Isaac Iacob oblatam. Multifariam illi Deum apparuisse constat, pag. 213.

*Genes.*27.In pinguedine terræ,& in rore Cœli desuper erit benedictio tua accepit ergo benedictionem.

*Paulus ad Hebr.*12. Nequis sit fornicator,siuè prophanus,vt Esau , qui propter vnam escam vendidit primitiua sua.Scitote enim , quoniam postea cupiens hæreditare benedictionem,reprobatus est: non enim inuenit pœnitentiæ locum , quamquam cum lachrymis inquisisset eã. Ex quibus Paulus negat accepisse benedictionem,quam cum lachrymis postulabat ab Isaac,pagin.221.

*Gen.*27.Fratri tuo seruies inquit Esau ad Iacob.

*Genes.*32.Serui tui Iacob: munera misit Domino suo Esau. Verba sunt, quæ loquutus est Iacob,pagin. 222.

*Genes.*27.Tempusque veniet , cum excutias,& soluas iugum eius de ceruicibus tuis.

Nullibi reperitur, posteros Esau iugũ Israelitarum soluisse,pag.222.

GENESIS CAPVT 28.

*Genes.*28.Surgens Iacob mane tulit lapidem,quem suppossuerat in titulũ fundens oleum desuper.

*Leuit.*26.Nec titulos erigetis,nec insignem lapidem ponetis in terra vestra pag.222.

*Genes.Cap.*28.Appellauit nomen vrbi Bethel quæ prius Luza vocabatur.

*Iosue cap.*16.Cecidit sors filiorum Ioseph

ſeph ab Iordane contra Iericho ad montem Bethel,& egreditur de Bethel Luzam,pag.223.

*Geneſ.*28.Si hæc , & hæc fecerit mihi Dominus erit mihi in Deum : quaſi non ſic,ſi non fecerit illa.Quod impium videtur.

Daniel 3.Deus poteſt eripere nos de camino ignis , quod ſi noluerit, Deos tuos non colimus,pag.223.

GENESIS CAPVT 29.

*Geneſ.*29.Imple hebdomadam ,&c.& tranſacta Rachel duxit vxorem.

*Geneſ.*31.Oppoſitum conſtat , pagin. 224.

GENESIS CAPVT 30.

*Gen.*30.Conſtat mulierem. Sub viri fore poteſtate , & dominio , filios que in dolore parituram, & ſi ſtatū conſeruarent fœliciſsimum inocentiæ.

*Geneſ.*3.In pœnam dixit mulieri Deus, multiplicandos conceptus,in dolore parituram filios , & ſub viri fore poteſtate,& dominio,pag.38.

*Geneſ.*30.Conſtat ſeptimam fuiſſe iſtā apparitionem.

*Geneſ.*35.Apparuit iterum Deus Iacob pag.230.

GENESIS CAPVT 31.

*Geneſ.*13.Vbi fœdus Iacob , & Laban inierunt,medio vtriuſque iuramento.

*Exod.*23. Nomen Idolorum gentium non memorabitis.Idem peccat qui iurat acqui eſt in cauſa,pag. 224.

*Geneſ.*31,Iurauit ergo Iacob per timorem patris ſui Iſaac.

*Matth.Cap.*5.Reprehenſis Phariſæis prohibet formulam iuramenti.Neque per Cœlum,neque per templū, neque per caput tuum,iuraueris,Ib. Sit autem veſter ſermo eſt,eſt: non, non : quod autem abundatius eſt à malo eſt,D.Iacobus epiſt.c.5.Nolite iurare neque per Cœlum , neque per terram , neque aliud quodcunque iuramentum,Deut.6. per nomē Dei iurabis,pag.226.

GENESIS CAPVT 32.

*Geneſ.*32.Serui tui Iacob:munera miſit Domino ſuo Eſau.Verba ſunt, quæ locutus eſt Iacob.

*Geneſ.*27. Fratri tuo ſeruies , inquit, Eſau ad Iacob,pag.222.

*Geneſ.*32.Vidi Dominum facie ad faciem.

*Exod.*33.Faciem meam videre non poteris:non enim videbit me homo,& viuet,pag.229.

*Geneſ.*32. Conſtat ſeptimam fuiſſe ſequentem apparitionem.

*Geneſ.*35. Apparuit iterum Dominus Iacob,pag.230.

CAPVT 33. GENESIS

*Geneſ.*33.Donec veniam ad Dominū meum in Seir.

Nullibi legitur hoc feciſſe,pag.229.

*Geneſ.*33.v.19.Et Ioſue vlt.v.3. dicitur Iacob hanc partem agri emiſſe à filijs Hemor centum agnis.

*Geneſ.*48.Partem quam tulit de manu Amorrhæi in arcu,& gladio,p. 251.

GENESIS CAPVT 34.

*Geneſ.*34.Non poſſumus dare ſororem noſtram homini incircumciſo, hoc enim illicitum eſt.

*Geneſ.*41.Ioſeph vxorem Ægyptiam. Moſes vxorem, Ægpytiam, Iacob filiam Labam incircumciſi duxerūt, pag.230.

*Geneſ.*34.Si autem circumcidi nolueritis tollemus filiam noſtram.

*Geneſ.*14. Egreſſa eſt Dina filia liæ vnde ſoror filiorum Iacob,pagin. 230.

GENESIS CAPVT 35.

*Genes.*35. Apparuit iterum, Deus Iacob.

*Genes.*28.30.32. Constat septimam fuisse istam apparitionem, pag. 230.

*Genes.*35. Non vocaberis vltra Iacob, sed Israel erit nomen tuum.

*Genes.*35. v. 27. Et alibi post hæc vocatus est Iacob, pag. 230.

GENESIS CAPVT 36.

*Genes.*36. v. 24. Iste est Ana.

*Genes.*36. v. 2. & 14. Ana mulier dicitur, pag. 231.

GENESIS CAPVT 37.

*Genes.*37. Vidi per somnium quasi solem, & Lunam, & stellas, vndecim adorare me. Num ego, & mater tua, & fratres tui adorabimus te? Quasi tunc vixisset Rachel.

Ex eisdem verbis constat mortuam fuisse Rachelem. Ostendit hoc similitudo 11. stellarum, ex qua Veniamin vixisse constat, in cuius enixu mortua est Rachel, pag. 232.

*Genes.*37. Vidi per somnium quasi solem, & Lunam, & vndecim stellas adorare me.

Rachel cum mortua esset, nunquam adorauit Iosephum, pag. 232.

*Genes.*37. Prætereuntibus Madianitis vendiderunt eum Ismaelitis. Madianitæ vendiderunt Ioseph Putipharí.

*Genes.*39. Emit eum Putipharde manu Ismaelitarum, pag. 233.

*Genes.*37. Vendiderunt Putiphari Eunucho.

*Genes.*39. Referuntur filij Putiphari, p. 233.

GENESIS CAPVT 38.

*Genes.*38. Thamar duobus fratribus nupsit, quin, & Selæ promissa.

*Leuit.*18. Prohibetur releuari turpitudinem vxoris fratris sui, pag. 234.

*Genes.*38. Dixitque Iudas producite eam, vt comburatur.

Ibidem iustior me est, & v. 14. Mutato habitu sedit in viuio itineris, quasi meretrices essent permissæ. Nec simplex copula pœna speciali esset digna, pag. 238.

GENESIS CAPVT 39.

*Genes.*39. Emit eum Putiphar de manu Ismaelitarum.

*Genes.*37. Prætereuntibus Madianitis, vendiderunt eum Ismaelitis. Madianitæ vendiderunt Ioseph Putipharí, pag. 233.

*Genes.*39. Referuntur filij Putipharí.

*Genes.*37. Vendiderunt Putiphari Eunucho, pag. 233.

GENESIS CAPVT 41.

*Genes.*14. Ioseph vxorem Ægyptiam, Moses vxorem Ægyptiam. Iacob filiam Labam incircumcisi duxerunt.

*Genes.*34. Non possumus dare sororem nostram homini incircumciso, hoc enim illicitum est, pag. 230.

GENESIS CAPVT 42.

*Genes.*42. Exploratores estis.

Ibidem refertur cognouisse illos, vnde mentitum esse videtur, pagin. 245.

*Genes.*42. Per salutem Pharaonis.

*Deut.*6. Per nomen Dei iurabis, pag. 245.

GENESIS CAPVT 43.

*Genes.*43. Biberunt que, & inebriati sunt.

*Paul. ad Ephes.*5. Nolite inebriari

vino, in quo est luxuria, pag. 247.

GENESIS CAPVT 44.

Gen. 44. An ignoratis quod non sit similis mei in augurandi scientia? Prohibitum est augurare lege naturæ, & scripta, pag. 247.

GENESIS CAPVT 46.

Genes. 46. Inde adducam te reuertentem inquit Deus Iacobo.

Cap. 49. Dicitur quod Iacob moritur in Ægypto, pag. 248.

Genes. 46. Filij Simeon, Ismael, & Iamin, & Sohar, & Saul filius Chananitidis. Sex nominantur.

Paral. 1. *Cap.* 4. Sic legitur. Filij Simeõ, Namael, & Iamin, & Iarib, Ara, Saul, quinque, & diuersis nominibus referuntur, pag. 248.

Genes. 46. Duo filij Phares Herson, & Hamuel referũtur ingressi in Ægyptum.

Genes. 38. Constat oppositum, pagin. 249.

Genes. 46. Omnes animæ filiorum, & filiarum eius 33.

Ibidem si numerentur Ruben, Simeõ, Lebi, Iudas, Issachar, & Zabulon cum filijs eorum reperientur 35. si demas Her, & Onam mortuos, sunt 32, pag. 250.

Genes. 46. Cunctæ animæ quæ ingressæ sunt in Ægyptum, & egressæ sunt de fœmore illius absque vxoribus filiorum eius sexaginta sex.

Genes. 46. *v.* 27. Omnes animæ domus Iacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuere, 70. pag. 250.

Gene. 46. Omnes animæ domus Iacob, quæ ingressæ sunt in Ægyptum, fuere 70.

Actor. 7. Dicentur, 75. pag. 250.

GENESIS CAPVT 47.

Genes. 47. Ioseph patri, & fratribus dedit possessionem in Ægypto in optimo tertæ solo Rameses, vt præceperat Pharao.

Sed ibidem, *v.* 7. Præcepit Pharao vt illis traderetur terra Gessen, hanc ipsi fratres desiderarunt, & illis petijt Ioseph vt ex Genes. cap. 46. patet, pag. 251.

Genes. 47. Adorauit Israel Deus conuersus ad lectuli caput.

Paulus ad Hebr. 11. Adorauit fastigiũ virgæ eius, pag. 251.

GENESIS CAPVT 48.

Genes. 48. Partem quam tulit de manu Amorrhæi in arcu, & gladio.

Genes. 33. *v.* 19. & Iosue vltim, *v.* 3. dicitur Iacob hanc partem agri emisse à filijs Hemor centum agnis, pag. 251.

CAPVT GENESIS 49.

Genes. 49. Non auferetur sceptrum de tribu Iuda, & dux de fœmore eius donec veniat, qui mittendum est.

Reg. 1. Saul in Regem electus de tribu Benjamin primum; & post Sedekiam Assamonei, qui de tribu Lebi erant, pag. 252.

Genes. 49. Non auferetur sceptrum de tribu Iuda donec veniat, qui mittendus est.

Reg. 1. *Cap.* 18. Stulte egisti, inquit ad Saul Samuel, quod si non feciſſes, iam nunc præparasset Deus, regnũ tuum in sempiternum, pag. 182.

Genes. 49. Simeon, & Lebi vasa iniquitatis hellantia. In Consilium eorũ non veniat anima mea, & in cœtu illorum non si gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura. Ex quibus vltionem de Sichimitis factam capit. 34. à Mose narratã damnat, & facinus improbum, atque crudele detestatur. *Iu-*

Iudith, Cap.9. Deus patris mei Simeõ, qui dediſti illi gladium in defenſionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione ſua, & denudauerunt fœmur virginis in cõfuſionem, & filios illorum in captiuitatem, & omnem prædam in diuiſionem ſeruis tuis, qui zelauerunt zelum tuam. Ex quibus conſtat facinus Sichinutarum zelum diuini honoris eſſe Iudith, arbitratam, & à Domino proceſiſſe, pag. 283.

Geneſ.49. Præcipit ſepeliri in ſpelunca duplici, quam emerat Abram.

Geneſ.50. In ſepulchro meo, quod fodi mihi in terra Chanaam, pagin. 285.

GENESIS CAPVT 50.

Geneſ.50. In ſepulchro meo quod fodi mihi in terra Chanaam.

Geneſ.49. Præcipit ſepeliri in ſpelunca duplici, quam emerat Abram, pag. 285.

Geneſ. Cap.50. Iacob plangitur Ioſeph permittente pluribus diebus.

Ezechiel 24. Super mortuum luctum non facies, pag. 285.

ANTILOGIÆ EX LIB. EXODI CAP. I.

EXODI, Cap. Vſque ad 10. Poſteri Sem Ægyptijs ſeruierunt à Chan poſteris originem ducentibus.

Geneſ. Cap.9. Chanaam ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis, pag. 125.

Exod.1. Erant omnes animæ eorum, qui egreſſi ſunt de fœmore Iacob ſeptuaginta.

Actum Apoſt. Cap.7. Accerſiuit Iacob patrem ſuum, & omnem cognationem ſuam in animabus 75. pag. 289.

Exod. Cap.1. Non fecerunt iuxta præceptum regis, & v.19. mentitæ ſunt illi, v.20. Bene ergo fecit Dominus illis, & in præmium mendacij ædificauit eis domos.

Pſalm.5. Perdes omnes, qui loquuntur mendatium, pag. 289.

EXODI CAPVT 2.

Exod. Cap.2. Rachuel Socerus dicitur Moſis.

Exod.3. Socerus eius dicitur Iethro, p. 290.

Exod.2. Obtulit holocauſta Domino, & hoſtias.

Exod.18. Cumque audiſſet Iethro ſacerdos Madian, pag. 328.

Exod.2. Filius non portabit iniquitatem patris, ſed anima, quæ peccauerit, ipſa punietur idem, Exod. 18. & Deut. 24.

Exod.20. Viſitans patrum iniquitatem dicitur Deus in filios. pag. 375.

Exod.2. Moſes filiam Iethro ſacerdotis Madiam duxit.

Exod.34. Vxorem de filiabus Gentilium non accipies, pag. 440.

EXODI CAPVT 3.

Exod.3. Socerus eius dicitur Iethro.

Exod.2. Rachuel ſocerus dicitur Moſis, pag. 290.

Exod. Cap.3. In monte de Horeb Dominus Moſi apparuit.

Act.

*Act.*7. Facta est apparitio in monte Sina, pag. 290.

*Exod.*3. Iethro soceri sui sacerdotis Madiam, Madianitam ergo duxit vxorem Moses.

*Num.*12. Æthiopissam duxisse constat, vtraque prohibita illi erat. Vide antilogiam cap. secundi Exod. pag. 290.

*Exod.*3. Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi.

*Act.*7. Angelus apparuit Mosi in flamma ignis, pag. 290.

*Exod.*3. Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob.

Ibidem. Ego sum, qui sum, sic dices. Qui est misit me ad vos, pagin. 291.

*Exod.*3. Spoliabitis Ægyptum.

*Deut.*5. Non furtum facies, pagin. 291.

*Exod.*3. Socerus Iethro appellatur.

*Exod.*18. Iethro cognatus dicitur Mosis, pag. 329.

*Exod.*3. & 11. & cap. 12. Præcipit Hebræis, quod peterent ab Ægyptijs commodato sua bona, ibi, dedit gratiam vt commodarent eis.

*Exod.*20. Non dices falsum testimonium: vbi omne mendatium prohibetur, pog. 370.

EXODI CAPVT 4.

*Exod.*4. Mosem secum adduxisse Sephoram, & filios.

*Exod.*18. Iethro Sephoram, & filios Mosis tulit, pag. 291.

*Exod. Cap.*4. Ego indurabo cor Pharaonis.

*Exod.*8. Ingrauatum est cor Pharaonis, pag. 292.

*Exod.*4. Circumcidit præputium filij sui, quæ denotant infantilem ætatẽ habere, cum seuere octauo die circumcidendum præceperit Deus puerum cuiuscunque Hebræi. Incredibile autem est. Mosem Dei timoratum per quadraginta annos circumcisionem filij distulisse, & tanto tempore à Deo impunitum, & tolleratum fuisse.

*Ex Act.*7. Constat fuisse 40. annorum cum impleretur (ibi sic dicitur) ei 40. annorum tempus, ascendit in cor eius visitare fratres, ita tunc percusit Ægyptum. Post alia. Fugit Moses, & fuit aduena in terra Madiam, vbi generauit filios duos, & expletis, annis 40. apparuit illi in monte Sinai Angelus. Ex quibus constat, cum accidit circumcisio filij, fuisse octogenarium, vt Exod. 7. ac proinde filium eius fore, 40. annorum, pag. 292.

*Exod. Cap.*4. Dicitur quod voluit Deus occidere vel Mosem, vt aliqui existimant, vel filium, vt alij, quia non erat circumcisus.

Ex Iosue 5. Non teneri, sed causa itineris, pro tempore quo durat, dispensare Dominum in circumcisione cõstat, pag. 293.

*Exod.*4. Traditur Mosem secum adduxisse vxorem, & filios.

*Exod.*18. Sephoram, & filios ad Mosẽ adduxit, pag. 329.

*Exod.*4. Constat cum Moses Exod. 33. dicitur tollens tabernaculum, non dum esse.

*Exod.*33. Moses tabernaculum tollens tetendit extra castra, & ingredita, bernaculum dicitur, pag. 435.

EXODI CAPVT 6.

*Exod. Cap.*6. Anni vitæ Lebi fuerunt 127. Ingressus autem est in Ægyptum, cum 43. fuisset annorum. Vnde mortuus est 121. annis ante egressũ ex Ægypto, & ante ortum Mosis 41. annis. Ex quibus constat filios Iacob fuisse in Ægypto, 215. annis.

*Ex Genes.*15. Constat habitasse filios Iacob 400. annis, quæ omnia compatinon posunt, Exod. 12. dicitur fuisse 430. pag. 293.

EXO-

EXODI CAPVT 7.

*Exod.*7.Ecce constitui te Deum Pharaonis.

Paulus 5. Ad Corinth.8. Nullus est Deus nisi vnus,293.

*Exod.*7.Constat plagas fuisse in Ægypto factas.

*Psal.*77. Prodigia sua in campo Taneos.

*Psal.*104.in terra Cham,pag.293.

*Exod.*7.Percutiam virga, quæ in manu mea est.

*Exod.*8.Fecit hoc ipse Aron,pag.294.

*Exod.*7.Extende manum tuam super aquas Ægypti,& super fluuios eorum,& riuos,& plaudes,& omnes Lacus aquarum.

*Exod.*7. *v.*12. Feceruntque similiter malefici.Vbi ergo erant,si iam omnes in sanguinem erant conuersæ aquæ,pag.294.

*Exod.Cap.*7.Aron Nilum percusit virga,non Moses.

*Exod.*17. Virgam, qua percussisti fluuium tolle in manu tua,pag.328.

EXODI CAPVT 8.

*Exod.*8. Ingrauatum est cor Pharaonis.

*Exod.*4.Ego indurabo cor Pharaonis, pag.292.

*Exod.*8.Fecit hoc ipse Aron.

*Exod.*7.Percutiam virga, quæ in manu mea est,pag.294.

*Exod.*8.Moses determinat in crastinũ expulsionem ranarum.

*Iudith.cap.*7.& 8.Exprobat,hoc ipsum. Hæc enim senioribus Bethuliæ.Posuistis vos tempus miserationis Domini,& in arbitrium vestrum diem constituistis ei,pag.295.

EXODI CAPVT 9.

*Exod.Cap.*9.Mortua sunt omnia animãtia Ægyptiorum.Alias constat,omnes istas plagas,vel spatio vnius mẽsis lunaris,vt quidam,vel vt alij,spatio vnius anni contigisse.

Exod. 14. Israelitas persequutus est Pharao 600.curribus electis,maximaque equorum copia anno autem vno,& minus vno mense hæc omnia comparari non possunt,pag.295.

EXODI CAPVT 10.

*Exod.*10.De locustis,innumerabiles ascendisse super Ægyptum,quales ante non fuerunt, nec postea futuræ sunt,inquit Moses.

Ioel 2.& 4.Constat oppositum,pagin. 296.

*Exod.*10.Vt palpari queant,inquit Moses de tenebris.

Tenebræ nihil sunt,pag.296.

*Exod.*10.Nullus mouit se loco.

*Ibidem v.*24.Quomodo Pharao misit nuntios,& vocauit Mosem, & Aaronem sicut alijs plagis,pag.297.

*Exod.*10.*Genes.*2.Benedixit diei septimo. Deinde Exod. 16. Sabbathum obseruatum est in deserto Sin, quo accesserunt mense 2.& Deut.5. ante legem,quæ data est mense 3.

*Exod.*20.Memento diem Sabbathi sanctifices. Ex quibus infertur. Lege Mosis fuisse Sabbathum institutum, pag.360.

EXODI CAPVT 11.

*Exod.*11.Soli primogeniti mortui esse dicuntur.

*Exod.*12.Dicitur nullam fuisse domũ, in qua mortuus non esset, pagin. 297.

*Exod.*11.& 3.& *Cap.*12.Præcipit Hebræis,quod peterent ab Ægyptijs commodato sua bona, ibi. Dedit gratiam vt commodarent eis.

*Exod.*20. Non dices falsum testimonium: vbi omne mendatium prohibetur,pag.370.

EXO.

EXODI CAPVT 12.

*Exod.*12. Habitacio filiorum Israel fuit quadringentorum,& triginta annorum.

*Genes.*15. Scito prænoscens quod peregrinum futurum sit semen tuam, ita & affligent quadringentis annis, p. 161.

*Exod.*12. Dicitur nullam fuisse domum in qua mortuus non esset.

*Exod.*11. Soli primogeniti mortui esse dicuntur, pag 297.

*Exod.*12. Mensis iste vobis principium mensium erit.

*Exod.*23. Solemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaueris omnes fruges. Hæc autem mense Tisri nostro Septembri respondenti celebrari solebat, pag. 297.

*Exod.*12. Immolabitque eum omnis multitudo filiorum Israel.

*Esdræ 6.v.20.& 2.Paral.*35. Sacerdotum, vel Leuitarum id proprium esse innuitur, pag.298.

*Exod.*12. Victimam paschalem fore de agno, vel hædo dicitur.

*Deut.*16. Immolabisque Phase de ouibus,& de bobus, pag.299.

*Exod.*12. Constat agnum comedisse Israelitas ad secundam vesperam, quæ terminus est diei 15.&principiũ diei 14, Dicitur enim ibi, quod azyma edi incipiebant cum ipso agno paschali ,& per septem dies durabant. Si ergo illa,& agnus ad vesperam diem 13. claudentem inciperẽt edi, non septem, sed octo azymorũ essent dies, cum totidem numerentur à vespera diei 13. vsque ad vesperam, in qua completur dies 21. toto enim tempore isto durabant.

*Ioan.*14. Ante diem festum paschæ edidit Christus agnum iuxta legis præfixum tempus. Mactauit autem,& dedit vespera diei 13: quia si in vespera diei 24. ederet agnum, non ante diem festum paschæ , sed in ipso die festo id fecisset. Dies enim 15. festiuus erat, incipiens à vespera antecedentis, iuxta illud à vespera vsque ad vesperam celebrabitis sabbatha vestra, pag.299.

*Exod.*12. Quarta decima luna mensis Nisan immolari præcipitur agnum.

*Leuit.*23. Secundo die Paschatis ex nouis fru gibus præcipitur offerri manipulum. Hoc enim non compatitur cum mensibus lunaribus ex 29. constantibus diebus, quibus vtebantur Hebræi iuxta quos luna decima quarta, quæ hoc anno conuenit cum Nisan, post plures , in Decembrem conueniet, in qua nouæ anni fruges impossibiles sunt ex natura rei, p. 306.

*Exod.*12. Habitatio autem filiorum Israel, qua manierunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum.

*Genes.*15. Affligent eos quoadringentis annis, pag.308.

*Exod.*12. Alienigena non comedet phase.

*Exod.*12.*v.*19. Aduenis prohibetur fermentatus panis , qui solum phase edentibus vetatur, pag.320.

*Exod.Cap.*12. Neque enim erat domus, in qua non iaceret mortuus. Ac proinde in qua primogenitus non fuisset.

Dificiliter id credi potest , quoniam nulla mulier sterilis esse deberet, neque vir ipse, nullus vir viduus nulla ve mulier. Quæ omnia in ciuitate tam populosa impossibilia sunt fere, pag.320.

*Exod.*12. Et petierunt ab Ægyptijs vasa argentea , quibus illos expoliarunt, Exod.2.

*Deut.*5. Non furtum facies , pagin. 320.

*Exod.*12. Septem diebus comedetis azyma vsque ad vicesimam diem ad vesperam.

*Marc.*14. Prima die azymorum, quando

do pascha immolabant. Sentit ergo eadem die,& pascha celebrari,& incipere azyma,cum ergo,vt superius diximus , immolatus sit agnus ad vesperam Priorem lunæ decimæ quartæ,quæ ad diem 13.spectat , ab illa incipiunt azyma , vnde sunt 8. dies,pag.320.

*Exod.*12.Non comedetis ex eo crudum quid,nec coctum aqua , sed assum tantum igni.

*Deut.*16.Immolabis phase vespere ad solis occasum , coques & comedes, p. 322.

*Exod.*12. Septem diebus præcipitur esus azymorum.

*Deut.*16.Sex diebus comedes azyma, pag.323.

*Exod.*12.Dies prima erit sancta, atque solemnis,& dies septima eadem festiuitate venerabilis.

*Leuit.*23. Dies primus erit vobis celeberrimus,Dies autem septimus erit celebrior,& sanctior,pag.323.

*Exod.*12.Celebrari hunc diem inquit, cultu sempiterno.

Omnia legalia,& ceremonialia in conspectu Christi cessarunt,pag.323.

*Exod.*12.Domibus immolare præcipit phase.

*Deut.*16.Non poteris immolare phase in qualibet vrbium tuarum , sed in loco,quem elegerit Dominus Deus tuus,pag.323.

*Exod.*12.Nox ista obseruabilis est Domino , quando eduxit eos de terra Ægyptij.

*Num.lib.*2. Profecti videntibus cunctis Ægyptijs,orto ergo sole, pag. 325.

*Exod.*12.Præcepit Hebræis,quod peterent ab Ægyptijs , commodato sua bona.Ibi.Dedit gratiam vt commodarent eis.

*Exod.*20.Non dies falsum testimoniũ: vbi omne mendatium prohibetur, pag.370.

*Exod.*12.Dicitur celebrari phase vespera posteriori lunæ 13.

*Exod.*23.Septem diebus comedes azyma,pag.402.

*Exod.*12.Nisam principium anni habendum.

*Exod.*23.Solemnitatem quoque in exitu anni,quando congregaueris fruges,pag.402.

*Exod.*12.Sex diebus vesci iubetur.

*Exod.*34.Septem diebus vesceris pane pag.444.

*Exod.*12.Nisam principium mensium, & initium anni.

*Exod.*34.Redeunte anni tempore, quãdo cuncta conduntur, pag.444.

EXODI CAPVT 13.

*Exod.*13.Non eos duxit Deus per viã Philistijm , reputans ne forte eum pœniteret si vidisset aduersum se bellæ.

*Exod.*16.Per viam quã duxit illos cum Amalechitis , statim præliandum erat.Deficit ergo ratio,pag,325.

*Exod.*13.Nunquam deficit columna nubis per diem,nec columna ignis per noctem.

Iosue 3.Israelitæ iubentur in traiectione Iordanis non columnam ducem aspicere, sed arcam.Neque diceret Iosue,vt procul videre positis , & nosse per quam viam ingrediamini, si illuminaret columna nubis , pag. 325.

EXODI CAPVT 14.

*Exod.*14. Israelitas persequutus est Pharao 600.Curribus electis, maximaque equorum copia. Anno autem vno,& minus vno mense.

Exod. 9.Mortua sunt omnia animantia Ægpytiorum.Alias constat, omnes istas plagas,vel spatio vnius mensis lunaris,vt quidam,vel vt alij ,spatio,vnius anni contigisse. Hæc autem omnia comparari non possent, pag.295.

*Exod.*14.Quid clamas , inquit Dominus ad Mosem. Nulli-

Nullibi clamare declarat scriptura, p. 326.
*Exod.*14. Inuolutos esse aquis Ægyptios refertur.
*Exod.*15. Deborauit eos terra, pagin. 326.

EXODI CAPVT 15.

*Exod.*15. Deborauit eos terra.
*Exod.*14. Inuolutos esse aquis Ægyptios refertur, pag. 326.

EXODI CAPVT 16.

*Exod.*16. Per viam quam duxit illos cum Amalechitis stat im præliandũ erat.
*Exod.*13. Non eos duxit Deus per viam Philistijm, reputans ne forte eum pœniteret, si vidisset aduersum se bellæ, pag. 325.
*Exod.*16. Profecti sunt de Elim in desertum Sin.
*Num. Cap.*33. Egressi de Elim fixerunt tentoria super mare rubrum, & inde castramentati sunt in deserto Sin, p. 326.
*Exod.*16. Posuitque illud Aaron in tabernaculo reseruandum.
Neque tunc arca neque tabernaculum erat, pag. 326.
*Exod.*16. Quadraginta annis durasse manna.
Iosue 5. *Die* 14. Phase celebrarunt, die altero comederunt de frugibus terræ, hoc tempore defecit manna. Datum autem fuit in deserto Sin 15. die mensis secundi, quod est Yiar nostro Aprili fere respondens, pag. 326.
*Exod.*16. Ederunt manna quoad terrã habitabilem, talis erat Amalec, & Moab quas tetigere Israelitæ multo ante 40. annos.
*Exod.*16. Quadraginta annis manduca uerunt manna, pag. 327.
*Exod.*16. Manna coloris albi dicitur.
*Nu.*11. Erat coloris bdelij, ideſt flauescentis, pag. 327.
*Exod.*16. Nullus de loco suo egrediatur die septimo.
*Act. cap.*1. Iter Sabbathi dicitur; & Iosue cap. 6. & Deut. 16. vbi de die festo, pag. 327.
*Exod.*16. Neque ad colligendum manna permititur egredi de loco die septimo.
*Matth.*12. Christus discipulos suos defendit colligentes spicas, pagin. 328.
*Exod.*16. Sabbathum obseruatum est in deserto Sin, quo accesserunt mense secundo, & Deut. 5. ante legem, quæ data est mense 3. Exod. 10. Benedixit dies septimo.
*Exod.*20. Memento diem Sabbathi sanctifices. Ex quibus infertur, lege Mosis fuisse Sabbathum institutũ, pag. 360.

EXODI CAPVT 17.

*Exod.*17. Virgam, qua percussisti fluuiũ tolle in manu tua.
*Exod. Cap.*7. Aaron Nilum percusit virga, non Moses, pag. 328.
*Exod.*17. Memoriam Amalec delendã promisit Dominus.
Pluries in libris sacris traditur Amalec, & posterorum memoria, pagin. 328.
*Exod.*17. Fugauit Iosue Amalec.
*Deut.*25. Extremos agminis tui cæciderit, nempe Amalec, pag. 328.

EXODI CAPVT 18.

*Exod.*18. Iethro Sephoram, & filios Mosis tulit.
*Exod.*4. Mosem secum adduxisse Sephoram, & filios traditur, pag. 291.
*Exod.*18. Cumque audisset Iethro sacerdos Madiam.
*Exod.*2. Obtulit holocausta Domino, & hostias, pag. 328.
*Exod.*18. Iethro cognatus dicitur Moses.
*Exod.*3. Socerus Iethro appellatur, p. 329.

*Exod.*18.Vt comederet panes coram Deo.
Nondum erat arca nec tabernaculum pag.329.
*Exod.*18.Sephoram, & filios ad Mosem adduxit.
*Exod.*4.Mosem traditur secum adduxisse,pag.329.
*Exod.*18. Vt ostendam eis præcepta Dei,& leges.
Nondum data erat lex,pag.329.

EXODI CAPVT 19.

*Exod.Cap.*19.Qui accedunt ad Dominum.
*Ex.Cap.vlt.*Constat ante erectum tabernaculum consecratos non esse, pag.329.
*Exod.*19.Sacerdotes autem,& populus ne transeant terminos.
*Exod.*24.Moses,Aaron,Nadab, & Abiu,& septuaginta seniores, pag. 329.
*Exod.*19.Descenditque Dominus super montem Sinai.
Ibidem,*v.*3.Iam Dominus descenderat,cum vocasse Mosem de monte dicatur,pag.330.
*Exod.*19.Lex data est in monte Sinai.
*Isai.*2.Ex Sioni exibit lex,& verbum Domini inte videbitur,pag.330,
*Exod.*19.Cum ceperit clangere bucina permittitur ascensus in montem.
*Exod.*30. Perterriti longe stabant à monte,pag.330.
*Exod.*19.Regnum sacerdotale populus appellatur.
*Deut.*5.Prohibur sacerdotibus regnũ, pag.331.
*Exod.*19.Sacerdotes, & populus ne transeant terminos.
*Exod.*24. Moses,Aaron,& 70. seniores ascendere præcipitur, pagin. 410.
*Exod.*19.Sacerdotes qui accedunt ad Dominum.Iam ergo erant.
*Exod.*40.Aplicabisque Aaron. Hic consecratio ponitur sacerdotum,

EXODI CAPVT 20.

*Exod.*20.(& Genes.1. idem constat) sex enim diebus fecit cœlium, & terram.
*Genes.*2.Compleuitque Deus die septimo opus suum,quod fecerat,pag. 36.
*Exod.*20.Locutusque est Dominus cũctos sermones hos.
*Act.*7.Hic est, inquir de Mose, qui fuit in Ecclesia,in solitudine cum angelo,qui loquebatur eis in monte Sina,pag.332.
*Exo.*20.Dominus dedit legem in Sina.
*Genes.*11.Plura, quæ legis sunt in obseruantia erant,pag.332.
*Exod.*20. Ego sum Dominus Deus tuus fortis zelotes visitans iniquitatem.
*Matth.*5. *Luc.*6.Estote benigni sicut pater vester cœlestis,qui solem suũ super bonos, & malos oriri facit,p. 332.
*Exod.*20.Dominus Deus zelotes dicitur.
*Matth.*18.Non solum septies,verum etiam septuagies septies,pag.333.
*Exod.*20.Honorare parentes quartum præceptum est.
*Ad Ephes.c.*6.Honorare parentes primum mandatum est,pag.333.
*Exod.*20.Honorare parentes præcipitur filijs.
*Luc.*14.Qui non colit patrem,& matrẽ suam,meus,non potest esse discipulus,p.334.
*Exod.*20.Sex diebus fecit Deus cœlũ, & terram.
*Genes.*2.Septimo die fecit Euã,p. 334.
*Exod.*20. Prohibetur omnis imago, sculptile ve,& Deut.4.
*Reg.*3.*Cap.* 10. Salomon in trono suo leunculos fecit,à Mose serpens erigitur,pag.334.
*Exod.*20.Non facies omne opus in eo, in Sabbatho scilicet.

*Iosue Cap.*6. Israelitæ perambulabant, cum è castris, quæ Hierichunte ab erant 10. stadijs accedebant ad vrbem, & circuitionibus operosis septenis laborant, p. 345.

*Exod.*20. Præcipitur obseruari Sabbathum à seruis, & ancillis Israelitarũ.

*Exod.*31. De Sabbatho dicitur, pactũ est sempiternum inter me, & vos quasi solis Israelitis obseruatio licuisset, p. 353.

*Exod.*20. Memento diem Sabbathi sanctifices. Ex quibus infertur, lege Mosis fuisse Sabbathum institutum.

*Exod.*10. Genes. 2. Benedixit diei septimo. Deinde Exod. 16. Sabbathum obseruatum est in deserto Sin, quo accesserunt mense 2. & Deut. 5. Ante legem quæ data est mẽse 3. p. 360.

*Exod.*20. Præcipitur obseruantia Sabbathi.

Esai 1. Neomeniam, Sabbathum & festiuitates vestras non feram, p. 364.

*Exod.*20. Præcipitur Sabbathum, & c. 31. tanquam fœdus sempiternum dicitur fuisse.

Quomodo ergo abolitum, neque apud nos est obseruatum, p. 365.

*Exod.*20. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.

*Ierem.*4. Et iurabis, viuit Dominus, Pau. etiam pluries iurauit, ad Rom. c. 5. & 9. ad Gal. 1. ad Phil. c. 1. p. 368

*Exod.*20. Non occides dicitur in sacro textu.

*Iudic. Cap.*16. Samson se ipsum occidit 3. Reg. 20. vir quidam alium rogauit, vt ipsum percuteret, deuoratus à leone, quia noluit perijt, p. 368.

*Exod.*20. Non mechaberis.

Hoseæ, c. primo. Sume tibi vxorem fornicationum, quia fornicans fornicabitur terra à Domino, p. 369.

*Exod.*20. Non mechaberis.

*Reg.*2. *c.*15. Relinquit Dauid, vt custodirent domum, decem concubinas, pag. 370.

*Exod.*20. Non dices falsum testimoniũ vbi omne mendatium prohibetur.

*Exod.*3. *&* 11. *&* *cap.*12. Præcipit Hebræis, quod peterent ab Ægyptijs commodato sua bona, ibi. Dedit gratiam vt cõmodarent eis, p. 370.

*Exod.*20. Prohibetur mendatiũ contra proximũ, neque alia redditur ratio. Licebit ergo officiosum mendatium, contra illud Psalm. Perdes omnes, qui locuntur mendatium, p. 371.

*Exod.*20. Et omnis populus videbat vocem.

Vox videri non potest, pag. 371.

*Exod.*20. Perterriti longe stabant à monte.

*Exod.*19. Cum cæperit clangere bucinas permittitur ascensus, p. 371.

*Exod.*20. Non ascendas per gradus ad altare.

*Exod.*28. Facies, & feminalia, pag. 372.

*Exod.*20. Ne ascendas per gradus ad altare, nec reueletur turpitudo tua.

*Paralip.*2. *Cap.*4. Salomonici altaris decem cubitorum erat altitudo. Nõ ergo aliter ascendi poterat, pagin. 372.

*Exod.*20. Altare fieri præcipit Dominus de terra, vel lapide impolito.

*Exod.*27. De lignis Setim præcipitur fieri altare holocaustorum, & 2. Paral. cap. 4. p. 374.

*Exod.*20. Visitans patrum iniquitatem dicitur Deus in filios.

*Ezech.*18. Filius non portabit iniquitatem patris, sed anima, quæ peccauerit, ipsa punietur. Idem Exod. 2. & Deut. 24, p. 375.

*Exod.*20. Offeretis super eo holocausta, & pacifica vestra, oues vestras.

Ieremiæ 7. Non sum locutus cum patribus vestris, nec præcepi eis, de holocaustis, & victimis, p. 375.

*Exod.*20. Faciens misericordiam in millia dicitur Deus.

*Amos.*1. Super quatuor sceleribus nõ parcam, p. 378.

*Exod.*20. Altare de terra facietis mihi.

*Exod.*27. Fracies altare de lignis Setim pag. 414.

*Exod.*20. Non ascendas per gradus ad

ad altare,ne reueletur turpitudo tua.

*Exod.*28.Facies & feminalia linea, vt operiant carnem turpitudinis suæ, pag.420.

*Exod.*20.A seruis,& ancillis præcipitur obseruari.

*Exod.*31.De Sabbatho pactum esse inter Deum,& homines sempiternũ, Israelitas nempe dicitur,p.431.

EXODI CAPVT 21.

*Exod.*21. Homicidium pretio redimi poterat.

*Genes.*9.Prohibetur homicidium sub pœna mortis,pag.106.

*Exod.*21.Septimo anno seruum futurũ liberum,inquit Deus.

*Leu.*25.Iure hæreditario ad posteros transmittendos famulos,ac in æternum possidendos ab illis dicitur,p. 378.

*Exod.*21.Septimo anno seruus Hebræus futurus liber.

*Leuit.Cap.*25.De seruo Hebræo sic habetur,quasi mercenarius & colonus erit,vsque ad annum Iubileum operabitur apud te,& postea egredietur liber,p.379.

*Exod.*21. Seruus Hebræus,qui accedente septimo anno persistere maulit in seruitute, in sæculum, seu perpetuæ seruituti adducitur.

*Leuit.*25.Seruus iste de quo,Exod. ca. 21.Vsque ad annum Iubileum addicitur seruituti,pag.379.

*Exod.*21, Si quis vendiderit filiam in fœmulam,non egredietur sicut ancillæ consueuerunt.

*Deut.*15.Ancillæ quoque similiter facies.Et antea.Cum tibivenditus fuerit Hebræus,aut Hebræa. Æqualis ergo erat lex.pag.380.

*Exod.*21.Vxor,& filij eius erunt domini sui,& ad heredes dominiũ transfertur.

*Leut.*25. Egredietur cum liberis suis anno Iubilei,p.382.

*Exod.*21.Per industriam occidens proximum suum morte moriatur,& ab altare euellatur.

*Num.*35.In potestate propinquis occisi erat occidere percusorem, pagin. 382.

*Exod.*21,Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum,conuictus noxæ morte moriatur.

*Reg.*4.*Cap.*4.Creditor filios debitoris liberos intendit facere sibi seruos, poterat ergo,& vendere alijs, pag. 382.

*Exod.*21.Qui percusserit seruum suum, vel ancillam virga, & mortui fuerint,criminis reus erit.

*Ibidem.*Sin autem vno die,vel duobus super vixerit,non subiacebit pœnæ, quia pecunia illius est,p.383.

*Exo.*21. Præscribitur pœna Talionis, vulnus pro vulnere,dentem pro dẽte,adustionem pro adustione, liuorem pro liuore, manum pro manu, & oculum pro oculo postulanda. Idem Leut.24.& Deut.10.

*Ibidem,*v.19.Si percusserit quis alium, surrexerit tamẽ,& ambulauerit super baculum suum,innocens erit,impensas tamen & medicos restituat, p.386.

*Exod.*21.Occidere prohibetur.

*Exod.*22.Fur impune occidetur,pagin. 392.

*Exod.*21.Oculum pro oculo, dentem pro dente,manum pro manu, pedẽ pro pede.

*Matth.*5. Christus Dominus, qui legem integre impleuit,percutienti maxilam offerri præcepit alterã, p.392.

*Exod.*21. Occidens per insidias alterum subire præcipitur mortem.

Regum 2.*Capit.*3.Ioab occidens Abner non punitur à Dauid, pagin. 392.

*Exod.*21. Ab altari euellendum esse, qui interfecerit alium præcipitur. Nondum erat altare, pag. 393.

*Exod.*21. Ab altari meo euellendum vt moriatur præcipitur alium interficiens: Non ergo ibi pœnam luendã, & homicidam interficiendum voluit Dominus, ne polluer etur altare, locusque Sacer. Neque asylli locus erat homicidis voluntarijs.

*Reg.*3. *Cap.*2. Ioab homicida confugit ad altare. Quod irrationabiliter egisset si locus refugij non esset in voluntario homicidio. Vnde nollente egredi renunciauit Regi Banaias. Tandem apprehenso cornu altaris interfectus est, vt constat ex illis, fac sicut locutus est, pagin. 393.

*Exod.*21. Morte plecti præcipitur interficiens alium.

*Num.*25, Phinees Zambricum Madianitide occidens, à Deo præmiatur, pag. 393.

*Exo.*21. Percutiens, & alterum interficiens morte plectendus.

*Exod.*22. Fur impune occiditur, pagin. 400.

*Exod.*21. & Leuit.24. Pœna Talionis statuitur, & Matth.c. 5. odio habendũ inimicum lege veteri præcipi indicatur, & fœdere nouo benefacere illi suadetur.

*Exod.*23. Si videris asinum inimici tui iacere sublebabis. Vnde benefaciendum inimico præcipitur, pagin. 402.

EXODI CAPVT 22.

*Exod.*22. Fur impune occiditur.

*Exod.*21. Occidere prohibetur, pagin. 392.

*Exod.*22. Homicidam causalem ex errore occidentem exilij damnat. Deut.19. idem statuitur.

*Deut.*25. Culpæ pœna mensuratur homicidium autem casuale culpa non est, neque voluntarium, pag. 396.

*Exod.*22. Agrum lædere, seu vineam prohibetur.

*Deut.*20. Ad satietatem in vineis alienis comedere permittitur, pagin. 397.

*Exod.*22. Dijs non detrahes.

*Exod.*23. Deos confringendos præcipit, p. 399.

*Exod.*22. Fur impune occiditur.

*Exod.*21. Percutiens, & alterum interficiens morte plectendus, pagin. 400.

*Exod.*22. Die octaua reddendos primogenitos Deo.

*Leuit.*12. Hominis primogeniti oblatio, post purificationem matris, vt in Christo Domino apparet, pagin. 400.

*Exod.*22. Aduenam non contristabis, neque affliges eum.

*Deut. Cap.*7. Septem populos persequi præcipit Dominus, pag. 401.

*Exod.*22. Qui immolat Dijs, occidetur, inquit Dominus.

Lex solum obligabat Hebræos: non ergo Noachidæ propter idolatriã occidendi, pag. 401.

*Exod.*22. Viduæ, & pupillo non nocebitis.

*Exod.*23. Pauperi non miserendum præcipit Dominus, pag. 401.

*Exod.*22. Dijs non detrahes.

*Exod.*23. Deos, & eorum statuas destruendas præcipit Dominus Deus verus, pag. 402.

*Exod.*22. Dijs non detrahes.

*Exod.*34. Aras eorum destrues, pagin. 444.

EXODI CAPVT 23.

*Exod.*23. Prohibetur fœdus cum gentilibus inire.

*Gen.*21. Abraham fœdus inijt cum Abimelech, pag. 199.

*Exod.*23. Nomen idolorum gentium non memorabitis. Idem peccat, qui inrat, ac qui est in causa.

*Genes. Cap.*31. Vbi fœdus Iacob, & Laban

ban inierunt medio vtriusque iuramento, pag. 224.

Exod. 23. Solemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaueris omnes fruges. Hæc autem mense Tisri nostro septembri respondenti celebrari solebant.

Exod. 12. Mensis iste vobis principium mensium erit, pag. 297.

Exod. 23. Deos confrigendos præcipit.

Exod. 22. Dijs non detrahes, pag. 399.

Exod. 23. Pauperi non miserendum præcipit Dominus.

Exod. 22. Viduæ, & pupillo non nocebitis, pag. 401.

Exod. 23. Deos, & eorum statuas destruendas præcipit Dominus Deus verus.

Exod. 22. Dijs non detrahes, pag. 402.

Exod. 23. Septem diebus comedes azyma.

Exod. 12. Dicitur celebrari phase vespera posteriori lunæ 13, pag. 402.

Exod. 23. Non erit in te sterilis, nec infæcunda.

Paulus 1. *ad Corint.* 7. Laudatur virginitas, pag. 402.

Exod. 23. Si videris asinum inimici tui iacere sublebabis. Vnde benefaciendum inimico præcipitur.

Exod. 21. & *Leuit.* 24. Pœna Talionis statuitur, & Mattheic. 5. odio habendum inimicum lege veteri præcipi indicatur, & fœdere nouo benefacere illi suadetur, pag. 402.

Exod. 23. Non inibis cum eis fœdus.

Exod. 23. Peregrino molestus non eris, pag. 402.

Exod. 23. Solemnitatem quoque in exitu anni, quando congregaueris fruges.

Exod. 12. Nisam principium anni habendum, pag. 402.

Exod. 23. Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedet te, & custodiet in via.

Exod. 33. Angelum, qui illos præcedat promittit, quasi antea medio illo Dominus non direxisset, populus dolet, pag. 437.

EXODI CAPVT 24.

Ex. 24. Moses, Aaron, Nadab, & Abiu, & septuaginta seniores.

Exod. 19. Sacerdotes autem, & populus ne transeant terminos, pagin. 329.

Exod. 24. Patres sinedrij septuaginta, seues seu præsbiteri dicuntur.

Luce. 10. Designauit Dominus & alios septuaginta duos, pag. 403.

Exod. 24. Moses, Aaron, & 70. seniores ascendere præcipitur,

Exod. 19. Sacerdotes, & populus ne transeant terminos, pag. 410.

Exod. 24. Duodecim titulos erexit Moses.

Leuit. 26. Nec titulos erigetis, pagin. 410.

Exod. 24. Viderunt Deum Israel.

Exod. 33. Non videbit me homo, & viuet, pag. 411.

Exod. 24. Et sub pedibus eius quasi opus lapidis Saphyrini, vbi Deum in aliqua figura, apparuisse, constat, cum pedes illius distinctione clara cognouerint.

Deut. 4. Nullam vidistis similitudinem in die, qua locutus est Dominus vobis in Horeb de medio ignis, ne forte decepti faciatis similitudinem, & imaginem, pag. 441.

EXODI CAPVT 25.

Exod. 25. Qui offert vltroneus, accipietis eas. Hæc sunt, quæ accipere debetis, aurum, & argentum.

Exod. 38. Omne aurum, quod expensũ est in opere sanctuarij, & quod oblatum est in donarijs 29. talentorum fuit, & septingentorum triginta siclorum ad mensuram sanctuarij, p. 411.

Exod. 25. Subter coronam erunt circuli aurei.

Exod. 37. Contra coronam mensæ posuit.

fuit quatuor circulos aureos, pagin. 412.

*Exod.*25. Craticulamque in modum retis æneam, per cuius quatuor angulos, erunt quatuor à nuli enei; quos pones subter arulam altaris, eritque craticula vsque ad altaris medium.

*Exod.*38. v. 4. Craticulamque eius in modum retis fecit æneam, & subter eam in medio altaris arulam. Non ergo craticula, sed arula erat in medio altaris, pag. 412.

*Exod.*25. Arcam compingite, cuius latitudo habet duos & semiscubitos.

*Exod.*37. Fecit arcam habentem duos semiscubitos in longitudine, pagin. 413.

*Exod.*25. Sponte offerri oleum præcipitur.

Exod. 27. Præcipe filijs Israel vt offerant oleum, pag. 414.

*Exod.*25. Sponte offerri præcipit argentum, oleum, & alia.

*Exod.*27. Præcipe filijs Israel vt offerant tibi oleum, pag. 416.

*Exod.*25. Populus offerebat oleum.

*Exod.*31. Oleum dicitur facturos artifices, pag. 432.

*Exod.*25. Habentem duos & semiscubitos fecisse dicitur.

*Exod.*37. Fecit arcam habentem duos semiscubitos in longitudine, pagin. 447.

*Exod.*25. Subter coronam circuli erũt aurei.

*Exod.*37. Contra coronam mensæ posuit quatuor circulos aureos, pagin. 447.

*Exod.*25. Aurum sponte oblatum dicitur.

*Exod.*38. Omne aurum, quod in sanctuarium oblatum est, qui transierunt ad numerum, dedisse dicitur, p. 448.

EXODI CAPVT 26.

*Exod.*26. Tabernaculi non præscribuntur, nisi 30. cubiti in longitudine, 10. in latitudine.

Regum 3. *Cap.* 6. Templus habebat 60. cubitos longitudine, & 20. latitudine, pag. 414.

EXODI CAPVT 27.

*Exod.*27. De ligni Setim præcipitur fieri altare holocaustorum, & 2. paral. c. 4.

*Exod.*20. Altare fieri præcipit Dominus de terra, vel lapide impolito, p. 374.

*Exod.*27. Præcipe filijs Israel vt offerant oleum.

*Exod.*25. Sponte offerri oleum præcipitur, pag. 414.

*Exod.*27. Facies & altare de lignis Setim.

*Exod.*20. Altare de terra facietis mihi, pag. 414.

*Exod.*27. Et antecedentibus, & 30. cap. vbi referuntur metalla ad vsum tabernaculi, & atrij deseruientia, mentio ferri non fit.

*Num.*31. Primicias Domino de auro, & ferre præcipitur offerri, pag. 415.

*Exod.*27. Et collocabunt eam Aaron, & filij eius, vt vsque mane luceat coram Domino: extrin gui ergo mane solebat. Idem 2. Paral. 13. v. 11. & ex prese primo Reg. 3. Lucerna Dei ante quam extingueretur, Samuel dormiebat.

*Exod.*27. v. 20. Vt ardeat lucerna semper. Leuit. 24. ad concinandas lucernas iugiter, pag. 415.

*Exod.*27. Centrum altaris distabat ab ostio 35. cubitis.

*Exod.*29. Sacrificium est ad ostium tabernaculi, pag. 416.

*Exod.*27. Præcipe filijs Israel, vt offerant tibi oleum.

*Exod.*25. Sponte offerri aurum, & oleũ præcipitur, pag. 416.

*Exod.*27. Altare holocaustorum habebit 5. cubitos longitudinis.

*Ex.*30. Altare thymiamatis habebit cubitum longitudinis, pag. 430.

*Exod.*27. Craticulamque in modum retis, æneam, per cuius quatuor angulos, erũt quatuor à nulli ænei, quos pones super arulam.

*Exod.*38. In altaris medio arulam, p. 448.

GENESIS CAPVT 28.

*Exod. Cap.*28. Facies & feminalia.

*Exod.*20. Non ascendas per gradus altare, pag. 372.

*Exod.*28. Super humerale, seu Ephod proprium Summi Sacerdotis, de nullo enim alio dicitur, quod in Vrim, & Thummim consuleret Dominum, nec rationale gestaret, quod non distincta vestis, sed pars inseparabilis superhumeralis, & Ephod est.

*Reg.*2. *Cap.*6. Ephod aplicatur Dauid, & cap. 14. Achias portabat Ephod, hunc autem non esse summum iacerdotem constat ex 1. Reg. cap. 21. vbi non ille, sed Achimelech Achitobo succesit, pag. 416.

*Exod.*28. Vt sacerdotio fungantur mihi, & v. 43. vti vestimentis præcipit, quando ingrediuntur tabernaculũ, vel appropinquant ad altare.

*Num.*19. Extra castra vitulam rufam vestibus sacerdotalibus immolabat indutus, pag. 417.

*Exod.*28. Facies & feminalia linea, vt operiant carnem turpitudinis suæ.

*Exod.*20. Non ascendas per gradus ad altare, ne reueletur turpitudo tua, pag. 420.

*Exod.*28. Pones autem in rationale iuditij doctrinam, & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino, vbi omnes intelligunt hæc ad consulendũ Dominum deseruire, iuxta illud 1. Reg. c. 23. applica Ephod.

*Reg.*1. *Cap.*14. Applica arcam dicitur, vt Dominus consuleretur, & oraculum captaretur, pag. 421.

EXODI CAPVT 29.

*Exod.*29. Sacrificium est ad ostium tabernaculi.

*Exod.*27. Centrum altaris distabat ab ostio 35. cubitos, pag. 416.

*Exod.*29. Carnes autem vituli, coreum combures foris extra castra, eo quod pro peccato sit.

*Leuit.*4. & 5. In sacrificio pro peccato principis, vel personæ priuatæ non extra carnes offerebantur, nec cremabantur, sed comedebantur, pag. 423.

*Exod.*29. Pectusculum consecratum, & armus cedent in partem Aaron, & filiorum eius.

*Exod.*29. v. 25. Hæc omnia cremanda erant, præterea pectusculum consecratum in partem Mosis cedebat, p. 423.

*Exod.*29. Alienigena, id est qui de tribu Lebi non fuerit (sic exponitur ab omnibus) panes sanctificatos comedere prohibetur.

*Primo Regum Cap.*25. Dauid petijt, & edidit propositionis panes, pagin. 424.

*Exod.*29. Erit sanctum sanctorum, omnis qui tetigerit illud sanctificabitur.

*Num.*19. Sequeretur lepros um sanctificandum, si accederet, & aliud quod uis immundum, è contra accidit cum polluant tabernaculum, pag. 424.

*Exod.*29. Sacrificium est ad ostium tabernaculi.

*Exod.*72. Distabat Centrum altaris holocausti ab ostio 35. cubitos, p. 425.

EXODI CAPVT 30.

*Exod. Cap.*30. Perterriti longe stabant à monte.

Exod.

*Exod.*19.Cum ceperit clangere bucina permittitur aſcenſus in montem, pag.330.

*Exod.*30.Altare thymiamatis habebit cubitum longitudinis.

*Exod.*27.Altare holocauſtorum habebit quinque cubitos longitudinis,& latitudinis,pag.414.

*Exod.*30.Quando tuleris ſummam filiorum Iſrael iuxta numerum, dabunt ſinguli pretium pro animabus, non erit plaga in eis,cum fuerint recenſiti.

Regum,2.*cap.*24.Mortui ſunt,70000. ob populum numeratum , pagin. 425.

*Exod.*30.Præcipitur fieri altare ſuper quo adolendum incenſum,mane,& & veſpere.Hoc autem eſſe intra ſanctuarium conſtat, tum ex Panl. ad Heb.9.ibi Tabernaculum,quod dicitur ſancta ſanctorum,aureum habens turibulum,id eſt altare aureũ, & arcam teſtamenti,tum,quia Exodi,40.præcipitur , quod ara ſupra quam adolebatur,incenſum coram arca teſtimonij collocetur.

*Leuit.*16.Ne omni tempore ingrediatur ſanctuarium,& Paulus ad Hebr. 9.ſecundum tabernaculam ſemel quotanis ſolus Pontifex ingreſſus eſt,non ſine ſanguine,p.427.

*Exod.*30.Caro hominis non vngetur ex illo.

*Ibidem.*Oleo iſto præcipit Aaron,& ſacerdotes vngendos,pag.430.

*Exod.*30.Medium ſicli, qui tranſit ad montem præcipitur dare.

*Nehem.*10.Tertium ſicli præcipitur dare,pag.430.

*Exod.*30. Aaron ſingulis diebus mane præcipitur adolere incenſum.

*Leuit.*15.Qui tetigerit mulierem,vel à quo coitus egreditur ſemen, immundus vſque ad veſperam erit. Vnde fas non erit tabernaculum ingredi. Ille ergo qui quotidie adolere tenetur incenſum mane rei vxoriæ non non poſſet operam dare , pagin. 430.

*Exod.*30.Homo qui tale compoſuerit peribit.

*Exod.*31.Oleum vnctionis facient, dicitur de artificibus,pag.432.

EXODI CAPVT 31.

*Exod.*31.De Sabbatho dicitur pactum eſt ſempiternum interme , & vos, quaſi ſolis Iſraelitis obſeruatio licuiſſet.

*Exod.*20.Præcipitur obſeruari Sabbathum à ſeruis,& ancillis Iſraelitarũ p.353.

*Exod.*31.Ecce vocaui Beſeel filium Vri nepotem Hur,& Mariæ Moſis ſororis,quia Hur accepit Mariam in vxorem,Ille de tribu Iuda,iſta de Leui.

*Num.*36.Nullum extra tribum ducere vxorem decernit Dominus,pag. 431.

*Exod.*31.Primitias de auro,& ferro offerri præcipitur.

*Exod.*27.Referuntur omnia,quæ offerri debent non autem ferri fit mentio,pag.431.

*Exod.*31.De Sabbatho pactum eſſe inter Deum,& homines ſempiternũ, Iſraelitas nempe dicitur.

*Exod.*20.A ſeruis,& ancillis præcipitur obſeruari,p.431.

*Exod.*31.Sex diebus fecit Deus cœlũ, & terram.

*Eccleſ.*18. Omnia fecit ſimul , pagin. 431.

*Exod.*31.Videte vt Sabbathum cuſtodiatis.

*Matth.*12.Sacerdotes Sabbathis Sabbathum violant,pag.432.

*Exod.*31.Fabricare in tabernaculo ſabbatho non licet.

*Leuit.*6. Accendere ignem , eiuſque quotidianum fomentum præcipitur,pag.432.

*Exod.*31.Oleum vnctionis facient dicitur de artificibus.

*Exod.*30.Homo qui tale compoſuerit peribit,pag.432.

*Exo.*31.Oleũ dicitur facturos artifices.

*Exod.*25. Populus offerebat oleum, p. 432.

EXODI CAPVT 32.

*Exod.*32. Hi sunt dij tui, qui te eduxerunt de Ægypto. In Hebræo Heloim tam pro singulari, supponente, quam pro plurali, vt patet Genes. 1. Deut. 5. Isai 19. & alibi, quasi in vitulo, tamquam in simbolo verus Deus coleretur, sicut à nobis in sua imagine, quod esse piaculum non videtur.

*Exod.*32. Peccauit populus tuus, dixerunt hi sunt Dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti, pagin. 433.

*Exod.*32. Mosi congregati sunt omnes filij Leui tamquam innocentes, vt interficerent delinquentes, ergo innocens Aaron congregatus fuit, qui de tribu pariter fuit Leui.

*Exod.*32. *v.*21. Vt induceres super eum peccatum maximum, inquit Moses Aaron. Deinde consecraſtis manus vnusquisque in filio, & in fratre suo, ergo aliqui, nempe fratres, & filij horum, qui iustitiæ fuerunt ministri peccato polluti sunt. Non ergo omnes filij Leui innocentes fuere, pag. 433.

*Exod.*32. Ceciderunt in die illa quasi triginta tria millia hominum.

Paulus 1. *ad Corinth. cap.* 10. Neque fornicemur sicut quidam eorum fornicati sunt, & ceciderunt vna die viginti tria millia, pag. 434.

*Exod.*32. Tollite in aures aureas de vxorum, filiorumque, filiarum vestrarũ auribus.

Viri in aures non habent. Sint procul à nobis iuuenes, vt fœmina compti inquit Ouid. epist. Phedræ ad Hippol. pag. 434.

*Exod.*32. Placatus est Dominus.

*Exod.*32. *v.*35. Percussit Dominus populum pro reatu vituli, pag. 435.

*Exod.*32. Occisi sunt 23. millia hominum propter vitulum.

*Exod.*38. Bellatores numerati sunt 603550. sunt, pag. 449.

EXODI CAPVT 33.

*Exod.*33. Non videbit me homo, & viuet.

*Exod.*24. viderunt Deum Israel, pag. 411.

*Exod.*33. Moses tabernaculum tollens tetendit extra castra & ingredi tabernaculum dicitur.

*Exod.*4. Constat cum Moses Exod. 33. dici tur tollens tabernaculum nondum esse, pag. 435.

*Exod.*33. Facie ad faciem, & os ad os cum Domino loquebatur.

*Ibidem, v.*20. Non videbit me homo, & viuet, pag. 435.

*Exod.*33. Iosue puer appellatur. Iosue vltimo. Annum fere sexagesimum agebat, pag. 436.

*Exod.*33. Non ascendam tecum, inquit populo Deus.

*Psalm.*138. Deus vbique est. Si ascendero in cœlum illic, si descendero in infernum adest, pag. 437.

*Exod.*33. Angelum, qui ipsos præcedat promittit, quasi antea, medio illo Dominus non direxisset, populus dolet.

*Exod.*23. Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedet te, & custodiet in via pag. 437.

*Exod.*33. Audiens populus Deum nolle præcedere tanquam ducem, de positis vestimentis, afflictus est.

*Exod.*33. Quando Moses de monte descendit, tunc enim, & non prius sermones Domini cognoscere posset, iam placatus erat, & ducatum sicut antea promiserat, p. 437.

EXODI CAPVT 34.

*Exod.*34. Dicitur quod scripserit Dominus tabulas, & Deut. 10.

Ibidem scribe tibi verba hæc, pagin. 438.

Exod.

*Exod.*34.Cumque descendisset Dominus per nubem stetit cum eo invocans nomen Domini.

*Ex.*40.Non potuit Moses ingredi tabernaculum operiente nube,pagin. 438.

*Exod.*34. Non occidentur patres pro filijs.

*Genes.*9.Chainam maledicitur pro suo parente,pag.438.

*Exod.*34. Ne fœdus cum eis ineas.

*Machal.Cap.*11.Fœdus cum alijs à religione pacti sunt,pag.438.

*Exod.*34.Ne manducent de immolatis gentilium dijs prohibetur.

*Paul.ad Rom.*14.Distinguit inter manducantem cum credat omnia posse, & non manducantem, & vtrumque saluat,loquens deinde de ijs,quæ in cibum assumi possunt, inquit omnia munda sunt,pag.439.

*Exod.*34.Vxorem de filiabus gentiliũ non accipies.

*Exod.*2.Moses filiam Iethro sacerdotis Madiam duxit,pag.440.

*Exod.*34. Septem diebus vesceris pane.

*Exod.*12.Sex diebus vesci innuitur, p. 444.

*Exod.*34.Redeunte anni tempore,quãdo cuncta conduntur.

*Ex.*12.Nisam initium mensium,& principium anni,pag.444.

*Exod.*34. Septimo die arare cesabis, quo exemplo omne prohibetur opus.

*Iosue Cap.*6.Ierico iuxta vrbem circuitionibus operosis laborabant, pag. 444.

*Exod.*34.Aras eorum destrues.

*Exod.*22.Dijs non detrahes,p.444.

*Exod.*34. Omne quod aperit vuluam generis masculini offerri præcipitur tantum.

*Leuit.*3.& 4.5.Capræ,oues, atque vaccæ offerebantur,p.444.

*Exod.*34.Ter in anno Israelitas præcipitur apparere in sanctuario. Azymorum.Pentecostes,& tabernaculorum festiuitatibus.

Inter festum Azymorum, & Pentecostes demptis septem diebus,quibus manebant in sanctuario, sex manebant hebdomadæ distantes ergo 60.Leucis,qui poterant ire,& redire,pag.445.

*Exod.*34.Ignorabat quod cornuta esset facies eius.

Paulus 1.*ad Corint.*3. Gloria vultus Mosis prædicatur,p.445.

EXODI CAPVT 35.

*Exod.*35.Qui fecerit opus in sabbatho occiderur.

*Leuit.*26.Ignis semper ardebit, quem nutriet sacerdos subijciens ligna mane per singulos dies. Sabbatho ergo ignis accendebatur, pagin. 446.

*Exod.*35.Spontaneè offerendum argentum,& aurum.

*Exod.Cap.*38.Qui numerantur ex iure aurum tenebantur offerre, pagin. 446.

*Exod.*35.Beseleel filium Vri filij Hur. Huius pater fuit Caleb,vt dicitur 1. Paral.cap.2.

*Iosue Cap.*14.Caleb cum exploratoribus ingressus terram Chanaam erat 40.annorum. Eius ergo pronepos eratis esse non posset,vt sanctuariũ construeret,p.446.

EXODI CAPVT 37.

*Exod.*37.Contra coronam mensæ posuit quatuor circulos aureos.

*Exod.*25.Subter coronam erunt circuli aurei, p.412.

*Exod.*37.Fecit arcam habentem duos semiscubitos in longitudine.

*Exod.*25.Arcam compingite cuius latitudo habeat duos,& semiscubitos, p.413.

*Exod.*37.Præcipe filijs Israel vt offerant oleum.

*Exod.*25.Sponte offerri præcipitur oleum,p.414.

*Exod.*37.Facies,& altare delignis setim.

*Exod.*20.Altare de terra facietis mihi, p.414.

*Exod.*37.Fecit autem Beseleel arcam.

*Paral.*1.*cap.*4.Caleb fuit proauus Beseleel.Vnde sequitur cum decem esset annorum magistrum in construēdo Tabernaculo fuisse,p.447.

*Exod.*37.Fecit arcam habentem duos semiscubitos in longitudine.

*Exod.*25.Habentem duos,& semiscubitos feciſſe dicitur,p.447.

*Exod.*37.Fecit illi coronam auream.

*Sap.*18.Diadema appellatur , pagin. 448.

*Exod.*37.Duos etiam Cherubim ex auro ductili.

*Deut.*4.Omnis imago & sculptile prohibetur,p.448.

EXODI CAPVT 38.

*Exod.*38.Omne aurum quod expensū est in opere sanctuarij,& quod oblatum est indonarijs 29. talentorum fuit,& septingentorum triginta siclorum ad mensuram sanctuarij.

*Exod.*25.Qui offert vltroneus,accipietis eas.Hæc sunt que accipere debetis,aurum,& argentum,p 411.

*Exod.*38.v.4. Craticulamque eius in modum retis fecit æneam,& subter eam in medio altaris arulam.

*Exod.*25.Craticulamque in modum retis æneam,per cuius quatuor angulos erunt quatuor à nulli ænei,quos pones subter arulam altaris , eritque cratula vsque ad altaris mediū pag.412.

*Exod.*38.Qui numerantur ex iure aurum tenebantur offerre.

*Exod.*35.Spontancè offerendum aurū, pag.446.

*Exod.*38. Fecit duos à nullos aureos sub corona per singula latera.

Ibidem, Per singula latera factos à nullos dicitur,ergo in quatuor lateribus , quibus constabat quatuor à nulli erant,& quatuor vectes , pag. 448.

*Exod.*38.In altaris medio arulam.

*Exod.*27.Craticulamque in modum retis æneam per cuius 4.angulos,erūt 4 à nulli ænei,quos pones subter arulam,pag.448.

*Exod.*38.Omne aurum,quod in sanctuarium oblatum est , qui transierunt ad numerum,dedisse dicitur.

*Exod.*25.Sponte oblatum dicitur,pag. 448.

*Exod.*38.Numerus que possent pugnare 603550.inter quos recensiti Leuitæ.

*Num.*1.Summa ista exceptis Leuitis, traditur,& reperiuntur 603550,p. 449.

*Exod.*38.Bellatores numerati,603550. sunt.

*Exod.*32. Occisi sunt 23.millia hominum propter vitulum,p.449.

ANTILOGIAE, EX LEBITICO

CAP. 3.

*Leuit.*c.3,& 4.& 5.Capræ, oues, atque vace offerebantur.

*Exod.*34. Omne quod aperit vuluam generis masculini offerri præcipitur tantum,p.444.

LEVITICI CAP. 4.

*Leuit.*4 & 5.In sacrificio pro peccato Principis,vel personæ priuatæ, non extra carnes offerebantur, nec cremabantur,sed comedebantur.

*Exod.*29.Carnes autem vituli,coreum combures foris extra castra , eo quod pro peccato sit,pag.423.

LEVIT. 6.

Leuit.6. Accendere ignem , eiusque quotidi anum fomentum præcipitur.

*Exod.*31. Fabricare in tabernaculo Sabbatho non licet,pag.432.

*Leuit.6.*Ignis semper ardebit , quem nutriet sacerdos subijciens ligna mane per singulos dies. Sabbatho ergo ignis accendebatur.

*Exo.*35.Qui fecerit opus in Sabbatho occidetur,pag.446.

LEVIT. 11.

*Leuit.*11.& *Deut.*14. Distintio inter hæc animalia munda ab immundis, & holocaustum eorum,tunc primũ habetur.

*Genes.*8. Tollens de cunctis pecoribus,& volucribus mundis obtulit holocausta,pag.89.

LEVIVIC. 12.

*Leuit.*12.Hominis primogeniti oblatio post purificationem matris,vt in Christo Domino apparet.

*Exod.*22. Die octaua reddendos primogenitos.Deo,pag.400.

LEVITIC. 15.

*Leuit.*15.Qui tetigerit mulierem,vel à quo coitus egreditur semen,immũdus vsque ad verperum erit. Vnde fas non erit tabernaculum ingredi. Ille ergo qui quotidie adolere teneretur incensum mane rei vxoriæ non posset operam dare.

*Exod.*30.Aaron singulis diebus mane præcipitur adolere incensum , pag. 430.

LEVITIC. 16.

*Leuit.*16.Ne omni tempore ingrediatur sanctuarium,& Paulus ad Hebræos,c.9.Secundum tabernaculũ semel quotannis solus Pontifex ingressus est non sine sanguine.

*Exod.*30.Præcipitur fieri altare, super quo adolendum incensum mane,& vespere,Hoc autem esse intra sanctuarium constat,tum ex Paulo ad

He-

Hebræos 9. ibi. Tabernaculũ quod dicitur ſancta ſanctorum aureum habens turibulum, id eſt altare aureum, & arcam teſtamenti. Tũ quia Exod. 40. præcipitur, quod ara ſupra quam adolebatur incenſum, coram arca teſtimonij collocetur, p. 472.

LEVITIC. 17.

Leuit. 17. A ſanguine, & ſuffocato abſtinendum præcipitur, & Geneſ. 9. Carnem cum ſanguine non comedendum.

Omnia cœremonialia iam abrrogata paſsim repetit Paulus, neque chriſtiani à ſanguine, & ſuffocato ſe continent, pag. 106.

LEVIT, 18.

Leuit. 18. Prohibetur reuelari turpitudinem vxoris fratris ſui.

Geneſ. 38. Thamar duobus fratribus nupſit, quin & Selæ promiſa, pagin. 234.

LEVITIC. 20.

Leuit. cap. 20. *v.* 17. Qui acceperit ſororem ſuam filiam patris ſui, vel filiã matris ſuæ, & viderit turpitudinem eius, &c. nefariam rem operari ſunt. Quod non ſolũ lege ſcripta, ſed naturali prohibitum cenſent Patres.

Geneſ. cap. 20. Cum ſcirit Abimelech Saram vxorem eſſe Abraham, expoſtulans vt quid ſimularet coniugiũ? ſic reſpondet: vere ſoror mea eſt filia patris mei & nõ filia matris meæ pag. 189.

LEVIT. 23.

Leuit. 23. Dies primus erit vobis celeberrimus Dies autem ſeptimus erit celebrior, & ſanctior,

Exod. 12. Dies prima erit ſanta, atque ſolemnis, dies autem ſeptima eadẽ feſtiuitate venerabilis, pag. 323.

Leuit. 23. Secundo die paſchatis ex nouis frugibus præcipitur offerri manipulum. Hoc enim nõ compatitur cum menſibus lunaribus, ex 29. conſtantibus diebus, quibus vtebantur Hæbrei, iuxta quos luna decima quarta, quæ hoc anno conuenit cum Niſam, poſt plures in Decembrem conueniet, in qua nouæ anni fruges impoſsibiles ſunt ex natura rei.

Exod. 12. Quarta decima luna menſis Niſam immolari præcipitur agnum, pag. 306.

LEVITIC. 24.

Leuit. 24. *& Exod.* 21. Pœna Talionis ſtatuitur, & Matth. 5. odio habendũ inimicum lege veteri præcipi indicatur, & fœdere nouo benefacere illi ſuadetur.

Exod. 23. Si videris aſinum inimici tui iacere ſublebabis. Vnde benefacien dum inimico præcipitur, pag. 402.

Leuit. 24. Ad concinandas lucernas iugiter, & Exod. 27. *v.* 20. vt ardeat lucerna ſemper.

Exod. 27. Et collocabunt eam Aaron, & filij eius, vt vſque mane luceat coram Domino: extingui ergo mane ſolebat. Idem 2. Paral. 13. *v.* 11. & expreſſe primo Reg. 3. Lucerna Dei antequam extingueretur, Samuel dormiebat, pag. 415.

LEVIT. 25.

Leuit. 25. Iure hæreditario ad poſteros tranſmittendos famulos, ac in æternum poſsidendos ab illis dicitur.

Exod. 21. Septimo anno ſeruum futurum liberum, inquit Deus, pagin. 378,

Leuit. Cap. 25. De ſeruo Hebræo ſic habetur, quaſi mercenarius, & colonus erit, vſque ad annum Iubileum operabitur apud te, & poſtea egredietur liber.

*Exo.*21.Septimo anno seruius Hebræus futurus liber,pag.379.

*Leuit.*25.Seruus iste de quo Exod.21. Vsque ad annum Iubileum addicitur seruituti.

*Exod.*21.Seruus Hebræus,qui accedente septimo anno persistere maiult in seruitute,in sæculum, seu perpetuæ seruituti adducitur, pagin. 379.

*Leuit.*25.Egredietur cum liberis suis anno Iubilei.

*Exod.*21.Vxor & filijs eius erunt domini sui,& ad hæredes dominium transfertur,p.382.

LEVIT. 26.

*Leuit.*26.Nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra,

*Genes.*28.Surgens Iacob mane tulit lapidem,quem suppossuerat in titulum,fundens oleum desuper, pagin. 222.

*Leuit.*26,Nec titulos erigetis.

*Exod.*24.Duodecim titulos erexit Moses,pag.410.

ANTILOGIÆ EX LIB. NVMER.

Num. 1.

*Num.*1. Summa ista exceptis Leuitis traditur,& reperiuntur,603550.

*Exod.*38.Numerus qui possent pugnare 603550.inter quos recensiti Leuitæ,pag.449.

Num. 11.

*Num.*11.Erat coloris bdelij, id est flauescentis.

*Exod.*16.Manna coloris albi dicitur,p. 327.

Num. 12.

*Num.*12.Moses. Æthiopissam duxisse constat,vtraque prohibita illi erat, Vide antilogiam,capit.2.Exod.

*Exod.Cap.*3.Iethro soceri sui sacerdotis Madiam.Madianitam ergo duxit vxorem Moses,pag.290.

Num. 17.

*Num.*17.Et ad Hebræos,9. Virga Aaronis,Manna,& Liber Deut.fuerunt testimonium.Hæc autem à Mose nõ sunt posita in arca.

*Exod.*40.Posuit testimonium in arca, pag.450.

Num. 19.

*Num.*19.Extra castra vitulam rufam vestibus sacerdotalibus immolabat indutus.

*Exod.*28.Vt sacerdotio fungantur mihi,& v.43.vti vestimentis præcipit, quando ingrediuntur tabernaculũ, vel appropinquant ad altare, pag. 417.

*Num.*19.Sequeretur leprosum sanctificandum,si accederet,& aliud quod uis immundum,è contra accidit cũ polluat tabernaculum.

*Exod.*29.Erit sanctum sanctorum,omnis qui tetigerit illud sanctificabitur,pag.424.

Num. 25.

*Num.*25.Phinees,Zambricum Madianitide occidens à Deo præmiatur.

*Exod.*21.Morte plecti præcipitur interficiens alium.pag.393.

Num. 31.

*Num.*31.Primitias Domino de auro,& ferro præcipitur offerri.

*Exod.*27.Et antecedentibus,&30.cap. vbi referuntur metalla ad vsum tabernaculi,& atrij deseruientia mentio ferri non fit,pag.415.

Num.

Num. 33.

*Num.*33. Egressi de Elim fixerunt tentoria super mare rubrum, & inde castramentati sunt in deserto Sin.

*Exod.*16. Profacti sunt de Elin in desertum sin, pag.326.

Num. 35.

*Num.*35. Vindex sanguinis impune occidit, qui interfecit proximum sibi.

*Genes. cap.*9. Quicumque effuderit sanguinem hominis, fundetur sanguis illius, pag.112.

*Num.*35. In potestate propinqui occisi erat occidere percussorem.

*Exo.*21. Per industriam occidens proximum suum, morte moriatur, & ab altari euellatur, pag. 382.

Num. 36.

*Num.*36. Nullum extra tribum ducere vxorem decernit Dominus.

*Exod.*31. Ecce vocaui Beseel filium Vri, nepotem Hur, & Mariæ Mosis sororis, quia Hur accepit Mariam, in vxorem, ille de tribu Iuda, ista de Leui, pag.431.

ANTILOGIÆ EX LIB. DEVTER.

Deut. 4.

*Deut.*4. Prohibetur omnis imago, sculptile ve, & Exod.20.

*Reg.*3. *Cap.* 10. Salomon in trono suo leunculos fecit, à Mose serpens erigitur, pag. 334.

*Deu.*4. Nullam vidistis similitudinem, in die qua locutus est Dominus vobis in Horeb, de medio ignis, ne forte decepti faciatis similitudinem, & imaginem.

*Exod.*24. Et sub pedibus eius quasi opus lapidis Saphirini. Vbi Deum in aliqua figura apparuisse, constat, cū pedes illius distinctione clara cognouerint, pag.411.

*Deut.*4. Omnis imago, & sculptile prohibetur.

*Exod.*37. Duos etia Cherubim ex auro ductili, pag.548.

Deut. 5.

*Deut.*5. Non furtum facies.

*Exod.*3. Spoliabis Ægyptum, p.291.

*Deut.*5. Non furtum facies.

*Exod.*12. Et petierunt ab Ægyptijs vasa argentea, quibus illos spoliarūt, Ex.2.pag.320.

*Deut.*5. Ante legem, quæ data est mense 3. & Exod.10. Genes.2. Benedixit diei septimo. Deinde Exod.16. Sabbathum obseruatum est in deserto Sin, quo accesserunt mense 2.

*Exod.*20. Memento diem Sabbathi sanctifices. Ex quibus infertur lege Mosis fuisse Sabbathum institutum, p. 360.

*Deut.*5. Isai 19, Et alibi, quasi in vitulo tanquam in symbolo verus Deus coleretur, sicut à nobis in sua imagine, quod esse piaculum non videtur.

*Exod.*32. Peccauit populus tuus, dixerunt hi sunt Dei tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti, p.433.

Deut. 6.

*Deut.*6. Audi Israel Deus tuus, Deus vnus est.

*Genes. cap.*1. Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostrā, pag.28.

*Deu.*6. Dominum Deum solum esse adorandum.

*Genes.*23. Et adorauit populum, pag. 200.

*Deut.*6. Per nomen Dei iurabis.

*Genes.*42. Per salutem Pharaonis, pag. 245.

Deut. 7.

*Deut.*7.Septem populos perſequi præcipit Dominus.
*Exod.*22. Aduenam non contriſtabis, neque afliges eum,pag 401.

Deut. 10.

*Deut.*10.Dicitur quod ſcripſerit Dominus tabulas,& Exod.34.
Ibid.Scribe tibi verba hæc, pag 438.

Deut. 14.

*Deut.*14.& Leuit.11. Diſtintio inter hæc animalia munda ab im mundis, & holocauſtum eorum tunc primũ habetur.
*Geneſ.*8.Tollens de cunctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit holocauſta,pag. 89.
*Deut.*14.Permittit Dominus ſuffocatum,& morticinum Gentibus.
*Geneſ.*9.Prohibetur poſteris omnibus Noe ſuffocatum,pag.112.

Deut. 15.

*Deut.*15.Ancillæ quoque ſimiliter facies,& antea. Cum tibi venditus fuerit Hebræus,aut Hebræa. Æqualis ergo erat lex.
*Exod.*21.Si quis vendiderit filiam in famulam,non egredietur ſicut ancillæ conſueuerunt,pag.380.

Deut. 16.

*Deut.*16.Non poteris immolare Phaſe inqualibet vrbium tuarum,ſed in loco quem elegerit Dominus Deus tuus.
*Exod.*12.Domibus immolare præcipit Phaſe,pag.323.
*Deut.*16.Iter Sabbati dicitur,&Ioſue, & Act.c.1.vbi de die feſto.
*Exod.*16.Nullus de loco ſuo egrediatur die ſeptimo,p.327.
*Deut.*16.Immolabiſque Phaſe,de ouibus,& de bobus.
*Exod.*12.Victimam paſchalem fore de agno, vel hedo dicitur,pag.299.
*Deut.*16.Immolabis Phaſe veſpere ad ſolis occaſum,coques,& comedes.
*Exod.*12.Non comedetis ex eo crudũ quid, nec coctum aqua, ſed aſſum tantum igni,pag.322.
*Deut.*16.Sex diebus comedes azyma.
*Exod.*12.Septem diebus eſus præcipitur azymorum,pag. 323.

Deut. 19.

*Deut.*19.& Exod. 22. Homicidam caſualem ex errore occidentem exilij damnat.
Deut. 25. Culpæ pœna menſurantur, homicidium autem caſuale culpa non eſt,neque voluntarium, pagin. 396.

Deut. 20.

*Deut.*20.Ad ſatietatem in vineis alienis comedere permittitur.
*Exod.*22. Agrum lædere, ſeu vineam prohibetur,pag.397.

Deut. 24.

*Deut.*24.Filius non portabit iniquitatem patris,ſed anima,quæ peccauerit ipſa punietur.Idem Ezechiel 18. Exod.2.
*Exod.*20. Viſitans patrum iniquitates dicitur Deus in filios,pag.375.

Deut. 25.

*Deut.*25.Pro menſura peccati deuet eſſe,& plagarum modus.
*Geneſ.Cap.*4.Dicitur omnis qui occiderit Cain, ſeptuplum punietur, & de Lamech,Cain interficiente à caſu,& inconſulto, dicitur,in calce capitis, maiores pœnas daturum, pag. 50.

*Deut.*25. Extremos agminis tui cæciderit, nempe Amalec.

*Exod.*17. Fugauit Iosue Amalec, p.328.

*Deut.*25. Culpæ pœna mensurantur, homicidium autem casuale culpa non est, neque voluntarium.

*Exod.*22. Homicidam casualem, ex errore occidentem exilij damnat. Idem Deut.19. pag.396.

Deut. 28.

*Deut.*28. Maledictus in ciuitate, maledictus in agro, & Pentapolim subuerit Deus.

*Genes.*8. Nequaquam vltra maledicam terræ, pag.90.

ANTILOGIÆ EX LIB. IOSVE.

Iosue cap. 3.

Iosue 3. Israelitæ iubentur intraiectione Iordanis, non columnam ducem aspicere, sed arcam. Neque diceret Iosue, vt procul videre positis, & nosse per quam viam ingrediamini, si illuminaret columna nubis.

*Exod.*13. Nunquam deficit columna nubis per diem nec columna ignis per noctem, pag,325.

Iosue cap. 5.

Iosue 5. Per quadraginta annos populus non est circumcisus.

*Genes.*17. Infans octo dierum circunci datur, pag.175.

Iosue 5. Die 14. Phase celebrarunt, die altero comederunt de frugibus terræ, hoc tempore defecit manna. Datum autem fuit in deserto Sin 15. die mensis secundi, quod est Yiar nostro Aprili fere respondens.

*Exod.*16. Quadraginta annis duraſe manna, p.326.

Iosue 5. Non teneri, sed causa itineris, pro tempore quo durat, dispensare Dominum in circumcisione constat.

*Exod.*4. Dicitur quod voluit Deus occidere, vel Mosem, vt aliqui existimant, vel filiũ, vt alij, quia non erat circumcisus, pag.293.

Iosue cap. 6.

Iosue 6. Iter Sabbathi dicitur, & Act.c. 1. & Deut.16. vbi de die festo.

*Exod.*16. Nullus de loco suo egrediatur die septimo, pag.327.

Iosue 6. Israelitæ per ambulabant, cum è castris, quæ Hierichunte aberant 10. stadijs accedebant ad vrbem, & circuitionibus operosis septenis laborabant.

*Exod.*20. Non facies omne opus in eo, in Sabbatho scilicet, pag.345.

Iosue 6. Iericho iuxta vrbem circuitionibus operosis laborabant.

*Exod.*34. Septimo die arare cessabis, quo exemplo omne prohibetur opus, pag.444.

Iosue cap. 14.

Iosue 14. Caleb cum exploratoribus ingressus in terram Chanaam erat 40. annorum. Eius ergo pronepos ætaris esse non posset, vt sanctuariũ construeret.

*Exod.*35. Beseleel filium Vri, filij Hur huius pater fuit Caleb, vt dicitur 1. Paral. cap.2. pag.446.

Iosue Cap. 16.

Iosue 16. Cecidit sors filiorum Ioseph ab Iordane contra Iericho ad montem Bethel, & egreditur de Bethel Luzam.

*Genes.*28. Appellauit nomen vrbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur, p. 223.

IOSVE CAP. VLTIM.

Ioſue vltim. Annum fere ſexageſimũ agebat.

Exod. 33. Ioſue, puer appellatur, pagin. 436.

ANTILOGIÆ EX LIB. IVDICVM.

Iudic Cap. 16.

Iudic, Cap. 16. Samſon ſe ipſum occidit, & Reg. cap. 20, Vir quidam alĩ rogauit, vt ipſum percuteret, de uoratus à leone, quia noluit, perijt.

Exod. 20. Non occides dicitur in ſacro textu, pag. 368.

ANTILOGIÆ EX LIBRO REGVM,

Reg. 1. *Cap.* 9.

Reg. 1. *cap.* 9. Saul in Regem electus de tribu Benjamin primum, & poſt Se deKiam Aſſamonei, qui de tribu Leui erant.

Geneſ. 49. Non auferetur ſceptrum de tribu Iuda, & dux de fœmore eius donec veniat, qui mittendus eſt, p. 252.

Reg. 1. *cap.* 14.

Reg. 1. *cap.* 14. Applica arcam, dicitur vt Dominus conſuleretur, & oracu lum captaretur.

Exod. 28. Pones autem in rationali iuditij doctrinam, & veritatem, quæ erunt in pectore Aaron, quando ingredietur coram Domino. Vbi omnes intelligunt, hæc ad conſulendũ Dominum deſeruire iuxta illud 1. Reg. cap. 23. Applica Ephod, pagin. 421.

Reg. 1. *cap.* 18.

Reg. 1. *cap.* 18. Stulte egiſti, inquit ad Saul Samuel, quod ſi non feciſſes, iam nunc præparaſſet Deus regnum tuum in ſempiternum.

Geneſ. 49. Non auferetur ſceptrum de tribu Iuda, donec veniat, qui mittendus eſt, pag. 282.

Regum 1. *cap.* 25.

Primo Reg. c. 25. Dauid petijt, & edidit propoſitionis panes.

Exod. 29. Alienigena, id eſt, qui de tribu Leui non fuerit (ſic exponitur ab omnibus) panes ſanctificatos comedere prohibetur, pag. 424.

Reg. 2. *cap.* 3.

Reg. 2. *cap.* 3. Ioab occidens Abner nõ punitur à Dauid.

Exod. 21. Occidens per inſidias alterũ, ſubire præcipitur mortem, pagin. 392.

Reg. 2. *cap.* 6.

Reg. 2. *cap.* 6. Ephod applicatur Dauid, & cap. 14. Achias portabat Ephod, hunc autem non eſſe Summum Sacerdotem conſtat ex 1. Reg. cap. 21. vbi non ille, ſed Achimelech Achitobo ſucceſsit.

Exod. 28. Super humerale ſeu Ephod proprium Summi Sacerdotis, de nullo enim alio dicitur, quod in Vrim, & Thumim conſuleret Dominum, nec rationale geſtaret, quod non diſtincta veſtis, ſed pars inſeparabilis ſuper humeralis, & Ephod eſt, pag. 416.

Reg. 2. *cap.* 15.

Reg. 2. *cap.* 15. Relinquit David, vt cuſtodirẽt domum, decem concubinas.

Exod.

*Exod.*20. Non mechaberis, pagin. 370.

Reg. 2. *cap.* 24.

*Reg.*2. *cap.*24. Mortui sunt 70000. ob populum numeratum.

*Exod.*30. Quando tuleris summam filiorum Israel iuxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus non erit plaga in eis, cum fuerint recensiti, pag.425.

Reg. 3. *cap.* 2.

*Reg.*3.*cap.*2. Ioab homicida confugit ad altare. Quod irrationabiliter egisset, si locus refugij non esset in voluntario homicidio. Vnde nollente egredi renuntiauit regi Banaias. Tandem apprehenso cornu altaris interfectus est, vt constat ex illis. Fac sicut locutus est.

*Exod.*21. Ab altari meo euellendum vt moriatur præcipitur alium interficiens: Non ergo ibi pœnam luendam, & homicidam interficiendum voluit Dominus, ne polluceretur altare, locusque sacer. Neque asylli locus erat homicidis voluntarijs, pag.393.

Reg. 3 *cap.* 6.

*Reg.*3.*cap.*6. Domus habebat 60. cubitos longitudine, & 20. latitudine.

*Exod.*26. Tabernaculi non præscribuntur nisi 30. Cubiti longitudine, 10. in latitudine, pag.414.

Reg. 3. *cap.* 10.

*Reg.*3.*cap.*10. Salomon in trono suo leunculos fecit, à Mose serpens erigitur.

*Exod.*20. Prohibetur omnis imago, sculptile ve, & Deut.4. pag. 334.

Reg. 3. *cap.* 20.

*Reg.*3.*cap.*20. Vir quidam alium rogauit, vt ipsum percuteret, denoratus à leone, quia noluit, perijt.

*Exod.*20. Non occides dicitur in sacro textu, pag.368.

Reg. 4. *cap.* 4.

*Reg.*4.*cap.*4. Creditor filios debitoris liberos intendit facere sibi seruos. Poterat ergo & vendere alijs.

*Exod.*21. Qui furatus fuerit hominem, & vendiderit eum, convictus noxæ morte moriatur, pag. 382.

ANTILOGIÆ EX LIB. PARALIPOMENON.

Paral. 1. *cap.* 4.

*Paralip.*1.*Cap.*4. Sic legitur. Filij Simeon, Namael, & Iamin, & Iarib, Ara, Saul. Quinque referuntur.

*Genes.*46. Filij Simeon, Ismael, & Iamin, & Sohar, & Saul filius Chananitidis, & c. sex, & diuersis nominibus nominantur, pag.248.

*Paralip.*1.*cap.* 4. Caleb fuit proauus Beseleel. Vnde sequitur, cum decem esset annorum magistrum in construendo tabernaculo fuisse.

*Exod.*37. Fecit autem Beseleel arcam, pag.447.

Paral. 2. *cap.* 4.

*Paral.*2.*cap.*4. Salomonici altaris decem cubitorum erat altitudo. Non ergo aliter ascendi poterat.

*Exod.*20. Ne ascendas per gradus ad altare, ne reueletur turpitudo tua, pag.372.

*Paral.*2.*cap.*4. De lignis setim præcipitur fieri altare holocaustorum, & Exod.27.

*Exod.*20. Altare fieri præcipit Dominus

nus de terra, vel lapide impolito, p. 374.

Paral 2. cap. 35.

Paral. 2. cap. 35. & Esdræ 6. v. 20. Sacerdotum, vel Leuitarum immolare proprium esse innuitur.

Exod. 12. Immolabit que eum vniuersa multitudo filiorum Israel, pag. 298.

ANTILOGIÆ EX LIB. 1. ESDRÆ.

Esdræ 1. Cap. 1.

Esdræ 1, cap. 6. v. 20. & Paral. 2. ca. 35. Sacerdotum, vel Leuitarum immolare proprium esse innuitur.

Exod. 12. Immolabitque eum omnis multitudo filiorum Israel, pagin. 298.

Esdræ 2.

Nehemias, Cap. 10. Tertium sicli præcipitur dare.

Exo. 30. Medium sicli, qui transit ad montem præcipitur dare, pag. 430.

ANTILOGIÆ EX LIB. IVDITH.

Iudith cap. 7. & 8.

Iudith cap. 7. & 8. Exprobat hoc ipsum. Hæc enim senioribus Bethuliæ Posuistis vos tempus miserationis Domini, & in arbitrium vestrum diam constituistis ei.

Exod. 8. Moses determinat in crastinum expulsionem Ranarum, pag. 295.

Iudith cap. 9.

Iudith cap. 9. Deus Patris mei Simeō, qui dedisti illi gladium in defensionem alienigenarum, qui violatores extiterunt in coinquinatione sua, & denudauerunt fœmur virginis in cō fusionem, & filios illorum in captiuitatem, & omnem prædam in diuisionem seruis tuis, qui zelauerunt zelum tuum. Ex quibus constat facinus Sichimitarum zelum diuini honoris esse Iudith arbitratam, & à Domino processisse.

Genes. 49. Simeon, & Leui vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea, quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorū, quia dura. Ex quibus vltionem de Sichimitis factam, cap. 34. à Mose narratam damnat, & facinus improbum atque crudele detestatur, pag. 283.

ANTILOGIÆ EX LIB. IOB.

Iob cap. 4.

Iob 4. Si aspexi Solem, cum splenderet? Quasi delictum esset aspicere Solem.

Genes. 15. Dicit Dominus Abrahæ suspice cœlum, & numera stellas, pag. 159.

ANTILOGIÆ EX LIB. PSALMORVM.

Psal. 5.

Psal. 5. Perdes omnes qui loquuntur mendatium.

Exod. cap. 1. Non fecerunt iuxta præceptum regis, & v. 19. mentitæ sunt illi, v. 20. Bene ergo fecit Dominus illis, & in præmium mendacij ædificauit eis domos, pag. 289.

Psal. 28.

Psal. 28. Dominus diluuium in habitare facit.

Genes. 9. Non erit deinceps diluuium, pag. 105.

Psal. 70.

*Psal.*70. Nullum similem esse Deo dicitur.

*Genes.cap.*1. Faciamus hominem ad imaginem,& similitudinem nostrã, pag.33.

*Psal.*70. Quis similis erit Deo ? dicit Dauid.

*Genes.cap.*5. In die qua creauit hominem,ad similitudinem Dei fecit illum, pag.57.

Psal. 77.

*Psal.*77. Prodigia sua in campo Taneos,Psalm.104.in terra Cham.

*Exod.*7. Constat plagas fuisse in Ægypto factas,pag.293.

Psal. 109.

*Psal.*109. Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum.

*Genes.*6. Pœnitet me feciſſe hominem, pag.64.

Psal. 127.

*Psal.*127. Vxor tua sicut vitis abundans.

*Genes.*3. In pœnam dixit mulieri Deus multiplicandos conceptus, in dolore parituram filios,& sub viri fore potestate & dominio,pag.38.

Psal. 138.

*Psal.*138, Deus vbique est. Si ascendero in cœlum illic,si descendero in infernum adest.

*Exod.*33. Non ascendam tecum inquit populo Deus,pag.437.

ANTILOGIÆ EX LIB. ECCL.

*Eccles.cap.*1.

*Eccles.*1. Vanitas vanitatis , & omnia vanitas.

*Genes.*1. Vidit omnia,quæ fecerat, & erant valde bona, pag.35.

*Eccles.*1.v.4. Terra autem in æternum stat.

*Genes.*6. Ego disperdam eos cũ terra, pag.65.

ANTILOGIÆ EX LIB. SAPIENT.

*Sap.cap.*18.

*Sap.cap.*18. Diadema appellatur.

*Exod.*37. Fecit illi coronam auream, pag.448.

ANTILOGIÆ EX LIB. ECCLESIASTICI.

*Eccles.cap.*18.

*Eccles.cap.*18. Qui vivit in æternum creauit omnia simul.

*Genes.cap.*1. Omnium rerum fabricam in sex dies esse distributam,& à Mose delineatam videmus,pag.4.

*Eccles.*18. Omnia fecit simul.

*Exod.*31. Sex diebus fecit Deus cælũ & terram,pag.431.

ANTILOGIÆ EX LIB. ESAIÆ.

*Esai.cap.*1.

*Esai.cap.*1. Neomeniam, Sabbathum, & festiuitates vestras non feceram.

*Exod.*20. Præcipitur obseruantia Sabbathi,pag.364.

Esai cap. 2.

Esai 2. Ex Sioni exibit lex,& verbum Domini inte videbitur.

*Exod.*19. Lex data est in monte Sinai, pag.330.

*Esai.cap.*19.

Esai 19.& Deut.5. Quasi in vitulo tam quam in symbolo verum Deus coleretur,sicut à nobis in sua imagine quod esse piaculum non videtur.

*Exod.*32. Peccauit populus tuus,dixerunt hi sunt dij tui Israel,qui te eduxerunt de terra Ægypti,pag.433.

*Esai.cap.*45.

Esai cap. 45. Ego sum qui paraui , lumen,faciens pacem,& creans mala, & alibi pass im hæc repetuntur.

*Genes.*1. Vidit Deus omnia quæ fecerat,& erant valde bona,pag.34.

ANTILOG. EX LIB. IEREMIÆ.

*Ierem.cap.*4.

*Ierem.ca.*4 Et iurabis, viuit Dominus. Paulus etiam pluries iurauit , ad Rom.capit.5. & 9.ad Galat. 1. ad Philip.1.

*Exod.*20. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum,pag.368.

Ierem. cap. 7.

Ierem.cap. 7. Non sum locutus cum pa-

patribus vestris,nec præcepi eis de holocaustis,& victimis.
*Exod.*20.Offeretis super eo holocausta,& pacifica vestra, oues vestras, pag.375.

Ierem. cap. 9.

Ierem. cap. 9. Ecce dies veniet,dicit Dominus,& visitabo super omnẽ, qui circumcisum habet præputium super Ægyptum,& super Iudam,& supe Edom,& super filios Ammon, & Moab.
*Gen.Cap.*17. Hoc est pactum meum, quod obseruabitis inter me & vos, & semen tuum post te, p.179.

ANTILOGIÆ EX LIB. BARVC.

*Baruc,cap.*5.

*Baruc,cap.*5 Eritis Babylone vsque ad generationem septimam , vbi fuerunt 700.annis,vt ex Ierem.c.25.
Genes. cap. 15. Generatione autem quarta reuertentur huc,vbi 400.annos denotant istæ generationes, p. 161.

ANTILOGIÆ EX LIB. EZECH.

*Ezech. cap.*18.

*Ezech.cap.*18.Filius non portabit iniquitatem patris , neque pater filij sed anima quæ peccauerit ipsa punietur,idem constat Ex. 2. & Deut. 24.
*Gen.*9.Maledictionis afficitur pœna paternæ innocens nepos Chanaam, pag.112.
*Ezech.*18.Anima quæ peccauerit ipsa punietur.
*Genes.*17.Masculus qui circumcisus nõ fuerit,delebitur anima illius de populo suo,pag.180.
*Ezech.*cap.18.Filius non portabit iniquitatem patris,sed anima quæ peccauerit ipsa punietur. Idem Exod. 2.& Deut.24.
*Exod.*20.Visitans patrum iniquitates, dicitur Deus in filios,pag.375.

Ezech. cap. 24.

*Ezech.cap.*24.Super mortuum luctum non facies.
*Genes.*Cap.50.Iacob plangitur Ioseph permittente pluribus diebus, pag. 285.

ANTILOGIÆ EX LIB. DANIELIS.

*Danielcap.*3.

*Daniel cap.*3.Deus potesteri perenos de camino ignis, quod si noluerit, Deos tuos non colimus.
*Genes.*28. Si hæc & hæc fecerit mihi Dominus,erit mihi in Deum: Quasi non sic,si non fecerit illa.Quod impium videtur,pag.223.

ANTILOG. EX LIB. HOSEÆ.

*Hoseæ cap.*1.

*Hoseæ cap.*1.Summe tibi vxorem fornicationum,quia fornicans fornicabitur terra à Domino.
*Exod.*20. Non mechaberis , pagin. 369.

ANTILOG. EX LIB. IOELIS.

Ioelis cap. 2.

Ioel.cap. 2. Opponitur cum textu sequenti.

Exod.

*Exod.*10. De Locustis,innumerabiles ascendisse super Ægyptum, quales antea non fuerunt,nec postea futuræ sunt,inquit Moses,pag.296.

ANTILOGIÆ EX LIB. AMOS.

*Amos Cap.*1.

*Amos cap.*1.Super quatuor sceleribus non parcam.

*Exod.*20.Faciens misericordiam in millia dicitur Deus,pag.378.

ANTILOGIÆ EX LIB. MACHABEORVM.

*Mach.*1.*cap.*11.

*Mach.*1.*cap.*11.Fœdus cum alijs à religione pacti sunt.

*Exod.*34..Ne fœdus cum eis ineas, p. 438.

ANTILOGIÆ EX EVANG. SEDVM MATHETM.

*Math.Cap.*4.

*Math.cap.*4.Et Deut.6. v. 15. Deum solum adorandum constat, & Paul. 5.ad Thimot.5.cap. 17. Apoc. 19. Angelus recusat adorari.

*Genes.*18.v.2.Angelos adorauit Abraham.Loth.Genes.19.Iosue, cap. 5. Manue Iudic.13.Balam.Num.22. p. 185.

*Math.Cap.*5.

*Math.*5.Prohibitum est iurare.

*Genes.*21.Dixitque Abraham ego iurabo.p.199.

*Math.cap.*5. Reprehensis Pharisæis prohibet formulam iuramenti. Neque per cœlum, neque per templũ, neque per caput tuum iuraueris. Ibid.sit autem vester sermo:est, est, non,non: quod autem abundatius est à malo est.D.Iacobus epist.c.5. Nolite iurare neque per cœlum,neque per terram,neque aliud quodcumque iuramentum,Deut.6. per nomen Dei iurabis.

*Genes.*31.Iurauit ergo Iacob per timorem patris sui Isaac,pag.226.

*Math.*5.& Luc.6.Estote benigni sicut pater vester cœlestis,qui solem suũ super bonos,& malos oriri facit.

*Exod.*20. Ego sum Dominus Deus tuus fortis Zelotes visitans iniquitatem,pag.332.

*Math.*5.Christus Dominus,qui legẽ integre impleuit,percutienti maxillam,offerri præcipit alteram.

*Exod.*21. Oculum pro oculo, dentem pro dente,manum pro manu,pedem pro pede,pag.392.

*Math.*5.Odio habendum inimicum, lege veteri præcipi indicatur, & Exod.21.& Leuit.24.Pœna Talionis statuitur,& fœdere nouo benefacere illi suadetur.

*Exod.*23. Si videris asinum inimici tui iacere sublebabis illum. Vnde bene faciendum inimico præcipitur, p. 402.

*Math.cap.*12.

*Math.cap.*12. Christus discipulos suos defendit colligentes spicas.

*Exod.*16.Neque ad colligendum manna permittitur egredi de loco die septimo, pag.328.

*Math.*12.Sacerdotes Sabbathis Sabbathum violant.

*Exod.*31.Videte,vt Sabbathum meum custodiatis,pag.432.

*Math. cap.*18.

*Math.*18.Non solum septies, verum etiam septuagies septies.

*Exod.*20.Dominus Deus.Zelotes dicitur,pag.333.

ANTILOGIÆ EX EVANG. SECVNDVM MARCVM.

Marc. cap. 14.

*Marc.cap.*14. Prima de azymorum, quando paſcha immolabant. Sentit ergo eadem die,& paſcha celebrari,& incipere azyma,cum ergo , vt ſuperius diximus,immolatus ſit agnus ad veſperam priorem lunæ decimæ quartæ,quæ ad diem 13. ſpectat ab illa incipiunt azyma , vnde ſunt 8.dies.

*Exod.*12. Septem diebus comedetis azyma vſque ad viceſimam diem ad veſperam,pag.320.

ANTILOGIÆ EX EVANG. SECVNDVM LVCAM.

Luc. Cap. 3.

*Luc.cap.*3. Inter Arphaxad & Sale ponit Chanaam. Arphaxad ergo cum eſſet 35.annis genuit Sale , & ſimul eodem anno Chanaam eius parentem,quod impoſsibile eſt.

*Geneſ.*11. Arphaxad vixit 35. annis & genuit Sale,pag.141.

Lucæ cap. 6.

Lucæ 6. Et Matth.5. Eſtote benigni ſicut pater veſter cœleſtis , qui ſolem ſuum ſuper bonos,& malos oriri facit.

Exod. 20. Ego ſum Dominus Deus tuus fortis zelotes viſitans iniqnitatem,pag.332.

Lucæ cap. 10.

*Lucæ cap.*10. Deſignauit Dominus , & alios ſeptuaginta duos.

*Exod.*24. Patres Sinedrij ſeptuaginta ſenes,ſeu presbiteri dicuntur , pag. 403.

Lucæ cap. 14.

*Lucæ cap.*14. Qui non odit patrem & matrem ſuam non poteſt meus eſſe diſcipulus.

*Exod.*20. Honorare parentes præcipitur filijs,pag.334.

ANTILOGIÆ EX EVANG. SECVNDVM IOANNEM.

Ioannis cap. 1.

Ioannis 1. Non ſicut Cain ,qui ex maligno erat.

*Geneſ.Cap.*4. Poſſedi hominem per Deum inquit de Cain Eua , pagin. 39.

Ioan. cap. 5.

*Ioan.cap.*5. Pater meus vſque modo operatur.

*Geneſ.*2. Requieuit Deus ab omni opere,quod patrarat,pag.35.

Ioan. cap. 14.

*Ioan.cap.*14. Ante diem feſtum paſchæ edidit Chriſtus agnum iuxta legis præfixum tempus. Mactauit autem, & edidit veſpera diei 13. quia ſi in veſpera diei 14. ederet agnum , non ante diem feſtum paſchæ,ſed in ipſo die feſto id effeciſſet. Dies enim 15. feſtiuus erat,incipiens à veſpera antecedentis,iuxta illud à veſpera vſque ad veſperam celebrabitis Sabbatha veſtra.

*Exod.*12. Conſtat agnum comediſſe Iſraelitas ad ſecundam veſperam, quæ terminus eſt diei 15. & principium diei 14. Dicitur enim ibi, quod azyma edi incipiebant cum ipſo agno paſchali,&per ſeptem dies durabant. Si ergo illa ,& agnus ad veſperam diem 13. claudentem inciperent edi,non ſeptem,ſed octo azymo-

morum forent dies, cum totidem numerentur à vespera dici 13. vsque ad vesperam, in qua complentur dies, 21. toto enim tempore isto durabāt pag. 299.

ANTILOGIÆ EX Act. APOST.

Actor. cap. 1.

Actor. cap. 1. Iter Sabbathi dicitur, & Iosue cap. 6. & Deut. 16. vbi de die festo.

Exod. 16. Nullus de loco suo egrediatur die septimo, pag. 327.

Actor. cap. 5.

Actor, cap. 5. Constat Abraham egressum esse de Charam seu Aram post quam parens mortuus est.

Genes. 11. Vixitque Thare 70. annis, & genuit Abraham, & Nachor, & Aram, & v. 31. Facti sunt dies Thare 205. annorum, Abraham 75. annorū erat cum egressus est de Aram, & 145. Thare, & 60. ante illius mortē, pag. 141.

Actor. cap. 7.

Actor. cap. 7. Dicitur quod non dedit hæreditatem in ea, nec passum pedis.

Genes. 13. Omnem terram, quam conspicis, tibi dabo, pag. 153.

Act. Apost. cap. 7. Descendit Iacob in Ægyptum, & defunctus est ipse, & patres nostri, & translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepulchro, quod emit Abraham pretio argenti à filijs Hemor filij Sichem.

Genes. 23. Abraham emit ab Ephron filio Seor agrum iuxta vrbem in sepulturam Saræ, pag. 200.

Act. Apost. cap. 7. Iacob & filij eius translati sunt in Sichem, & positi in sepulchro Abrahæ.

Genes. 23. Sepulchrum Abrahæ in Hebron collocatum est, pag. 202.

Act. 7. Dicitur quod non dedit hæreditatem in ea nec passum pedis.

Genes. 23. Abraham in Chanaam speluncam, & agrum constat emisse, p. 202.

Act. cap. 7. Dicitur fuisse, 75.

Genes. 46. Omnes animæ domus Iacob quæ ingressæ sunt in Ægyptum fuere, 70. p. 250.

Act. Cap. 7. Accersiuit Iacob patrem suum, & omnem cognationem suam in animabus, 75.

Exod. cap. 1. Erant omnes animæ eorū, qui egressi sunt de fœmore Iacob, 70. p. 289.

Act. 7. Facta est apparitio in monte Sina.

Exod. 3. In monte Dei Horeb Dominus Mosi apparuit, pag. 290.

Act. 7. Angelus apparuit Mosi in flamma ignis.

Exod. 3. Apparuit que ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, pagina 290.

Act. 7. Constat fuisse 40. annorum cū implerentur (ibi sic dicitur) ei 40. annorum tempus ascendit in cor eius visitare fratres, ita tunc percussit Ægyptum. Post alia, fugit Moses, & fuit aduena in terra Madiam vbi generauit filios duos, & expletis annis 40, apparuit illi in deserto montis Sinai Angelus. Ex quibus constat cum accidit circumcisio filij, fuisse octogenarium, vt Ex. 7. ac proinde filium eius fore 40. annorum.

Exod. 4. Circumcidit præputium filij sui, quæ denotant infantilem ætatē habere: cum seuere octauo die circumcidendum præceperit Deus puerum cuiuscumque Hebræi. Incredibile autem est Mosem Dei timoratum per quadraginta annos circumcisionem filij distulisse, & tanto tempore à Domino impunitum, & tolleratum fuisse, pag. 292.

Act.7. Hic est, inquit de Mose, qui fuit in Ecclesia, in solitudine cum Angelo, qui loquebatur eis in monte Sina.

Exod.20. Locutusque est Dominus cunctos sermones hos, pag. 332.

Actor. cap. 22.

Actor.cap,22. Principibus inquit non maledicendum.

Genes.14. Persequutus est eos vsque Dam, pag.154.

ANTILOG. EXEPIST. D. PAVLI.

Paul.ad Romanos 3.

Paul.ad Romanos 3. Non sunt facienda mala, vt eueniant bona.

Genes.18. Habeo duas filias abutimini eis, dum modo viris istis nil mali faciatis, pag.184.

Paul.ad Romanos 5.

Paul.ad Rom.5. Peccatum vero non imputabatur non existente lege.

Genes. Cap.4. Maior est iniquitas mea, quam vt veniam merear, pag.40.

Paul.ad Rom.5. Non existente lege nō imputatur peccatum, neque culpa, huiusmodi coniunctio non erat prohibita. Deinde qui erant filij Dei?

Genes.6. Videntes filij Dei filias hominum, quod essent pulchræ, acceperunt vxores. Quo iratus est Dominus, p.58.

Paul.ad Rom.5.& 9.& ad Galat. 1. ad Philip.1. Iurauit, & Ierem.4. Iurabis viuit Dominus.

Exod.20. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, pag.368.

Paul.ad Rom. 14.

Paul.ad Rom. 14. Et non infirmatus est in fide, nec consideravit corpus suum è mortuum, cum iam fere centum esset annorum, neque mortuam vuluam saræ &c.

Genes.17. Risit in corde suo dicens Abraham, putas ne centenario nascetur filius? & Sara non agenaria pariet? pag.181.

Paul.ad Rom.14. Distinguitur inter manducantem cum credat omnia posse, & non manducantem, & vtrū que saluat. Loquens deinde de ijs, quæ in cibum assumi possunt, inquit omnia munda sunt.

Exod.34. Ne manducent de immolatis gentilium dijs prohibetur, pag.439

Paul.ad Corinthios 1. cap. 7.

Paul.ad Corinth.1.cap.7. Qui non iungit virginem suam melius facit.

Genes.9. Dixit Deus crescite & multiplicamini, pag. 90.

Paul.1.ad Corinth.7. Laudatur virginitas.

Exod.23. Non erit inter sterilis, nec infœcunda, pag.402.

Paul. ad Corinth. 8.

Paul.1.ad Corint.8. Nullus est Deus nisi vnus.

Exod.cap.7. Ecce constitui te Deum Pharaonis, pag.293.

Paul.1.ad Corinth.cap.10.

Paul.1.cap.10. Neque fornicemur sicut quidam eorum fornicati sunt, & ceciderunt vna die viginti tria millia.

Exod.32. Ceciderunt indie illa quasi triginta tria millia hominum, pag. 434.

Paul.2.ad Corint.3.

Paul.2.ad Corint.3. Gloria vultus Mosis prædicatur.

Exod.34.

*Exod.*34. Ignorabat quod cornuta esset facies eius, pag. 445.

Paul, ad Galatas, cap. 1.

Paul. ad Gal. 1. Iurauit & ad Philip. 1. & ad Rom. 5. Nec non Ierem. 4. iurabis, viuit Dominus.
Exod. 20. Non assumes nomẽ Domini Dei tui in vanum, pag. 368.

Paul. ad Galat. cap. 3.

Paul. ad Galat. 3. Hoc autem dico testamentum cõfirmatum à Deo, quæ post quadringentos annos facta est lex, non irritum facit ad euacuandã promissionem.
Genes. 12. A promissione Abrahæ vsque ad legem Mosi datam fuisse videtur 645. annos Abraham enim 75 erat annorum cum hæc facta fuit illi promissio, vnde vsque ad descensum in Ægyptum 215. fuere anni, ab ingressu vsque ad exitum 430. Exo. c. 12. adde dies ab exitu vsque ad legem datam, pag. 151.

Paul. ad Galat. cap. 5.

Paul. ad Gal. 5. Circumcisio nil prodest.
Genes. 17. Circumcisio data fuit Abrahæ in fœdere sempiterno, pag. 162.

Paul, ad Ephes. cap. 5.

Paul. ad Ephes. 5. Nolite inebriari vino in quo est luxuria.
Genes. 43. Biberuntque & inebriati sunt, pag. 247.

Paul. ad Ephes. cap. 6.

Paul. ad Ephes. 6. Honorare parentes primum mandatum est.
Exod. 20. Honorare parentes qu[illegible] præceptum est, pag. 333.

Paul. ad Philip. c. 1.

Paul. ad Philip. 1. Iurauit, & pluries.
Exod. 20. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, pag. 368.

Paul. ad Thimot. cap. 5.

Paul. ad Thimot. cap. 5. Deum solum adorandum constat, & Apoc. 19. Angelus recusat adorari.
Genes. 18. v. 2. Angelos adorauit Abraham, Lot. Gen. 9. Iosue, c. 5. Manue, Iudic. 13. Balam num. 22. pag. 185.

Paul, ad Hebreos, cap. 4.

Paul. ad Heb. 4. Omnia nuda, & aperta sũt oculis Domini.
Genes. 18. Descendam & videbo dicit de se Deus, pag. 183.

Paulus ad Hebreos, cap. 9.

Paul. ad Hebr. 9. Secundum tabernaculum semel quotannis solus Pontifex ingressus est non sine sanguine, & Leuit. 16. Ne omni tempore ingrediatur sanctuarium.
Exod. 30. Præcipitur fieri altare, sup[illegible] quo adolendum incensum ma[illegible] vespere, hoc autem [illegible] ctuarium const[illegible] Heb. 9. ib[illegible] citur [illegible] be[illegible]

Mose non sunt posita in arca.
*Exod.*40.Posuit testimonium in arca, pag.450.

Paul.ad Heb.cap. 11.

*Paul.ad Heb.*11. Adorauit fastigium virgæ eius.
*Gen.*47. Adorauit Israel Deum conuersus ad lectuli caput,pag.251.

*Paul.ad Heb.cap.*12.

*Paul.ad Heb.*12.Ne quis sit fornicator siuè prophanus,vt Esau qui propter vnam escam vendidit primitiua sua.Scitote enim,quoniam,& postea cupiens hæreditare benedictionẽm,reprobatus est:non enim inuenit pœnitentiæ locum, quamquam cum lachrymis inquisisset eam. Ex quibus Paul.negat accepisse benedictionem,quam cum lachrymis postulabat ab Isaac.
*Genes.*27.In pinguedine terræ,& in rore cœli desuper erit benedictio tua accepit ergo benedictionem, pag. 221.

ANTILOG. EX EPIST. IACOBI CAP. 1.

*Iacob.*1.Deus neminem tentat.
*Gen.*22.Tentauit Dominus Abraham, pag.199.

Iacob epist. cap. 5.

*Iacob.epist.cap.*5.Nolite iurare neque per cœlum,neque per terram, neque aliud quodcumque iuramentum.
*Gen.*31.Iurauit ergo Iacob per timorem patris sui Isac,pag.226.

DOMINICA I.

ADVENTVS.

ERVNT Signa in Sole,& Luna,Lucæ 21.Gigas,Diuinum Verbum,qui exultauit ad currendam viam hodie viam manum ostendit, dextram vtique ad miserendum,qua diuinitatem etiam apud Gentiles conciliat.Ex Genes.2.pag. 461.& sequentibus.Hanc manifestat Ecclesia in Epistola. *Nunc propriorest nostra salus.*Sed statim in Euangelio altera Gigantis manus iusticiæ proponitur: vt ex vnius magnitudine ad miserendum,coniectari possit,fortitudo ad puniẽdum.

In illa extrema vltione diuina constabit, quantum profuisset vulnera peccatorum aperta fuisse in hac vita per delictorum confessionem.Ex Genes.3.pag,467.

Qui Dominum respicit misericordem dumtaxat in hac vita,iudicem maximè formidabit in Iudicio. Ex Gen. 6.pag. 480.col.1.

In die iudicij apparebunt delicta maiora,quam in ista vita. Ex Genes.6. pag.481.præcipuè contra illos, qui plus iustò de misericordia præsumunt.Ibidem.

Quærit Dominus excusationem, cum homines punit. Erubescitque supplicijs prosequi homines.Hæc quidem in hac vita: vt seuerius puniat in iudicio.Ex Genes.6.pag. 483.

Deus in hac vita quando punit,miseri corditer operatur:vt seuerius se gerat in iudicio.Gen.11.pag.494.col. 1,

In die iudicij,veniet filius hominis, vt puniat.*Videbunt filium hominis.*Ille in quam, qui fraterna homines charitate dilexit.N ab eo,à quo amor dere,infligitur,m 7.pag.548.

Dominica 2. Aduentus.

Nisi Ioannes,nullus auderet principibus dicere veritatem. Ob eam in carcerem truditur.Exod. 7. pagin. 546.

Dominica 4. Aduentus.

Prædicabat Ioannes pœnitentiam. Quæ differenda non est.Ex Genes.6 pag.478.

Factum est verbum Domini super Ioãnem. Egregius concinator, cuius verba puritas vitæ firmat: in cuius ore,non verbum dictum solum modo,sed factum manibus inuenitur. Exod.4.pag.541.& seq

In die Circumcisio

Pro circumci tuit

non recusauit, ait Bernardus, qui vul
nus non passus, ligaturam vulneris
pro nobis compassus in circumcisio
ne pertulit. At nos è conuerso, pe-
nam recusamus, cum non fugiamus
culpam, in alijs quidem videntes, in
nobis dissimulantes, Gen. 38. p. 554.

In die Epiphaniæ Domini.

Misterium occultationis stellæ, instruc-
tio fuit iudicum, & superiorum,
Genes. 11. p. 492.

Domin. in Septuagesima.

Matth. 20. *Quid hic statis tota Die ocio
si?* Operandum est in vinea Patris fa
milias cœlestis, non quidē in terra,
nec in terrenis, sed ea opera impen-
denda, quæ in vineam cœlestem di-
rigunt. Quæ ex creatione hominis,
ex eiusque dispositione, nec non ex
primo protoplastis præcepto impo
sito à Deo colligitur, ex Gen. 1. p.
458.

Ad quid prosit labor, vide. Exod. 16.
pagin. 552.

Feria 4. Cinerum.

Matt. 6. *Cum ieiunatis.* Cineres in capi
tibus fidelium hodie in capite ieiu-
nij Mater Ecclesia imponit, quibus
[illegible]inem reuocat, ac superbiam
em, & reliqua vitia cōpri-
cissimum hoc remedium
sequentibus.
qui ab oculis
btrahunt,
ho-
cat; quam apertam oporteat ad
eleemosynas elargiendas, p. 462. si
autem sinistra nesciat quid faciat
dextera, & quasi sinistra non sit, to-
tus homo dextræ incumbit, penè di
uinus appareat iuxta Athenicasium
religionem. Ex Gen. 2. pag. 461.

Vestris filij patris vestri. Hoc propri
simam Deo est, misereri. Et qui Deus
est, ac bonorum nostrorum nō eget
indiget miseria nostra, qua diuitiæ
miserationum suarum queant effun
di, Gen. 1. pag. 453.

Humana misericordia abiectos refu-
git, & numquam despectos humani
tate respicit, *Ibidem.* Vnde in hoc si
cut à similitudine, etiam deficit à fi
liatione patris Dei, & quasi adulte-
rinus euadit. Gen. 1. pag. 461.

Diligite inimicos vestros. Hoc propriū
iustorum est. Inde efficimur Dei for
mes, & filij patris æterni, non adul-
terini, Ex Gen. 9. pag. 490. col. 1.

Eximium virtutis opus, inimicos ama-
re. Gen. 26. pag. 524.

Domin. 1. in Quadragesima.

Quare Diabolus in tētationibus Chri
sti desperauit victoriam? Qui tamē
credidit Adamum in paradyso vin-
cendum. Ex Gen. 1. pag. 457.

Aliter Diabolus tentat, aliter Domi-
nus: ille vt subruat, iste, vt coronet,
Genes. 22. pag. 518.

Domin. 2. Quadragesimæ.

Non secum tulit ad montis transfigu-
rationem gloriosam omnes Apostō
los, ne etiam veniret Iudas cum eis.
Societas namque malorum impedi
mentum est diuinorum contempla-
[illegible]6. pag. 475.
[illegible]nit ex malorum con-
[illegible]9 p. 508.
[illegible]illos in montem ex-
[illegible]m difficilis est via,
laborandum est,

Con-

Conſpectu cæleſtium creſcit amor cæ li. Ideo Petrus deſiderauit ibi eſſe. Exod. 24. pag. 564.

Feria 3. poſt Dominic. 2. Quadrageſ.

Secundum opera illorum nolite facere. Mat. 23. Admonitio iſta neceſſaria maximè fuit: quia ſæpè ſubditi imitantur opera eorum, qui ſuper Cathedram ſedent Magiſtri, & Doctores. Ex Gen. 9. pag. 489.

Sabbato poſt Domin. 2. Quadrag.

Pater peccaui in cœlum, & coram te. Lucæ 25. Quamvis peccata celari videantur in terra, ipſa tamen clamãt in cœlo, & coram Deo Geneſ. 9. p. 495.

Feria 4. poſt Dominic. 4. Quadrag.

Vidit hominem cæcum à natiuitate. Ioan. 9. Detrahentes, lynceis oculis iuſtorum imperfectioni inſidiantur, non ſic perfecti. Ex Gen. 6. p. 485.

Et procidens adorauit eum. Quantum poſsit apud Deum gratitudo? Ex Gen. 6. p. 487.

Feria 5. poſt. Domin. Quadrag.

Lucæ 7. *Miſericordia motus ſuper eã, dixit illi. Noli flere.* Flebat ergo. Ob has igitur lachrymas quaſi victit inuincibilem, & vitam filij impetu lachrymarum extorſit. Ex Gen. 1. p. 455. & ſequentibus.

Feria 5. poſt Domin. in paſsione.

Lucæ 7. *Lachrymis cœpit rigare.* Regnum cœlorum vim paſſum fuit Maria lachrymante. Ex Gen. 1. p. 455. & ſequentibus.

Peccatorum confeſsio quid profit? p. 467. ex Gen. 3. Quam neceſſaria? Ex Gen. 5. pag. 474.

Quomodo fiat fructuoſa pœnitentia? Ex Gen. cap. 4. pag. 471.

Non differenda pœnitentia, quia peccata inueterata difficilius tur. Exod. 22. pag

Feria 6. poſt Dor

Ioann. 11. *Collegeru*

les conſiliari

ſcientia enin

non intendu

conuenientia propria, ſine reſpectu ad diuina præcepta. Ex Gen. cap. 2. pag. 463.

Venient Romani, &c. Peccatorem omnia timet, mala conſcientia ſemper affligit. Ex Gen. 4. pag. 469.

Iſti inuidia preſsi, hæc dicebãt. Inuidus namque aliorum bonorum, ſuum facit inuidendo ſupplicium. Ex Gen. 5. p. 462. & ſequentibus.

Inuidia lynceos oculos habet, vt in alijs ſcrutetur defectus, talpa eſt, vt perfectiones aduertat. Hæc in iſto conciliabulo apertiſsimè videntur Gen. 25. pag. 523.

Tollent gentem noſtram. Falluntur iſti politici. Alia ratio eſt ſubuerſionis Reipublicæ, Gen. 27. pag. 527.

Ad ſermonem de flagelantibus ſe, in proceſsionibus. Vulgo platica de la diſciplina.

San guinis Chriſti memoria, ſi perſeueret, non poteſt non in ſe reuerti peccator. Hac conſideratione ſanguinẽ fundant fideles pœnitentes, vt in ſe reuertantur, ſanguini Chriſti incorporati. Exod. 3. pag. 540.

De paſsione Domine.

Qui Chriſti meditatur paſsionem, labores perferet tolerabilius, Dœmoni horribilis factus. Exo. 3d. pag. 538.

De planctu Virginis iuxta Crucem, hoc eſt, de ſolitudine eius.

Tam efficax eſt vis lachrymarum, Mariam flentem in terra Ieſus non intueri, in illa inclinare, Gen. 1. p. 45

Pœna, quam maxime pag.

horelogij, Geneſ. 22. p. 513. & ſeqq.

In die Aſcenſionis Domini.

Quid de dolore diſcipulorum in Aſcenſione Domini putandum. Geneſ. 22. pag. 516.

In die Sancto Pentecoſtes.

Quare Chriſtus Dominus dixit: niſi abiero, paraclytus nō veniet advos? Geneſ. 22. p. 511. col. 2.

De ſacratiſsimo corpore Chriſti.

In hoc cœleſti pane, accidentia quidē, non ſubſtantia panis manet terreni: vt diſcant comedentes, cœleſtia cō templari, non in hærere terreni s, ex Gen. 1. pag. 458.

Accepit Ieſus panem, benedixit, & fregit. In eo facto maximam liberalitatem oſtendit, Gen. 12. pag. 497.

Puritas, quam exigit Euchariſtia, Ex. 12. pag. 550. præcipuè Sacerdotes puri debent eſſe. *Ibidem.*

Gratiarum actiones Euchariſtiam ſumentem debent commitari, Exod. 12. pag. 551.

Dominica 5. Trinitatis.

Mat. 7. *Omnis arbor bona bonos fructus facit*, Gen. 6. pag. 475.

De S. Thoma Aquinate.

Angelicus Doctor, & conſortia, & cō ſpectum mulierum vitabat omnino.
nim etiam Angelos anhelitu
Ex Gen. 6. v. 476. & ſeqq.

ancti Petri Apoſtoli.

omini electus in
nde virtutes
us in ele
endit,

temporalium bonorum immutatur hæc ſancta, ex Gen. cap. 4. pag. 471. columna 2.

In Annuntiatione, ſeu Incarnatione Dominica.

Spectabat ad diuinum Verbum, quam pinxerat imaginem hominis, reformare: atque, quot lineis penicillo cucurrerat manus linteum, tot vulnera ex amore imaginis reportauit, Ex Gen. 1. pag. 459. & ſequentibus.

In Aſſumptione B. Virginis Mariæ.

Coniungenda eſt vita actiua cum contemplatiua. Geneſ. 33. pag. 530.

De Imagine miraculoſa S. Dominici in Soriano.

Imago iſta à Sacratiſsima Virgine Maria delineata, ſimul illius amore capta fuit, pag. 460.

Pro defunctis.

Vtilitas memoriæ mortis, *Ex Gen. 3. pag.* 464. & ſequentibus.

Peccatores, qui nunc omnia in ſanguine Chriſti ſperant, mortis tempore maximè trepidabunt, Ex Gen. 4. p. 470. col. 2.

Semper de ſalute æterna curandum, ſed præcipuè in vltima vitæ clauſula, Ex Gen. 6. pag. 479.

Qui ſolum in vita reſpicit miſericordiā Dei, iudicem maximè formidabit in morte. Ex Gen. 6. pag. 480. col. 1.

De electione ſepulchrorum pro defunctis, vide Gen. 23. pag. 521.
igilandum, ne præoccupemus
2. pag. 549.

REGISTRO DE LA PROPIEDAD INTELECTUAL



1.334